SVMMA COLLOQVII JOHANNIS RAINOLDI CVM JOHANNE HARTO

De Capite & Fide Ecclesiæ.

UBI VARIÆ OBITER TRACTANTUR QVÆSTIONES, de *Sufficientia*, & *orthodoxa expositione Scripturarum*, *Ministerio Ecclesiæ*, *Functione Sacerdotali*, *Sacrificio Missæ*, unà cum aliis, quę in religione agitantur, controversiis; pręcipuè verò, & ex instituto, quæstio de *Ecclesiæ regimine*, explicata in iis, quę de Christi supremâ Monarchiâ, de Petri prętensâ, Papę usurpatâ, Principis *legitimâ supremitate* disputantur.

*A JOHANNE RAINOLDO CONSCRIPTA, CONVENIENTER COM*pendiis illis quæ uterque scripto mandârat: examinata demum, à JOHANNE HARTO, atq; (post addita quædam, quædam mutata ut ipsi commodum videbatur) pro fideli narratione eorum, quæ inter ipsos in Colloquio disserebantur, habita & comprobata.

ANTE QVATVOR ET VIGINTI ANNOS EX ANglico *sermone in Latinum versa, nunc autem primùm jussu, curâq; Reverendissimi atq; vigilantissimi Præsulis,* RICHARDI BANCROFTI, *Cantuariensis Archiepiscopi (qui non domesticarum modò, quibus præest, sed etiam exterarum Ecclesiarum bono impensè studet,) è situ & pulvere evocata, & in lucem emissa.*

HENRICO PARRARO, *Gloucestrensi Episcopo, interprete.*



OXONIÆ.

Excudebat Josephus Barnesius. 1610.

SVMMA COLLO-
QVII JOHANNIS RAINOLDI
CVM JOHANNE HARTO
De Capite & Fide Ecclesiæ.

UBI VARIÆ OBITER TRACTANTUR QVÆSTI-
ones, de Sufficientia, & orthodoxa expositione Scripturarum, Ministerio
Ecclesiæ, Functione Sacerdotali, Sacrificio Missæ, una cum aliis,
quæ in religione agitantur, controversiis; præcipue
vero, & ex instituto, quæstio de Ecclesia regi-
mine explicatur in iis, quæ de Christi su-
prema Monarchia, de Petri præ-

Henrico Parræo, Glocestrensi Episcopo, interprete.

OXONIÆ.
Excudebat Josephus Barnesius. 1610.

SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO, CHRISTIANO IIII, DANIÆ, NORWEGIÆ, SLAvorum, Gottorúmq; Regi, Slesvvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ DVCI, Comiti in Oldenburg, & Delmenhorst; *Domino Islandiæ & Oeseliæ.*

PLanè intelligo, rem me nullam serenissimo magnæ Britanniæ Regi atq; Domino meo JACOBO, Annæve clarissimæ Reginæ, quæ fratri luce magis dilecta soror, gratiorem; nullam verò Proceribus regni, populóq; universo Britannico plausibiliorem posse facere: quàm ut Majestatem tuam, Christiane, Rex, Rex ô verè christiane, omnium nominibus ex ultimâ nostrâ Britanniâ salutem. Illâ Britanniâ, quam Tu ante annos non multos multis emensis itineribus salutasti; illâ, quæ te multis vicissim effusis amoribus & venientem læta excepit, & tristis prosequuta est discedentem. Quidni autem tristis discessu tanti Regis, cujus præsentia illustris magnificentiæ munificentiæq; atq; aliarum amabilium virtutum splendore decorata, omnes omnium & oculos & animos ad se rapuit? Quare cùm ceteros in admirationem, tùm verò spectatissimum Walliæ Principem HENRICVM, Tuum ex Tua sorore optima optimum Nepotem, in imitationem Tui ita totum abripuisti; ut ad novos indies labores, nova pensa exardeat, nec satis habeat Magnum Patrem pietate & literis, nisi etiam Te magnanimum Avunculum fortitudine & armis referat. Referet, profectò referet; qui, admirabilis indolis heros, assiduè nititur, molitur, & agit omnia, quæ Patre, quæ Te, quæ se digna; propediem documenta orbi terræ daturus, quibus ortus radicibus, & quòd Magni JACOBI sanguis, & quòd Tuus. Nobis, qui numerus sumus, ne culpæ sit, quibus cordi est, de valle angustiarum nostrarum hæc fastigia amplæ felicitatis suspicere, & Majestati vestræ, Rex inclyte, de integro gratulari, qui talem nactus tuarum & amatorem & æmulatorem laudum, Ipsi ad rerum maximarum studia optimis præis & præluces auspiciis. Præluces verò non solus, nec solus præis. Habes enim conjunctissimum harum præclarissimarum viarum Tibi Comitem, Isti Ducem, eum, quo ille perpetuò gloriabitur pio Patre se satum adeóq; natum ad magna. Nihil in votis omnium prius, antiquius nihil, quàm ut vos gemini Europæ soles almis illibatæ religionis radiis, & castæ veritatis larga luce hoc aureum Sidus quàm diutissimè perfundatis. Nec ut hoc solum, quanquam ut hoc primum; sed & alia quæcunq; uspiam sidera in cœlo Christiani orbis aut figuntur aut errant. Nam illis stellis quid futurum sit quæ non errârunt modò, sed etiam ceciderunt, à [a] *caudâ Draconis* Apocalyptici *tractæ abjectæq; in terram*, nolo tristius ominari. At si non ominari, fas saltem cum Domino apud Prophetam sciscitari; [b] *An ita cadunt ut non resurgant?* Resurgent (non metus) ubi illum excusserint veternum, quo ipsas, longâ nocte injectâ mortalibus, *Draconis Bestia*, Draconi viribus & potestate non impar, consopivit. Non loquor

[a] Apoc. 12. 4.

[b] Ier. 8. 4.

ænigmata, qui Bestiam commemoro.[c] *Homo in honore positus, nec intelligens, Bestiis quàm simillimus. Homo* Romanus olim *in honore positus*, primâ inter fratres Episcopos sede fretus; *nec intellexit* tamen, aut se continuit. Quare factus est *Bestia*, in ejusdem meritò conditionis sortem cum Dracone conjectus, cujus in criminis societatem ipse se immiserat. Draconi Angelicus in cœlis Principatus non placuit, nisi etiam sit Angelorum Deus; ex Angelo igitur factus est Draco. Prorsus Bestiæ huic similiter displicuit in cœlo Christiano Episcopalis Primatus, nec alium quàm Episcoporum, quàm populorum, quàm Regum & Cæsarum Cæsarem, Deúmq; voluit se indigitari. Ergo ex Episcopo versus est in *Bestiam*, & *Bestiam* quidem *Draconis*, cujus subnixus alis pin nas templi invasit, & in montem excelsum valde ascendit, hinc sibi non contemplationem modò, sed et possessionem, quam respuebat Christus, omnium regnorum atque imperiorum mundi, *Dracone* porrigente, gratulatus. Sic oportuit et pati Christum, et Antichristum regnare. Interea Reges terræ, suam quoque perpessi deflendam metamorphosin, et qui suorũ populorum capita exstiterunt, [d] facti sunt *cornua Bestiæ*, ejúsque [e] *Actæonium caput* adornârunt. Hæc vafrum *Bestiæ* ingeniũ *cornua* nunc submittendo in alios, nunc ipsa inter se committend o, ita miris machinationibus et lentavit, et detrivit, ut nihil satius habuerint, quàm [f] *unanimi consensu vires ac potestatẽ suam Bestiæ tradere*, istóq; misero pacto suis, quæ reliqua sunt, pusillis & curtis Imperiis consulere. Inde spiritus [g] *Bestiæ* tam superbi et insolentes, quibus elata frequens et grande incestioris convicium in cœlum evomit, et[h] nefandis conatibus terram contaminat. quis enim contra aut dicere ausus aut hiscere? quis similis Bestiæ? quis poterit pugnare cum eâ? Poterit verò pugnabítque [i] *Agnus* cum eâ, et illa *vincet* cornua, quorum viribus nefariè abusa *Bestia*, toties in ipsum *Agni* arietavit templum, et adversùs omne genus fidelium grassata est. Vincet certè ille Dominus Dominorũ, et Rex Regum, Dominos & Reges terræ: et quos delicatis illecebris et speciosis lenociniis mendaciorum venefica *Bestia* fascinavit et in *cornua* convertit, is refinget denuò, et in integrum restituet, atque ex *cornibus Bestiæ* Summa suorũ rursus capita Populorum faciet. Quid dico, faciet? Dixit, et factum est. Testes mihi Ordines, testes Duces, testes Principes, vósque Testes (testor utrumq; Caput) Incomparabile Par Regum, qui *Suprema Britanniæ Daniæq; Capita* ubiq; auditis, nec vosinet unquam ad hanc *cornutam* spurcę Bestię servitutem abjectè demittitis. Non amicitiæ incertæ, non certæ inimicitiæ, non pollicitationes, non minæ, non mulcentes Indulgentiæ, non corripientes exsecrationes, vestras mentes quicquam commôrunt, quin arctè accuratéq; teneatis Jura vestr a, Jura Regum, quibus [k] *Harpyia Celæno, Harpyiæq;* Cardinales aliæ horribili rapacitate inhiant. Neque verò vos docti solùm non cedere malis, sed etiam contrà audentiùs ire. Ivisti enim nuperrimè contrà, Britannię Regum Decus Jacobe, & in obscenas volucres tuâ immortali cum laude strinxisti stylum Mercurii; Martis etiam stricturus, ubi (sed averruncet Deus) ferro cernenda lis & armis. Scelus mihi disjungere, quos Majestatis, Affinitatis, Religionis triplicatus funiculus arctissimè consociavit. Neminem par est credere quàm te, Daniæ Gloria tuę, Christiane, aut citiùs in hanc aciem ausurum, aut alacriùs advolaturum ad hæc arma. Habemus sanè præclaram de magnanimitate tua, zeloq; invicto non informatam modò, sed & confirmatam in animis opinionẽ omnes Britanni, apud quos æterna utriusque specimina testatissima reliquisti. Apud me verò munificentiæ tuæ juxtà ac zeli haud æternum minùs, haud minùs testatum specimen, quem in Roffensi ecclesia concionantem discessurus, nimiũ, prorsus nimiùm beatas intentissimâ attentione tuâ, Constantinianam illam ab Eusebio

[c] Ps. 49. 20.
[d] Apoc. 17. 12
[e] Ovid. Metamorph. lib. 3.
[f] Apoc. 17. 13.
[g] Apoc. 13. 5. 6.
[h] v. 7. 8.
[i] Apo. 17. 14.
[k] Virgil. Æn. 3.

toties

toties laudatam æquante. At hoc *Nimium* non satis tamen Tibi, nisi etiam honorificis verbis, etiam honorificentissimo munere tenuitatem meam amplificasses. Non possum profectò quin illum à Majestate Tua mihi dono prolixè missum aureum & gemmatum annulum multi faciam, & faciam quidem pluris, quàm si illũ [l] *modium*, seu potiùs *modios* illos *annulorum* fuissem nactus, quorum prædâ in Cannensi clade, tot stratis equitibus primariisq; viris Romanis, Annibal tam magnificè gloriatus est. Næ ego nequiter ingratus sim supráq; modum indignus qui apud tantum Regem in ullâ aut laude sim aut gratiâ, si non cum summo obsequio atq; observantiâ primam quamque occasionem captavero testificandi, gratias animus meus quàm multas habeat, quàm plures debeat. Occasio mihi oblata est hæc prima, dum ad opus istud, quod augusto Tuo nomini inscribo, emittendum post multos annos me revocat *summè reverendus Antistes*, Tuæq; Majestatis summè observans, *Cantuariensis Archiepiscopus*, qui sacris negotiis totus affixus in curis Ecclesię honorificè consenescit. Proinde parui, ut me decuit, & hanc primam occasionem cupidiùs arripui, ut pariter Christiano Regi gratitudinem, atq; christiano Præsuli operam meam præstem. Præsto utramque: & quidem illam gratitudinẽ Tibi promerenti, hanc operam, Te patrocinante, præsto. Quæso à Majestate Tua ut gratitudinem meam Tuâ gratiâ, operam meam Tuo patrocinio velis dignari. Nec operam modò, sed & Opus quoq; in quo operam posui, & quod operæ pretium est meæ, velis tueri. Opus dignum tuebere & gratum Regibus, quorum concussa gubernacula & imminutas Majestates, contra nefaria Archipiratæ Romani latrocinia & turpes rapinas per hos totos viginti & ampliùs annos, autore eruditissimo viro atq; sanctissimo, Johanne Rainoldo Anglo, propugnavit. Propugnavit autẽ apud suos solummodo, hoc est Anglos; nec virtus ejus manavit longiùs, linguâ populari, qua edebatur, ipsum intra hujus unius Insulæ fines coarctante. Est illa desidiosa valdè & enervata caritas, quæ domesticorum limen non transgreditur. Sumus omnes domestici, omnes, qui uspiam terrarum Christo nomen dedimus, [m] *Fidei domestici* dicimur, & sumus. Quare, ut ista quoq; longiùs dissita limina si nõ transgrediatur, salutet tamen, etiam in interiora penetret, & omnes *Domesticos*, cũ primisq; vos Reges & Monarchas & *Christos* Christi certiores rerum vestrarum faciet moneatq; (memores fortassis jam tandem;) sed moneat quibus artibus versuta & subdola *Bestia* in Majorum vestrorum possessiones pedetentim & sensim irrepserit, & vos Regnorum Capita in sua *Cornua* verterit: dilatavi caritatem hujus operis, ut me interprete, doctissimum Johannis Rainoldi cum Harto Colloquium nationes multas sermone multis satis familiari alloquatur. Etiam ut Te maturiùs alloquatur, Rex maxime, ego, qui vereor ne nimiùm loquax sim, pluribus Te alloqui nunc desinam. Desinam Te alloqui; sed alloqui pro Te non desinam Deum tuum, qui Tuus semper sit, Túq; Illius semper; Ille Tibi semper faveat, Illi Tu semper servias; protegat Ille Te perpetuis auxiliis, perpetuis obsequiis Tu Illum prosequare; Illius cœlestem Majestatem Tu opibus, coronâ, Regno, vitâq; tuâ constanter habe cariorem, Tuam ille terrenam Majestatem Téq; Ipsum ut [n] *Annulum in dexterâ manu*, [o] *ut Annulum brachio, ut Annulum cordi suo* æternùm imponat, nec unquam ut inde evellaris patiatur.

[l] Tit. Liv. Dec 3. lib. 3. Plin. Nat. hist. lib. 33. cap. 1.

[m] Gal. 6. 10.

[n] Ier. 22. 24.

[o] Cantic. 8. 6.

Serenissimæ Majestati Tuæ addictissimus

HENR: GLOVCESTRENSIS.

toties laudatam æquante: At hoc Nimium non satis tamen Tibi, nisi etiam honorificis verbis, etiam honorificentissimo munere remuneraret totum amplificasses. Non possum profectò quin illum a Majestate Tua mihi dono prolixè missum aureum & gemmatum annulum multi faciam, & faciam quidem pluris, quam si illi [a] modium, seu potius medimnos illos annulorum fuissem nactus, quorum prædâ in Cannensi clade, tot fractis equitibus primariisq; viris Romanis, Annibal tam magnificè gloriatus est. Nec ego nequiter ingratus sim supraq; modum indignus qui apud tantum Regem in ullâ aut laude sim aut gratiâ, si non cum summo obsequio atq; observantia primam quamque occasionem captavero testificandi, gratias animus meus quàm multas habeat, quàm plures debeat. Occasio mihi oblata est hæc prima, dum ad opus illud, quod augusto Tuo nomini inscribo, currendum post multos annos me revocat summè reverendus Antistes, Tuæq; Majestatis summè observans, Cantuariensis Archiepiscopus, qui sacris negotiis totus affixus in curis Ecclesiæ honorificè conficiendis. Proinde parui, ut me decuit, & hanc primam occasionem cupidius arripui, ut pariter Christiano Regi gratitudinem, atq; christiano Præsuli operam meam præstem. Præsto utramque, & equidem illam gratitudinē Tibi promerendi hoc opere, Te patrocinante præsto. Quare à Majestate Tua ut gratitudine meam Tuâ gratiâ, operam meam Tuo patrocinio velis dignari. Nec operam modò, sed & Opus ipsum, in quo operam posui, & quod operæ pretium est meæ, velis tueri. Opus Summis tum Regibus & Reginis, quorum concilia gubernacula Summarum Majestates, contra nefaria Archipiratæ Romani latrocinia & turpes rapinas per hos totos viginti & amplius annos, autore eruditissimo viro atq; sanctissimo, Iohanne Rainoldo Anglo, propugnavit. Propugnavit autē apud nos solummodo hoc est Anglos, nec vicinis eius manavit longius lingua populari, qua edebatur, solum intra huius unius Insulæ fines coarctante. Est ista desideranda & enervata caritas, quæ domesticorum fines non transgreditur. Sumus omnes domestici, omnes, qui ubiquam terrarum Christo nomen dedimus, [b] domestici fidei. Quare, ut ista quo longius, diffusa latius lumina sinē umbra irradiaret, salutet tamen, etiam in interiora penetret, & omnes Domesticos pariterq; vos Reges & Monarchæ, & christiani Christi certiores rerum vestrarum faciet monearq; (monuisset fortassis iam tandem) sed moneat quibus artibus versutis & fraudulentis in Majorum vestrorum possessiones pedetentim & lenissimè irrepserit, & vos Regnorum Capita in sua Corona verterit: dilatavi caritatem huius operis, ut me interprete doctissimi Iohannis Rainoldi cum Hartio Colloquium nationes multas sermone multis suis familiari alloquatur. Etiam ut Te maximus alloquatur Rex maxime, ego qui vereor ne nimium loquax sim, pluribus Te alloqui nunc desinam. Desinam Te alloqui, sed alloqui pro Te non desinam Deum illum, qui Tuus semper sit, Tuq; Illius semper; Ille Tibi semper faveat, Illi Tu semper fervens procedas; Ille Te perpetuis auxiliis, perpetuis obsequiis Tu Illum prosequare. Illius cœlestem Majestatem Tu Pius, corona, Regno, vitaq; tua constanter habeas carissimam; Tuam Ille terrenam Majestatem Te ipsum ut [c] Adamantem in dexteræ manu, & [d] signaculum sculptum, ut Adamantem cordis, suo æternum imponat, nec unquam ut inde evelli patiatur.

[a] Tit. Liv. Dec. 3. lib. 3. Plin. Nat. hist. lib. 33. cap. 1.

[b] Gal. 6. 10.

[c] Ier. 22. 24.

[d] Cantic. 8. 6.

Serenissimæ Maj. Tuæ addictissimus

HENR: GLOUCESTRENSIS.




*cce tibi, benigne Lector, illud meum cum Rainoldo Colloquiū quod tādiu exspectasti, ad exitum tandem aliquando perductum: uti etiam ante annum fuisset, nisi per me stetisset quò minùs ederetur, quum jam propè typographi operam exspectabat. Tertius enim nunc annus agitur, quum honoratißimus Walsinghamus, sicut singularem mihi capto benignitatem exhibuerat, liberam mihi faciens disputationis potestatem domi, tum in patria mea primùm, deinde etiam in carcere: ita postquam de me lata fuit capitis sententia, nō destitit eandem mihi præbere benignitatem, modò eam vellem amplexari. Cui ego, certißimo innixus fundamento Ecclesiæ sic munitæ à Deo ut æternùm sit perstitura, libenter assensus sum, eámq; (utì par erat) omni cum officio sum amplexus. Quare statim illustris vir Rainoldum accersivit qui mecum ageret: illud insuper curabat, ut quorumcunq; demum librorum apparatu, quorum mihi ad hoc negotium futurus usus esset, instruerer. Verùm, ubi aliquot contrivissemus hebdomadas multa pariter inter nos verbis differentes, nec ego à priori mea quicquam desisterem sententia: summam sermonum nostrorum cupiebat scriptis designari, quò fundamenta ipsa, quibus insisterem, dispiceret. Eáq; re breves quasdam pariter descripsimus illarum quæstionum notas, quas inter nos agitavimus: Ego rationes meas attuli unà cum autorum illorum locis, quorum judicio atq; eruditioni potiùs quàm cognitioni meæ confidebam; Rainoldus contrà, sua, ut ipsi videbatur, objecit responsa. Ceterùm, quoniam illæ adeò erant contractæ notæ, (res ipsas utiq; indicantes potiùs quàm explicantes,) ut non facilè à quoquam, nisi à nobis solis, potuerint percipi, nisi fusiùs pleniúsq; describerentur: ipse quidem necessariis magis mortis cogitationibus impeditus (incertus prorsus quando ad rationes meas Deo hominibúsq; reddendas sisterer,) à Rainoldo petebam ut universam summā secundùm notas nostras conscribendi operam susciperet. Recepi porrò me, ubi opus absolvisset integrum, illud pervolutaturum, amplexurúmq; si placeret; aut verò, si quicquam displiceret, correcturū. Hoc ille subivit laboris: ejúsq; ad me partibus mißis singulis ut primùm quasq; absolverat; ego quæ in iis adjicienda volui, aut quæ immutanda, adnotavi; quod ille juxtà præstitit. Ubi autem ad prælum parari persentiscerem: omnes usq; pro viribus morandi vias tentabam, nonnullis eò commotus rationibus quæ gravißimæ mihi momentíq; maximi videbantur. Posteaquam verò mihi rursus renunciatum est, honoratißimo viro placere, ut in vulgus emitteretur, unde etiam mihi singulari scripto illorum usum librorum permisit, quos ego mihi subsidio expeterem: de integro me ad opus excitavi; & per literas tùm datas ad Rainoldum, tùm ab illo acceptas, obtinui ut sermones rationésq; meæ prout volebam perficerentur. Quare, agnosco veram istic ab illo descriptam esse earum rerum narrationē, de quibus ego et ille inter nos in Colloquio egimus, juxta fundamenta, locáq; autorum ipsorum quos designâram, & quibus me addixeram. Quòd autem * alicubi asserat, me ipsi significasse,* in ea me opinione esse constitutum, ut existimem non licere Pontifici imperio Principes deponere: *equidem ita ego illi significâram. Et revera sentio, licèt excellentior sit potestas spiritualis, nobiliórq; temporali: utramq; tamen à Deo esse, nec alteram ab altera pendère. Unde hoc tanquam certam conclusionem colligo; eorum nempe opinionem, qui Pontificem temporalem esse Regum Principúmq; Dominum censent, à ratione atque probabilitate prorsus abhorrere. Non enim in civilibus rebus quicquam in illos juris habet, nedum ut ipsos dejiciat, eorúmve imperia aliis deferat: hoc illi in mandatis datum non est. Pater is, meo judicio, Ecclesiæ est; non Princeps mundi: ne Christo quidem ipso talem aliquem titulum sibi assumente, eundémve Petro aut cuiquam Discipulorum suorum concedente. Atq; hoc sanè est, quod ego in illo defendere volebam, ac non ullus alius dominatus. Quare supplex à serenißima Regi-*

* Capite 7. Section. 7.

 na,

na, clementissima mea augustissimáq; Domina, veniã peto, quia apertè me in eo gesserim, quod (ita mihi Christum velim propitium) Dei, & Ecclesiæ solius esse causam arbitror. Quemadmodum etiam libentissimè me candidæ omnium censuræ subjicio, qui pro majori sua scientia, maturioreq; judicio altiùs in harum abyssum rerum penetrant, de quibus sermones habui. Vale, benigne Lector; & quoniam tibi quid in his à me actum sit exposui, huic quæso quantulacunq; petitioni meæ annuas; ut ne temerè priùs judicium feras, quàm omnia sincerè æquissiméq; expenderis. Ex Arce Londinensi, Julii 7.



JOHANNES RAINOLDUS ALUMNIS ANGLI-
corum Seminariorum Romæ & Rhemis.



Ratres, propenſa quidem voluntas cordis mei & deprecatio ad Deū ſuper Iſrael eſt, ad ſalutem. Quod enim [a] Apoſtolus ſcripſit ad Romanos [b] de *fratribus ſuis & cognatis ſecundū carnem*, quippe qui patriam cum ipſo communem ſortirentur: idem mihi vobis, fratres, qui ipſi quoq; mei ſecundùm carnem cognati eſtis, & populares, eſt profitendum. Quorum ego ſanè vicem eò graviori commiſeratione doloréq; proſequor, quòd perſuaſum habeam vos ignorãtes potiùs errare, quàm volentes; & deſiderio quodam ferri Deo rectè ſerviendi, etſi non eâ viâ rectâ, qua ſibi vult ſerviri. Uſq; adeò id mihi jure vobis licet dicere, quod de illis dicebat [c] Paulus: *Teſtor enim de vobis, vos zelum habere Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam*. *Zelus* ille, qui Iſraelitis erat, [d] *Legis* erat. Qua verò deſtituti ſunt *ſcientia*, ejuſdem erat verus germanúſq; ſenſus. Eā enim exponebant illi juxta *ſuorum* [e] *traditiones* & doctrinas *Patrum*: proindéq; neſcientes ejus *finem* eſſe [f] *Chriſtum*, ſuam *juſtitiam* contra *Dei juſtitiam* conquirebant. *Zelus* autem iſte qui vobis eſt, Evangelii eſt. Qua autem deſtituti eſtis *ſcientia*, ejuſdem quoq; germanus verúſq; ſenſus eſt. Edocti enim eſtis ut in eo interpretando [g] Patrum veſtrorum veſtigiis inſiſtatis. Unde is vobis, qui vos ſeducit, imponit, [h] *Pontificem ſupremum eſſe Caput Eccleſiæ*; [i] Pontificii *Sacerdotii* functionem, animarum ſalutem procurandi viam; [k] *Miſſæ* Pontificiæ ſacrificium, ſingulare ſummúmq; ſacrificium; deniq;, [l] *Papiſmum* eſſe fidem Catholicam; [m] Anglicanæ verò *fidem & cultum* Eccleſiæ exſecrabilem eſſe & damnatum; *illud præcipuè* [n] *pro Regia poteſtate ſuprema imperatum juramentum*. Atque ita planè mentes veſtras iſta dogmata abripuerunt, ut libenter velitis non in minora diſcrimina voſmet illorum cauſâ committere, quàm Donatiſtæ olim, qui erroribus ſuis vitas ſuas poſtpoſuerunt. Grandis verò *zelus*, fratres, ſed non ſecundùm *ſcientiam*. Non enim hoc Evangelium ediſſerit, quod vos autumatis; Patribus veſtris fucum fecerunt *Phariſæi*, & *Rabbini*: per Tyrannidem *Pontifex* veſter omnes invaſit ſtatus Chriſtianos; impium veſtrum *Sacerdotium* eſt; abominatio *Miſſa*; hæreſis *fides Pontificia*; quæ autem nos de *Principis ſupremâ poteſtate* docemus, ipſúmq; pro eâdem imperatum juramentum, noſtrum porrò *verbi, ſacramentorum, precum* miniſterium, omnia Evangelio conſonant, ideóq; ſancta ſunt. Quæ quidem ſingula quoniam in Colloquio iſto, quod mihi cum quodam Seminarii veſtri fuit Sacerdote, explicata probatáq; ſunt: velitis, quæſo, idem cum æquitate & judicio evolvere; & in hanc partem incumbere, ut adjungatis *zelo* veſtro *ſcientiam*, quò *ſalvi eſſe poſſitis*. Fortaſſis *Superiores* veſtri (illi, qui vos ſeducunt * duces) non hanc permiſſuri vobis ſunt legendi iſtud evolvendíq; poteſtatem. Ceterùm duæ profectò ſunt rationes, quæ commoveant ipſos, ut hoc vobis impertiantur: altera operis; autorum altera. *Opus* ipſum, *Colloquium* eſt; quod illi ipſi flagitârunt. Et verò [o] coryphæus illorum expetivit, *ut nonnullis ipſorum liceret aliquando cum ullis noſtrûm in Scholaſtico certamine apud æquos judices congredi: quippe qui minimè dubitaret fore, quin doctrinam eorum, quam nos ut commentum & traditionem humanam damnamus, invictis tum demum argumentis divino verbo maximè conſonam eſſe conſtaret*. Quando igitur iſtud ſubiverimus certamen, eóque hoc quidem modo quem [p] doctiſſimi viri cenſuerunt *opportunum maximè ad veritatem explorandam*; non *ex tempore reſpon-*

a Rom.10.1.
b Rom.9.3.
c Rom.10.2.
d Act.22.3.
e Gal.1.14.
f Rom.10.4.
g Alanus in Apologia pro Anglican. ſeminar. cap.6.
h Cap.2.
i Cap.3.
k Cap.1. & 6.
l Cap.4.
m Cap.1. & 5.
n Cap.1. & 4.
* Eſai.9.16.
o Alan. Apol. cap.5.
p Theologi & miniſtri eccleſiarum ditionis Caſimiri, in admonitione de libro concordiæ cap.12.

dendo, sed meditatiùs scribendo: constitutâ quæstione; argumentis, responsis, instantiis descriptis, & utrinq; agitatis, quoad pro se uterq; cumulatè dixisset; deniq; universo opere publicato, ut de eo omnes Ecclesiæ & fideles omnes possent judicare: nequeunt vos honestè duces vestri prohibere, quò minùs illa *invicta* eorum circumspiciatis, quæ istic sunt, *argumenta*. Operis *autores*, Hartus & ego sumus. De quibus post hoc à nobis susceptum opus, terrarum orbi scriptis [q] prodiderunt, *me, quamvis doctissimum* (ut ait interpres) *illius ordinis, tamen quanto vehementiùs mecum agebatur, tanto indoctiorem me esse ostendisse: Hartum verò, egregium Christi athletam, & sanctum Sacerdotem, sacræ Theologiæ Baccalaureum, firmiores egisse radices in fidei fundamentis, doctrinâq; fuisse solidiori, quàm ut adhibitis à me (Ministro Anglicanæ Synagogæ non vulgari) arietibus subverti potuerit. Quare re infectâ, me, unde veneram, recessisse.* Quòd si verum illi esse arbitrantur, quod ipsi vulgò tradiderunt: fidenter certè patiantur hoc nostrum à vobis *Colloquium* legi, ut aspiciatis triumphum illum, quem *egregius Athleta* vester, *sanctus Sacerdos, sacræ Baccalaureus Theologiæ*, de *Anglicanæ synagogæ Ministro, indocto Ministro, & tamen illius ordinis doctissimo*, deportavit. Sin hoc vobis legendi minimè facturi sint potestatem: profectò subvereri potestis magnificas istas de alumnis suis prędicationes, déq; nobis abjectos sermones & humiles, fraudis omnino machinas esse; quemadmodum multæ præterea ostentationes & mendacia in iisdem exstant libellis, inquibus ista scribuntur. Quin immo, licet vobis suspicari, aliquid istîc subesse quod ne compareat vobis verentur: ideóq; aditum vobis ad ipsum intercludere. Et quidem certè, carissimi fratres, circumscripserunt vos [r] illi, qui commendant *caritatem, liberalitatem, pietatem Pontificis, in Seminariis erigendis, in quibus juventus Anglicana sub Jesuitis aliisq; illustribus magistris educetur.* Quam enim hic erga vos *caritatem* simulat, ea est, ut ipsi addicti sitis in servitutem. *Liberalitate* verò illa, quam in vobis alendis & erudiendis collocat, hoc molitur, ut vos appositiores faciat magísq; commodos ad subeundum istud servitutis onus. Jesuitæ illi *aliiq;* qui ut vos educent adornantur, eò adornantur ut vobis hæresin & proditionem suggerant, geminas ipsas fidei ejus Statúsq; columnas. [s] *Rex Babylonis, Nebucadnetzar, edixerat Asphenazo suorum Eunuchorum præfecto, ut exportaret ex Israelitis* [t] *pueros, quibus nullum inesset vitiũ, & elegantes aspectu, & intelligentes omnis sapientiæ, præditósq; scientiâ, & valentes cognitione, quibus inesset facultas; útq; doceret eos artes & linguam Chaldæorum.* [u] *Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino quod ipsius conviviis adhibebatur: ut sic tribus annis enutriti, postea starent in conspectu Regis.* Eâdem Gregorius decimus tertius Pontifex, vos, fratres, *caritate* complectitur, qua Nebucadnetzar Rex complexus est Israelitas. [x] Rationes ille viásq; inivit, quibus ad *Eunuchorum* suorum præfectos Jesuitas, & *alios*, *magnus ingeniosissimorum numerus ex Anglia* exportaretur, ut vos artes doceant & linguam Romanorum: [y] & quidem annonam vobis, *menstruâ largitione*, liberalem in modum procuravit: sed quorsum tandem? [z] Ut post aliquot hujus educationis & disciplinæ annos in cõspectu stetis Pontificis. Verùm [a] senserat Danielis animus parum sinceram & simplicem esse caritatem & liberalitatem *Regis*; sed suo tantùm commodo studuisse: quod etiam [b] socii Danielis, Ananias, Misael, & Azarias perspexerunt. Vobis modò idem fuerit, qui Danieli & sociis Danielis spiritus: idem certè in simulata & multiplici Pontificis *caritate*, atq; *liberalitate* videbitis. Causa dubio procul ab illo diffidentiæ vobis justior datur, quàm quę ipsis data est à Rege Babylonis. Quũ enim eos erudiendos Rex curabat, [c] *ut in ejus conspectu starent*, eo solùm id consilio fecit, ut, tanquam aulici, in suo ipsi *palatio* adessent & ministrarent. Aut si verò,

[q] Concertat. Eccle. Catholicæ in Anglia adversus calvin. & Puritan. in epistola Lucæ Kyrby, & Apologia martyrũ.

[r] Alan. in Apologia sua. Narratio de seminario Anglicano Romæ.

[s] Dan. 1. 3.

[t] v. 4.

[u] v. 5.

[x] Alan. Apolog. cap. 3.

[y] cap. 2.

[z] cap. 6.

[a] Dan. 1. 7. & 8.

[b] v. 12.

[c] v. 4. & 19.

d quod

[d] quod *ex Regia stirpe, Procerúmq; semine* eos delegerat, majus aliquid in animo habuerit: illud unum habuit, ut hoc pacto certiorem terræ Judææ sibi confirmaret possessionem. Atqui vos à Pontifice enutrimini, ut ei foris in provinciis, non domi in *palatio* deserviatis; ut subigatis ipsi quæ amisit, non ut confirmetis quæ subegit; neq; ut illum unius terræ constituatis Dominum, sed duarum; earúmq; nō angusto territorio & ditione circumscriptarum, ut fuit Judæa, sed patentiorum potentiorúmq;, Angliæ, & Hiberniæ. Quas ut exciperet, haud gravaretur quidem tenuior Pontifice piscator vel aureo etiam experiri hamo, licet pluris ipsi constaret quàm est verisimile utrumq; Seminarium vestrum esse constitutum. [e] Leo decimus Pontifex centum millia ducatorum in pompam & ornatum coronationis suæ, uno die prodegit: [f] & octingenta millia præterea uno bello illo quod cōtra Ducem Urbinatem gessit, ut eum Ducatu spoliaret, indeq; in eodem nepotem quendam collocaret suum. Isto regnante excitatus Lutherus est: triplicem illam coronam nondum tetigerant *Protestantes*. Successores ejus tandem in quod periculum adducta sit senserunt. Si quę nunc fragmenta illorum, cum majori eleemosynæ ostentatione, collata sint in scholasticos, in eos præsertim scholasticos qui ipsorum propugnent coronam: [g] *res Papatûs*, ut nostis, *prudenter tractatur*; *tractatio* ista non minorem ambitionem arguit, sed majorem *prudentiam*. Prudentiæ in eo suæ Gregorius decimus tertius specimen edit, non verò *pietatis*. Sumptus illi quos in [h] duces, in milites, in naves immissas in Hiberniam insumpsit, fontem ipsi & originem *liberalitatis* ejus atq; *caritatis* nostram in nationem produnt. Cujus istud quoq; liquidius argumentum, & apertum magis indicium accedit, quòd similiter Eunuchorum ejus adornentur Præfecti, ut vos artes doceant & linguam Romanorum: quemadmodum *Asphenazus Eunuchorum Regis præfectus, ut Israelitas artes doceret & linguam Chaldæorum*. Linguam dico non Italicam illam, quam [i] tamen quando simul vos ediscere jubent, Regis quoq; hoc prudentiæ quoddam singulare caput est: sed Romanensem dico linguam (si ita liceat appellare) & Papismi sermonem. Artium quidem cognitionem omnes nō docemini; at verò linguę hujus cognitionem omnes docemini, sive Philosophi sitis, sive Theologi: Philosophi, in *concionibus, catechismis, confessionibus*; Theologi, in *causarum, controversiarum, positivæ Theologiæ*, & (qui possunt) *in Hebraicis* etiam, & *Scholasticæ Theologiæ* prælectionibus. *Scientiæ* desiderio seducta [k] *mulier est*, quam ei *Serpens* promittebat. Magna vobis promittunt Seminariorum patroni de accuratiori scientia illic assequenda, quàm apud nos in Anglia. Et verò, artes ipsas & linguam Chaldæorum opinor *Regis Eunuchorum præfectum* exquisitius ipsis, quàm ullos Jerosolymis Judæos, exposuisse. Ceterùm ad liberales artes quod attinet & [l] *Chananæis linguā*, ea nostrorum peritia Lectorum, ea studiorū series, il Collegiorum atq; Academiarum ritus, quà per publicas prælectiones, quà per privatas, unà cum multiplici exercitationum genere quibus utriusque Academiæ alumnorum studia suam aliquando maturitatem consequantur: ut, liberet modò mihi agere, sicut [m] cum *falsis Apostolis* agit Paulus, liberè liceret [n] dicere, *Hebræi sunt? sum & ego*. Si enim à vobis uno aliquo doctrinæ adminiculo superamur, ut quidē potest difficilior vestra in aliena ditione conditio majorem diligentiam parere, quàm nostra domi magis expedita: tamen in alio abundè præponderamus: quippe qui sex totos annos Philosophiæ studio destinemus, dum vos tribus solis contenti estis; septem Theologiæ, dum vos quatuor acquiescitis. Ubi vobis judicibus utar, si nostrum adeò diuturnum studiorum curriculum, etsi minoribus hoc adjutum subsidiis, non perinde valeat ad maturitatem & robur judicii cognitionisq; assequendum (cui

[d] v.3.
[*] Narratio de Anglican. Seminar. degente Romæ.
[e] Guiciard. hist. Ital. 13.
[f] l.13.
[g] Alan. Apol. cap. 6.
[h] Genebrard. Chronog. l.4. & in append.
[i] Narratio de Anglic. Seminar. degente Romæ.
[k] Gen. 3.6.
[l] Esai. 19.18.
[m] 2. Cor. 11. 13.
[n] v.22.

plurimum afferunt anni adjumenti;) atq; vestra, quali acunq; demum sint, in tam brevi spatio præsidia. An verò de vobis ipsis opinamini, à primo vestro in Dialecticæ studiũ ingressu, [o] *triennium* vobis sufficere quo evadatis perfecti artiũ Magistri, ita perfecti, insignes, & excellentes, atq; vobis vẽditatur? itẽq; *quatuor* deinde *annos*, ut non minùs in Theologia quoq; graduati perfecti sitis? An potiùs idcirco istam festinationem Eunuchorum Pontificis præfecti adhibent, ut citiùs vos emittant, quò Pontificis negotiis inserviatis? Verùm non fuit animus in aliquam descendere comparationem nostrorum Collegiorum cum vestris Seminariis: nedum geminarum nostrarum illustrium Academiarum, cum duobus vestris Collegiis. Fingamus esse adeò peritos *Lectores* vestros, atq; [p] *lucis Angelos*; adeóq; industrios, atq; [q] *Principem ipsum tenebrarum*: instituta, prælectiones, exercitationes eorũ patiamur nostris esse superiores, adeóq; longè superiores, atq; [r] major fuit *lumbis patris sui digitulus Roboami*. Illa, in qua vos instituunt, *scientia*, boni & mali est: tanquam *serpentis* illa, quæ *mulierem* in fraudem pellexit. Non est Jerosolymorũ doctrina, sed *Babylonis, lingua Chaldæorum*, nõ *Chanaanis sermo*, cujus illi vobis præcepta tradunt. Neq; vos instituunt illi, ut Prophetarum filios, qui stetis in conspectu Domini: sed ut *Regis Eunuchos*, ut mancipia *Babylonica*, qui in conspectu stetis Põtificis. Quum *Eunuchorum præfectum* precatus est [s] Daniel, ut ne cogeretur ipse cũ sociis suis *cibo vesci vinúmq; bibere ex annona regia*, ne (quum sæpius [t] ejusmodi essent, [u] aut eo acciperentur modo, cui divinę leges reclamabant) [*] *contaminarentur* iis & peccarent: [x] dixit præfectus Danieli, *Timeo Dominum meum Regem, qui constituit cibum vestrum, & potiones vestras: nam quare videret facies vestras mæstiores quàm puerorum qui similiter ut vos ad tempus alendi sunt, & efficeret is me reum capitis apud Regem?* Pia sanè Danielis & sociorum ejus affectio: illud præceptum redolens quod Jerosolymis acceperant, [y] *ut sancti essent, quoniam est sanctus Dominus*. Aliud autem didicerat *præfectus Eunuchorum*; in omnibus scilicet sibi regiis mandatis esse obsequendum. Quod, etiamsi cuperet à discipulis quoq; suis disci, secũdùm *artes & linguam Chaldæorum*: simul tamen subinnuit (ex injecta *timoris* sui in *Regem* mentione) minimè quidem sibi displicere illum quo sunt cõmoti, conscientię scrupulum, neq; gravatè se illorum voto cessurum fuisse, modò nihil sibi inde periculi crearetur. Unde etiam evẽnit posteà, ut [z] alius quidam minister, quem illis ipse *præfecerat*, hoc iis concesserit. Utinam, fratres, Jesuitæ illi, reliquíq;, quos *Romanus Nebuchadnetzar* Magistros vobis præposuit, non inhumaniùs vos, quàm istos Asphenazus, tractarent. Tum enim foret, ut licèt vos alloquuturi essent; *Timemus Dominum nostrum Pontificem, qui constituit doctrinam vestram & fidem vestram*, si aliquod ejus dogma tanquam divino repugnans verbo conscientiæ vestræ aversarentur: tamen non eò adigerentur animæ vestræ, & alii forsan præfecti commodiorem victum vobis suppeditarent. Ceterùm, cum ipsis alii præfecti adeò uno eodémq; zelo conspirârunt omnes ad parendum Domini sui Pontificis animo & voluntati: ut si vel florem aliquem hujusmodi fructûs producatis, illum pręcidant continuò, vósq; doceant per omnia loqui & sentire secundùm *artes & linguam Romanorum*. Cujus planè experimentum illi & argumentum in multis vestrarum partium doctissimis viris & scriptoribus dederunt: sed tria huic monstrando recentiora exempla sufficere videantur; Ludovicus ipse Vives, Johannes Molanus, Carolúsq; Sigonius. Vivis enim quædam (in [a] suis in S. Augustinum commentariis) emanarant voces quæ parùm Pontificis animo arridebant: exempli gratiâ, [b] *Principum potestatem majestatémq; esse in terris secundùm Deum maximam*; [c] *affectus humanos sæpenumero in sanctissimis viris dominari, &* [d] *Patribus suos errores esse*;

[o] Narratio de Anglicano Seminar. degente Romæ.
[p] 2.Cor.11.14
[q] Iob.1.7.& 2.2.
[r] 1.Reg.12.10
[s] Dan.1.8.
[t] Deut.14.3.
[u] Dan.5.4. Rom.14.21. 1.Cor.10.20.
[*] Levit.11.43
[x] Dan.1.10.
[y] Levit.11.44
[z] Dan.1.11.
[a] Johan. Lud. Vivis commẽtar. in August. de civit. Dei.
[b] Epist. ad Regem Henr. 8.
[c] Lib.18.c.43.
[d] Lib.12.c.15. lib.16.cap.34. & lib.18.c.44.

e mul-

[e] *multos non aliter Divos venerari, atq; Deos suos Gentiles;* [f] *historiam Susannæ, Beliq; illam, & Draconis apochrypham esse;* [g] *illos qui Latinam versionem Græcis & Hebraicis fontibus anteponunt, homines depravatis mentibus esse, & corruptis judiciis;* [h] *in vescendo, non cibi genere, sed aviditate immodesta quenquam culpãdum esse, ex germana illa Evangelica lege;* [i] *Sacerdotes ambitiosos esse, avaros, impudicos, Ecclesiæ spoliis spurios suos locupletantes,* etiam, [k] *improbos & impios in sacris Christi per ludos populo exhibẽdis;* [l] *omnia propè Romæ vendi & emi, idq; lege & formula sanctissimi juris;* denique, *Scholasticos non* [m] *alias modò artes corrupisse & peremisse, sed ipsam etiam* [n] *Theologiã; & eam* [o] *profanasse curiositate sua, vanitate, stultitia, temeritate, in excitandis definiendisq; quæstionibus, tanquam* * *Aristotelicos potiùs quàm Christianos, & Ethnicos Philosophos, quàm Spiritûs sancti discipulos.* Jam verò ista, variáq; hujus generis alia Lovanienses Theologi (in recenti sua S. Augustini operum [p] editione) sustulerunt ex Vive: & cincinnos ejus abradentes, ut [q] Samsonis Dalila, illum cuivis alii homini similem reddiderunt. Molanus, editâ Ecclesiæ Romanæ Legendâ, [r] Usuardi Martyrologio, unà cũ annotationibus quibusdam suis, & D. Hesselii Censura in quasdam Sanctorum historias, elevârat istic non modò commentitia scripta, falsis venditata titulis, ut [s] illas de Apostolis fabulas quę ascriptæ sunt Abdiæ; de [t] Martiale, quæ Aureliano; de [u] Augustino, quæ Ambrosio: sed etiam ipsorum verorum autorum, quanquam non loquentium verè, sermones, [x] Adriani Pontificis, [y] Palladii, Cassiani, Nicephori, & [z] Simeonis Metaphrastæ. Præcipuæ verò quæ habentur defensiones Missę, Meritorum, Monachorum & Monacharũ, Divorũ cultûs, Reliquiarũ, Imaginum, aliarúmq; superstitionum & errorum Papismi, horum illæ annalium & tabularum, aut verò similium, autoritate fulciuntur. Quare Molanus eo nomine reprehensus, & [a] à *multis* admonitus, necesse habuit se sibi Censorẽ quendam Lovaniensem statuere: & [b] annotationes in omnia illa suas delere, pręterquã *in Abdianas fabulas*, (quod commentum [c] à Pontifice, & Pontificiis Romanis Inquisitoribus [d] ante multos annos damnatum est,) unà cum integra Hesselii Censura. Sigonius (in ea quam de Occidẽtali Imperio conscripsit, historia) [e] ita de Cõstantino scripsit, ut non modò non confirmârit *Constantinianæ donationis edictum* (fabulam prorsus, quę illum Occidentis Imperium Pontifici donasse fingit,) sed etiam infirmârit. Illum Sirletus Cardinalis Româ usq; admonuit, *Balsamonem, Calecam, Gennadium* (esurientes Gręculos) *hujus edicti testes esse*. Miserum verò contra universos priscos scriptores testimonium. Verùm qualecũq; fuerit, Sigonius illud in acta mittat oportet, & humaniter tractet, [f] quod etiam facit. Quanquam ejus subvertat [g] deinde fundamentum: & hoc tamen timidè, misellus, atq; sui porrò excusatione utens, *se* scilicet *officii sui esse putasse, ut quid Eusebius & multi alii scripsissent minimè reticeret, licèt ab Ecclesiæ Romanæ autoritate dissentirent*. Proinde discatis, fratres, quum isto modo actum sit à Cardinale *Sirleto* cum *Sigonio*, à *multis* cum *Molano*, à *Lovaniẽsibus Theologis* cum *Ludovico Vive*, ad quod tandem serviendi, seu servitutis potiùs genus à Pontificis Pręfectis educemini: qui, si voculam unam protuleritis ab artibus & lingua Romanorum alienam, os vobis confestim obstructuri sunt, & linguas circumcisuri vestras si fuerint liberiores. Ceterùm libertas quædã istud est, si ad illam servitutem comparetur, ad quam Præfecti vestri vos saginant.

> * *Nescis ah perdite: necdum*
> *Romuleæ sentis servilia vincula gentis.*

Parum enim est, quòd aut vobis interdicerent ne redarguatis falsitatem, aut ut eam in rebus minoris momenti propagetis, impellerent; (durum hoc quidem ingenuis animis, sed tamen parum illis:) nisi etiam eò vos per hęresin, & proditionem dedu-

cant,

[e] Lib.8.c.27.
[f] Lib.18.c.31.
[g] Lib.15.c.13
[h] Lib.16.c.37
[i] Lib.17.c.5.
[k] Lib.8.c.27.
[l] Lib.18.c.22
[m] Lib.3.c.31.
[n] Lib.2.c.13. & l.19.cap.12
[o] Lib.11.c.11. & 24.l.13.c.1. l.18.c.18.l.20. c.16.
* Lib.21.c.7.
[p] Antuerpiæ ex officina Plantin. anno Dom. 1576.
[q] Iud.16.19.
[r] Lovanii ex officina Wellæi, an. 1568.
[s] Annot. in 24 August. & 27. Decemb.
[t] In 30. Iun.
[u] 5. Maii.
[x] In censura D. Hessels.
[y] In præfat. ad Usuard. Martyrolog. c.20.
[z] In 25. Nov.
[a] In præfat. poster. edit. Usurard. ad Lectorem.
[b] In Usuardo, nuper Antuerpię impresso à Nutio.
[c] Sixt. Senensis biblioth. Sanct. l.2. Claud. Espencæus de continẽt. lib.5. cap.5.
[d] Anno Dom. 1559.
[e] De occidẽt. Imper. l.3. & 4.
[f] Lib.3.
[g] Lib.4.

* *Nescis ah perdita: necdum Laomedonteæ sentis perjuria gentis.*

cant, ut conjurati adversus Dominum & Unctos ejus stetis à Pontifice, quò efferatur ille tanquam [h] *Deus* [i] *Deorum* in terris. Uncti verò Domini, sunt [k] *supereminentes illæ potestates, ordinatæ* ad jus & judicium *in bonos & malos* exercendum. Dominus porrò de Unctis istis suis præcepit, *ut omnis ipsis anima subjiciatur*; etiam, licèt *infideles* sint, quales tum temporis erant quum hoc præceptum tradebatur. A [l] Præfectis vestris docemini, *si quando conentur illi subditos suos ad infidelitatem aut hæresin pertrahere, non esse ipsis ampliùs imperandum: & Pontificem debere, ut hujus judicem causæ, ipsos deponere.* Esset sanè cujusdam scandali dogma & erroris, dicere, (1) *illos in quos gladii potestatem Reges acceperint, laicos solos esse, non Ecclesiasticos.* Multò magis autem, adjicere, (2) *res illas & causas quæ ad eorum spectant potestatem, temporales solùm esse, non spirituales.* At verò asserere, (3) *licere Pontifici ipsos regnis suis ejicere*, nec modò *eos spoliare nonnullis subditorum suorum in omnibus causis, & omnibus subditis in nonnullis causis, sed omnibus tùm subditis tùm etiam causis*, adeò impium est: ut [m] Sigebertus, Monachus, qui ante quingentos annos floruit, quum Hildebrandus Pontifex primùm illam potestatem adversus Henricum Imperatorem sibi injustè assumeret; Sigebertus, historicus, quem tanquam singularem quendam testem afferunt athletæ vestri, [n] *nunquam Rom. Ecclesiam hæresin aliquam tenuisse*, [o] *nec quicquam in fide mutasse*; [p] Sigebertus hoc in Pōtifice tanquam * *novitatem*, & (quanquam id subveritus dicere) *hæresin* condemnet. Hoc est *aureum* illud *idolum*, quod Nebuchadnetzar vester erexit adorandum. Cavete ab illo, fratres, qui hoc erexit & imperat vobis ut coram eo procidatis. Etsi vos cibo potúq; is suo inescârit: ab Harto tamen discite, socio & amico vestro, in hoc ei non esse dicto audientes. Sin autem non ita animosi sitis ad istud, ibidem ubi degitis, imperium recusandum, sicut [q] Ananias, Misael, & Azarias recusârunt: redite ex Babylone in terram vestram; & [r] *Dominum cum timore colite* non in [s] *excelsis*, sed in [t] *suo sancto templo.* Quòd si neq; ad nos redire velitis, & consistere tamen istic velitis, quò Pontificis sitis mancipia, hæretici, & proditores: cœlum & terram hodie testor, me vos de impietate vestra monuisse; ego meo defūctus officio sum; sanguis vester super capita vestra.

Luc. 23. 34.

Pater, remitte eis: nesciunt enim quid faciant.



[h] 2. Thes. 2. 4.
[i] Psal. 82. 1.
[k] Rom. 13. 1.
[l] Rob. Bellarminus Iesuita in Romanis suis prælectionibus controvers. 4. part. 2. quæst. 3. In quo illū reliqui sequūtur juxta cōmunem suam quam tradunt de Pontificis suprematu doctrinam.
(1) Vt Innocentius tertius. c. solitæ. de majoritate & obedientia.
(2) Vt Rhemenses in Annot. in Heb. 5. 1.
(3) Vt Sanderus, Bristous, Surius, omnésq; Pontificii, dum defēdunt Bullas papales contra Principes.
[m] Sigebertus Monachus Gemblacēsis
[n] Sander. de visib. Monar. Eccles. lib. 8. demonst. 3. *quòd Papa non sit Antichrist.*
[o] Campian. Ration. 7.
[p] In Chronico ad annum Christi. 1088.
* *Hæc sola novitas, non dicam heresis.*
[q] Dan. 3. 12.
[r] Psal. 2. 11.
[s] 2. Reg. 23. 13.
[t] Psal. 5. 7.

SVMMA COLLOQVII I. RAINOLDI CVM I. HARTO.

Cap. I.

1. Suscepti colloquii occasio, circumstantiæ, & quæstiones disceptandæ.
2. Primæ quæstionis fundamentum, de capite Ecclesiæ. Ubi, quomodo titulus ille Christi sit, quomodo Papæ ascriptus; atq; ita, quid per Papæ primatum intelligatur.

SECT. I.



RAINOLDVS. Causam (*Harte*) ab Honoratissimo D. Secretario *Walsinghamo* accepisti, quare ab illo accersitus adsim: Ut habitis de ijs quę ad religionem spectant vtrinq; sermonibus, tua meliùs conscientia judiciumq; informetur. Quo quidem nomine illi ipse significâras paratum esse te, qui in congressum colloquiumq; cujusquam venires: modò piè tecum, & uti Christianos decet ageretur.

HARTVS. Significâram id quidem certè D. Secretario: neq; ei invitus stetero quod tum promiseram. Quanquam optârim magis, ut, si de congressu cogitetur, doctissimi nostrarum partium homines, quorum multi nobis in exteris nationibus supersunt, maturioris ætatis, & confirmati magis judicii viri, huc acceirentur. Ad me quod attinet, hujus, quod tecum datur, colloquii conditio, paulò mihi iniquior videtur. Nam in carcerem condor, & morti damnor: quorum alter aurę liberioris expers est, tantâ habet altera formidinem, ut retundant utraq; cujusvis spiritus, ipsumq; totum reddant studiis ineptiorem. Præterea, neq; annos ità multos habeo, neq; unquam multa legi: & eorum quæ legi tamen pars magna mihi excidit tam diutinis custodiis asservato. Etiam libris deficior: nullos nobis, præter una *Biblia*, concedunt. Tibi contrà, librorum copia ad voluntatem suppetit; qui etiam recèns huc ex Academia advolasti: quo paratiùs iis uti, eosq; citare poteris. Ista sunt, quibus me multò inferiorē fateor, quàm ut tecum in hac committar concertatione. Nihilominus id libentèr, uti dixi, faciam; modò angustiis meis occurratur talium supellectile librorum, quales mihi egomet velim comparatos.

RAINOLDVS. Ut tuarum partium doctiores hùc revertantur, non est penes me efficere. Utinam eorum nulli perdito consilio, immò plusquàm consilio, Româ unquàm remigrassent; [a] ut concitarent in Reginam nostram tumultus, & cives in Serenissimam Principem armarent. Cecidisset sanè tibi meliùs, aliisq; ab illo venientibus, qui eos in istas oras relegavit. Te verò inclusum in custodias, atq; periculum illud quod tibi hinc enatum fuerit, miserari faciliùs possum, quàm sublevare. Libertatem ego ex animo tibi opto, modò satis ejus Majestati esset factum, in quam deliquisti. Colloquii, quod offertur tibi, conditio, non tam reipsâ est, quàm specie iniqua. Etiamsi enim recèns ego ab Academia advenerim; ab illarum tamen Academiarum unâ venio, in qua [b] vosipsi refertis, *nostrorum pauculos dedi studiis, eosq; pauculos qui dedũtur, paucis huiusce tantùm temporis quæstionibus incumbere, atq; hoc ita leviter, ut vel cum plebeiis Catholicis colloquia reformidemus*: aut, si quando congrediamur, [c] *vulgus Catholicorum, nostris posse quibuscunq; argumentis occurrere; etiam in rem nostram plura quàm valeamus ipsi, dicere*. Tu contrà, in eorum altero *Seminariorum* fuisti educatus, ubi [d] *omni veritati incumbitur, Magistri*

[a] Mortonus in Angliam, Sãderus in Hiberniam. Sander. Visib. Monarch. lib. 7. Sanderi literę ad D. Alanum, & Vll. Buikum. Genebrar. Chronogr. lib. 4.
[b] Bristo. quęst. sive interrogat 41.
[c] Idem Motiv. 31.
[d] Idem quæst. 41.

veritatem omnem docent, discipuli omnem veritatem discunt, totiusq; series Theologiæ (cujus vix nomen quid sibi velit qui apud nos sunt studiosi, ne Doctores quidem nostri, Lectoresq; possunt concipere) [e] *ab illis quadriennio tam accuratè perlegitur, ut si quis diligentem velit literis navare operam, doctus sit evasurus Theologus, & ad gradum Theologiæ aspiraturus.* Quinetiam, *præter eas quæ de positivâ Theologiâ habentur prælectiones, quæ Hebraica, quæ controversias, quæ conscientiæ causas tractant; unica illa quæ in Scholastica Theologia versatur, (in qua universum perfectæ Theologiæ corpus consistit) eo ipso quadriennio edocet, eo modo omnes partes fidei Catholicæ; ut inde auditores intelligant, non solùm quid scripturæ de re fidei tradant, verumetiam quicquid cuncti Conciliorum Tomi, scripta Patrum, Ecclesiasticarum historiarum volumina, aut quivis alius autor lectione dignus contineat.* Quare, quùm hanc *seriem Theologiæ* audieris, eamq; tibi audienti Theologiæ *gradus* delatus fuerit; non possis immaturitatem annorum, lectionis, judicii tui commemorare; adversum me præcipuè, quo prior, tanto tempore, loco longè superiore, ad Theologiæ gradum aditum habuisti; si tamen fas sit nostros gradus, *quibus* [f] *Papa nos spoliavit*, in graduum numero haberi. Atqui libri tibi nulli extra una *Biblia* suppetunt. Eò igitur paratiorem te in illis esse cogitemus; quùm præsertim [g] *Rhemis præter privatam industriam, quam in iis posueratis, assiduè in iis, certa capita pervolutando exercitati fueritis, ubi difficiles loci omnes explicabantur, annotabantur scrupuli, dirimebantur quæ vobis nobiscum oriuntur controversiæ, liquidò & cumulatè expediebantur quæ nostri afferre possunt cōtrà argumenta.* Quo munitior in me hac armaturâ instrueris, qui ipse quoque libente animo in isto, quod tecum erit, Colloquio, in illo unico libro, tãquam omnis veritatis volumine, acquiescam. Veruntamen, quanquam tu conquerare; exploratum habeo, aliorum tibi librorum copiam futuram esse, eos si expeteres, qui tibi lectu sunt utiliores. Cupis tu autem eos, qui animi tui morbum alant; à quorum lectione qui te detinent, sunt tibi amiciores. Qui ex varietate ciborum crapulam contraxerit, commodè præscripto Medici ad unum aliquod salubrius eibi genus revocabitur. Nostrùm fortassè nonnullis magis conduceret, qui scriptorum omne genus evolvimus, ut tecum paritèr astricti huic uni addiceremur. De multis soliciti sumus; Unum verò est necessarium. Multa palato sunt jucundiora; unum verò menti salubrius. Sapiens ille concionator, qui dixit, [h] *Lectio multorum librorum fatigationi est carni*; ideoq; omnes hortatus est, ut imbiberent disciplinam *ex* * *verbis veritatis, verbis sapientum, traditis ab uno pastore*: hoc est, à *Jesu Christo*, [i] cujus spiritus in *Prophetis Apostolisq;* loquebatur, per illosq; Ecclesiam suam erudivit. Ceterùm, quoniam [k] *dona Deus dederit hominibus, pastores, doctoresq;*; quorum industria posset esse nobis subsidio, ad ejusdem *unius Pastoris* verba assequenda: industriæ tantæ monumenta gratè accipimus, quæ mandata scriptis Ecclesiæ reliquerunt; ad quam extruendam vel singuli, ut *Doctores*, vel conjuncti, ut *Concilia*, fuerunt instituti, quos ut *Pastores* Ecclesiæ etiam propensè lectitamus. Ita tamen, ut inter ipsos, unicumq; illum *Pastorem*, discrimen statuamus. [l] *Non enim illi Deus suum est admensus spiritum*: ceteri per illum [m] *mensuram* quandam gratiæ & scientiæ acceperunt. Quare, ut tuæ cuicunq; inopiæ subveniatur, si *Doctores* & *Concilia* postulas, quibus adminiculis fretus expeditiùs sensa *Testamenti Christi* complectare: inopiæ tuæ subvenietur, neq; erit tibi opus hoc nomine iniquitatem congressûs extimescere. Nam de libris curavit *ornatissimus walsinghamus*, ut parentur quoscunq; volueris, nisi eos volueris, quos acquirendi nulla est potestas.

Hartus. Quos ego mihi autores cupio, præcipui sanè sunt *Patres* & *Concilia*: quæ

om-

[e] Narrat. de Anglicano Seminario degente Romæ, conscripta.

[f] Bulla Pii Quint. Anno 1564 ut Bristôus asserit, quest. 41.

[g] Narrat. de Anglicano Seminario degente Romæ, cōscripta.

[h] Eccl. 12. 12.

* Vers. 10, 11.

[i] 1. Pet. 1. 11, 12

[k] Eph. 4. 8, 11.

[l] Ioh. 3. 34.

[m] Rom. 12. 3. Eph. 4. 7.

omnia, scripturæq; ipsæ juxtà, nobiscum faciunt. Verùm quò faciliùs in singulis cōtroversiæ capitibus eorum locos dispiciam, quorum neq; in memoriam tam facilè redire possum, neq; in iis ausim mihi cōfidere; optàrim dari scriptores nostros, qui in singulis (de quibus tractaverunt) citârunt eos, iisq; nixi steterunt. In quæstione de Ecclesia atque primatu, [n] *Stapletonum*; de Sacramentis & Missæ sacrificio, [o] *Alanum*; de adoratione Sanctorum, atq; imaginum, [p] *Harpsfieldum*, cujus libros ab *Alano Copo* editos fuisse, & sub illius nomine prodiisse, [q] literæ quædam illis affixæ loquuntur. De ceteris itidem quæ in quæstionem vocantur, illos cupio à quibus sigillatim optimè pertractantur; de universis deniq; , [r] *Thomam Aquinatem*, & patris [s] *Roberti* Dictata, & [t] confessionem, inprimis illam, quæ est à *Torrensi*, alio Societatis Jesu patre, collecta ex *Augustino*, quam ideo tanti æstimamus, [u] quòd patrum omnium facilè princeps, *Augustinus* tàm nostro quàm vestro judicio, perhibeatur: etiam doctrina illi cum patribus est communis, quorum consensus norma est, quâ lites decidendæ sunt.

Rainoldus. Parabuntur tibi isti (volente Deo) unà cum [x] Canisio, si ita tibi allibuerit, quia tam refertus est scripturarū locis, & Patrum, eumq; multi magni faciunt. Hoc tantùm à me rogandus es, velis inferre oculos in *Scripturas* ipsas, *Concilia*, *Patres* quos commemorant. Illi enim, omnia vestra esse, vobis persuadent: sed vobis imponunt. Auri aliquantulum ab ærario *Domini* mutuantur, viniq; aliquid de prelis *Doctorum* delibant: sed fallaces artifices, aurum sordibus corrumpunt, iisq; inficiunt vinum quæ aquâ sunt deteriora.

Hartus. Erit tibi res difficilior ejus criminis eos convincere, quàm insimulare.

Rainoldus. Et tibi sanè res difficilior, ut dimidiam partem præstes, quàm ut totum vendices. Tamē à vobis *Scripturas* omnes, & *Patres* vendicari audactèr magis, quā jure, senties; & à me quòd arguantur scriptores vestri, utrosq; corruptelis, & confictis mendaciis depravasse, id verò æquè luculentèr à me probatum iri, atq; dictum esse, si oculi tibi adsint, videbis. Deus oculos tuos illuminet, ut videas; & aures aperiat, ut audias; atq; tibi & molle cor, & mentem capacem impertiatur, ut possis veritatem, ubi audieris, prudentèr dispicere, & alacritate animi amplexari.

Hartus. Spero equidem, mihi semper veritatem & videndi, & sequendi, futuram facultatem. Persuasum autem habeo, nunquam te evicturum eam esse veritatem, quam Ecclesia vestra profitetur. Quemadmodum ex Colloquio nostro (spero) cōstaturum.

Rainoldus. Vis igitur (ut fundamenta disputationis nostræ jaciantur) causas mihi edicere, quibus inductus, à nobis segregas te, neq; ullum tibi cum Ecclesiâ Anglicanâ commercium esse pateris precum & religionis?

Hartus. Causæ non sunt ita multæ. Poterunt in unam omnes compingi; Ecclesia vestra nulla est; vos non Ecclesiæ membra.

Rainoldus. Qui id probas?

Hartus. Hoc argumento. Ecclesia cœtus est Christianorum unam fidem profitentium, sub uno Capite: Vos unam fidem non profitemini sub uno Capite. Non igitur estis de Ecclesia.

Rainoldus. Quænam illa tandem una fides?

Hartus. Catholica.

Rainoldus. Quod Caput unum?

Hartus. Romanus Episcopus.

Rainoldus. Peccant ergo ex parte, utræq; propositiones, ex quibus tuum contexis argumentum. Majoris in eo error est, quòd Ecclesiam, cœtum esse Christianorum

[n] Princip. fidei doct. in al. Demonstr. Method.
[o] De sacram. in gen. de sacram. & sacrific. Eucharist.
[p] Dialog. sex contra summi Pontif. &c. oppug. ab Alano Copo editi.
[q] In fine libri, post extrem. dialog. A. H. L. N. H. E. V. E. A. C. hoc est, Autor hujus libri Nicolaus Harpsfield, eū verò edidit Alanus Copus
[r] Sum. Theolog. & in Magist. Sen.
[s] Dictata Roberti Politian. in Sum. Theo. Thom. Aquin.
[t] Confess. Augustin. Hierony. Torrens. edit. Par 1580.
[u] Præfat. Confess. Augustin. ad Lectorem.
[x] Opus Catechisticum Pet. Canis. Jesuit.

sub *uno capite*, asseris. Falsa verò in eo Minor est, quòd nos Ecclesiæ Anglicanę mēbra arguis unam fidem non profiteri. Nam profitemur quidem illam unam fidem, fidem Catholicam. Sed illi *uni capiti* Romano Episcopo, Ecclesiam subjici oportere, id certè pernegamus.

HARTUS. Ego verò utrarumq; mearum propositionum partes docebo, quas tu negavisti. Primò, Ecclesiam Romano Episcopo, ut suo capiti, esse subjiciendā: deinde, non esse fidem illam catholicam, quam vos in Anglia profitemini.

RAINOLDUS. Dixeris pro illis fortassis aliquid; nunquam autem illas docueris.

SECT. SECUNDA.

HARTUS. Ecclesiæ judicium esto. Primam ita probo: Caput omnium Apostolorum B. *Petrus*. *Petro* succedit *Romanus Episcopus*, eâ potestate in Episcopos, quâ fuit ille in Apostolos. Romanus igitur Episcopus, caput omniū Episcoporū. Si Episcoporū; etiā Dioecesium singularum, quę in illorum sunt ditione. Si Dioecesium omnium; Ecclesiæ igitur universæ. Quare Romanus Episcopus caput est Ecclesiæ universæ Christi.

RAIN. Caput omniū Apostolorū B. *Petrus*? *Romanus Episcopus* caput omniū Episcoporū? Credideram verò Christum Servatorē nostrū, cùm fuisse, tùm esse caput, ut Ecclesiæ totius, sic Apostolorum, Episcoporum, membrorumq; omnium, quæ illi inseruntur. Nam Ecclesia est Corpus Christi, qui solus officio capitis defungitur, vitæ, motus, sensusq; potestatem, ei elargiendo: & [y] *illum constituit caput Deus super omnia ipsi Ecclesiæ*: & [z] *ex illo totum corpus per commissuras & compages suppeditatum, & compactum, augescit Dei augmento.*

[y] Ephes. 1.22.
[z] Coloss. 2.19.

HART. Damus nos propriè caput Ecclesiæ esse *Christum*, principale, inquam, illud caput, & quo cuncta animantur. Istud verò caput imperiale est, ut ita liceat appellare, & invisibile: visibile & ministeriale, *Papa* est; reipsa caput tamē. * Capitis enim sunt duo munera; quorum alterum, ut ab eo tāquam à fonte in ceteras partes corporis, vita mânet, & derivetur; alterum, ut corporis externa munia imperio & potestate suâ dirigat, & administret. Superius illud in Deum solum & Christum quadrat, ut hoc alterum nihilo secius hominum quoq; operæ, & ministerio concedatur.

* Stapleton. princip. doctr. lib. 6. cap. 16.

RAINOL. Ista tua de binis capitibus responsio, probabilior est [a] illius, qui dixerat Christum, et vicarium Christi *Petrum*, et *Petri* succesorem *Papam*, unum tantum omnes caput esse Ecclesiæ. Veruntamen, ita geminum caput, quod tu facis, ex duplicis officii varietate statuere; non est capitis officia dividere, sed planè discerpere, & Papam imperiale potius caput, quam ministeriale constituere. Imperio enim et potestate, sive externa, sive interna corporis munera dirigere, præcipua est capitis functio, & peculiaris, illo unico digna capite, quod vitæ, sensus, et motus potestatē corpori impertitur. Quare, quum Christus suo se promisso nobis astringens, [b] *futurum se nobiscum ad finem seculi*; hanc Ecclesiæ tribuat, efficaci sui sancti Spiritûs operatione, potestatem, quâ universum ejus corpus, et unumquodq; membrum animatur: qui excellentiam, præstantiamq; hujus muneris, inter Christum, et Papam dividunt, illi internarum, Papæ externarum functionum provincias sortitò delegantes, merentur profectò, qui *divinæ Majestatis* læsæ postulentur. Quoniam enim hoc imperium, hunc dominatum exercere, est prærogativa regia, & regis regum propria; ideo vel totum, vel ejus partem aliquam cuiquam subditorum tribuere, non potest non in singulari quadam perduellione numerari.

[a] Papa Bonifacius 8. c. unā Sāctam. extra. de majorit. & obedient.
[b] Mat. 28. 20.

HARTUS. Si hoc censes esse læsæ *divinæ Majestatis* crimen, et nos ejus postulas; ejusdem illum ipsum postules oportet, cujus verbo hûc adducimur. Nam Beatus Paulus, dum ex proportione comparat corpori Ecclesiam, ut diver-

sa Christianorum munera; & pro diversâ munerum ratione, distincta officia, per similitudinem à membris Corporis deductam demonstret, in illis *Capitis* commeminit; [c] *Non potest oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij*: Capitis hîc vocabulo, pastoris ea quam habet ad gregem ratio omninò intelligenda videtur. Nequaquam verò de Christo istud licet interpretari: Affari enim nos ille potest, *operâ vestrâ non indigeo*, & nobis hoc quoq; præcipit, ut ([d] *qûum omnia fecerimus quæ præcepta sunt nobis*) *dicamus, servi inutiles sumus*. Interpretandum igitur de *Petro* in ceteros Apostolos: hoc probato, illud consequens est, de Papa in omnes Episcopos esse intelligendum.

[c] 1.Cor.12. 21.

[d] Luc.17.10.

RAINOLDUS. Si de *Petro* aut *Papa* hoc acceptum voluisset *Paulus*, erat ille ad dicendum doctus, facilè in eam sententiam exposuisset. Verùm, dum suum ad institutum accommodat similitudinem, voluisse se ostendit, *Capitis* vocabulo, eos qui maximis Spiritus S. donis commendabantur; *pedum* verò, *manuum*, & *oculorum*, eos, qui non ita magnis erant præditi, non pares utiq; omnes, sed in iis alii aliis superiores.

HARTUS. Eos qui maximis cõmendabantur? Quinimmò, nomen *Capitis* evincit unum esse oportere, idq;, unum visibile caput (quod nos ministeriale sub Christo caput nuncupamus) quod ex proportione Christi corpori (id est, Ecclesię) respondeat. De quo visibili, & ministeriali capite, illa *Pauli* verba verissimè affirmentur; *Non potest caput pedibus dicere, non estis mihi necessarij*.

RAINOLDUS. Sanè, si quod de *Capite* dicitur, sit de Papa accipiendum, illa verba in ipsum bellè quadrant. Nam Cardinalis [e] *Polus*, dum hoc momento fretus, de primatu Papæ multa commentatur; ut illum Caput, ita Reges pedes esse comminiscitur. Verissimum verò hoc verbum, Non posse Papam regibus dicere, *Non estis mihi necessarij*. Esset enim illi incessus impeditior futurus, nisi ab his fulciretur. Sin autem, quòd à *Paulo*, in illa similitudine, *capitis* fiat mentio, ideò caput unum esse visibile quod Corpori Christi, hoc est, Ecclesiæ, ex proportione respondeat, necessariò consequatur; simili, geminâq; proportione, quòd à Paulo pedum fiat mentio, binos etiam esse pedes visibiles necessariò consequetur. Equidem cupio ex te, *Harte*, ediscere, quos demum illos binos pedes Ecclesiæ vestræ defixeris. *Imperator*, opinor, dextrum sibi arrogabit. Quis sinistrum? *Hispanus*? *Gallo* igitur quid futurum est? Ut benè sit *Scotorum*, *Danorumq*; Reges in ejus membris non fuisse. At de *Suevia* principe nuper relatum est, eum à Jesuitis ad vos conversum esse. An illi sinistrum deferetis? Aut *Polonus* aliquando in ejus possessionem pedem ponet? Aut verò *Bohemus*? Etiam [f] *Bongensem* regem quendam esse aiunt religionis vestræ in cunctis imperij sui finibus propugnatorem; [g] *Magnum* similitèr *Solimannum*, *aliosq; toparchas Mahometanos*: poterunt illi quoq; aliquo decursu temporis pedum locum obtinere. Quæso verò, quot pedibus corpori huic fas insistere? Num sex, septem, octo, aut viginti visibilibus pedibus augebitur; neq; decem saltèm, non quatuor, non duo, unum tantùm visibile caput est habiturum?

[e] Reginald. Polus, Card. pro Ecclesiast. unitatis defens. ad Henr. 8, lib. 1.

[f] Iesuit. in Ep. Iapon. l. 2 & 4.

[g] Epistola ad Reginæ consiliarios præfixa epistolæ illi de Catholicorum, in Anglia, persequutione.

Hartus. Reges Cardinalis *Polus* non perindè pedibus comparavit, ac si infimæ partes Ecclesiæ statuerentur (eos enim ipse in præcipuis ejus membris, non tamen ut capita, recensuit:) sed quoniam incrementi sui curriculo Ecclesia illis ultimis, ut pedibus, aucta fuerit, & finem crescendi fecerit.

Rainoldus. *Pauli* ergo temporibus Ecclesiæ caput fuit, pedes defuerunt. Et quem in finem ait Apostolus, *caput non posse pedibus dicere*, quùm non essent pedes quos alloqueretur?

HARTVS. Etiam tunc pedibus incesserat, sed alius generis. Nam qui inferiori loco erant, & tenuiora dona in Ecclesia Christi adepti sunt, pedum similitudinem referebant, si cum aliis conferantur, qui illis de causis tanquàm manus & oculi eos superabant.

RAINOLDVS. Duosne tantummodò tales Ecclesię pedes fuisse arbitraris? an sexcentos? Nam ad Christianorum multitudinem [h] priùs multò aliquot *millium* facta est accessio; et plerosq; eorum oculos, et manus fuisse, non est dicere consentaneum.

[h] Act.4.4.

HARTVS. Non est dubium, quin multi extiterint. Non autē torquere debes partes similitudinis extra ea ipsa ad quæ referuntur. Liceret enim aliàs pari jure tibi persequi, Ecclesiæ tantùm duos oculos, et duas manus esse concedendas; quùm humano Corpori (cui *Paulus* Ecclesiam facit assimilem) non sint plures.

RAINOLDVS. Planè ut dicis. Et tamen hæc fabrica est rationis tuæ, quâ conficis *Ecclesiam unum habere visibile caput corpori consentaneum*. Commentum sanè magis artubus Papismi consentaneum, quàm doctrinæ Pauli de Christi corpore. Hic enim finis illi proponitur, ut ostendat videlicet, [i] quemadmodum *corpus* hominis ex multis *membris* componitur, [k] quę non pari tamen excellentiâ donantur omnia, non eâ manus, quâ caput, non quâ manus, pedes; quæ tamen in unum compinguntur, ut *curent alia pro aliis*, idq; ut totum corpus conservetur: ita [l] *Corpus Christi*, hoc est, Ecclesiam, ex multis Christianis, tanquam *membris*, consistere; quorum alii aliis sunt donis, officiisq; præstantiores, *Apostoli Doctoribus*, *Doctores administris*, [m] unà tamen omnes conjuncti; ut *mutuâ caritate* semetipsos complectantur, et concordiam Ecclesiæ procurent. Hinc liquidum est, primò, ubi [n] *Capitis* mentionem fecit, non proprio caput sensu ab eo acceptum esse, sed tanquam partem tantummodò digniorem. Ita enim accommodat, dum Christianos omnes [o] *membra* vocat, quos dum *corpus Christi* appellat, caput Christum constituit. Deinde, Capitis vocabulo isto sensu accepto, non unum aliquem hominem eum intelligere; sed omnes [p] *Apostolos*, ut qui potissimis donis ornarentur, & in celsissimo functionis loco disponerentur. Quare, ut ejus vocabuli omnem usq; amplitudinem extendas & extrahas, quoad ejus per textum facere poteris; præstantiam sanè dignitatis quandam, quâ Apostoli universi inferioribus Ecclesiæ membris erant superiores; sed nullam *Petri* potestatem in ceteros Apostolos, nedum Papæ in coëpiscopos arguet, quicquid inde rationis eliciatur.

[i] 1.Cor.12.14. & 20.
[k] Vers.21.& 25
[l] Vers. 27. 28.
[m] Vers.31.& 13.& 14. cap.
[n] Vers.21.
[o] Vers. 27.
[p] Vers.28. *Primùm Apostolos.*

HARTVS. Hoc tamen arguit, non ita nomen Capitis Christo attribui; quin mortali etiam attribuatur. Non ut *caput* (inquis) *proprio acceptum sensu*, sed ut *partem digniorem*. Quid autem ego aliùd? Dederam enim Christum propriè esse caput Ecclesiæ, Papam impropriè. Quanquam in eo tu me reprehenderas.

RAINOLDVS. Non eâ re te reprehenderam, quòd titulo *capitis Papam* insignieras, (Romanæ enim Ecclesiæ Pastor esse debebat: Pastores verò, pro illis quibus suarum Ecclesiarum membra donis superant, instar capitū esse oportet; quāquam eorum multi *caudæ* potiùs, [q] ut à Propheta appellantur) sed quia Ecclesiæ universæ caput eum dixeras, eóq; modo quo nemini præterquam Christo convenit. Nam licet Christum, caput esse illud, quod animat, dederis; id est, fontem, à quo in ceteras partes corporis vita manat: hunc tamen principatum capitis Papæ detuleras, ut dirigeret suo imperio & potestate externas corporis functiones. Quo quidem loco, sicut ex altera parte detrahis Christi donis dignitatem, qui nobis dat Pastores & Doctores; quùm eos tantùm externis corporis functionibus

[q] Esai.9.15.

administrãdis destines,[r] quos ille dedit ad(1)consummationem Sanctorum: ita, ex parte alterâ aliquid de principatu Christi derogas; quùm, te autore, servi ejus, dominatum eum occupent, ut Ecclesiam imperio & potestate gubernent, qui tamen ad(2) *opus Ministerii* sunt instituti. Quare, utcunq; emollire tibi placeat titulum, quo Papam insignivisti; eumq; dici caput à te asseras, non propriè, sed impropriè, ministeriale caput: tamen id hoc tuo [*impropriè*] complecteris, quod nemini potest ab illo convenire, qui propriè caput est: caput dico, quod corpus animat, regit, movet. Quemadmodum [s] Canones vestri de Petro referunt; *Hujus muneris sacramentum in Beatissimo Petro, omnium Apostolorum summo, principaliter collocavit;* * *ut ab ipso quasi à quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.*

HARTUS. Quæ tu Canonici juris verba criminaris, [t] Divi Leonis sunt, hominis ingenii, judiciiq; singularis, etiam sanctitatis, eruditionisq; splẽdore illustris, magnæ antiquitatis Patris, qui * jam ante mille annos in terris floruit.

RAINOLDUS. Verba sunt, non diffiteor, antiqui, eruditi, & sancti hominis, sed hominis; &, quod magis est, Romani Põtificis. Homines autem vel sanctissimi [u] quamdiu in carne vivunt, contagione aliquâ carnis contaminantur. Inflare verò potest scientia,[x] quâ quondam Corinthii intumuerunt; & ingenia quò præstantiora, eò citiùs ambitione inficiuntur. Etiã [y] Jacobus & Johannes, * tonitruũ filii, dominatum quendam affectabant. Et verò magna Romana Civitas fastum magnum [z] in ipsis ejus urbis Episcopis * ante Leonis tempora fovebat. Illi igitur amore dignitatis & præstantiæ, ut [a] Diotrephes, stimulati, quasvis eam adipiscendi occasiones arripuerunt, & adeptam semel speciosis quibusdam conquisitis argumentis conati sunt tueri. Quare, ut apud [b] Ciceronem quidam Hortensium vehementer nimis eloquentiam dilaudantem alloquebatur, *voluisse eam ipsum in cœlũ tollere, ut cum ea simul ipse ascenderet;* quippe qui eam jure optimo sibi vẽdicaret: ita multi Romanorũ Pontificũ, & in iis, Leo non minimus, in cœlum usq; Petrum laudibus efferebant; ut cum eo ipsi,[c] *heredes* scilicet ejus qui essent, efferrentur. Epistolę Leonis, & Sermones, hujus studii certissimas notas referunt, è quibus documenti causâ hæc gustanda præbeamus.[d] *Dominus in consortium individuæ unitatis* Petrum *assumpsit:* & [e] *Maximam beatissimi Petri curam pro nobis cunctis agnoscimus, quòd Deus omnium calumniosorum fallacias solvit;* &,[f] *Mea scripta autoritate Domini mei, beatissimi Petri Apostoli, & merito, sunt roborata;* &, [g] *Petrus post quã suæ sedis judicium in fidei definitione firmavit, non circa cujusquam vestrûm, qui nobiscum pro Catholica fide laborastis, personam quicquam reprobum videri permisit;* &, [h] *Obtestamur, & affectione congruâ commonemus, ut ea quæ à nobis, Deo inspirante, & beatissimo Petro Apostolo, discussis, probatisq; omnibus causis decreta sunt, servetis;* &,[i] *Si quid à nobis rectè agitur, rectèq; discernitur, si quid à misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, Petri est operum atq; meritorum, cujus in sede sua vivit potestas & excellit autoritas:* &,[k] *Petrus ab ipso omnium charismatum fonte, tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut quùm multa solus acceperit, nihil in quenquam sine illius participatione transierit.* Deniq; ne longior sim, Leo, & Leonis successores eum in exemplum proponentes, in talibus sermonibus tam frequentes sunt; ut in familiare scribendi genus cùm ipsis, tùm ipsorum scribis cederet, cuncta Paparum propria, cum B. Petro facere communia: illorum prærogativam, [l] *jus Petri;* dignitatem, [m] *honorem Petri;* fastum, [n] *Petri reverentiam;* subjectionem illis exhibitam, [o] *D. Petro exhibitam;* ab illis nuntium missum, [p] *missam à B. Petro legationem;* illorum præsentiâ facta, [q] *facta præsentiâ D. Petri;* terras & possessiones illis datas, [r] *datas D. Petro;* illi si regna cogitent, à [s] principibus *D. Petro sunt requirenda;* illorum

[r] Ephes. 4. 12.
(1) Πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων.
(2) εἰς ἔργον διακονίας.
[s] c. Ita Dominus Distin. 19.
* Citatum ex Leone in Rhemensi Novi Testamenti versione, quo evincant primatum Petri. Annot. in Mat. 16. 18.
[t] Leo Epist. 87.
* circiter annum Christi, 440.
[u] Rom. 7. 18.
[x] 1. Cor. 8. 1.
[y] Matt. 20. 21.
* Marc. 3. 17.
[z] Socrat. hist. Eccles. lib. 7. cap. 11. Ammian. Marcel. hist. lib. 27.
* Circiter annum Christi, 370.
[a] 3. Ioh. ver. 9.
[b] Cic. in Hortensio.
[c] Leo Ser. 1. in anniversa. die assumpt. suæ.
[d] Epist. 87.
[e] Epist. 61.
[f] Epist. 50.
[g] Epist. 61.
[h] Epist 87.
[i] Ser. 2. in anniv. die assũpt. suæ.
[k] Ser. 3. in anni. die assump. suæ.
[l] Epist. 45.
[m] Ibid.
[n] Epist. 87. & Ser. 1. in anni. die assumpt. suæ.
[o] Epist. 87.
[p] Epist. 24.
[q] Epist. 4.
[r] Platina de vit. Pont. in Iohan. 7.
[s] Helmold. in chro. Slavorũ lib. 1. cap. 81.

 territo-

territoria & villas, [t] *B. Petri patrimonium*; [*] occupationes tyrannicas, [u] *regalia Sancti Petri*; benevolentiam, [x] *gratiam D. Petri*; Communionem; [y] *pacem D. Petri*; iram, [z] *maledictionem D. Petri*; signum, [a] *Petri annulum*; cubile, [b] *Petri sedem*; civitatem, [c] *Petri Burgum*; census postremò per familias imperatos, [d] *ipsos etiam D. Petri denariolos*. Et brevi fortasse futurum est, ut sicut Romani Imperatores *Cæsarem*, sic illi, *D. Petrum* asciturи sibi sint cognomento. Nam [e] illustris quidam Jurisconsultus, patronusq; Papatus, ait, *posse quoq; Papas appellari Petros*. Et [f] noster popularis, qui tanquam signifer hùc missus venerat, ut Papæ vexillum explicaret, & [*] ei summum honorem vendicaret deferendum, eum appellat *primæ sedis Episcopum, hoc est, Petrum*. Quin [g] Cardinalis Hosius prætereà, qui in legatis Papæ aderat in cõcilio Tridentino, scribit, *unum tantum esse Oecumenicum Patriarcham*: quem hominem? *Petrum Romanum*; &, *Petrum Romanum misisse legatos suos ad Anglos, Gallos, Germanos, aliasq; nationes, qui eas ad Concilium vocarent*. Non hoc *Petrus*, [*] ex *Bethsaida*, sed *Petrus Romanus*.

HARTUS. Sunt ista partem maximam exigua, & ad amplificandam religiosam existimationem, opinionemq; illius sedis adhibita; cui à Servatore nostro principatus, & administratio Ecclesiæ suæ est commendata. Ad illa verò quod attinet, quæ in Leonis verbis videantur graviora, sui defensionem quandam admittunt. Nam quòd ait, *Christum in consortium individuæ* Unitatis *Petrum assumpsisse*; potuit unitatem intelligere voluntatis, non essentiæ; sicut Christus pro discipulis orat, [h] *Pater Sancte serva eos per nomen tuum, ut sint unum, prout & nos*. Quòd autem Petrum, titulo *Domini mei* insignit, est vulgatior titulus, & Ecclesiæ pariter, reiq; publicæ optimatibus delatus. Etiam [i] Maria Magdalene, eum *Dominum* salutabat, quem crediderat esse hortulanum. Liceret in ceteris simili defensione uti, non minori cum ratione, fortassè etiàm majori, quàm quâ tu illa improbas.

RAINOLDUS. Eorum quæ à te exigua dicitur, quędam sunt, fateor, exigua: sed quæ exiguis navium rimis sunt similia, per quas immanis vis aquæ irruit, navẽ fluctibus submersura, nisi maturiùs ei oppilatis rimis, clausisq; occurratur, quàm Ecclesiæ navi, his exiguis rimis hianti, sit occursum. Eam verò auxerant *Pontificis Romani, Sancti Petri Sedis*, quam appellârunt, opinionem; ut etiamsi non exerceret principatum à Christo ei donatum, sed immanem tyrannidem à seipso in Reges & Nationes occupatam; tamen non Reges, vix Nationes profectò ipsæ contrà hiscere, resistere quidem certè non auderent. Nam in Papæ offensionem, si quandò incurrerent, in Petri offensionem incurrisse se putârunt. De Petro autem acceperunt, Janitorem illum Cœlorum esse. Erant verò de eo anxii, ne omnes Janitor, præter Papæ, [*] *vicarij sui*, amicos, ab ingressione cœli propulsaret. Ut igitur æterna vita fruerentur, Papam colebant, observabant, & præmiis sibi conciliabãt; ne, si ille modò frontem contraheret, apud Petrum favorem omnem & gratiam deperderent. Quare, utcunq; exigua ista de Petro habeantur, in ociosis vulgarium sermonum generibus; non exiguum certè attulerunt emolumentum *Petri Romani Curiæ*, nec mediocres opes in ærarium ejus invexerunt. Narrat nostræ Gentis [k] historia de Rege *Oswi*, quùm ortâ de Paschæ celebratione cõtroversiâ, Synodus convocaretur, & pars altera se *Orientis Ecclesias sequi* diceret, *quæ ritum suum à Johanne Evangelista, Christi dilecto discipulo acceperant*; altera, contrà, *se Ecclesiam Romanam sequi, quæ suum à Petro acceperat, cui Christus claves dedit regni cælorum*: Regem scilicet litem tum composuisse, & secundum Ecclesiam Romanam judicasse. *Nam ego*, inquit, *vobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum novi, vel valeo, hujus cupio in omnibus obedire statutis, ne fortè me adveniente*

[t] Innocentius Pont. 3. extra. cap. per venerabilẽ qui, filii sint legit.
[*] Bernard. de consid. ad Eugen. lib. 2.
[u] Abb. Vrsper. in Chro. Hen. quin. Onuph. de septẽ urb. Eccles. in Palat. Lateran.
[x] Greg. Registr. lib. 4. Epist. 34.
[y] Lib. 7. Epist. 69.
[z] Plati. de vit. põt. in Greg. 7
[a] Pontifices in literis, sub annulo piscatoris, ut Gregorius 13. in approbat. sodalit. B. Mari.
[b] Innocent. pont. 4. extra. cap. Majores. de baptism. & ejus effect.
[c] Onuphr. de septem. urb. Eccles. cap. 1.
[d] Denarius B. Petri, Eccles. Anglican. in Cõcil. Lugdũ. apud Mat. paris in Henr 3.
[e] Frãcis. Vargas de Episc. jurisdict. & pont. Max. autor. propos. 4. confit. 4.
[f] Camp. rat. 4.
[*] Summum honorem primæ sedis Episcopo, id est, petro, deferes
[g] De autorita. pontif. ad Stanisla. Oricho.
[*] Ioh. 1. 44.
[h] Ioh. 17. 11.
[i] Ioh. 20. 15.
[*] c Ego Ludovicus Distinct. 63. c. non quales. 1. q. 1.
[k] Beda Eccles. hist. Gent. Anglorum, lib. 3. cap. 25.

ente ad fores regni cœlorum, non sit qui reseret, averso illo, qui claves tenere probatur. Crassam istam de clavibus & ostiario cogitationem, corruptamq; opinionem de claudendi, & aperiendi potestate, soli Petro commissâ (quam Rex, homo minimè malus, plùs æquo naturâ credulus, animo imbiberat, saniùs eum Synodus instituisset, cui tamen omnes assenserunt; quin [l] successores eorum etiam Regem Oswi cantant) animadverterunt Ecclesiæ Romanæ Antistites ad Imperii sui fines propagandos, & ad subjugandas terras omnes, per quidem commodam & opportunam esse: quare artificiosiùs eam aluêre, [m] præceptis, [n] titulis, [o] insignibus, [p] vexillis, [q] picturis, aliisq; infinitis technarum copiis, quæ omnia sub *Petri nomine* jactitantur. Et verò, S. Petri existimatione, autoritatéque subnixi pronunciarunt, [r] *Omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendas esse, tanquàm ipsius divinâ voce Petri firmatas.* Docuerunt, [s] *suam Ecclesiam ab omni errore intactam permanere, gratiâ, & auxilio Petri.* Decreverunt, [t] *licèt vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugũ, tamen ferendum esse in memoriam B. Petri.* Releverũt dolia sua, & in donatione Cõstantini exprompserunt, [u] *Concessisse eum illis coronam suam ex auro purissimo, & gemmis pretiosis, quâ uterentur pro honore B.* Petri. Illud quoq; affinxerunt, *Constantinũ tenuisse frænum equi* Papæ, *pro reverentia B.* Petri *stratoris officium illi exhibentem.* Imperatorem impulerunt, tanquam vasallum Pontificis, ut [x] Petri eques esset, & conceptis verbis Petro *juraret, se, quicquid de terra S.* Petri, *ad suam potestatem pervenerit,* Papæ *sanctitati redditurum, & adjutorem* Papæ *sanctitatis futurum, ad defendendam terram S:* Petri, *secundum suum posse.* Archiepiscopis imposuerunt, [y] ut sentiant suam potestatem nullam esse, nisi primùm P*ontifex mittat* [z] *pallium de corpore B.*Petri *sumptum, in quo est plenitudo* Pontificalis *officii.* Solenni sacramento [a] Episcopos astrinxerunt, ut promittant *obedientiam suam, & fidem S.* Petro, *Romanæ Ecclesiæ, & Domino suo* Papæ. Immò, ab [b] Episcopis ad eos qui dignitates recipiunt devenerunt, quos eodem sacramento premunt: Et, quod cetera omnia facilè vincat, ubi formula jurisjurandi, in [c] jure canonico descripta, obliget eorum fidem hoc pacto, ut *defendant regulas sanctorum* Patrum: Papa * jam antea, * hodieq; in illorum locum subdidit, *Regalia S.* Petri. In tantas prædas aquilæ vestræ involant, utcunq; à vobis pro muscis deglutiuntur. Sed sive muscæ, sive alites sint, non laboro. Hoc unum volo, ut sapientes considerent, & expendant vestigia, & gradus Papatûs incrementi. Perspicient illi hanc (quid appellem?) S. Petri nominis ostentationem, si non in maximis, tamen in maximè artificiosis præstigiis fuisse spiritualis fraudationis, undè Papa tot bonis affluxerit, & Ecclesia Romana ad hoc fastigium aspirârit. Sed relinquamus hæc minora, et quæ in Leone graviora sunt, persequamur. Non est difficile, velit modò aliquis refractariolus esse, et contentionis cupidus; probabilem aliquam verborum ejus defensionem elimare; non illorum modò dico, quibus Petrum *Dominum* suum appellavit, verùm etiam si ita salutasset (ut Servatorẽ nostrum [d] Thomas) *Dominus meus, Deus meus.* Planè deplorata causa est, quæ ab omni probabilitatis specie deseritur. [e] Lupanaria Romana nacta sunt patronos suos, et [f] quæ lupanaribus sunt spurciora. [g] Domitianum salutarunt Ethnici, *Dominus Deus noster Imperator.* De Papa itidem [h] Canonista quidam loquitur, *Dominus Deus noster* Papa. Blasphema utraq;. Poterit tamen homo aliquis, loquacitèr litigiosus, pro illis dicere, [i] *Ego dixi, Dii estis.* Veruntamen, [k] Ethnici ipsi, naturâ duce, alterum ut insolentiùs dictum sunt insectati: nec Pa-

[l] Brist. Motiv. 24. Stapleton. in Anglicano Beda suo, nota, inquit, Regis cõclusionem.
[m] Consule nobis, ut S. Petrus peccata vestra dimittat. Gregorius Augustæ. Regist. l. 4. Ep. 34.
[n] D. Petri successor.
[o] D. Petri claves.
[p] D. Petri vexillum. Genebrard. Chron. lib. 4. append.
[q] Quæ claves tanquam soli Petro datas repræsẽtant.
[r] c. Sic omnes dist. 19.
[s] Agatho Põtif. in Ep. sext Synod. Constant. act. 4.
[t] c. in memoriam, dist. 19.
[u] c. Constantinus. dist 96.
[x] Sacrar. Ceremon. Eccles. Rom. lib. 1. sect. 5.
[y] c. Quoniam quidã. dist. 100.
[z] Sacrar. Cerem. Eccles. Rom. lib. 1. sect. 10.
[a] c. Ego N. Episc. extra. de jurejurando.
[b] Felinus cõment. in cap. Ego N. Episc. de jurejurãdo.
[c] Ego N. Episc. Papatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum
* Gre. 9. Mat. Paris. in Hen. 3

* Gregor. 13. in bulla ad Mauritium Episcopum Imelacensem. [d] Ioh. 20. 28. [e] Harding. confuta. Apologiæ. Autor Detectionis Nicolai. [f] Ioannes Casa, Episcopus Beneventanus. [g] Sueton. in vita Domitiani. [h] c. cum inter. in glossa. Extravagant. Ioh. 22. [i] Psal. 82. 6. [k] Sueton. & Sex. Aur. Victor in Domit.

pistam

pistam aliquem, ne Jesuitam quidem attigi, qui ausit alterum defendere. Nihil fuit olim, *Dunsorum* temporibus, Academiarum nostrarum alumnis antiquius, aut familiarius, (etiamnum multis est, quos labes illarum sordium macularunt) quàm si fortè vi disputationum iis angustiis urgerentur, ut minùs convenientèr qui id dicerent, etiam, quo nihil absurdius poterat cogitari; distinctione quadã, eã nullius sanè sensûs aut cerebri, distinctione tamẽ velle, quod semel dixerat, prestare. Studuerit modò quis pervicax esse, nõ est tanti hoc efficere. quãquã, ut[l] prudẽs quidã & eruditus de iis censet, *esse eorum humilia & sordida ingenia, qui ita afficiuntur: ingenuos contrà animos et honestos esse potiùs cogitaturos, quàm vera sint quæ asseverent, quàm quomodo ipsi ea possint tueri, majoris pretij veritatem quàm victoriam æstimãtes:* ita liceat mihi dicere (vel multò magis etiam in re religionis, fidei, vitæ æternæ) Christianum ingenium, & pium animum libentiùs perscrutari, & meditari velle; quid verè debeat, quàm quid possit probabiliter, aut speciose saltem affirmari. Et optàrim quidem, modò divinæ voluntati placuisset, eam tum affuisse Campiano Dei gratiam, quùm in Turre disputatio habebatur; ut ad hanc metam collimasset, & potiùs veritatem ipsam sincerè expetivisset; quàm nescio quibus diverticulis insidiarum, & cavillis, defensionem causæ, & existimationis suæ. Quamvis autem ille morosus erat, & radiis lucis oculos præcludebat; tamen, quæso à te, Harte, per Deum ipsum, nolis eum tu in hac nostrâ disputatione imitari. Mentem tuam non gravatè aperias illius gratiæ,* *qui stat ad ostium & pulsat*; atq; audias [m] *vocem eius, dum dicitur Hodie*. Ab eorum verò exemplo tibi caveas, [n] qui *credere non potuerũt*, aut si crediderunt, [o] *Christum non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam hominum potiùs, quàm gloriam Dei; & gloriam alij ab alijs captabant, illam gloriam, quæ à solo Deo proficiscitur, non quærentes.* Neges autem teipsum, propinquósq; tuos, cunctásq; carnis rationes, & redde gloriam Altissimo.

HARTUS. Ego verò nec diverticula aucupor, quibus tenebras offundam veritati, neq; gloriâ hominum magis, quàm Dei, delector. Jam, cujus id demum insaniæ fuerit, vitæ suæ periculo depacisci (quod vides nos facere) ut errorem suũ aut existimationem tueatur? De Campiano autem, perinde atq; de meipso censeo. Intereram illis disputationibus, in quibus satis illis fecit, qui cum illo congressi sunt; neq; quicquam in ejus responsis, quod ego quidem videram, nisi integritas, & veritas elucebat.

RAINOLDUS. Ipse quidem iis non interfui disputationibus; eas legi tamen * descriptas, idq; (ne tibi suspectus sit autor, ut iniquior) à vestrarum partiũ studioso, qui toti negotio, ut ipse profitetur, intererat. Et (quod corde sincero, ut corã Domino affirmo; neq; dubito quin idem omnibus liquerit, qui eã sunt prudentiã, ut valeant dijudicare spiritus, si eas evolverint) eum in modum ille molitus est existimationem causæ, aut personæ suæ tueri; ac si nihil potiùs ob oculos posuisset, quàm ut hoc persuasissimum * *proselytorum* suorum animis infigeret, nihil scilicet adversus illum afferri potuisse, quod non ille à se facere demonstraret. Nunquam ego id asseruissem, nisi ex fructibus ejus exploratum habuissem. Nam, ut omittam, quàm crebris glossis textûs rationi repugnantibus uteretur, & quo ore locos eos, qui fortiùs eum premerent, exciperet: quæ ex [p] Conciliis, ex [q] Patribus [r] alijsq; autoribus objiciebantur, quorum is purissimus sensus, vel [s] vestris Doctoribus judicibus, quo à nobis citata sunt; ea ille ambagibus & cavillis contorsit protinus, & ad suas partes deflexit: quod ingenii magis, quàm veritatis; & versutiæ, quàm integritatis, fuit argumentum. Linquamus verò eum Domini judicio, ad te revertamur. Te neq; diverticula aucupari ais, quibus offundas veritati tene-

[l] Vives lib. 1. de caus. corr. art.

* Apoc. 3. 20.
[m] Heb. 3. 15.
[n] Joh. 5. 44.
[o] Joh 12 43.
* In libello quodam inscripto, Vera Declaratio, & Narratio collationis habitæ in arce Lõdinensi cum Campiano &c Cujus autor universæ interfuit actioni.
* Math 23. 15
[p] ut ex secundo Niceno Cõci. act. quint.
[q] ut ex Chrysost. in Math. Hom. 49. oper. imperf.
[r] ut ex Gratiano, dist. 19. can. In Canonicis.
[s] *De Niceno Concilio*, Sixt. Senens. Biblioth Sanct. lib. 5 an. 8. Bart. Carranz. in Sum. Concil. *De Chrysostomo* Sixt. senens. Biblioth. Sanc. lib. 6. an. 104. Rob Bellarm. controv 1. quæst. 6 *De Gratiano*, Alfons. à castro, advers. hæres. l. 1 c. 2. Andrad. defẽs. fid Trident. lib 3. & ipse quoq; poenè ad extremum Campianus.

bras;

bras; neque gloriâ hominum, magis quàm Dei, delectari. Utinam facta tua non tam aperta sint ad hoc probandum, quàm ratio, quam ad idem inficiandum affers, est infirma. Quid tandem si insaniæ fuerit hoc committere? Multa fiunt, quæ vix insani fecerint, quæ tamen qui faciunt, sibi satis ipsi sani videntur: quemadmodum [t] Donatistæ illi, qui ut hæresin suã, & famam propugnarent, animas & vitam desperatissimè profuderunt; etiam se ferro, igni, aquæ, frequentes objecerunt, mortem tanquam thesaurum quendam quærentes; quò possent mortui in martyrum albo (sic crediderunt) reponi. Sed an tu tanto pretio hominum gloriam mercandam putes, conscientiæ tuæ judicio relinquo. Diverticula te quærere, res ipsa clamat. Nam quæ pro Leone responderas, de unitate voluntatis, non essentiæ, in ista nempè Leonis verba, [u] *Christus Petrum in consortium individuæ unitatis assumpsit*, diverticulum est, quo tanquam scuto eum protegas à justa reprehensione. Leonis commentatio ipsa modò loquatur; nequaquam verò hoc negabit. Nam, quùm præmisisset illa, *Christum Petrum collocasse, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet*: in hunc finem * ista verba, quæ confirmationis pondus obtinerent, annexit. Quare, si ulla confirmationi, cum eo quod confirmatur, est affinitas, aut cognatio; his verbis dignitatem quandam Petri præ reliquis Christi discipulis necesse est significari. Unitas autem voluntatis illa, [x] quâ petiit Christus ut *discipuli sui unum sint, prout ipse & Pater unum sunt*; Petro est cum ceteris communis, non Petri propria, [y] Christo ipso ita exponente. Non est igitur huic emplastro, quod parasti, tanta vis, ut plagam Leonis sanet. Nec possis ei certè quoquam alio medicari. Nam unitatis, quam in Deo, aut nobis, scripturæ observant, tria genera sunt. Primum, personarum in naturâ unâ; secundũ, naturarum in personâ unâ; tertium, naturarum & personarum diversarum in unâ qualitate convenientium. Primo, [z] *Deus unus*; secundo, [a] *Christus unus*; tertio, [b] *Ecclesia una* designatur. In unitatem, quæ primo loco notata est, Petrum Dominus non assumpsit; quâ Pater, Filius, Spiritus S. sunt unus Deus. Non in proximam, qua ipse ex duabus naturis conflatus (Deus & homo) est unus Christus. In tertiam quidem quâ Ecclesia fit una cum Christo suo capite, quâq, membra Ecclesiæ inter se mutuo conjunctionis vinculo uniuntur, assumpsit Petrum; sed cũ fratribus conjunctum, non ab iis separatum: [c] *Multitudinis eorum qui crediderant, erant Cor & anima una*. Illi vicissim omnes [d] *unum corpus* sunt, sanctificati ab *uno Spiritu*, per sacramentum *unius baptismatis*, Christo per *unam fidem*, sibiipsis in caritate unâ connexi; ut colant pariter *unum Dominum*, in unius æternæ beatitudinis, & gloriæ *unâ spe*, & expectatione. Quamlibet igitur hujus unitatis partem, cujus capax sit Petri conditio, & natura, ad Leonis verba accommodes; sive voluntatis unitatem, quod velle videris; sive gratiæ, sicut occurrunt [e] alii; sive gloriæ deniq;, [f] pro quâ Christus etiam oravit, & quæ nonnullis magis placet: harum nulla tamen eam attingit Majestatem, ad quam Leonis verba aspirant, dum *Consortium* illi *individuæ unitatis* ascribunt. Absit verò, ut in cujusquam animum ea incidat aliquando suspicio, unitatem illum cogitasse, aut cum Deo naturæ, aut personæ cum Christo. Suis beneficiis [g] promeritus melius est, quàm ut à nobis tam malè audiat. Hoc autem est, quod pro illo verè quis respondeat, sententiam nempè illius fuisse (quomodo ipse [h] alias eam explicat) Christum nomen suum *Petra* & *Fundamenti* Ecclesiæ, Petro impertivisse. Sed quadam affectûs caligine, acies oculorum ejus perstricta fuit, qui nunquam aliàs hinc illud intulisset, *Christũ assumpsisse Petrum in consortium individuæ unitatis*; eâq; annexâ prærogativâ, ac si præter illum neminem assumpserit: præcipuè, quùm ampliora nomina sua, [i] *Jesu*,

[t] Aug. ep. 50. ad Bonif. C. 6.

[u] Leo Epist. 87

* Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari.

[x] Joh. 17. 11.

[y] Ver. 20. & 21

[z] Deut. 6. 4.

[a] 1. Cor. 8. 6.

[b] Cantic. 6. 8.

[c] Act. 4. 32.

[d] Ephes. 4. 4.

[e] Harding detect. lib. 3. c. 33

[f] Joh. 17. v. 22. & 24.

[g] In Ephesin. syn. 2. & Concil. Chalced. Leo ep. 10. ad Flavian.

[h] Ser. 2. in anniv. die assũpt. suæ. Ser. 3. in Natal. Apost. Petri & Pauli

[i] Heb. 4. 8. Collos. 4. 11. Aggæ. 2. 2. Zachar. 3. 1.

[k] *Christi*,

[k] Psal. 105. 15
[l] Matth. 5. 14.
* Cap. 2. Sect. 1.
[m] Leo Ser. 3. in anniv. die assumpt. suæ.
[n] Esai. 42. 8.
[o] In iis locis suprà citatis.
[p] Dan. 7. 9.
[q] Iob. 32. 6.
[r] 33. 12.
[s] 32. 21.
[t] Platina de vitis Pontificum, in Gregorio septimo.

[k] *Christi*, [l] *Lucis mundi*, horum unum aliquibus, omnibus suis servis cetera concederet. Ne suum Petræ quidem nomen, Petro; aut Fundamenti, Petro soli dedit, quod * deinceps comparebit. Si verò adhuc obscurum tibi sit, omnes fines transiliisse Leonem, dum in societatem Capitis, Petræ, & Fundamenti Ecclesiæ cum *Christo Petrum* vocat; ecce tibi interior, & propior societas, *potestatis* nempè *societas*, qua Petrum tanquam consortem & participem cũ Deo consociavit. [m] *Magnum & mirabile consortium potentiæ suæ* Petro tribuit *divina dignatio*; *& si quid cũ eo commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid aliis non negavit.* Hæc verba procul dubio Petrum evehunt in ejus gloriæ societatem, cujus zelo ita ardet æmula Majestas Dei, ut cunctis mortalibus ipse denunciârit, [n] *eam alteri se non daturum:* Christo eam dedit, qui cum ipso unum est, Deus de Deo, de luce lux. Sin autem eò quis prorupenit audaciæ, ut non vereatur mortalium aliquem, quisquis demûm ille fuerit, participem hujus gloriæ Christo adjungere; Christum illo honore spoliat, quo ut unicus Mediator Dei & hominum adoratur. Quid autem ab hoc diversum fecerit, qui [o] Leonem imitabitur, dicetq;, *Petri curam affulgere suâ luce Episcopis, quòd illorum calumniatores profligentur*; *Petri autoritatem, & merita servi sui scripta in hæreticos roborare*; *Petrum eorum personas intactas à dedecore conservare, qui pro fide Catholica laborant*; *Papæ decreta, inspirante Deo, &* Petro *constitui*; *Petri operum esse atq; meritorum, si quid à Deo quotidianis precibus obtineatur*; *nihil deniq; in Primarios Ecclesiæ, nihil in quenquam hominũ à Deo nisi Petri participatione transire.* Nos pium cujusq; Christiani cor appellamus, cui fervorem aliquem Dei zelus, prudentiámq; Dei spiritus indidit, ut inter vos & nos judicet; utrùm eam potestatem, eam autoritatem, eum principatum, id imperii in Ecclesiam Christi, ulli Sanctorum Cœlitum concedere, non sit diminutio Majestatis, dominatus, atq; supremæ autoritatis Regis Sanctorum, Sancti Israëlis. Dolet mihi in Leonem ista dicere, cujus amplector eruditionem, & canos veneror. Sed [p] *Antiquus Dierum* illo est antiquior, & majori veneratione prosequendus; qui [q] Elihu juvenem docuit, eos qui erant ipso ætate seniores, & [r] ipsum quoq; in illis Sanctum Jobũ, redarguere, deq; illis dicere; [s] *Ne, quæso, accipiam personam ullius, & apud hominem non utar præfatione: non enim novi præfationibus uti, paululùm utentem tolleret me, qui fecit me.* Audebo igitur ego, omissâ titulorum & nominum præfatione, nullâq; habitâ personarum ratione, liberè profiteri, me illos magnificos & sublimes Leonis sermones respuere. Neq; dubito, quin mysterium iniquitatis, Leone ambitiosiùs Petrum evehente, sic invalesceret; ut ex ovis iis, quæ ille foverat, exclusi sint & enutriti basilisci duo, omnium maximè pestilentes, qui unquam Ecclesiæ Christi venenum infuderunt: quorum unus, suprematus Papæ, Regiã potestatem in Ecclesiam, & Repúblicã occupantis, non sine fidei in Deum, hominésq;, violatione; alter serpens, Sanctorum invocatio, quâ is honor exhibetur creaturis, qui Creatori soli ritè defertur. In uno illo Hildebrando (qui fuit in Pontificatu suo Gregorius Septimus nominatus) est illustre utriusq; specimen. Hic enim homo, quùm privaret Henricum Imperatorem imperio, & subditos suos religione officii, & obedientiæ suæ exsolveret; eã cum Petri invocatione sententiam pronunciavit, quam si quis pius, & verè Christianus, cuiquam, præterquam Deo, factã auribus acciperet, totâ mente, atq; omnibus artubus cõtremisceret. [t] *Beate Petre Apostolorũ princeps, inclina, quæso, aures tuas & me servũ tuũ exaudi, quẽ & ab infantiâ educasti, & usq; ad hunc diẽ ab iniquorũ manibus vindicasti, qui me pro meâ in te fide oderunt & persequuti sunt. Tu mihi testis es optimus, & pia* Jesu *Christi mater, & frater tuus Paulus tecum martyrii particeps, me non*

sponte, sed invitũ Pontificatus gubernacula suscepisse. Non quòd rapinã arbitratus sim, sedẽ tuã legitimè cõscendere: sed malebã vitã meã in peregrinatione degere, quàm locum tuũ pro famâ & gloriâ tantùm occupare. Fateor ego, ac meritò quidẽ, mihi tuâ gratiâ, nõ meritis meis, populi Christiani curã demandatã esse, concessámq; ligandi & solvendi potestatẽ. Hac itaq; fiduciâ fretus, pro dignitate & tutelâ Ecclesiæ * *tuæ sanctæ, omnipotentis Dei nomine, Patris, Filii, & Spiritus sancti, et Henricũ Regem, Henrici quondam Imperatoris filium, qui audacter nimiùm, et temerariè in Ecclesiam tuam manus injecit, Imperatoriâ administratione, regiâq; dejicio; et Christianos omnes Imperio subjectos, juramento illo absolvo, quo fidẽ veris Regibus præstare consueverunt.* Ecquid percipis, ad quã iniquitatẽ, dum ad omnia diripienda abutuntur Petri nomine, flatu & æstu superbiæ provehantur? quã tyrannide dominentur Imperatoribus? quo dedecore et probro lacessant Omnipotentem? Quanquam de isto erit opportunius nobis disserendi tempus, quùm ad illam de Invocatione Sãctorum quęstionem veniamus. Ad alterum igitur, (ut nos referamus ad eam causam quã in manibus habemus:) nomen *capitis*, quà aquæductus & fistula quædam est, quæ diffundat passim in universum corpus Dei dona, soli Mediatori Dei & hominum, Apostolo professionis nostræ, Servatori nostro Jesu Christo, ritè & propriè debetur. Ubi unquã jus hujus tituli in quæstionẽ vocetur, flectat se oportet omne genu, vel quod in Cœlis, vel quod in terris, vel quod subter terras; & illi hoc deferat, quẽ Deus ad dextrã suã supra omnes potestates, & principatus collocavit. Quamobrẽ, non dico, Si homo, si Leo, (quẽ spes quęstus & lucri forsan cæcàrit, *heredẽ Petri* se cogitantẽ) sed si Angelus de Cœlo hoc jus Petro detulerit; dicã cũ [u] Apostolo, *Anathema esto.* Non mihi eã assumã sententiã; hoc certè dicã, peccatũ esse valdè flagitiosũ. Quanto verò flagitiosius, Petri nomẽ huic sceleri prætendere? quùm reipsa sub Petri nomine, potestas ea ad Papã sevocetur. Quã enim fiduciâ Leo Petro eã adjudicavit, eâdẽ adjudicat [x] quidã Cardinalis Papæ. Et [y] Episcoporũ nõ nemo (majora Cardinale ausus) quùm appellasset *Papã Melchisedec, cujus sacerdotiũ non est ceteris comparatũ*; non sibi in eo temperavit, sed affirmat porrò, *eũ esse caput omniũ Pontificum, à quo illi, tanquã à capite mẽbra, descendunt, et de cujus plenitudine omnes accipiunt.* De Christo scriptum est, [z] *ex plenitudine ejus nos omnes accipere*; eũ, [a] *Pontificẽ factũ esse in æternũ secundũ ordinẽ Melchisedec*; eũ, [b] *caput esse, ex quo totũ corpus cõgruenter coagmentatũ, et cõpactũ per omnes suppeditatas cõmissuras, ex vi intùs agente, pro mensurâ uniuscujusq; mẽbri, incrementũ facit corpori cõveniens.* Sed ut ista Papæ privilegia cõcedamus, esse eũ *Melchisedec*, esse *Caput omnium Episcoporum, &c, ex ejus plenitudine eos omnes accipere:* Bone Deus, quàm miserè cum Ecclesiâ agebatur, quùm hæc pro Catholicis dogmatis vendebantur? Nonne tum impleta Prophetia de [c] *illo homine, qui in Templo Dei tanquam Deus sessurus esset?*

HARTUS. Per mihi mirũ videtur, te tanquã de flagitio aliquo tam asperâ oratione nos corripere, quòd *Papam caput Ecclesiæ* nuncupemus; vobis ipsis intereà eo titulo Reginam decorantibus, à qua sit aliquantò, quàm ab illo, alienior. Simillimè nõ ita pridẽ, quidã, qui nos pro concione in Turris ædiculâ est alloquutus, habuit prolixũ sermonẽ, quo probaret, Christũ solũ esse *caput Ecclesiæ*; et nos blasphemiæ scilicet incusabat, qui Caput Ecclesiæ Papã esse diceremus; quùm ipse tamen preces pro Regiâ Majestate fundens, illã supremi Capitis Ecclesiæ Anglicanæ nomine insigniret: quo loco nos hominis stultitiã risimus. Nam si blasphemũ quid non sonet, Principem caput asserere: unde isthæc blasphemia, Papam caput appellare?

RAINOLDUS. Nos Regiæ Majestati titulum, non Capitis, sed [d] *Supremæ Moderatricis* tribuimus; quod quàm certo divini verbi testimonio, et mandatis, diploma-

* Sigon. de regno Italiæ lib. 9. *Quod meliùs cæteris consinat, quàm [ut habet Platina] sua.*

[u] Galat. 1. 8.

[x] Iohãnes de Turre cremata, in summa de Eccl. lib. 2. cap. 22.

[y] Gul. Durandus in Rationali divinor. offic. lib. 2. c. 1.

[z] Ioh. 1. 16.

[a] Heb. 6. 20.

[b] Eph. 4. 16.

[c] 2. Thess. 2. 4.

[d] *Sacramentũ suprematus.* 1. Elis. 1. Sander. de visib. Monarch. lib. 5. cap. 5.

tisq; Altissimi undiq; muniti tribuamus,* suo loco, si placet, demõstrabitur. Ad cõcionatorem quod attinet, quem memoras; mallem mecum publicis monumentis, & Ecclesiæ nostræ consignatis tabulis rem transigeres, ut ego tecum soleo; quàm privatorum quorundam sermonum recordatione. Nam tu fortasse plura conjeceras, quàm quæ ille protulerat; et ille ea fortasse protulerat, quę tibi necesse fuit cõjecturâ illiusmodi jocosè illudere. Sin verum sit, quod de concione ejus narras; est verisimile, eum eo sensu nomen Capitis Reginę dedisse, quo nos titulum *supremæ Moderatricis* damus, (quod piè fieri posse docebo;) et diversâ ratione Papæ denegasse, quâ Christo soli convenit; ideoq; eos blasphemiæ insimulasse, qui ita Papæ astruunt. Qui autem hoc, ut stultitiam quandam, riserint, quòd Papani fuerint; possent, si Pagani essent, Scripturas ipsas ridere, quę concedunt [e] *Deorum* titulum *Magistratibus*, et tamen eos condemnant, qui [f] *alios Deos præter Dominum* adorant. Si enim blasphemum non est, Magistratus Deos dicere; quî tandem blasphemum foret, [g] *Mercuriũ* et *Jovem Deos* appellare? Non sic tu argutaris? Nostra verò doctrina, sicut sancta, et verax est, ita sine fuco aperta est; velint modò homines eam potiùs, ut Christiani, demissè, et humiliter ediscere, quàm irridere, ut Luciani, aut, ut Juliani, ejurare. Nos enim docemus, [h] *Christum caput esse Ecclesiæ*, quatenus *eam vivificet suo spiritu*, quatenus *Lux, salus, vita ejus exsistat*; & *præsentem esse perpetuò* tenemus, ut eam impleat beneficiis suis, et ut gratiâ gubernet. Quibus nominibus quùm [i] Scriptura nomen Capitis soli Christo, per excellentiam quandã attribuat; inde eum solũ caput Ecclesiæ esse statim concludimus. Nã alioquin perspicuũ est, (diverso genere, et gradu similitudinis) eos posse dici capita, qui aliquâ aucti sunt in alios, vel loci, vel administrationis, prærogativâ. Quẽadmodũ in Hebraico scripto legimus, [k] *Capita Levitarũ*, hoc est primarii; et, [l] *Sacerdos Caput*, putà, summus Sacerdos. Quo modo non abnuerim, si Episcopos Capita Ecclesiarũ cũ [m] Athanasio appelles. Cujus etiã tibi [n] Gregorius autor esse potest, qui quùm Servatorẽ nostrũ Christũ, Caput universæ Ecclesiæ nominasset, ministros Ecclesię *quasi capita* vocat; *Paulum, Andream, Joannem, singularium plebium capita, membra tamen Ecclesiæ, omnes sub uno capite.*

Hartvs. Dedisti reipsa igitur, quantum ego postulârim. Nam si aut Episcopus, aut Cardinalis quispiam, id Papæ attribuerint, quod Christo soli, quà propriè Caput est, debetur; eos nos non defendimus. Asserimus enim, sicut pastores omnes, quibus Ecclesiæ administrandę datur negotium, sunt quodam modo Capita, hoc est, ut dixi, impropriè; ita Papam, qui est illorum omnium Primarius, Caput esse supremum. Atq; in hanc partem debebis nos interpretari, quoties affirmamus [o] Episcopum Romanum esse *supremum Caput Ecclesiæ*.

Rain. Interpretabor. Ceterum, quando nomen quidẽ Capitis, in ejusmodi locutionibus varias sortiatur significationes, in quibus Scripturę disertę sunt, [p] *Deus est Caput Christi, Christus est caput viri, vir caput mulieris*; [q] *Caput Syriæ Damascus, Caput Damasci Retzin*; Rex, [r] *caput tribuũ Israelis*; et, [s] *capita familiarũ*, seniores; [t] *caput populi*, qui in principiis populi collocatur; [u] *caput montiũ*, celsissimus; [x] *caput aromatũ*, pręstãtissimũ; etiã, [y] Duces maleficorũ, *capita*; et, eorũ qui Davidẽ sunt comitati, robustissimi duces, [z] *capita*: quarũ dictionũ quædam prętantiã in aliis rebus denotãt, non potestatis illã quidẽ; et quæ potestatis, earũ alię majorẽ, minorẽ alię referunt: vellẽ ex te nominatim cognoscere, quã demum potestatẽ ascribas Papæ, supremũ caput quùm appellas, ne postea de sensu et modo appellandi, cogamur inter nos ipsi dissentire.

Hartvs. Potestas, quam hoc titulo illi ascribimus, ea est, quâ * administratio

* Cap.10. Sect.1.

[e] Exod.22.28 Ioh.10.35. [f] Exod.20.3. Deut. 13. 2. [g] Act 14.11. [h] Apol.Eccle. Anglicanæ; Confess. Helvet.cap.17. [i] Eph.1.22 & 4.15.& 5.23. Col.1 18 & 2. 19. *atq; ita Ecclesia corpus ejus.* [k] Nehem 11.16. [l] 2.Chr.31.10. הכהן הראש. [m] In Apolo.2. [n] In Regist. li. 4.epist.38. [o] Stapleton.in dedicat.Princ. fid.doctr.Gregorio decimo tertio, Pont. Opt. Max. [p] 1.Cor 11.3. [q] Esai. 7. 8. [r] 1.Sam.15.17 [s] Exod.6.13. [t] 1 Reg 21.9. [u] Esai.2. 2. [x] Exod.30.23. [y] Numb 25.4 [z] 2. Sam.23. v.8.& 13.& 18

* Stapleton. Princip.doctr. lib.6.in præfa. *Atq; in hoc Rhemenses annotationes in Testamentum Novum* [*Mat.* 16.19]*Stapletonum sequuntur: quod etiam in tractandis Scripturis & Patribus in universâ istâ Pontificii Suprematĩs quæstione plerumq; faciunt.*

stratio totius Ecclesiæ Christi per universum orbem propagata ab illo dependeat, causas fidei judicandi penes illũ potestas, cōciliis præsidendi, eorúmq; decreta confirmandi, Episcoporũ & Pastorum creationem ratificandi, ab omnibus terrarum partibus appellationes factas decidendi, excōmunicatos quosvis reconciliandi, itẽ delinquentes quoscunq;, etiã terrarũ Dominos, ac provincias integras vel excōmunicandi, vel suspendendi, vel alia hisce affinia suppliciorũ genera irrogandi: quęcunq; demum gerendi istis similia, ad Ecclesiæ administrationem commoda, sive ad doctrinam, sive ad disciplinam & politiam Ecclesiæ spectent.

RAINOLDVS. Atq; hæc tot, et tanta, vis tu de Papæ primatu. Potestas sanè gravior momento, ambitúq; latior, quàm quæ unius humeris sustineatur, vel unius Apostoli, quanto magis Episcopi Romanus ille, an terrarũ orbis Episcopus? Appellari eũ à te aiebas modò *Caput impropriè*: opinor itidẽ hãc à te potestatẽ attribui *impropriè*. Nam sine dubio propriè ei attribuendam esse nunquam poteris fidem facere.

CAP. 2.

Promissio * *suprematûs, quam prætendunt Pontificii à Christo Petro fieri, 1 in verbis illis,* Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. 2. *&*, Tibi dabo claves Regni Cœlorum. *De scripturarum expositione, quâ ratione germanus earum sensus dignosci possit, et quibus de eo judicandum sit. 3. Quid* claves *significent, quid etiam* solvendi, *&* ligandi *potestas, promissa Petro à Christo, & per Petrum cunctis Apostolis.*

* *Autor fuit nobis ipse ab omni laude felicissimus vir Rainoldus, ut hujus insolentis vocabuli commoditate uteremur ad insolentem Pontificiæ potestatis amplitudinem exprimendam, cui usitatum Primatus nomen non sufficit. Et hoc fortasse indulgebunt nobis Iurisconsulti, qui non patientur nos sine exemplo verbum fingere.*



HARTVS. Utcunq; tibi latior, graviórq; hæc potestas, & primatus videatur; propriè quidem Romano Episcopo defertur. Quod jam antea superiori meo argumento evici. Caput omnium Apostolorum S. Petrus. S. Petro succedit Romanus Episcopus eâ potestate in Episcopos, quâ fuit ille in Apostolos. Romanus Episcopus igitur Caput omnium Episcoporum, adeoq; eorum diœcesium, hoc est, Ecclesiæ universæ Christi.

RAINOLDVS. Interim, reminiscere quo sensu nomẽ *Capitis* afferas, & ego utrasq; propositiones hujus argumenti nego.

HARTVS. Utrasq; docebo; & primò primam. Christus promisit Petro, eum Caput se facturum. fecit igitur.

RAINOLDVS. Non promisit.

HARTVS. * Christus dixit illi, [n] *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiã meam*; id est, Tu es Petrus, & super hunc Petrum ædificabo Ecclesiam meam. Ergo promisit.

RAIN. Minimè hoc verò consequens. Quid autem est, quod vernaculâ nostrâ linguâ interpretere, ac si ita potiùs scriberetur, *Tu es Petrus, & super hunc Petrũ*? Alia invaluerat apud [o] Doctores vestros interpretãdi cōsuetudo, *Tu es Petrus, & super hanc petram*; et illi petræ vos cũcta alligastis. Nũ illinc naufragium tandẽ metuitis?

HARTVS. Nullo pacto. Quanquam ut anchora nostra hęreret firmiùs, quę Petro infigitur; cōmodũ duxit Alanus in versione Novi Testamenti Anglicanâ, cui Rhemis incubuimus, [1] ita interpretari, *Tu es Petrus, & super hunc Petrum*: quod ego eò libentiùs sequor, quàm illud alterum de *Petra*, quia origini est consentaneum.

* Stapleton. doct. lib. 6. c. 2
[n] Matt 16, 18.
[o] Sanderi Petra Ecclesię. Brist. Motiv. 47
[1] Vt in Annot. suis in Mat. 16, 18, aiunt interpretandũ esse, ex verbis Christi Syriacè loquẽtis: etiam ex ipsorum quoq; Græcorũ verborum sensu. Quanquam illi in contextu suo nomen *Rocke*, hoc est, Petræ, retineant, cum etiam ita habet Latina versio.

RAINOLDUS. Secùs est. Origo enim Græca est: illa autẽ, Σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. Cui illa veteris Latinæ translationis vestræ, *Petrus*, & *Petra*, accinunt, quo modo tute eã citaveras. Quorũ utrorumq; verba, etsi nõ tantũ discrepent, quantũ linguâ nostrâ *Petrus*, & *Petra*; eadem tamen non sunt, ut vestra *Petrus* & *Petrus*.

HARTUS. Quantumvis Græca vocabula, πέτρος, & πέτρα, terminatione differant; significatione nihilominus conspirant, idemq; sonant. Ut enim πέτρα Petram significat, perinde πέτρος Atheniensi idiomate. Observandumq; est, Christum Hebraicè, aut potiùs Syriacè loquutum esse: quâ quidem linguâ, nomen quod Petro dedit, [p] Cephas vocatur. In Syriaco verò Testamento, idem utrisq; locis absq; ullâ dissimilitudine vocabulum.* Sic enim se verba habent, אתה כיפה ועל הכיפה, ac si diceres, *Tu es Cephas, & super hunc Cepham*, vel, *Tu es Petra, & super hanc* Petrã. Nam *Cephas* Syris *Petra* est, ut [q] Guido Fabricius, peritissimus linguista, testatur. Quare sensus etiam verbi πέτρος, idem Græcis sit oportet: & à nobis in utrisq; locis aptè poterit retineri, *Tu es Petrus, & super hunc Petrum*.

[p] Ioh.1.42.
* Stapleton. princip. doctr. lib.6. cap.3.
[q] In Dictiona. Syro-Chald. Regior. Bibl. tom.6.

RAINOLDUS. Quæ protulisti verba, nequaquam sunt Syriacæ interpretationis; sunt Hebraica. Quanquam ut Hebraicum כיפה in utrisq; locis idem est, ita & Syriacè כאפא in utrisq; fateor retineri: hoc libenter audio (quòd eâ linguâ Servatori Christo loqui libuit) tanquam verborum ejus ad *Petrum* interpretationem. Mihi intereà placet animadvertere, etiamsi [r] Synodus vestra Tridentina approbârit *Solam Latinam veterem editionem pro authentica*, statueritq;, *ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*; vos tamen ipsos ab eâ discedere, non ad originem modò, (quod in nobis neutiquam ferendum clamaretur) verùm etiam ad versiones, si alicubi magis, quàm vetus vestra, vobis illæ deservire videantur.

[r] Sess. 4.

HARTUS. Non rejicimus nos authenticam illam editionem, sed sensum ejus enucleamus, eam cum Græcâ, et Græcam rursus cum Syriacâ conferentes.

RAINOLDUS. Quòd si nos item in quæstione aliquâ adversum vos conaremur; hoc responso salvi esse non possemus: fucus quidam seu prætextus, qualem condemnavit vestra Synodus, perhiberetur.

HARTUS. Valdè in nos injuriosus es, cui idem prorsus videtur, *rejicere Latinam authenticam*, atq; nobis ipsis ex origine adjumenta quærere.

RAINOLDUS. Vobis ipsis? Absit ut ego illud prorsus idem esse censeam. Dixeram autem, *Si nos*, non, *Si vos, item conaremur*. Vos enim audete, quicquid animis collibitum sit futurum vestris; omnino sententiis vestris indulgebitur, conspirantibus utiq; cum Latinâ, ejusdemq; sensum enucleantibus. Atqui, si nos ex origine adjumentũ nobis quæreremus, tãquã *prætextus* quidã adjumẽtũ nostrũ cõminueretur. Nã, exempli causâ, Andreas Masius, homo doctus et vester, cõscripsit cõmentariũ in Josuã, ubi *Latinam* vestrã *authenticam* singulis ferè capitibus lancinat. [s] Ait verò *D. Hieronymum locum quendã, scientem, ut videtur, in aliã sententiã esse interpretatũ, quàm Hebræa verba præ se ferunt, (si modo ipse est Latinæ tralationis autor) ut suã quãdã indè opinionẽ affirmaret*. [t] Censor tamen ille Pontificius, qui illud prelo dignũ adjudicavit, attestatur *multùm hoc commentariũ elucidare veterem, & vulgatã editionẽ*. Nos non sæviemus tantopere; fidẽ ejus tantillùm perstringemus; etiámne nos quoq; eâdẽ cẽsurâ ornabitis? Tàm hoc abest, ut si adnotemus quo loco vetus [u] vestra editio reddit, *de figmento aut imaginatione cordis, esse eã pronã in malũ*; in Hebręo scripto non reperiri, *pronã in malũ*, sed absq; omni additamento, [1] *malam*: [x] Coloniensis Cẽsura, cõfestim respõsurâ sit, *longè consultius esse dicere* (ut dicit vetus vestra) *pronã in malũ*; et corrogatura sit Judæorũ Rabbinos, nõ qui explicẽt Latinã versionẽ juxta Hebręã originẽ, sed qui Hebręã allevent juxta Latinã. Non erã igitur in

[s] Andr. Mas. comment. in Iosu. c.14. v.15.
[t] Ioan. Molanus Lovaniensis.
[u] Gen. 8.21.
[1] Hebr. רע.
[x] Censura Colon. in dialog. 2.

te injuriosus; quùm dicerem ferri non posse, *si nos ab authenticâ vestrâ Latinâ ad originem confugeremus.* Quanquam in hac Petri causâ, quam agis, te adjumentum quærere, non ab origine id quidem, sed à translatione, ita non reprehendo, ut valdè probem. Illa equidem tua improbo, quæ probationis loco addis; nempè, πέτρος *Græcis* πέτρα *est, ut Cephas Syris, itaq; verba* πέτρος *&* πέτρα *significatione sunt eadem.* Sunt enim significatione eadem, non quòd πέτρος sit *Petra* ut πέτρα; sed quòd πέτρα sit *lapis*, ut πέτρος. Nam verbum πέτρα nonnunquam *lapidem* denotare,[q] vestri peritissimi linguistæ (quos appellas) observarunt; ejusq; exemplis abundamus. Quòd πέτρος autem uspiam Petram designârit, neq; ipsi memorant, nec [r] alii ejus linguæ periti deprehenderunt. Ais verò in *Atheniensi idiomate sic usurpari:* nullum tamen aut Atheniensem, aut Græcum hujus testem affers. Gallica certè lingua (quæ est, [f] ut in multis aliis vocabulis, ita in isto, Græcæ imitatrix) * eodem verbo (ut nosti) & *lapidem*, & nomen *Petri* refert. Ubi vestigium quoddam est germanæ ejus nominis in Græcâ linguâ originis, & significatus. At, *Christus vocabat eum Cepham Syriacè*, & *Cephas*, inquis, *Syris* Petra *est, ut Fabricius testatur.* Atqui [t] Fabricius ampliùs testatur *Cepham lapidem* significare. Quanquam autem ille, vel potiùs [u] Judæus ille (quem citat) referat sententiam eorum, qui nomen explicant, tanquam ab illo vocabulo, quo sensu *Petra* dici soleat, deductum; tamen alterius illius, quo *lapis* dicitur, factâ mentione, infert continuò, eo sensu *nomen ejus* Petrum *à Romanis, & ab Italis lapidem* * *Pereda vocari.* Cui liceret adjicere, [x] doctum alium Judæorū scriptorem, & illo antiquiorem, (nomen utiq; *Petri* explanantem) similiter affirmare, *eum lapidem nominari.* Verùm à Christo, *Cepham* eum dum nominat, *lapidem*, non *Petram*, intelligi; *Sanderus*, pugil vester valentissimus, multorum instar testium, producetur. Ille enim, cui non minor adfuit, quàm cuiquam vel audacissimo, quicquam tentandi voluntas; pluribus jam annis rem meditatus, nihil aliud ausus est pro *Cepha* dicere, quàm quòd [y] *lapidem*, vel, ut maximè, *ingentem lapidem* significet. Etiam *petram ipsam* [z] exprimit hoc pacto; *Super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam; id est, Tu post me primus eris lapis Ecclesiæ illius, quam in terris ædificabo.* Cui quidem judicio suo, est à te promeritus, ut majorem fidem habeas; quòd in illâ [a] *Sanctâ causâ* non sine capitis discrimine libens à Papâ in Principem suam steterit, & post præcipuam à se operam in hac controversiâ collocatam, jam [b] antea *petrā* exposuisset; à quâ sententiâ Papatui tam opportunâ, nunquā discessurus fuisset, nisi veritas eū receptui canere impulisset. Quod eò probabilius videtur, quia quùm cōtendisset priùs nervos, ut sub *petræ* nomine fascinaret hominū animos Papę suprematu; ideoq; cùm titulus, tùm universus liber, *Petrā Ecclesiæ* personaret; vel eo ipso tēpore, [c] *Cephā*, et *Petrū* dubitanter exponeret, *petrā* aut *lapidē*; redditâq; ratione, cur à Christo sic vocatus sit, *lapidis* tātùm meminerit; *quoniā quo loco lapis est ad sustentandam domū*, *eo loco* Petrus *est ad sustinendā fabricam Ecclesiæ Christi militantis.* Quamobrē dimitte *petram* de manibus (super quā domū vestrā extructā esse [d] Stapletonus gloriatur) & ejus loco *lapidē* defigito. Unus servator noster Christus *petra* sit: si hac in re ad illum te alliseris, confringet te, et in frusta dissipabit.

HARIUS. Est probabilis in utramq; partem quæstio, et doctorum judicia vides in eâ explicandâ dissidere; quùm alii *lapidē*, alii *petram* esse opinantur. Quare, non potes in alteram partem me adigere, aut ab alterâ dejicere.

RAIN. Verbis hominū non possū, Dei possū. Nā Christus *Syriaco* sermone eū Cephā appellabat; [e] Cephas à Græcis πέτρος exponitur, et πέτρος ab Anglis vocatur *lapis*. Et certè satius fuisset, si, quēadmodū est Græco textu πέτρος & πέτρα, Syriacâ interpretatione *Cephas* et *Cephas*; ita vos Anglicè convertissetis, *Lapis* & *Lapis*.

[q] In Lex. Græ. ad sacri. apparat. instruct. Reg. bibl. to. 6.
[r] Thesaurus linguæ Græ. cō gest. ab Hērico Stephan.
[f] Henr Steph. de simili. linguæ Græ. & Gallicæ lib. 3.
* Pierre.
[t] In Dictionario Syrochaldaico.
[u] Elias Levita in Thisbi.
* Quēadmodum illud scribit Elias. Intelligit verò Pietra; quod verbum Italicè est Petræ significatū retinet, unde Petri nomen natū est.
[x] Aben Ezra. in Daniel. ca. 11. v. 37.
[y] De visib. Monarc. Eccl. lib. 6. cap. 7.
[z] Lib. 6. cap. 2.
[a] Vt ab ipso nuncupatur in literis suis ad Vilic. Burkum, Generosum Hibern.
[b] In libro quodam suo, qui inscribitur, *Petra Ecclesiæ.*
[c] Cap. 1.
[d] Princip. doctr. li. 6. cap. 5.
[e] Ioh. 1. 43.

Nam *Petrus*, & *Petrus* vim Syriaci vocabuli non assequuntur; *Petra* & *Petra* solidū quid sonant, sed textus ipse non feret; *lapis* & *lapis* apta sunt, nisi ea paulò tenuiora putassetis. Jam verò, quum urgeas Syriacam interpretationē, ut ex eâ exprimas, ut ais, sensum Latinæ; dabis mihi veniam, si narrem tibi, verba sic potiùs juxta Syriacā Anglicè reddi oportere, *Tu es lapis, & super hunc lapidē Ecclesiā meā ædificabo.*

HARTUS. *Petra* fuerit vel *lapis*, si tibi utrumlibet eligendi daretur optio, quid indè lucraris?

RAINOLDUS. Veritas, cujus causam ago, hoc lucrabitur, ut quantumvìs verba illa (*Christum videlicet ædificare voluisse Ecclesiam suam super* Petrum) vel maximo vestro cum compendio, ut etiam Sanderus contendit, explicetis: tamen non sit ostēsum inde, Christum dominatum ei in Apostolos adpromisisse. Nā Ecclesia Christi, quæ est cœtus electorum Dei, in divinis tabulis, materiato templo, cujusmodi exstruxit Salomon, assimilatur. Quare, ut illud dicebatur *domus*, [f] *domus orationis*: similiter Ecclesia Christi *domus* dicitur, sed [g] *domus spiritualis*, ut ab illâ domo internoscatur. Quoniam autem ista domus ex piis omnibus, velut ex lapidibus, est cōstruenda, fundatis super Christū fide, per doctrinam Apostolorum; idcirco Christus [h] *pretiosus lapis angularis* dicitur, ut Judæos respicit, & Ethnicos, tanquam parietes, [i] qui in ipso conjunguntur; [*] *fundamentum*, ad domus universæ rationem, etiam [h] *fundamentorū fundamentum*, ut ait propheta; Apostoli duodecim, qui super Christum proximè collocantur, [i] *duodecim fundamenta* vocantur; fideles, qui super illos, seu secundum illos potiùs, super Christum ædificantur, [k] *lapides*, non *mortui* illi (ex quibus templum constitit) sed *vivi*; opera verò hos effingendi, & in hunc usum quasi fabricandi, *constructio* dicitur & [l] *ædificatio*, quæ prædicatione [m] *verbi veritatis* conficitur, ipsis inter se, & cum Christo [n] *coagmentatis*, & ita crescētibus, ut sint templum sanctum Domino, & [o] *habitaculum Dei per spiritū*. Quare si Christi verba sic sunt interpretanda, ut Petro, tanquam primario lapidi, proximum secundum se locum voluerit; deindeq;, ut alii Petro innitantur, quùm diceret, *Tu es lapis, & super hunc lapidem ædificabo Ecclesiam meam:* evincit hoc certè, Petrū in primo ordine (ut ita loquar) lapidum fuisse, ordine, inquam, illo, quo primi credentium collocati sunt; & in illis primis notam aliquam honoris, quòd *lapidis* nomine insignitus esset, præ fratribus suis recepisse. Non autem hinc arguitur, eum fuisse reliquorum caput Apostolorum. Nam ut ille, sic illi, *fundamenta* appellantur; nec minùs super illos Ecclesiam suam Christus, quàm super *Petrum* ædificavit.

f Mat.21.13.
g 1.Pet.2.5.
h Esai.28.16.
i Eph.2.14.
* 1.Cor.3.11.
h Esai 28.16.
i Apo.21.v.14
k 1.Pet.2.5.
l 1.Cor.12.26
m Eph.2.v.20.
n Vers.21.
o Vers.22.

HARTUS. Concedis ergo Christum pollicitum esse se Ecclesiam suam super Petrum ædificaturum.

RAINOLDUS. Concedo.

HARTUS. Non super doctrinam ejus solùm, sed personam etiam.

RAINOLDUS. Etiam, modo quodam. Quid tum demum?

HARTUS. Quid tum demum? Quid senties igitur de Doctoribus vestrarum partium, [p] Sadeele, & [q] Mornæo, quos tantopere mihi commendâras, & legendos obtuleras? scribunt enim illi *Ecclesiam ædificatam fuisse non super personam Petri, sed super doctrinam ejus Christum nobis prædicantem.* Das autem tu his contrarium.

RAIN. Quid tu de antiquis Doctoribus, quos sequūtur illi, sēties; & in primis de S. Augustino? Scribit enim ille *Petrā* (super quā Ecclesiā suā ędificaturum se Christus promisit) esse Christum non Petrū. Tu contrariū defensitas. [r] *Tu es Petrus*, inquit ille, *& super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognovisti, dicens,* Tu es Christus filius Dei vivi, *ædificabo Ecclesiam meam: id est, super me ipsum filium Dei vivi ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te.*

p In Sophismatis Turr. loco. 2.
q Tract. de Eccle. c.7.
r Augustin. de verbis Dom. Serm.13.

Nam

Nam volentes homines ædificari super homines, dicebant; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ipse est Petrus. Et alii qui nolebant ædificari super Petrum, sed super Petram; Ego autem sum Christi. Nam Petra erat Christus, super quod fundamentum Petrus ipse erat ædificatus: quoniam *nemo potest ponere aliud fundamentum præter illud quod positum est, quod est Christus Jesus.* Quid deinde de ceteris, nominatim verò de [t] Gregorio Nysseno, de [u] Cyrillo, [x] Chrysostomo, [y] Ambrosio, [z] Hilario? Scriptis hi consignârunt, hanc *Petram* esse *Petri confessionem*: Non aiunt, Petri esse *Personam*.

HARTVS. Illa Augustini expositio, quæ Petrum *Petram* esse denegat, fuit *lapsus humanus*, (ut à [a] Stapletono nominatur) ex Græcæ & Latinæ linguæ ortus varietate, quam vel ignoravit prorsus, vel parùm observavit. Quanquam vera ejus expositionis elici possit sententia, etiamsi ab eo plenus & genuinus loci sensus non exprimatur. Præterea ipse [b] alibi tanquam de *Petro* accipiendum explicat, juxta celeberrima Ambrosii carmina, quibus Petrum cecinit *Petram* Ecclesiæ. Patres reliqui, qui *Petri confessioni petram* accommodant, personam Petri unà cogitant. Nam asserere, *Ecclesiam ædificatam esse super confessionem & fidem Petri*; re idem est, atque, *ædificatum esse super* Petrum *confitentem & credentem in Christum*, affirmare. Quamobrem, quùm alterum illud asserunt, indè hoc quoque simul inferunt.

RAINOLDVS. Augustinus certè, & Patres, nonnihil vobis debent, quorum verba (quanquàm non tam apposite opinionibus vestris responderint) tantâ cum humanitate à vobis pertractantur. Si Sadeeli & Mornæo tam faveretis, quæ ab iis de Petro scribuntur, veritati consonam sententiam obtinuerint. Quanquam si illi (majori doctrinæ ejus, quàm personæ, hoc est, Christi, quàm Petri Zelo abrepti) paulò minùs quàm par est, ipsi attribuissent: non tam illis vitio vertendum fuisset, qui non satis; quàm vobis, qui detis nimium, & majora multò, quàm oporteret, de Petro prædicetis. Nam verbi causâ, [c] Pater Robertus, princeps Jesuitarum (in Theologicis prælectionibus, quas circiter septem abhinc annos Romæ publicè habuerat) aggressus hanc controversiam de *fundamento Ecclesiæ*, sententiâ quadam Esaiæ nitebatur, quâ præstaret hoc Petrum esse; & *Petri sedem, sedem Romanam*. Quam in rem ut probationis suæ firmamentum iis verbis quæ Deus de Christo loquitur, muniret, [d] *Ecce ego fundamentum posui in Sione lapidē, lapidē probationis, angularē, pretiosum, fundationē fundatissimā*: affirmavit, *Esaiam in iis vaticinatum esse, non de Christo, sed de Petro, qui hæreticis lapis est offensionis, & petra scandali; Catholicis verò lapis probatus, pretiosus, angularis.* [e] Petrus Apostolus non de se ista, sed de Christo interpretatur: Pater Robertus ait non Christo, sed Petro convenire. Ut evehatur igitur per Petrum Papæ dignitas; Petrus ipse, immò Spiritus Sanctus, ab eo mendax fingitur. Blasphemi æstus isti vestrorum principum Professorum, qui plus Petro deferunt, quàm quod sine detrimento veritatis & honoris Dei filii deferri queat; possent movere pios suorum servorum spiritus, ut propendeant in contrarium: qui mos est agricolis tenellam virgulam, quæ in alteram partem est obliquior, correcturis, eam in adversam reflectere. Sed in Sadeelis, & Mornæi disputatione, *Ecclesiam nempe super confessionem, non personam ædificari*, nihil extra veritatis cancellos (si sententiam spectes) vel te judice, protenditur. S. enim Augustini expositioni assentiuntur, eamque sequuntur. * *illam* verò tute *veram sententiam habere* affirmas. Modum loquendi, quo Augustinus utitur, duriorem videri posse non inficior, qui verba Christi sic exponeret, ac si diceret, *Tu es Petrus, & super me*; non, *Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam.* Ce-

t In testimon. ex vet. Testa. de Trinitat. cont. Iudæos.
u De Trinit. lib. 4.
x In Matth. hom. 55.
y In Epist. ad Ephes. cap. 2.
z De Trinit. lib. 2. & 6.
a Princip. doctrin. lib 6. c. 3
b Retract. lib. 1. cap. 21.
c Reverendi Patris, Roberti Bellarmini, Prælectiones Romæ. Anno Domini, 1577. in præfat contro vers. de Summo Pontifice.
d Esai. 28. 16.
e 1. Pet. 2. v. 6. & 8.
* Expositio Augustini habet sententiã veram. Stapleton. lib. 6. c. 3.

terùm,ſi circumſtantiæ quæq; orationis ejus expendantur, non ſententiam ejus ſolùm veram eſse,ſed & rectum loquendi modum comperies. Nam, ut [f] ſcriptum eſt, *Deum præcepiſſe* Judæis,*ut offerrent ei holocauſta, & ſacrificia*; & tamen apud [g] Jeremiam negat *ſe præcepiſſe iis de holocauſtis & ſacrificiis*; non quàſi non præcepiſſet omnino hæc illis,ſed quia non eo modo, eâve ratione præciperet, quà ab illis ſunt uſurpata: ita,ut verum hoc ſit,Chriſti ad Petrum verba, hanc ſententiam inferre,*ſuper te ædificabo* Eccleſiam meam; tamen quia ipſe protulit Petri profeſsionis gratiâ & fidei(ejus nempe,[h] *Tu es Chriſtus filius Dei viventis*) non Petri perſonæ causâ (quâ illi nixi ſunt,qui profitebantur, [i] *Ego ſum Pauli, ego verò Apollo, ego Cephæ:*)ab Auguſtino ritè exponi poterant, uti exponuntur, Chriſtum Petro dixiſse; *Ego Eccleſiam meam non ſuper te,ſed ſuper me ædificabo.* In cujus concluſionis momento,reliqui antiquorum Patrum,qui de *Petri confeſſione* verba intelligunt, unanimi conſenſu dant manus S.Auguſtino. Neq; unquam valebitis, qui Petri confeſsionem cum Petro confitente commiſcetis,eorum conſenſum ſubornare. Planiſſimè enim hoc intelligunt & ediſſerunt: (1) alii de ipſo quem confeſſus eſt Petrus,hoc eſt,de *Chriſto filio Dei viventis*; (2) alii de *fide* Petri quâ Chriſtum cõfeſsus eſt,per quam ſcilicet fideles ſuper Chriſtum exſtruuntur. Atq; hęc eſt germaniſsima eorum ſententia, quùm dicunt, (in quo [k] veſtrates vaniſsimè triumphant)*Eccleſiam ſuper Petrum eſſe ædificatam.* Hilarius enim apertus eſt: qui quùm ei aſcriberet,[l] *titulum fundamenti Eccleſiæ*; aliàs de [m] fide ejus, aliàs de [n] Chriſto ipſo,quem fide complexus eſt,interpretatur. Sed concedatur, Petri perſonam Chriſtum reſpexiſſe,quùm promitteret ei,ſuper illum ſe Eccleſiam exſtructurum. Quid inde concluſeris?

Hartvs. Hoc ſcilicet,quùm Eccleſia fuerit exſtructa ſuper Petrum,& Eccleſiæ pars aliqua fuerint Apoſtoli; idcirco Apoſtolos ſuper eum exſtructos eſſe, itàq; illum eorum fundamentum fuiſſe. Ex quo rurſus conſequitur,& à me concluditur,quùm fundamentum ædificio reſpondeat,ut caput corpori; Petrum caput fuiſſe omnium Apoſtolorum. Quare,quod mihi propoſitum erat in hac diſputatione, obtineo.

Rainoldvs. Nec *fundamentum* ullum,neq; *caput* eſt huic concluſioni. Pari enim ratione concluſeris,quùm Eccleſia ſuper Petrum ædificata ſit, Petrus autem ipſe pars ſit Eccleſiæ; ergo ſuper ſemetipſum Petrum eſſe ædificatum, & ſui ipſius fundamentum eſſe. Et,quùm fundamentum reſpondeat ædificio, ut caput corpori; Petrum etiam Petri caput eſſe. Aut ſi non aſsequeris vel neceſſitatem, vel ineptias hujus conſequentiæ,ut de Petro inducitur; poſſis ſimillimam effingere de quoquam alio Apoſtolorum, & ſtatim tibi apparuerit. Nam Eccleſia Chriſti eſt *magna civitas*, illa *ſancta* Jeruſalem,cujus [o] *murus habebat fundamenta duodecim, in quibus duodecim nomina Apoſtolorum Agni.* Quando igitur Eccleſia exſtructa fuit ſuper unumquemq; illorum duodecim,ut verbi causâ,ſuper Jacobum;Petrus autem pars fuit Eccleſiæ: conſequitur ergo, Petrum ſuper Jacobum fuiſse ædificatum,ejuſq; fundamentum Jacobum eſse. Et,quùm fundamentum reſpondeat ædificio,ut caput corpori; rurſum conſequitur, Jacobum Petri caput eſse. Quod ſi tu inficias ſis iturus, id quoq; neges oportet, ex quo vi ſimilis rationis conſequitur. Quare non id obtines,quod tibi proponebatur.

Hartvs. Fingimus autem nos cogitatione noſtrâ, in hac ſtructura Eccleſiæ,& in fundamentis jaciundis,Chriſtum à ſe proximum locaſse Petrum,(ut fundamentum reliquorum) alioſq; deinde Apoſtolos ſuper Petrum poſuiſse.

Rainol. Profectò fingitis. Neq; cogitatis figmentum veſtrum à ſeipſo,

non

[f] Num.28.2.
[g] Ierem.7.22.
[h] Math.16.16.
[i] 1.Cor.1.12.
(1) Vt Gregor. Nyſſenus & Hilarius.
(2) Vt Ambroſius, Chryſoſtomus, & Cyrillus.
[k] Sanderus de viſib.Monarch Eccleſ.lib.7. Torrenſ.confeſ.Auguſt.l.1. cap.9.tit.2.
[l] Hilar.in Math.can. 16. *Felix Eccleſiæ fundamentum.*
[m] De Trinit. lib.6. Chriſtũ Dei filium non ſolùm nuncupare, ſed etiã credere; hæc fides Eccleſiæ fundamentum eſt.
[n] De Trinit. lib.2. *Vna hæc eſt felix fidei petra, Petri ore confeſſa, Tu es filius Dei vivi.*
[o] Revel.21.14.

non à veritate solùm refelli. Nam, si duodecim Agni Apostoli (super quos erexit suam Ecclesiam) tanquam duodecim fundamenta sint collocati, eo ordine, ut alter altero superior, Petrus autem infimus reliquis subjiceretur; tum ut Petrus undecim Apostolorum fundamentum exstitit, ita illi proximus decem ceteros fulcivit; qui autem à *Petro* tertius ponebatur, novem; similiterq; quisq; reliquorum, ut illi propior, donec qui extremo tandem loco situs, ab aliis sustentus, ipse neminem sustineret. Quod prorsus refragatur figmento & cogitationi vestræ, quâ solum *Petrum* caput ceteris præfinitis, reliquis æquale jus quoddam, paremq; dignitatem assignatis. Nec ullo modo consentaneum est proportioni illi structuræ, quam scriptura proposuit, quæ [p] *solius singularis fundamenti* prærogativam reservavit Christo; & Apostolos, ut priùs docui, pari honore [q] *duodecim fundamentorum* connexuit. Nam Christus in hoc ædificio tanquàm [*] *petra* est, petrosa, solida, firmaq; terra; super quam, cùm Apostoli, tùm tota Ecclesia ædificatur, ut [r] *Davidis civitas* super montem Sionis. Apostoli sunt tanquam lapides, duodecim maximè pretiosi lapides; qui conjunctim ad latera quasi mutua dispositi, omnes Christo innixi, tanquam *duodecim* sunt *fundamenta*: & parietes (ex selectis compacti lapidibus) super illos eriguntur, [*] donec universus superstruatur electorum numerus, & ædificio fastigium imponatur. Horum fundamentorum aliud ab alio gratiarum præstantiâ posset superari. Erat enim *fundamentum primum*, inquit [s] Johannes, *Jaspis*; *secundum, Sapphirus*; *tertium*, *Chalcedonius*; *quartum*, *Smaragdus*; itidemq; cetera. Aut (quoniam horum lapidum virtus mihi non est explorata) [t] lapides, quorum speciem & magnitudinem, discipuli in templo sunt admirati, fuerunt, (ut refert [u] Josephus) magnitudine *viginti quinq; cubitorum longi, octo alti, duodecim verò cubitorum lati*. Quemadmodum igitur in istis lapidibus, alius fuerit speciosior, meliúsve aliis edolatus; ita unus aliquis Apostolorũ Christi, Petrus nimirum, poterat sociis suis zelo, aut aliis dotibus antestare. Nisi Paulus fortasse (quod potius crediderim) quem Christus illis duodecim adjecit; & Petro, & reliquis Apostolis anteiret. [x] *Amplius enim quàm illi omnes, laboravit*; & quod [y] vos ipsi confitemini, *plures ad fidem convertit*. Sed neq; Paulus, neq; Petrus fundamenta reliquorum exstiterunt; omnes pariter conjuncta fundamenta erant Ecclesiæ, fulta Christo, solo, & singulari fundamento, ut propriè de fundamento loquamur. Quare, etsi Servator noster, Petrum affatus, *Tu es lapis, & super hunc lapidem Ecclesiam meam ædificabo*, eam super Petri personam se ædificaturum innuisset (quod præcipuè inservit commento vestro:) ex eo tamen suprematus aliquis Petri nunquam erigetur. Verùm, sine controversia (si commentum vestrum veritati potest cedere;) non de Petri persona, sed fide, ejusq; in fide prædicanda functione cogitabat. Sola enim & unica persona, quâ Ecclesia tota ut fundamento innititur (cujus vi & virtute sustinetur) *filius Dei* est, Servator noster *Jesus Christus*, extra quem [z] *nullum aliud fundamentum potest poni*; [a] *in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, ut sit templum sanctum Domino*. Quoniam autem illa in Dei filium fides, *vivos illos lapides* fabricetur, ex quibus ædificium coagmentatum & compactum est super Christum, quorum unum [b] Petrus sese esse [*] credendo, & illam fidem profitendo declarasset; significabat ei Christus, fuisse illum (nomine suo *lapidem*) req; ipsâ lapidem: quo etiam designato ad fidem illam prædicandam, unde plures super ædificium illud construerentur lapides; aiebat, *Super hunc lapidem ædificabo Ecclesiam meam*. Quibus verbis ut ostenderat, quicũq; mẽbra futuri essent Ecclesię suę, eos, ut membra sint, participes esse debere Petri fidei: ita pariter ostenderat per ministerium Petri eam fidem Ecclesiæ suæ se im-

pertitu-

[p] 1. Cor. 3. 11.
[q] Rev. 21. 14.
[*] Math. 7. 24.
[r] 2. Sam. 5. 9
[*] 2. Pet. 3. 9.
[s] Reve. 21. 19.
[t] Marc. 13. 1.
[u] Antiq. Iudai. lib. 15. cap. 14.
[x] 1. Cor. 15. 10
[y] Stapleton. princip. doctr. lib 6. cap. 12.
[z] 1. Cor. 3. 11.
[a] Ephes. 2. 21
[b] Math. 16. 16.
[*] *Tu es Christus, filius Dei viventis.*

pertiturum. Quod porrò ex iis liquet, quę subjicit, *Tibi dabo claves regni cœlorum.*

Hartus. Tamen hinc etiam perpetuò colligitur prærogativa, quam nos Petro assignamus. Quum enim Christus affirmaret, se *ædificaturum Ecclesiam suã super illum lapidem*, aut *petram illam* (ut ego interpretor,) illudq; necessariò sit fundamentum, super quod Ecclesia ædificatur: consequitur Petrum fuisse Ecclesiæ fundamentum; non præcipuum, fateor (hoc enim Christus solus, de quo verum illud, [c] *Fundamentum aliud neminem posse ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus*) sed (ut vocamus nos) ministeriale fundamentum. Quod ex proportione, quam habet fundamentum ad ædificium, simillimâ ejus, quam caput habet ad corpus; satis est argumenti, Christum voluisse Petrum Apostolorum caput constituere, caput, inquam, ministeriale.

[c] 1.Cor.3.11.

Rainoldus. Sed rursus hîc eò relaberis, ubi est à te erratum priùs; & quod Christi sententiâ Apostolis omnibus commune fuit, id, uni Petro ac si proprium esset, arripis. Sicut enim Petri de Christo confessio illorum communem fidem ex unius ore designavit: ita Christi uni data responsio, beneficium illud, quod esset futurum omnibus commune, complectebatur. Testes Sacræ Tabulæ, quæ Ephesiis (membris Ecclesiæ) narrant, [d] *ipsos superstructos esse super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Non *unius Petri*, sed, *Apostolorum*, qui idem omnes cum Petro fundamẽtum jecerunt: indeq; omnes [e] *fundamenta* dicuntur. Ecclesia porrò illorum innixa doctrinâ, hoc est, fide Christianâ (unico illo, firmoq; Ecclesiæ fundamento, quod ex [f] vestro quoq; ore testimonium expressit veritas) jure dici potest super illos ædificari; non minùs super omnes, quàm super Petrum. Ex proportione igitur (in qua tantùm hæres) fundamenti ad ædificium, & ad corpus capitis; ut Christus unicum caput est, ita unicum Ecclesiæ *fundamentum* est: ut nomen *fundamenti* duodecim Apostolis tribuitur; ita ex *duodecim* fundamentis illis *capita* esse *duodecim* evincitur. Quare suprematui Petri in Apostolos, aliud tibi, quo fulciatur, fundamentum est exquirendum. Neq; enim nomen *lapidis*, quod est à Christo ei inditum, neq; verba illa de *Ecclesiâ suâ super illum lapidem ædificandâ*, probant promisisse Christum Petro, eum se facturum caput Apostolorum.

[d] Ephes.2.20.
[e] Rev.21.14.
[f] In Concilio Tridentino, quod (Sess.3.) de articulis Christianæ fidei verba faciens (qui vulgò Symbolum fidei dicuntur) ait, fundamẽtum firmum & unicum esse, contra quod portæ inferi nunquam prę valebunt.

SECTIO SECUNDA.

Hartus. Non tibi fortassis, mihi quidem certè probant. nec minùs pars altera promissi quod ei Christus fecit, [a] *Tibi dabo claves regni cœlorum.* * Nomine enim *clavium*, innuitur Ecclesiasticæ potestatis plenitudo. Sed illi plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis concedere, est caput eum facere: Caput ergo Ecclesiæ eũ se facturum promisit.

Rainold. Non majora in domo ipsâ *claves* istæ reserabunt, quàm quæ fundamentum jecerat in ædificio. Si enim per *plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis* legitimam accipias potestatem Apostolatûs, quâ haud amplior unquam Ecclesiæ ministris est concessa; eâ Christus tûm Petrum, tûm quemq; Apostolorum donabat. Sin eam potestatem per *plenitudinem potestatis* velis, [b] quam sibi Papa vendicat, [c] *summam potestatem*, non spiritualem modò, sed etiam temporalem: eâ verò nunquam, vel Petrum, vel quenquam Apostolorum Christus dignabatur. Primo igitur sensu fuerint omnes capita; secundo nulli: neutro autem suprematus vester stabilitur. Quicquid demum judicâris hanc plenitudinem esse potestatis; clarissimum hoc, certissimúmq; est, Servatorem non majorem potestatem Petro promisisse, quàm & voluerit, & præstiterit cunctis Apostolis. Quicquid igitur illi promiserit, in illo ceteris adpromisit. Ut enim in illis, quùm omnes interrogarẽtur, [d] *Vos quẽ me dicitis esse*; Petrus solus respondit, [e] *Tu es Christus ille filius Dei viventis*: ita illi soli Christus dixit, [f] *Tibi dabo claves regni cælorũ*; quasi solus ligandi,

[a] Math.16.19.
* Stapleton. princip doctr. lib.6. cap 1.
[b] Bulla Pii Quinti cõtra Reginam Angliæ.
[c] Sixtus Quartus. Sacrar. cerem. Eccles. Rom. lib.1. Sect.7 tit de Ente. Potestas summa temporalis (à Christo) Pontifici, ejus in terris vicario, collata est juxta illud, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.*
[d] *Math.* 16. v. 15.
[e] Vers.16.
[f] Ver 19.

ſolvendiq; poteſtatem recepiſſet: quùm potiùs unus reliquorum omnium vice reſponſum daret,& hanc cum illis omnibus communem poteſtatem, unus obtineret. Quùm igitur nihil aliud promiſſum ſit, quàm conceſſum; conceſſa verò ſit æqualis cunctis Apoſtolis poteſtas: promiſſo iſto ſuprematus veſter non ſtabilitur. Quare, aut magis ratæ tibi tabulæ proferendæ ſunt, aut jus veſtrum omne planè irritum comparebit.

HARTUS. Tabulæ ratæ ſunt, & pondus habent: aſſerunt enim planiſſimis, diſertiſſimiſq; verbis, *Chriſtum Petro daturum claves*. Quo quid dici poſſet evidentiùs?

RAINOL. Ita videtur primâ ſpecie forſan ſimplicibus. Præſertim, quùm res illis ante oculos iis coloribus, pigmentiſq; exornata obverſetur, quibus Romanũ illud volumen decoratur: * ubi Chriſtus expictus eſt, non quaſi promitteret Petro, ei claves ſe daturum; ſed quaſi illo articulo temporis eas illi in manus traderet; & illi ſoli, non ceteris Apoſtolis traderet, adſcriptis ſimul Chriſti verbis, & paraphraſi elegantulâ, à Poëta, neſcio quo, expolitis:

Paſtorum princeps eſto, tibi jus datur uni,
Claudere cæleſtes & reſerare fores.

* In quodam picturarum libello, inſcripto; *Non recedas volumen legis hujus ab ore tuo*, *Romæ excuſo*, 1577.

HARTUS. Immò verba ipſa, (ut in divinis chartis deſcribuntur) ſpecie videntur nobis potiùs favere, quàm vobis. Quod etiam non eſt difficile ex aliis quæſtionibus colligere, de quibus inter nos controverſatur. Videlicet ex reali præſentia, [g] *Hoc eſt corpus meum*. Non enim aiebat Chriſtus, Hoc ſignum eſt corporis mei. Rurſus, [h] *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*. Non dixit, tantùm ſignum eſt carnis meæ.

[g] Math. 26. 26.
[h] Ioh. 6. 51.

RAINOLDUS. Neq; nos verò hanc ſententiam Chriſti eſſe affirmamus, in his *carnis* & *panis* vocabulis. Docemus enim, [i] *verum panem illum*, [k] *panem Dei qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo*, [l] *Chriſtum* eſſe; [m] etiam *carnem*, ipſam *Chriſti carnem*, id eſt, Chriſtum incarnatum. Quo ſunt iniquiores nobis, [n] qui nos non de re, ſed de ſigno accipere criminantur; quùm ipſi interea veriſſimè hujus criminis judicentur rei, qui illud de ſacramento Chriſti exponunt, quod de Chriſto ipſo intelligitur, [o] *Sermone illo qui factus eſt caro*. Quid autem, ſi in illo altero loco, variiſq; aliis, ſpecie vobis magis Scriptura, quàm nobis faverit? Non ex ſpecie, ſed ſenſu verborum elicitur veritas, & controverſiæ deciduntur. Verba enim ad ſenſum, & animum loquentis aperiendum ſunt comparata. Senſus divini verbi perpetuò verus eſt: quùm Deus, qui hoc loqutus eſt, [p] *verax* ſit, & [q] *mentiri nequeat*: Species quandoq; falſa eſt, & fallax; ut ſunt [r] *homines*, quorum ex judicio ſpecies iſta pendet: & illis quidem id loqui videatur, quod à ſenſu divino ſit alienius. Quamobrem, non ſpeciem, ſed ſenſum; ſententiam, non ſonum verborum Scripturæ, pro vobis facere, probes oportet, (in controverſis cauſis) ſi quicquam ſaltem probare cupias.

[i] Ioh. 6. v. 32.
[k] v. 33.
[l] v. 35. & 48
[m] v. 51.
[n] Alanus de ſacramento Euchariſt, cap 22. Cenſuræ Defenſor in reſponſ. ad præfat. Charci, pag. 27.
[o] Ioh. 1. 14.
[p] Ioh. 3. 33.
[q] Tit. 1. 2.
[r] Rom 3 4.

HART. Quid? Das igitur verborum Scripturę ſpeciem, non ſententiam, pro nobis magis, quàm pro vobis facere? Non eſt tibi tutum, ut hoc in vulgus exeat.

RAINOLDUS. Quid? non verborum Scripturę ſpeciem, etſi non ſententiam aliquando pro vobis magis, quàm pro nobis facere? Vel maximè. Etiam pro Anabaptiſtis quoq;, [f] *Chriſtianis omnia eſſe communia*. Etiam pro [t] Papa Clemente facere, *Uxores eſſe debere communes*: quoniã in [*omnibus*] *ſunt ſine dubio & conjuges*. Atq; ita abeſt, ut ego verear, ne hoc in vulgus exeat, ut vel in eo ipſo exemplo, quod (ut vobis commodiſſimum) commemoras, concedam verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, ſpecie favere magis, etiamſi non monſtro veſtro Tranſubſtantiatio-

[f] Act. 4. 32.
[t] Quemadmodum verba ejus in jure canonico deſcribuntur, c. Dilectiſſimis, 12. q. 1.

nis

nis, tamen reali vestræ præsentiæ; quàm sacramentali illi, quam nos tuemur. Ita tamen, ut idem similiter concedam de aliis sacramentalibus & mysticis loquutionibus: in quibus Scriptura rei nomen rei signo tribuit, ut [u] *Pascha*, *Agno*; & [x] *petra*, Christo. Non enim, opinor, ex ista specie, aut Christum *petram* realiter fuisse, aut *Agnum* fuisse *Pascha* realiter, concluseris.

u Matt.26.17. Exod.12.11.& 27.
x 1.Cor.10.4. *Petra verò erat Christus.*

HART. Nō sunt istę loquutiones affines illi de Christi corpore in sacramento Eucharistiæ. Perspicuū enim est, quū Agnus diceretur *Pascha*, & Christus *petra*, acceptum hoc fuisse, non reali, sed figuratâ significatione, tûm de Christo ut *petra*, tûm de agno, ut *Pascha*. In illo verò de Christi corpore sermone non est manifestum.

RAINOLDVS. Sit manifestum, necnè, non ambigitur: sed, an loquutiones ipsæ verborum specie sint simillimæ, *Petra fuit Christus, Hoc est corpus meum*. Aut, ut propiùs accedamus ad exemplum tuum, & ejus rei documentum: Christus de seipso asseverat, [y] se *panem verum* esse; &, [z] *Caro mea verè est cibus, &, Sanguis meus verè est potus. Verum*, & *verè*; dictiones istæ magis evidentes sunt pro reali præsentiâ, quàm illud de Christi corpore. Si tu hinc tamen asseras Christum esse panem realiter, & carnem ejus esse cibum, & sanguinem ejus esse potum; licebit tibi eodem jure asserere, [a] *vitem* esse eum realiter, discipulos ejus [b] *palmites* realiter, aliásq; reales hisce simillimas, sive blasphemias, sive ineptias.

y Ioh.6.v.32.
z v.55.
a Joh.15.ver.1.
b ver.5.

HARTVS. Atqui fatemur multa in Scripturis tropologicè dicta, intellectaq; esse: sed nec omnia, nec hoc ipsum de sacramento, nec quicquam aliud, cujus germanus, & peculiaris sensus, non aliquid oppositum Deo, religioni, & Christianæ vitæ, contineat. Quod quidem [c] Alanus ait [d] S. Augustinum docere. Ex quo [e] Patre simul egregiam planè sententiam de tui simillimis refert; *Si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quicquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.*

c Alan. de sacramento Eucharist.cap.22
d De Genes. ad lit.lib.8.c.2 De Doctr. Christ.lib.3. cap.15.
e Cap.10.
f Cap.16.

RAINOLDVS. Bona sanè illa sententia, ut à S. Augustino profertur, sed perperam ab Alano in nos torquetur. Eóq; magis, quòd S. Augustinus continuò in eodem [f] libro de re eâdem doceat; manducare carnem Christi, & sanguinem bibere, *non propriè dictum esse (hoc enim flagitium videretur) sed figuratè*. Quod prorsus errori illi de reali præsentiâ reclamat, quam tamen probare Augustinum Alanus comminiscitur. Sed quomodocunq; ab Alano in eo actum fuerit; illud (quod tu cum eo mihi assentiris) mihi satis est ad ejus, quod assertum est, confirmationē. Si enim multa in Scripturis tropologicè dicta, & intellecta sint; inde efficitur esse sensum Scripturæ variis locis à verborum specie abhorrentem, ideóq; verborum speciem sæpiùs veritati repugnare. Quod quum nequeas in hoc sacramento dispicere, præjudicio quodam, quod de reali præsentiâ dudum feceras, obfirmatus; producam in medium, exemplum de baptismi sacramento, ubi nequeas quin dispicias. Exstiterunt [g] nonnulli priscis temporibus, qui, ut nos infantulos dum baptizamus, aquis aspergimus; sic illi imprimere iis, atq; igni inurere notas quasdam consueverunt. Cui consuetudini suæ Scripturas subsidio quæsiverunt, (verba, inquam, Scripturæ) illa nimirum Johannis Baptistæ; [h] qui de seipso asserens, *Ego baptizo vos aquâ*, subjicit de Servatore nostro, *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni*. In hac igitur re, te arbitro, & disceptatore utar, ut statuas qui tandem probandi magis; illi qui infantes igni, an nos, qui aquâ, non igni baptizamus.

g Seleucus, & Hermias galatæ. Philastr. in catalo. heresε.
h Luc.3.16.

HART. Quis de eo dubitet, quin nos magis? Fallebantur enim illi, qui in illis verbis, nomen *ignis* propriè acceperunt: quùm figurata phrasis sit, ad gratias Spiritûs sancti significandas usurpata; qui illuminat, perpurgátq; corda fidelium. Qui eo modo baptizarunt, hæretici fuerunt, ut [i] Alphonsus docet.

i Alphonsus à Castro, adver. hæres. lib.3.

RAINOLDVS. Atqui species verborum magis illis favet: *Johannes baptizavit aquâ, Christus baptizat igni.* Hîc verò ne effugium quidem illud tibi superest (quod si adesset, esset tamen ad rem nihil) perspicuum nempe esse, sensum loci non propriũ, sed figuratum esse.[k] Complures enim Ecclesiæ, & nationes, istis jam multis seculis ritum eum religiosè observârunt, & etiamnum observant; inductę omnes verborũ specie, ac si manifestum esset illarum judicio, proprium, non figuratum verborum sensum esse. Neq; ita latè propagastis vos realem præsentiam in altero sacramento, illis freti vocabulis; *Hoc est corpus meum:* atq; ipsi ignitas suas notas in altero disseminârunt, muniti illis; *Spiritu S. & igni.* Quare (ut revertamur ad id quod caput est) etiamsi verborum specie tenus videatur Servator promisisse soli Petro claves regni Cœlorum: quoniam tamen sententia ipsa Christi voluerit eas Petro cũ cunctis Apostolis cõmunes (ut à me priùs monstratum est;) nuda species tua vendicatio est futura, si præ te nullum, præter verborum speciem, causæ tuæ robur feras. Quod dixeram igitur, idem rursus dico; vel esse magis ratas tibi tabulas proferendas, vel jus vestrum irritum planè futurum esse.

k Paul. Venet. de regionibus Orientalibus lib. 3. cap. 43. Mat. Paris. in Henrico. 3. Petrus Bizar in histor. rerum Persicarum. li. 10.

HARTVS. Et ego vicissim narro tibi, tabulas ratas esse; nec sola verborum specie, sed sensu quoq;, si rectè interpretaris, firmari. Nos autem non te patronum nobis, qui interpreteris illas, adoptamus.

R. Nec ego à vobis adoptari tam valde cupio. Quid autem est, quod in interpretatione mea tibi non arrideat?

H. Illud certè, quod me detinebit, quò minùs assensu meo eã cõprobẽ. Est enim interpretatio tua privata, quã nos non audimus. Ecclesiæ solius expositioni stamus.

RAINOLDVS. Patronam igitur tuam, Ecclesiam futuram video. Et quæ, quæso, est Ecclesiæ expositio?

HARTVS.* Quam Patres omnes unanimi consensu statuunt.

* Stapleton. princip. doctr. lib. 7. cap. 13. & lib. 11, ca. 5.

R. Quam omnes Patres statuunt? Nobis verò opus est corporibus, quę cum quercubus æquentur robore, & memoriis duri chalybis firmitudinem referentibus: ut valeamus legere, & cujusq; expositionis tantum certò reminisci, quantum ratum nobis faciat, eam ab omnibus Patribus constitutam esse. Num quisquam mortalium eos omnes evolvit? aut etiam universi? an verò proferre poterunt? an acquirere? propè dixeram, an nominare?

HARTVS. Nos de iis Patribus hoc censemus, qui exstãt passim, & qui tùm parari possunt, tùm legi. Si complures eorum id statuerint, ceteriq; aut nihil contradicant, aut omnino de eo nihil dicant; id verò esse omnium unanimi consensu statutum ratiocinamur.

RAINOLD. Perperam sanè à vobis illa ratio subducta est. Nam, ut in scriptis Patrũ eorum qui nobis suppetunt, unus aliquis locos Scripturarum frequẽter secus explicat, ac omnes reliqui, ([t] confessa res est, & manifesta.) ita verisimile est in iis qui nobis desunt, quosdam locos aliter expositos fuisse, quàm in iis exponuntur, qui supersunt. Non negabo tamen, aliqua ratione ductum sic te ratiocinari. Alioquin obmutuisset patrona tua, nec verbum quidem pro cliente suo valuisset proloqui. Sed si ista est regula vestra, quã de Ecclesię expositione præscribitis: meã quidẽ expositionẽ, Ecclesię fuisse, nullo negotio probassẽ; si mihi tãtopere infarcire Patrũ nomina placuisset. Verba enim quę de Petro attulerã, *Solũ eũ pro cũctis Apostolis respõsũ dedisse, et unà cũ illis cũctis claves recepisse,* [u] S. Augustini sunt, etsi de nomine ejus reticerẽ.[x] Ambrosius quoq; de promisso illo Christi, *Ego dabo tibi claves regni Cœlorũ,* & quę deinceps sequũtur, ait; *quod Petro dictũ est, dictũ quoq; esse Apostolis.* Affirmat [y] Hieron: *firmitudinẽ Ecclesiæ ex æquo super omnes Apostolos solidari, eósq;*

t Sixtus Senensis Bibliot. Sanct. l. 5. & 6. Aloys. Lippoman. caten. in Gen. & Exod.

u In Iohannẽ, tract. 118.
x In psal 38.
y Adversus Iovin. lib. 1.

[z] In Matth. tract.1.
[a] De Trin.l.6.

omnes claves accepisse.Scribit [z] Origenes,*Christi promissum illud ædificandi Ecclesiam, claves dandi,ligandi,solvendiq́,quod soli Petro factũ est,fuisse omnibus cõmune.*[a] Hilarius item asserit,*per fidei suæ dignitatem obtinuisse ipsos claves regni Cælorum, & ligandi solvendiq́ in Cælis,& in terris potestatem.* Atq; persuadeo mihi equidem,non minus alios Patrum,horum verborum sententiã enodãtes,dixisse.Sed sic,an secus dixerint,non est nobis istis tramitibus insistendũ, si velimus nosmet viæ rectæ cõmittere.Neq; enim sperandus nobis fuerit ullus laborũ nostrorũ exitus, expositionibus tã multis,tã sibi contrariis cursum interrumpentibus: & deficeremus animis enecti siti,dũ ferverent omnia,& exarescerent,aquas in deserta solitudine exquirentes,ut olim * cœtus cõmeantium Tema:&(quod est longè deterrimũ)à purissima veritatis lympha nonnunquam discederemus ,& ejus loco aquas potaremus inquinatas.Nam quantumvis Patres à Deo egregiis dotibus imbuti fuerint, nec mediocrem lucem ad intelligendas Scripturas attulerint ; tamen possunt homines,nostri seculi eruditi veram rectámq; sententiam multorum locorum expromere ; quam Patres non assequuti sunt, etiam quam Patrum fortasse consensus aversatur.

* Iob.6.19.

[b] Sessione 4.

HARTVS. Damnantur à [b] Synodo Tridentina qui sic loquuntur.

RAINOLDVS. Loquuntur sic tamen,qui eruditione nulli cedunt eorum, qui in illa Synodo convenerunt.Faciunt etiam.

HARTVS. Qui tandem?Calvinus & Beza?

[c] Retract.li.2. Cap.18.

RAIN. Equidem eruditionem illorum non minoris æstimo . Et,si quid est in me judicii,haud à me iniquè in eo judicatur.Sed tu de iis fer,ut lubet,sententiam.[c] S. Augustinus S.Cyprianum imitatus in quodam Scripturæ loco explicando , in aliam postea ejusdem loci in Tyconio Donatista expositionem incidit;quã,quoniã putabat veriorem esse,illi Cypriani anteponebat.Cognoscas hinc licet, te,etiamsi non meliorem de Calvino & Beza,quàm S.Augustinus de Donatistis, conciperes opinionem;velle tamen,si S.Augustini animum indueres,potiùs sensum ab illis datum quandoq; amplecti,quàm qui ab antiquis,& piis Patribus cõmendatur. Nihilominus non illos cogitâram, quùm doctorum hominum mentionem facerem.Nam quem in finem deniq;?quùm non sim nescius,quàm à te parvi æstimentur.Vestros cogitabam,qui sic loquuntur,adeóq; faciunt.

[d] In præfat. comment. in libros Mosis.

HARTVS. Quid?Adversus Synodum Tridentinam?Qui sunt?

RAINOLDVS. Primus,flos ille Cardinalium vestrorum, [d] Cardinalis Caietanus; qui aggressus Scripturarum expositionem, hoc tanquam principium posuit:*Deũ non alligasse expositionem Scripturarum Patrum sententiis.*Quare,si incidat in *novũ aliquem sensum textui consonum, quamvis à torrente Doctorum sacrorum sit alienus,* lectori consulit,ne eum respuat.

[e] Locor.Theolog.l.7.ca.3.

HARTVS. At flos Episcoporum nostrorum,[e] Melchior Canus Episcopus, Cardinalem de ista tam inconsulta sententia improbat,eámq; erroris arguit ; etiam ut communem hæreticorum,& schismaticorum sententiam reprehendit.

[f] Defens.fid. Trid.lib.2.

R. At flos Doctorum vestorũ,[f] Payva Andradius hanc Episcopi vestri reprehẽsionẽ redarguit,ut inconsultiorem : immò patrociniũ Caietani,adversus eã,ut cõvitium & calũniam,suscipit.Ostendit primò,*Patres multis in locis Scripturas nõ exponere secundùm literalem sensum*, (*qui solus suppeditat argumenta ad religionis dogmata confirmanda* ;) *sed allegoricè, & moraliter. Posset quivis impunè eorum allegoriis dimissis, simplicem ac literæ germanam explicationem requirere*. Deinde docet, *Patres , dum quisq; eorum veros Scripturæ sensus inquirit,non semper tamen invenire; sed valde ab aliis diversos, atq; dissimiles reddidisse. Integrum est*

nobis, omnibus illis prætermissis, sensum alium veteribus etiam dissimilem afferre. Præterea, ut rem exemplis demonstraret, *sensum variorum locorum ipse dissimilem reddit Patrum sententiis:* quod satis firmis rationibus ait se adductum facere. Rursus, præcipuorum Patrum sententiis confirmat, *eos in Scripturis explicandis divina responsa non edidisse*, sed in iis falli potuisse. Narrat præterea, *lapsus ejus versionis cui addicti fuerunt, cogere eos sæpe, ut ab ipsa Spiritûs sancti sententia aberrent.* Addit postremò, *necesse esse, ut fateamur, nisi præclarissimis ingeniis ingrati esse volumus, plurima in Mose & Prophetis, esse nostro hoc ævo doctorum hominum diligentiâ, multo accuratiùs quàm usquam antea explicata.* Hinc concludit deniq;, *Spiritum cœlestem voluisse, qui unicus est Scripturarum fidúsq; interpres, quædam habere explorata posteritatem, quæ majores omnino latuerant; atq; occultâ nobis, illi verò satis perspectâ ratione effecisse, ut ex plurimis Scripturæ locis veteres mysteria haurirent augendæ pietati, informandísq; moribus aptissima; posteritas verò genuinum ac proprium eorundem sensum assequeretur.* Istud paucis judicium est Andradii, quod ille pluribus persequitur in patrocinio Cardinalis Caietani contra calumniatores; qui illud in eo sunt cavillati, quòd diceret, *Licere contra torrentem antiquorum Patrum sacram Scripturam interpretari.*

HARTUS. Non sum ego sollicitus de Andradii, aut Caietani, aut cujusquam alius privati hominis judicio; non, si eorum centum posses proferre. Fides mea illis non nititur.

RAINOLDUS. Etsi de illorum judiciis non sis sollicitus; de rationibus quidem eorum securus esse non debes. Quarum lux tanta est, ut nisi quis prorsus amiserit oculos, non possit non veritatem earum, & splendorem cernere. Neq; à te, tam parvi illorum judicia sunt facienda, præsertim Andradii. Si feceris, vide, ne tanti viri despectionis pretio vobis interitus, exitiúmq; procuretur. Concilium enim Tridentinum, [n] flos delibatus coronæ vestræ, & primaria vestræ fidei columna, quid tandem aliud est, quàm consensus paucorum Andradii similium, immo fortassis nullorum, qui cum eo sunt conferendi? Loquantur hoc [l] Itali, qui *hominis dona sunt admirati.* Nunquam sunt illi tam parum amantes sui, ut admirari velint vulgaria in alienis. Indicium Andradii excellentiæ magnum est fides Tridentina, cujus causæ justissimè insimulatæ à Chemnicio, (qui *examinavit Spiritum Concilii*, & *erroris esse Spiritum probavit*) nemo ullius nominis defensor præter Andradium accessit. Nam (a) Tiletanus nugator est, cui Andradium infinitis partibus antefero: neq; unquam sunt comparandi. Verùm, sint autores, unà cum rationibus suis, nullius ponderis argumenta: & Patribus unanimi consensu Scripturas exponentibus, standum esse fingamus. Quid verò si Patres in loco aliquo interpretando, ut sæpissimè solent, dissentiant? Cujusnam expositioni adhærebimus?

[n] Campian. rat. 4. *Quæ medulla Theologorum?*
[l] Osor. epist. præfixa Andr. Defens. fid. Trident.
[a] Iudoc. Ravesteyn. Tilet. defen. decret. Concil. Trid.

HARTUS. Si unus quispiam cum reliquis omnibus dissideat, reliqui sunt audiendi, ille respuatur; ut Stapletoni exemplo in S. Augustino [d] modò docui.

[d] Cap. 2. Sect. 1.

RAINOLDUS. Erat in eo S. Augustinus vobis adversarius. Sin ille vobis amicior sit, licet solus sit, omnes deseretis, & illum sequemini. Cujus rei singulare documentũ præbetis in illa vestra divini Decalogi partitione. Nam secundũ præceptum illud, adversus cultum idolorum; *Non incurvabis te iis, neq; coles ea*; quia verba acuta sunt, & ipsa præcordia Ecclesiæ vestræ incidunt, cujus spiritualia stupra & adulteria Jezabelis adulteria superant, eorúmq; lupanaria sunt templa vestra universa: ea de causa in [f] precum publicarum libellis, & [g] catechismis omittitis; &, ut damnum resarciatur, ne ex eo tantùm novem nobis

[f] Offic. B. Mar. Virg. reform. à Pio Quinto.
[g] Catechismus Vauxi Anglicè, & Ledesimæ Italicè.

præcepta superessent, decimum in duas partes discinditis. Atq; hac in re omnia defertis S.[h] Augustino: nihili sunt Patres præterea universi. Tamen ceteri germanum quasi literæ sensum tradunt: S. Augustinus quiddam mysterii subesse divinabat, ut *trium* præceptorum de *Deo* numerus *Trinitatem* denotaret. Ita unius Patris judicium prætexitis adversus omnes reliquos; & de secundo præcepto populum celatis, ne vestra turpis idololatria, vel [i] *imaginum dulia*, ut emollitis, simul ac illud inaudiretur, in odium populi atq; offensionem paulatim incurreret. Nam revera, utcunq; de Patribus garritis, ut populo fucum faciatis; eos non aliter, quàm suos solent mercatores calculos, usurpatis. Aliquando vobis denariorum sunt loco, aliquando librarum, ut ad manum quosq; proximè habetis ad rationes vestras conficiendas.

HARTUS. Cur tandem? Arbitraris neminem, extra unum B. Augustinum, præcepta divina ita divisisse?

RAINOLD. Neminem alium à [k] *Scholasticis* vestris nominatum comperio.

HARTUS. Potes autem. Nam à Patre Roberto in [l] Dictatis suis in D. Thomam, Clemens Alexandrinus quoq; commemoratur.

RAINOLDUS. Parum debet Clemens Patri Roberto hoc nomine. Neq; illi existimationis, neq; tibi inde compendii alicujus fiet accessio. Nam [m] Clemens, etsi nō annumeret plura *tribus* præceptis, quibus officium nostrum erga Deum præscribitur: tamen neq; plura quàm *sex* de officio nostro erga homines recitat; & ex decimo unum constituit, quod vos in duo secatis. Ita omisso secundo præcepto, tanquam parte annexâ primo, Clemens tantùm *novem* invenerat, quùm *decē* [n] Scripturę recenseant. Quare aut Clemens causam vestram nihil juvat; aut saltem nō vestram magis, quàm nostram.

HARTUS. Immo nostrā magis. Nā posterior locus illorū sex pręceptorū, in quo vobis Clemens consulit, depravatus est; prior verò, quo noster est, integer est.

RAIN. Omnino. Nam [o] Pater Robertus dicit. Et ille tibi, credo, [*] Pythagoras. Argumentum solum est, *Ipse dixit*. Quid enim aliud habes, cur posterior locus (si Clemens depravatus est) depravari potiùs censeretur, quàm prior? Hoc artificium tirones Dialecticorum *Oxoniæ* in *Parvisiis* consueverunt exercere; ut dicerent, locū Aristotelis corruptum esse, quùm nodum dissolvere non valerent. Latinus sanè vester vel interpres, vel typographus, locum præcipuū Clementis [p] corrupit, in quo adversum vos nobis astipulatur. Quod non ut Pater Robertus, meis nudis verbis, sine ratione assero; verùm scopus ipse, & series Clementini tractatûs, & [q] Græcum exemplar cum eo planè consentiens, rem ita esse evincunt. Illa verò horū repugnantia, quæ in germano Clementis exemplari appâret, non ex alterutro loco corrupto orta videtur, sed ex Clementis aliqua incogitantia, & lapsu memoriæ; dum in digressionem quandam, à proposita oratione dilabebatur, præcepto illo diem septimum sanctificandi abductus. Quod eo magis est veritati consentaneū, quoniam aliquis ab [r] Origine perstringitur, propter istiusmodi præceptorum divisionem; neq; ante Clementē quisquam nobis qui sic divisit, occurrit: quem Origenes etiam magistrum habuit. Quod ipse Pater Robertus quoq; observavit. Quare non est ullum expectandum à Clemente subsidium: B. Augustino soli standum est, & unus adversus omnes amplectendus.

HARTUS. Sunt sine dubio alii quoq; in eadem sententia positi; etsi quinam sint, à me nesciatur. [s] Torrensis enim, doctus Jesuita, ait hanc Decalogi divisionem, ut priora tria pręcepta, officiū nostrū erga Deū; & septem reliqua, officiū erga homines comprehendant; *Caput esse doctrinæ valde usitatum & familiare tùm*

[h] Quæst 71. in Exod.
[i] Sand. tract de imagin. c. 8.
[k] Magist. sent. lib. 3. dist. 37. Thom. Aquin. in 1. 2. q. 100. art. 4
[l] In quæst. 100 conclus. 4
[m] Strom. lib. 6
[n] Exod. 34. 28
[o] Dict. in sum. Tho Aquin. quæst. 100. conclus. 4
[*] Αὐτὸς ἔφα. Diog. Laert. in Pythagora.
[p] Scribens *doctrina pro decima*.
[q] *Δέκατον ὁ περὶ τῶν ἐπιθυμιῶν ἁπασῶν λόγος.*
[r] In Exod. homil. 8.
[s] In conf. Aug lib. 2. c. 6 tit. 5.

B. *Augustino, tùm antiquitati omni.* Unde cernas licet non unius Augustini esse hoc judicium.)

RAINOLDUS. Nequaquam: illud ego non cerno. Aliud quiddam cerno, quod ut tu etiam cernas, consentaneum est.

HARTUS. Quid illud quæso?

RAINOLDUS. Cerno minimè pudere Jesuitam vanitatis, & mendacii, dum ob rē: ut [t] homo nequam in poeta profitetur. Quùm enim præcepta, quæ officium nostrum erga Deum docent, quatuor esse (& in iis, illud de imaginibus unum) observârint principes autores, & testes *antiquitatis*: in Hebræis, [u] Philo, & [x] Josephus, quos nunquam ab ea sententia destitisse illorū [y] posteri indicant; in Græcis, [z] Gregorius Naziãzenus, [a] Origines, [b] Athanasius, [c] Chrysostomus, aut quisquis ille autor fuit imperfecti in Matthęū operis; in Latinis deniq;, [d] Ambrosius, [e] Hieronymus, & utrisq; antiquior, [f] *Autor quæstionū veteris, et novi Testamēti:* Jesuita tamen iste, quasi os suum tanquam meretrix perfricuisset, non erubescit dicere, *antiquitatem, omnem antiquitatem*, contrarium affirmare.

HARTUS. Gravem nimis de Torrensi habes opinionem. Non enim possum in animum inducere, *omnem antiquitatem* illum præ se ferre voluisse, nisi compertum habuisset, si non omnium, at plurimorum eam sententiam esse.

RAIN. Tu verò de Torrensi opinionē nimis facilē accepisti. Nō possū credere, neminē illū voluisse ex *omni antiquitate* producere, si quenquā verè ejus sentētiæ fuisse cognovisset. Quùm præsertim ita ambitiosus sit in Patribus cōmemorandis, si quādo causæ suæ adsint, ut ad stabiliendam *Ecclesiæ* super *Petrū ædificationē*, [g] locos quadraginta octo plus minùs è Doctoribus & Cōciliis describat; ut taceam alios scriptores, *quos ait se præterire.* Verùm, fac unū aliquē esse, aut duos, aut verò tres, aut etiā quatuor, (qui adhuc Jesuitis vestris nō innotuerunt,) qui S. Augustino in hac causa assentiuntur. Si ex Patribus pauciores in aliquo Scripturę loco exponēdo repugnant pluribus: quibus tum adhęrebimus? paucioribus? an pluribus?

HARTUS. * Pluribus. Pauci enim faciliùs, quàm plures, decipiantur.

RAINOLDUS. Remittatis igitur nuntium oportet *Scholasticis* vestris, & ad nos in Decalogi divisione accedatis: ut interim condonemus vobis Clementē (quē Pater Robertus citat) & vnà cum eo tria vel quatuor suffragia concedamus. Quamvis à me nequeas urgeri eò, nisi certis magis rationibus adducare: quoniam hæc via valde lubrica est, & incerta norma, ex cujus præscripto vestigia nostra dirigamus. Majorem enim partem aliquando Patrum, Scripturarū deteriorem sensum, quàm minorem tradere, patet ex controversia inter [h] Augustinum, & [i] Hieronymum, de Petro à Paulo reprehenso, orta: An scilicet eum seriò Paulus, ut dignum reprehensione increparet; aut simularet rem totam, & *officiosum mendacium* componeret, quod appellat Hieronymus *honestam dispensationem.* [k] Ipsi enim fatemini, Augustini judicium sanius ac verius fuisse, qui Paulum eum seriò increpasse sentiebat: quàm Hieronymi, qui eum putabat simulasse. Tamen Patres plures opinionis suæ fautores recitabat Hieronymus; eósq; faciebat tanti, ut ab [l] Augustino contenderet, eum ut *errare cum talibus pateretur, si errantem reprehenderet.* Ad ista respondet [m] Augustinus, *Se posse æquè multos suæ sententiæ studiosos Patres fortasse reperire, si multa legisset. Veruntamen ipse,* inquit, *mihi pro his omnibus, immo supra hos omnes Apostolus Paulus occurrit. Ad ipsum confugio; ad ipsum ab omnibus, qui aliud sētiunt, literarum ejus tractatoribus provoco; ipsum interrogans interpello, & requiro, in eo quod scripsit ad Galatas, vidisse se Petrum non rectè ingredientem ad veritatē Evangelii; eiq; in faciem propterea restitisse, quòd illā simulatione Gentes Iudaizare cogebat:*

[t] Dorio *leno* Terentianus: *Non pudet vanitatis? minimè, dum ob rē.*
[u] Lib. de decalog. & duob. opusc. de legib. special.
[x] Antiq. Iud. l. 3. c. 4.
[y] Aben Ezra in Exod. 20.
[z] In versibus de Decalogo.
[a] In Exod. hom. 8.
[b] In Synopsi sacræ Scripturæ.
[c] In Matth. oper. imperfect. hom. 49.
[d] In epist. ad Ephes. cap. 6.
[e] In epist. ad Ephes. cap. 6.
[f] Aug. quæst. vet. & no. Test. cap. 7.
[g] Cōfess. Aug. li. 1. ca. 9. tit. 2.
* Hieron. Torrens. confess. Aug. lib. 1. cap. 11. tit. 1.
[h] Epist. 19.
[i] Epist. 11. inter epist. Aug.
[k] Confess. Augustin. lib. 1. c. 1. tit. 1.
[l] Epist. 11. inter epist. Aug.
[m] Epist. 19.

Vtrùm verum scripserit, an fortè nescio qua dispensativa falsitate mentitus sit. Et audio eum paulo superiùs in ejusdē narrationis exordio religiosa voce mihi clamantem: Quæ autem scribo vobis, ecce coràm Deo, quia non mentior. Dent veniam quilibet aliud opinantes; ego magis credo tanto Apostolo in suis, & pro suis literis juranti; quàm cuiquam doctißimo de alienis disputanti. Prudens sanè, & libera sententia, Sanctóq; Augustino dignissima. Unde tibi perspicere liceat, regulam illam vestrā, de majori parte Patrum in Scripturis exponendis audienda; esse plumbeam planè, nullúmq; usum afferre ad edolandos lapides, quibus templum Domini construatur.

HARTVS. Hoc Augustini exemplo docemur, licere nobis quādoq; à majori Patrū numero discedere, eorúmq; judiciū respuere. Sed huic (ut * Torrēsis rectè observavit) duę cautiones sunt adhibendæ. Una, ut nunquā nisi in causa perspicua, et *explorata veritate* eos relinquamus: altera, ut id à nobis fiat cū *reverētia et modestia.*

RAIN. Cum reverentia, & modestia? quidni fieret? ut [n] Elihu Jobum, et [o] Paulus Petrum redarguebat. Sed in altera cautione quæro; quomodo rei alicujus exploratam, & cognitam veritatem tenere valeamus?

HARTVS. Quædam eam tenendi via, eaq; expedita, * commune est fidelis populi testimonium, si is uno consensu veram eam esse credat.

RAINOLDVS. Est exiguo hoc nobis auxilio ad divinorum verborum sensa eruenda. Possunt enim res ipsæ veræ esse, nihiloq; secius Scripturæ locus aliquis haud verè & rectè accommodari ad eas confirmandas. Quod constat ex locis quibusdā, [p] quæ à Christianis contra Judæos applicata sunt. Esto verò hæc via expedita. Quid si fidelis populi sit dissensio? ut in quæstione hac, quam nunc agitamus, de Papæ suprematu, populus Orientalis Ecclesiæ, ab illo Occidentis, multis continuis seculis dissentiebat. Quò nos tum conferemus?

HARTVS. Altera superest via, magísq; ad veritatem indagandam compendiaria; * commune fidelium Pastorum testimonium, quod ab illis in generali Cōcilio decernitur. Ut in * Concilio Lateranensi pro Papæ suprematu decreverunt.

RAINOLDVS. Ecclesiæ Orientis Episcopi [q] affirmant, Concilium Lateranense non fuisse generale; quod à Papa ipso quoq; agnoscitur, sicut in [r] Jus vestrum annotatum est. Hîc verò priores nobis iterum occurrunt difficultates, & eâdem mētes nostras sollicitudine angunt. Sunt enim non ita multi loci Scripturarum à generalibus Conciliis explicati: neq; est verisimile fore, ut Papa ea aliquando cōvocet ad reliquos exponendos. Rursus, quāvis [s] dicitis *generalia Concilia non posse errare in cōtroversiis cōcludendis*; affirmatis tamen, *in Scripturis accōmodādis, ad confirmandas conclusiones suas, errare posse.* Postremò, possunt esse dissidia etiā generaliū Conciliorū, ut jam [t] antea, in gravissimo fidei de Christo dogmate, sunt excitata. Quibus omnibus incōmodis, quùm hæc ipsa via, qua de agimus, obnoxia sit; ut ex disputatione nostra elucebit: ne adhuc quidē priorē scrupulum te mihi evulsisse vides. Sed unū hoc ampliùs à te percōtabor. Quū Cōcilia nihil de Scripturis loquūtur, vel eas inter arguendū malè accōmodant, vel in cōclusionibus inter se dissidēt, atq; discordant; in hac tam anxia rerum conditione quid faciendum?

HARTVS. Si Concilia dissident, ad eas Synodos confugiendum est; quæ à Capite sunt confirmatæ. Quicquid deniq; (ut ad omnes tuas quæstiones verbo respondeatur) sive cum Conciliis, sive sine Conciliis Caput definit, certa veritas esto: quicquid verò condemnat Caput, certus error.

RAIN. * Caput autem hoc tibi est, opinor, non Servator Christus, sed Papa.

HARTVS. Ita est: caput visibile.

RAINOLDVS. Non tu vides igitur ex responsis tuis, utcunq; placeat vobis Patres

&

* Cōfess. Aug. li.1.c.11. tit.1.

[n] Iob.33.1.
[o] Galat. 2.14.

* Stapl princ. doct.l.7.ca.17.

[p] Deuter. 6.4. Augustinus Steuchus, Chisam. Episcopus, apud Sixtum Senēsem bibliot. Sanct. l.5. annot. 130

* Stapl princ doct.li.7.ca.8.

* Sub Innocentio 3.ca.5.

[q] Tit. generalis octavę Synod. Florent. & ep Ieremiæ Constant. Patriar.

[r] In cap. Item Adrian. Dist. 16. c. Sancta octo. Contius.

[s] Stapleton. princ. doctr. li. 8 cap.14 & 15. lib.11.cap 6.

[t] Concil. Eph Secūd. & Cōcil. Chalcedō.

* Stapl. princ. doct.l.7 ca.10. & li.10.ca.11.

& Concilia ostentare; penes Papam tamen solum, rerum omnium potestatem esse? Quare (ut ad id quod caput est controversiæ omnia perducantur) quum à nobis quęstio statuitur, *Utrũ Papa sit supremũ Caput Ecclesiæ*, Esse respondes. Quum examinamus porrò causam, & rationes perquirimus, quamobrem sit; huc omnia recidunt, *Quia sic ipse dicit*. Existimâram verò Ecclesiam futuram fuisse patronam tibi in testimoniis tuis, & tabulis exponendis: nunc autem sentio patronum Papam te adoptasse. Fortasse Ecclesiæ sponsus ille, & in litibus rationes ejus procurat. Non possum certè te reprehendere, si eum judicem quoq; libenter sumas: nam nisi in hac causa secundum tabulas tuas litem det, nullam unquam fidem merebitur.

HART. Plura ex responsis meis colligis, quàm quæ ex iis ego volui. Ex tuis, quæso, colligito; in meis eo te labore libero.

RAINOLDUS. Nihil à me colligitur, nisi quod à te fuit disseminatum prius. Nam inceperas hanc de Papa quæstionem ad verba Scripturæ revocare. Verba (utriq; fatemur) rem decidunt ex sensu: sensum examinandum, ais, Patrum trutinâ; Patres, veritatis; veritatem, populi; populum, Conciliorum; Concilia, Papæ. Si quis nostrûm vel speciem aliquam illiusmodi responsi emitteret; velletis quidem eà vosmet magnopere delectare, [u] *circulum* appellare, (1) inclamare impudentiam nostram, & (2) scenicis histrionum vociferationibus omnia permiscere. Vobis autem licet hos saltatorios versare orbes, & in circulis tripudiare, ut imponatis interim aliis, cum magna vos severitate, & gravitate, rectâ pergere.

[u] Camp. rat. 9. (1) Eccũ, quas rotas, quos gyros fabricat? (2) O circulos! Camp. rat. 4.

HART. Utcunq; ludere tibi lubet tuis circulis, & orbibus, quos appellas; nihil à me aliud dicitur, quàm, si nullâ aliâ viâ veritas dignosci possit, ultimum nobis modum eam certò sciendi esse Papæ autoritatem. Sed non erat hîc tam multis opus, si ostendam suprematum illum (de quo verba fecimus) Christum Petro dedisse.

RAINOLD. Nunquam efficies dedisse Christum, nisi * *verbo Christi*, quod sacra Scriptura est. Et Scriptura expenditur sensûs pondere, non verborum specie. Quare, necesse fuit, quoniam in hoc Christi voluntatem expiscari cupimus; ut primò inter nos conveniret, quæ sit germanum Scripturæ sensum assequendi ratio. Quam, quùm à Papa me velles arcessere, & mihi non sit cordi Romam proficisci, nec in (1) Vaticano eam diversari putem; ideóq; hac ratione nulla vel compositio fieri, vel finis controversiæ sperari possit: aggrediar viam, & breviorẽ, & certiorem, quam utrique utilem esse agnoscimus; qua genuinus sensus Scripturæ queat elici, itáq; Christi voluntas explorari.

* Col. 3. 16.

(1) Pontificis Palatio.

HARTUS. Quam tandem illam esse cogitemus?

RAINOLD. Ut à Christo ipso verborum ejus sententiam discamus, & ab ejus Spiritu eam doceamur: hoc est, ut Scripturam ex Scripturis interpretemur. Aurea sanè regula, qua perspiciamus veritatem, eámq; ab errore secernamus: prę-scripta à Domino, & à servis ejus ad Ecclesiam ædificandam, in omnium seculorũ posteritatem exercitata. Nam [x] Spiritus S. hortatus Judæos, ut conferrent obscurum Prophetarum quasi crepusculum, cum aperta luce Apostolorum; usquedum dies illucesceret, & lucifer in cordibus ipsorum exoriretur: ait, [y] *nullam Prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis*, quoniam in *Prophetia* (id est, Scriptura Prophetarum) *acti à Spiritu sancto loquuti sunt, non pro libidine humana*. Qua ratione, quùm ut Prophetæ, sic Apostoli innuantur, verissiméq; universis illis cõveniant ista, *Acti à Spiritu sancto loquuti sunt Sancti Dei homines*; consequitur ergo omnis Scripturæ Deum interpretem esse consulendum, quia [z] *divinitus est in-*

[x] 2. Pet. 1. 19.
[y] Ver. 20.
[z] 2. Tim. 3. 16.

* L. Si Cod. de Legib. & Constitution. princip.
a Nehem. 8.8. ויבינו במקרא
b In epist ad Roman. Galat. Hebræos.
* Confess. Augustin. præfat. ad Lector.

spirata: uti * naturæ lumine erudimur ab eo *legem interpretandam esse, à quo sit cõstituta*. Normam istam Dei præscripto nobis commendatam, & quasi sanctificatã a Levitarum consuetudine in Testamento vetere, & in novo b Apostolorũ; prisci sancti Pastores, & Doctores Ecclesiæ, in concionibus suis, in scriptis, in controversiis decidendis, in Conciliis sunt amplexi. Si ex animo igitur desideras Ecclesiæ expositionem, & eam tantopere cupis reperire: in hanc viam te dato; hæc Ecclesiæ via est; ille sensus Ecclesiæ est, ad quem hac viâ perduceris. S. enim Augustinus, * cujus doctrinam ipsi agnoscitis totius Ecclesiæ *suffragiis, legibus, moribúsq; nixam esse*; quem dicitis, *Sinceræ veritatis, Catholicæq; doctrinæ testem, omni exceptione majorem*; qui vos, (ut ipsi affirmatis) *non de sua tantum, sed & de communi antiquorum Patrum, & Apostolicæ Ecclesiæ constanti, atq; stabili confeßione*, bona fide reddit certiores: hic Augustinus libellos quatuor de *Doctrina Christiana* scripsit, in quibus deditâ operâ ostendit, quomodo nobis intelligendæ Scripturæ sint, atq; exponendæ. Universi tractatûs ejus summa ad hanc metam collineavit, ad quam ego digitum quasi intendi; ut *sententiam* nimirum *Scripturarum ex Scripturis ediscamus*, a *verborum in iis, atq; rerum diligenti consideratione*: ut, b *finis quò referuntur*, c *materia de qua omnia scribuntur, universim observentur*; &, d *secundùm eum finem, & materiam omnia intelligantur*: ut, e *iterum atq; iterum singula evolvantur, &* f *ea quæ apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, investigentur solertiùs*; *quia in iis apertè scripta sunt illa omnia, quæ continent fidem, morésq; vivendi*: ut, *obscuriores loquutiones illustrẽtur, & aperiantur manifestioribus*: ut, *quædam certarum sententiarum testimonia, ad dubitationem de incertis auferendam sequamur*: ut, g *ad Hebræa & Græca exemplaria recurratur, & omnia ex fontibus fiant liquidiora, si versio sit perturbatior*: ut, *in* h *ambiguis exponendis consulatur regula fidei, quam ex Scripturarum planioribus locis percipimus*: ut, *textus ipse sermonis à præcedentibus, & consequentibus partibus expendatur*; i *quo modo*, k *qua de causa*, l *quibus hominibus*, m *quo tempore, quidque dicatur*: deniq; ut ad n *voluntatem perveniatur autoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus*; *quam si non assequimur, talem tamen sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exsculpamus, testimonium habentes à quocunq; alio loco divinorum eloquiorum*. o *Ubi talis sensus eruitur, cujus incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non poßit aperiri, ut ratione redditâ manifestus appareat. Sed hæc consuetudo periculosa est: per Scripturas enim divinas tutiùs ambulatur, quas verbis translatis occupatas quum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam; aut si habeat, ex eadem Scriptura, ubicunq; inventis, atq; adhibitis ei testibus terminetur*: ut *hic ratione* (ut concludam) p *omnes Scripturæ loci ex Scripturis exponantur, quæ* Canonicæ *dicuntur, quùm sint* Canon, *hoc est, regula pietatis & fidei*. Viam igitur jam cernis, viam sapientiæ, & scientiæ, quam Christus præscripsit, Ecclesia recepit, S. Augustinus, cûm præceptis, tûm exemplo suo, ut in his libellis, sic in aliis etiam declaravit, convenienter judicio antiquiorum Patrum. Quam viam, quùm utriq; æquè probemus, etiamsi non utriq; sequamur æquè; peropto, ut eam dignitate ejus inductus tute exerceas: sed eam vel invitus saltem approbabis.

a August. de doctr. Christ. lib. 1. cap. 2.
b Cap 35.
c Cap. 37.
d Cap. 36. & 40.
e Lib. 2. cap 8.
f Cap. 9.
g Cap. 11.
h Lib. 3. cap. 2 & 3.
i c. 5.
k c. 10.
l cap. 17.
m cap. 18.
n cap. 27.
o cap. 28.
p Lib. 4. cap. 3.
q De Gen. ad lit. lib. 1. c. 21. Enchirid. ad Laurent. c. 68. De civit. Dei, lib. 11. cap. 33. & l. 15. c 7. De unit. Eccle. c. 16. ep 48. ad Vincent. De verb. Dõ serm 2. Retract. lib. 2. c. 4. &c. in Comment. Serm. Tract. & Epist.
* Stapleton. princip doctr. lib 11. c. 9.

Hartus. Fateor, nec posse, nec debere negari, illorum singula, maximè autem inter se conjuncta, ad Scripturas ritè intelligendas, magno esse adjumento. * Non tamen adeo firmæ, & certæ sunt rationes illæ; atq; aliæ quædam, quas nos iis anteferimus. Neq; perpetuò juvant, immo aliquando officiunt magis, imponúntq; plurimùm illis, qui in Scripturis explicandis, iis insistunt. Nec hoc affirmatur modò, sed fusè confirmatur etiam ex Doctoribus & Patribus, à clarissimo

illo, & magni ingenii, judiciiq; viro, *Stapletono, Theologiæ Doctore & controversiarū Professore Regio in Academia Duacena.* Cujus *saluberrimi operis*, quod inscribitur, *Principiorum fidei doctrinalium methodica demonstratio*, unum volumen totum in disquirendis *mediis, via, & ratione interpretationis Scripturarum authenticæ conteritur.* In quo hoc tanquā fundamentum jacit, [r] *Scripturam rectè intelligi non posse nisi fidei regulâ.* Unde [s] *Protestantium opinionem* redarguit, qui *Scripturarum intelligentiam ex Scripturis ipsis petendam esse sentiunt.* Ad quem errorem vestrum penitus subvertendum, quatuor tradit exponendi Scripturas media. [t] Primum, certum valdè firmúmq; ; *fidei regulam* : [u] secundum, quod non minùs certum primo ; *praxin Ecclesiæ* : [x] tertium, probabile id quidem ; *Patrum consensum* : [y] postremum, planè certissimum, omninóq; infallibile ; *Conciliorum interpretationem.* Atq; [z] *has rationes*, ait, *solas esse certas, firmas, & infallibiles vias, Scripturas rectè intelligendi.* Alia media, quibus utuntur docti, qualia ex Augustino tu observasti, conducere ea certè concedit ; sed multis modis fallacia esse, si eorum singula separatim assumantur. Quod sigillatim ex præcipuis eorum arguit. Primò, *ex antecedentium, & consequentium consideratione* : tum, *ex phrasium observatione* : tertiò, *ex* [a] *locorum collatione, quorum alter ab altero illustretur* : quartò, *ex* [b] *fontium, textûs scilicet Hebraici & Græci, inspectione.* Quamvis igitur viam tuam utilem esse agnosco, eámq; , qua ego libenter incedam, quum à nostris viis eò deducar ; tamen, quoniam [c] *nobis, cum omnibus hæreticis, immo etiā* Judæis, *& Paganis est communis* (qui omnes conferūt loca, observant phrases, fontes Græcos & Hebraicos inspiciunt, considerant antecedētia, consequentia, & similia ; longè tamen absunt à vera Scripturarum intelligentia :) ego quidem arbitratu meo utar eâ ; sed nulla ratione tua, ut eam sine exceptione approbem, impelli possum.

RAINOL. Quod edidit volumen Doctor vester in Protestantium opinionē, est exercitui illi simillimum, quem Antiochus in Romanos conscripsit ; magnum illum certè, & ex omnis nationis hominibus ingentem : sed iis valdè meticulosis, nec tam armis strenuum, quàm auro argentóq; fulgentem. Antiochus ipse aspectu ejus obstupuit, invictúmq; existimavit ; quod & ceteri simplicissimi ejus ditionis viri crediderunt. At [d] Romani spreverunt, [e] Annibal elusit. Nominis *Protestantium* (quod [f] ille contumeliosè, *ac si idem esset cum hæreticis*, usurpat) non nos pudet magis, quàm [g] Prophetas olim & [h] Apostolos ; quos eo titulo Spiritus sanctus honoravit, quùm *protestabantur fidem suam*, [i] simili oblatâ occasione, qua fideles Germaniæ, quùm eo notabantur nomine, suam sunt testificati. *Protestantium* opinionem, esse *Protestantium* antiquorum opinionem, Patrum, Apostolorum, Spiritus sancti, qui in ipsis loquutus est, jam antea demonstravi. Si tu errorem appellas, nos cum illis errare libenter volumus. Si ille hæresin putat, nō sumus nos D. Paulo meliores, [k] qui secundùm talem *hæresin servivit Deo.* [l] Quod est ab eo jactum, ad eam infirmandam, fundamentum, est ejusmodi ; ut tum, quum jecerit, omnes partes mentis ei ademptas fuisse videatur. Asserit ille *Scripturas fidei regulâ exponendas esse, ideóq; non Scripturâ solâ.* Perinde dixeris : *Ecclesia instituenda est ab animantibus ratione præditis ; non à solis igitur hominibus.* Nā, ut *animans ratione præditum*, & *homo* eadem sunt ; quod quivis puer principiis, elementisq; Dialecticæ instructus callet : ita *regula fidei* & *Scriptura*, eadem sunt. Num id Doctor vester ignorat ? Principium est Theologiæ, traditum ab Augustino ; quem [m] ille vult videri (præcipuè in hac quæstione) sequutus esse.

H. An verò eum non sequitur ? Nónne S. Augustini purissima verba recitat ; [n] *In ambiguis exponendis consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis,*

[r] Stapleton. princip. doctr. l. b. 11. c. 1.
[s] cap. 2.
[t] c. 3.
[u] c. 4.
[x] c. 5.
[y] c. 6.
[z] c. 9.
[a] cap. 10.
[b] cap. 12.
[c] cap. 9.
[d] Liv. lib. 37.
[e] Plutarch. in comparat. Scip. & Annib.
[f] Stapleton. princip. doctr. lib. 7. cap. 15. & lib. 11. cap. 10.
[g] 2. Chron. 24. 19.
[h] Act 2. 40. & 8. 25. & 16. 42.
[i] Sleidan. de statu relig. & reip. l. 6.
[k] Act 24. 14. & 26. 22.
[l] Stapleton. princip. doctr. lib. 11. c. 1. & 2.
[m] cap. 3.
[n] August. de doctr. Christ. l. 3. cap. 2.

cis,& Ecclesiæ autoritate percepit: ut fidei regulam ex autoritate Ecclesiæ etiam, non è Scripturis tantùm esse petendam doceat?

RAINOLDUS. Recitantur ab illo sanè S.Augustini verba,sed ut à [o] falsis testibus verba Christi,*de templo destruendo & triduo rursus ædificando*: verba planissimè contra sensum torta.Qui mos à [p] lege *tanquam fraudatio legis* notatur: nihil tamen Doctori vestro usitatius. Nam,ut Christus, quum *erecturum se templum diceret*, de [q] *templo corporis sui loquebatur*:testes illud ad templum Jerosolymitanum detorserunt: ita autoritas Ecclesiæ ab Augustino commemoratur,ut solas Scripturas edocens; à Doctore vestro commemoratur, quasi aliquid præter Scripturas ipsas præciperet.

o Matt. 26.61.
p In fraudem legis facit, qui salvis verbis legis,sententiam ejus circumvenit.L. cōtra Dig. de legib. Senatúq; cōsultis.
q Ioh.2.19.

HARTUS. Nequeo mirari hoc satis,Augustinum nihil aliud *Ecclesiæ autoritate,quàm planiores locos Scripturæ* intellexisse. Hæc enim tuorum verborum vis est.

RAINOLDUS. Mireris licet: verum hoc tamen. Ipse enim locuples hujus sententiæ est interpres: non in tractatu modò universo consequente, ubi figit hoc,*Scripturas solas regulam esse fidei,ut ambigua planioribus exponantur*: sed etiam in postremis hujus vestræ sententiæ,quæ Stapletonus(recitando)aut negligenter omisit, aut fraudulenter celavit;nisi alii potiùs sit vertendum vitio, cujus operâ in Augustino legendo fortasse usus est. Nam [r] post hæc verba, *Consulat regulam fidei,quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ autoritate percepit*; sequitur apud Augustinum,*De qua satis egimus,quum de rebus in primo libro loqueremur*. In illo verò libello,ad quem remittit nos, ne verbum quidem fecerat, de quoquam Ecclesiæ præcepto,quod in Scripturis non reperiatur. In istis igitur voculis, *autoritate Ecclesiæ*, nihil aliud præter Scripturam ipsam intellexit. Si intellexit,ostēde; sin minùs,agnosce.

r August. de doctr.Christ. l.3.c.2.

HART. Intellexit. In primo enim libello, ubi de *rebus* tractavit,[s] doctrinam *Trinitatis regulâ fidei* comprehensam esse declaravit. Quæ tamen non expressè in Scripturis ponitur.

s cap 5.

RAINOLD. *Expressè*? Quid vis tandem hoc verbo *expressè*?

HART. Volo in Scripturis eam non exprimi.

RAINOLDUS. Quid? Non beatæ *Trinitatis* doctrinam? Non Patrem,Filium,& Spiritum sanctum?

HARTUS. Non omnia quæ nos de *Trinitate* credimus.

RAINOLD. Absit,ut de tanto mysterio credamus plura,quàm quæ ex Dei verbo docemur.

HART. Omnino,S.Augustinus ad [t] Arianum scribens (qui negavit Deum Filium esse homoousiō Patri) ait,*Sicut Patrem in sanctis paginis nusquam ingenitū legimus,& tamen dicendum esse defenditur: ita fieri posse, ut etiam homoousion neq; scriptum in divinis libris reperiatur,& tamen dictum in assertione fidei defendatur*. Præterea,[u] contra *Maximinum* Arianorū Episcopum,ita disputat.*Da,inquis,testimonia,ubi adoratur Spiritus sanctus: quasi non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus,intelligamus.Sed,(ne quærere multa compellar) tu, ubi legisti, Patrem Deum ingenitum,vel innatum? quod tamen verum est.*

t Epist.174. ad Pascent. com. hæres.Arian.
u Cōtra Maxim.Arian.Episcop.l.3.c.3.

RAINOLD. An opinaris igitur S.Augustinum hisce locutionibus inficiari,à Scripturis præcipi,*Deum Spiritum sanctum colendum esse*; *Deum Filium unius esse, ejusdémq; cum Patre substantiæ*; *Deum Patrem, neq; genitum,neq; natum esse*?

HART. Videtur inficiatus esse. Et [x] Torrensis(qui ex omnibus Augustini libris,confessionem ejus collegit) hos ipsos locos affert,quibus probet, *Christianis*

x Cōfess. Aug. lib.1.c.8.tit 4

esse

esse credenda multa, quæ ab ipsis Apostolis (quasi per manus tradita) *ad nos pervenerũt*, licet in sacris literis expressè scripta non sint.

Rainoldus. Magnam in eo injuriam facit Torrensis Jesuita veritati Dei, Augustini existimationi, & tibi qui ipsum legeras. Eo tamen tectus est *sophismate* in illo verbo [*expressè:*] ut si ejus incusaretur, abluere statim manus, tanquam innocens vellet, ut [y] Pilatus, innoxius scilicet à *Christi sanguine*. Nam * Augustini loca illa recenset, ad *Traditiones* ex iis arguendas; quasi nobis mandata fuisset illa (de Deo) doctrina non scripto verbo, sed *Traditione* non scripta. Augustinus autem nihil tale. Sed [z] quum ei cum Ariano res esset, qui ab eo postulabat, *ipsum verbum* homoousion *in Scripturis ostẽdi*; narrat illi, *rem ipsam in Scripturis reperiri, etiamsi forsan verbum illud non reperiretur*. Quare premit eum iterum vocabulo *ingenitus*: quod quùm Arianus Deo Patri assignasset, & defenderet; Augustinus infert: *Sicut ab eo Pater appellatus erat ingenitus*, & verum verbum hoc quidem, etsi nõ scriptum; ita *Filium homoousion dici potuisse*, quùm *rem ipsam Scriptura* approbaret. Nec diverso modo cum eorum Episcopo Maximino egit, quàm cum isto Ariano egerat.[a] Qui quum vocasset ipse *Deum patrem ingenitum*, *& innatum*, negabat *Spiritum sanctum eâ re Filio fuisse æqualem, quòd nusquam scriptum sit, eum adoratum esse*. Cui hominis cavillo S.[b] Augustinus occurrit, aitq; quanquã disertis verbis non sit scriptum, tamen ex necessaria ejus, quod scriptum est, consequentia colligi: [c] *Adorabis Dominum Deum tuum*; [d] *Spiritus sanctus Deus est*; *ergo adorandus est*. Quare Augustini in his judicium fuit, ea à Scripturis doceri. Unde pateat tibi fraus Torrensis. Qui, quum abnuit, *ea in Scripturis expressè scribi*, hoc refugii sibi reliquit, ut diceret, *non expressis verbis in Scripturis esse, etiamsi in iis sensus, & vis eorum lateat*. Quùm tamen omnia * ibidem nomine *Traditionum* tractans, eóq; referens, lectori suo fidem faciat, *ea non Scripturis, sed Traditione nobis commendari*. Quod dogma vivo plausu Ariani sunt amplexuri: *Filium Dei homoousion Patri esse, Scripturas non tradidisse*. A te autem, *Harte*, absit longissimè, ut tam prophanè de Dei verbo cogites. Sin tu tantopere Doctoribus vestris nitare, in hoc potiùs [e] Aquinate nitere; qui asseverat *de Deo nihil nobis dicendum esse, quod non in Scripturis reperiatur vel per verba, vel per sensum*. Quod sicut ab eo ex [f] Dionysio, & [g] Damasceno confirmatur: ita commune [h] Patrum fuit judicium, cumprimísq; Augustini; cujus rei testes ejus de Trinitate libri. In quorum extrema [i] conclusione (ut evidentiùs argumentum ejus, quod diffessus es, tibi constet) nomen *regulæ fidei* ascribit ei demum, quod planè in Scripturis de Trinitate ponitur. Ea de re igitur Scriptura *regulam fidei* comprehendit. Nec minùs certè de reliquis, quod & in [k] libro illo (cujus mentionem fecimus) B. Augustinus notat. Est ergo reliquum, Augustinum [l] *autoritate Ecclesiæ* nihil præterea voluisse, quàm quod *planioribus Scripturarum locis* significârat.

Hartus. Immo voluit: verba ejus in eadem ipsa sententia, opinione mea, satis signi dant, eum voluisse. Si enim, *planioribus locis Scripturarum*, tantum significaret, quantum *autoritate Ecclesiæ* volebat: otiosum fuit, & inane, uno in oratione posito, alterum adjicere; eo præsertim modo, quo adjicitur ab Augustino. Nam & *Conjunctio* ista, *locis Scripturarum, & autoritate Ecclesiæ*, res inter se discrepantes argueret: & mihi de verbis, quod philosophus de rebus, licet dicere; *Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora*.

Rainoldus. Nihil frustra fit, quod ad hominum mentes erudiendas inducitur. Poterat Ecclesia rectè verbi interpres appellari: quamvis solum Dei verbum doceat. *Israelitæ* [u] *crediderunt* Jehovæ, *& Mosi servo ejus*: nec quicquam tamen

[y] Mat. 27. 24
* Cap. 8. de sacris Tradition.
[z] Epist. 174. ad Pascentium.
[a] Contra Max. Arian. Episco. lib. 1.
[b] L. 3. c. 3. & 10
[c] Math. 4. 10.
[d] 1. Cor. 3. 16. & 6. 19.
* Tit. 4. cap 8. de tradition.
[e] Sum. theol. part. 1. q. 36. art. 2.
[f] Dionys. de div. nom. c. 1.
[g] Damascen. de orthod. fid. lib. 1. c. 1. & 2.
[h] August. de Trin. l. 1. c. 2. & 4.
[i] l. 15. c. 28.
[k] De doctr. Christ. l. 1. c. 35 36. 37 & 40.
[l] L. 3 c. 2.
[u] Exod. 14. 31.

men à Mose commissum est, quod Dominus non præcepit. Monet sapiens ille filium, ut [x] *audiat eruditionem patris sui, neq; deserat doctrinam matris suæ.* Ab utrisq; tamen (*patre* juxtà & *matre*) idem docetur, *prima sapientia, timor Domini*. Quod, hoc in *Mose*, & *Domino*, seu potiùs in hac *matre* & *patre cœlesti nostro* comprobatur, de quibus optimè illud; [y] *Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem*. Deus enim, quoniam decreverat nos sibi filios adoptare, æternæq; vitæ heredes; ut verbum suum voluit esse, primò semen, [z] *illud immortale semen*, ex quo renati sumus; tum verò lac, [a] *sincerum lac illud*, per quod modò nati infantes adolescimus: ita Ecclesiam instituit, quæ ministerio suo illud prædicaret; quæ, tanquam mater, filios primùm conciperet & pareret; deinde, tanquam in lucem nuper editos infantulos lacte suo enutriret. Constat hoc, ut [b] aliorum exemplis, ita maximè B. [c] Pauli; qui *parturivit eos*, quos ut ad fidem converteret, laboravit; & in lucem eductos, [*] lactis potu aluit: quo proponeret nobis ob oculos officium Ecclesiæ, Ecclesiæq; ministrorum in filiis Christo pariendis. Quo autem *lacte* suos filios fovet Ecclesia, id omne ex uberibus suis haurit: ubera illa bina, sunt *Testamenta duo* sacrarum Scripturarum, [d] Augustini judicio, *vetus*, & *novum*. Quando igitur Augustinus ait, *regulam fidei ex autoritate Ecclesiæ recipi*, nihil aliud voluit ab Ecclesia tradi, quàm quod ex sacris Scripturis haurit.

x Prov.1.8.
y Cyprian. lib. de unit. Eccle.
z 1. Pet.1.23.
a 1. Pet.2.2.
b Nominatim, Philippi Act. 8.35. & Petri. Act.10.34.
c Galat.4.19.
* 1. Cor.3.2.
d In Epist. 1. Iohan. tract.3.

HARTUS. Nihil *lactis* fortasse, quod ab infantibus est exsugendum; sed *solidiorem cibum* aliunde sumet, quo adulti nutriuntur. Nam filios suos simul ac adoleverint, lacte ex uberibus suis extracto matres non solent alere.

RAIN. D. Augustinus verò addit; in Scripturis, & lac infantibus esse, & cibum solidum adultis: lac quidem in rebus manifestis magis, & intellectu facilioribus; solidum cibum in magis difficilibus, & magnis arcanis. Etiam, ubi [*] Christus dixit, *omnem Scribam edoctum in regno Cœlorum, similem esse cuipiam patrifamilias, qui profert è thesauro suo nova & vetera*: [e] Augustinus censet, *novis illis & veteribus, novum* & *vetus Testamentum* significari. Quare, quum unumquemq; Pastorum Doctorúmq; Ecclesiæ (quod [f] fatemini) hic *Scriba* referat; ex eo consequitur ex Augustino, cibum, quem proferre debet è thesauro suo ad familiam tuendam, esse solas Scripturas. Quod tibi lumine rationis persuadebitur, si iis, quæ priùs allata sunt, fidem adhibeas. [g] Philosophus enim edisserit, *ex iis nutriri nos, ex quibus constamus*. Si ergo ex Dei verbo gignimur, ut ex *semine*; verbum, *lactis* instar, nos lactentes alit; nec minùs eodem, tanquam *cibo solido*, in progressu ætatis pascimur. Verùm, ne fuerit hæc sententia de *cibo solido* S. Augustini; in eo tamen, de quo nos disserimus, ita sentiat necesse est: illic enim de lacte loquitur. Atq; ait, *regulam fidei ex Scripturarum planioribus locis recipi, & Ecclesiæ autoritate*: ut praxin Ecclesiæ declararet, [h] quæ in ipsis infantibus suis instituendis, capita fidei, & præcepta vitæ summatim exponebat. Quare, Christianorum rudiores, qui ipsi non legerant magis perspicuos Scripturarum locos, ex quibus *regulam fidei* edisceret; eam tamen ex Catechismo cognoverunt: unde illam, Ecclesiæ ministerio, sunt edocti. In Augustini verò catechismo nihil doctrinæ est, quod non ex liquidioribus Scripturarum locis Christiani queat exsugere. Augustino igitur *fidei regula*, in planioribus locis Scripturarum tradita; cum eâ una est, quam Ecclesiæ autoritas commendavit. Vestri quidem [i] novi Doctores in pontificiis suis catechismis *Ecclesiæ præcepta* habent, quæ non sunt præcepta Scripturarum: & Ecclesia vestra, [k] quæ seipsam nominat (quanquam falsò) *matrem omnium Ecclesiarum*, pluribus, quàm duobus uberibus aucta est; tertio illo, ex quo venenum unà cum lacte diffundit. Quo pacto, quum egregiâ verò operâ suâ, proprios filios necârit, nostræ

* Matt.13.52.
e Cont. Faustũ Man. l.14. c.2.
f Stapleton. princip. doctr. l.11. c.5.
g Arist. l. 1. de ortu & inter.
h Augustin. de catechiz. rud. c.3.4.6.7. &c.
i Canisius in Latino suo, Ledesima in Italico, Vauxus in Anglicano suo catechismo.
k Ecclesia Rõ. omnium Ecclesiarum mater & Magist. Concil. Trid. Sess. 7. de baptism. can.3. & sess.14. cap.3. & sess.22. c.8. & sess.25. decret. de cib. delect.

Ecclesiæ natos, tanquam suos vendicat; ut olim [l] mulier illa coram Salomone. Et sibi nacta est meretrix illa è procis suis [m] advocatos; qui non solùm incessunt nos maledictis, quòd eam matrem nostram esse non agnoscimus: sed ementiuntur quoq; nos vulgatam illam vocem de *sancta matre Ecclesia* * irridere, & execrari. Sed qui, ut Salomon, spiritu sapientiæ divinitus donantur, facilè cernent tam ab omni irrisione, & execratione nos abhorrere; ut cum reverentia & lætitia nomen *matris*, Ecclesiæ deferamus. Verùm, ut Ecclesia Romana dicatur *sancta nobis mater* esse; quæ neq; *sancta*, neq; nobis *mater* est: id certè abominantur animæ nostræ, & à capitibus nostris tam diram novercam detestantur. Quòd autem fidei regulam sibi per advocatum suum, Doctorem vestrum arroget, jus illud ex Augustini tabulis proferentem; quo filiam ejus sororem nostram agnoscentes, ipsam matris loco habeamus: si Salomonem imitamur, & gladio simili litem resecamus; infantem neq; ejus esse, neq; * viri ejus; sed sacræ Scripturæ comperiemus. Augustinus enim, quum diceret; *regulam fidei percipi ex planioribus locis Scripturarum, & autoritate Ecclesiæ: Scripturas* materiam esse voluit, *Ecclesiam* ministram, unde fidei regula percipiatur. Doctor verò vester opinatus, tam fabrum, quàm lignum materiam esse, ex qua domus sit construenda: suam utrisq; pariter securim injicit; & in eundem modum utrisq; dolatis & perpolitis, sibi tignos, postes, & asseres, alios ex ligno, alios ex fabro fabricat. Pari ratione non est Scriptura *regulæ fidei* integra materies, ex qua Ecclesiæ ministros, ut operas & structores efformare oportet Dei domum; sed partim Ecclesia, partim Scriptura hæc materies censebitur. Quibus utrisq; fusis instar [n] *inaurium Israelitarum*, & ab artifice vestro efformatis, qui non cessit debilitate quadam mentis, ut Aaron; sed aviditate flagrante prorupit eò, ut *populus*, qui *quid factum esset Mose nescivit*: regula quædam inde fidei, non Christi, sed Papæ, concinnabitur. Hæc autem si exquisitis (1) artificiis, quibus detineantur oculi, exornentur, ut illud Israelitarum auro; & (2) ab illis hominibus efferatur, quorum linguæ suæ sunt, & suaves voces ad illam modulandam cantilenam; [o] *Hi sunt Dii tui Israel, qui eduxerunt te è terra Ægypti*: præ lætitia confestim multi saltare circùm gestient; ut olim vitulo incitati aureo [p] Israelitæ tripudiârunt.

HARTUS. Non te decet hunc in modum irridere graves & doctos viros, quales Stapletonus, aliiq; sunt, quos tu tangis: multo minùs *Romanam Ecclesiam*; omnium verò minimè *Papæ Sanctitatem*:* Cujus majores [a] primæ nostræ fidei Britannorum temporibus autores exstiterunt; [b] eámq; lapsam postea Anglorum diebus restituerunt. Et isthæc tandem à te iis gratia rependitur? Efficies fortasse (nisi ab eo te deinceps abstineas) ut nonnulli quo spiritu id à te factum sit, sententiam suam ferant.

RAINOLDUS. Si de eo sermonem voles habere tuum, qui *nostræ* nobis *fidei* autor exstitit; à pulvere & putredine erit tibi satius elevare oculos, atq; aliquanto [q] altiùs conjicere. Sin minùs, quanquam non tuum ideo condemnabo spiritum, sum tamen subveriturus, ne eo honore [r] Dei Spiritum non prosequare, quo cum prosequi decet Dei filium. Nam, [s] *quis eorum pater est?* Sed, ut habeantur autores fidei, quibus usus est Deus in elargienda fide ministris: primò quidem, ut ambigitur ex parte altera, an Britanni primam suam fidem acceptam referant Eleutherio ([t] probabilius, non referre:) sic ex altera parte [u] res confessa est, non universam *Anglorum gentem*, suam ab Augustino, huc à Gregorio misso,

[l] 1. Reg. 3. 17.
[m] Sander. in epist. ad Pium quint. dedicat. de visib. Monarch. Staplet. princ. doctrin. lib. 8. cap. 19.
* Vulgatam Catholicorũ vocem de sancta matre Ecclesia irrident hodie, & execrantur heretici. Staplet.
* Hoc est, Pōtificis; qui [in jure suo Canonico] Ecclesiam vocat sponsam suã. Nos justitiam nostram, & Ecclesiæ sponsæ nostrę, nolentes negligere. c. Quoniam de immunitat. Eccle. in Sext.
[n] Exod. 32. 3.
(1) Medallis, agnis dei, granis benedictis, crucifixis, gemmisq; id genus aliis.
(2) Ab Alano, Campiano, Howletto, Cesore, Iesuitis, et Seminariorũ sacrificulis.
[o] Exod. 32. v. 4
[p] V. 6.
* Alani Apol. Anglic. Seminar. cap. 2. ex Bedæ hist. Angl. li. 1.
[a] Cap 4. Eleutherius.
[b] Cap. 23. Gregor. 1. qui legavit Augustinum.
[q] Iacob. 1. 17.
[r] 1. Cor. 12. 4.
[s] 1. Sam. 10. 12.
[t] Gildas homo Britannus, antiquior Bedâ, contrariũ affirmat. Et Polydor. Virgil. l. hist Angl. 2. Gildas testis est Britannos jam inde ab initio orti Evangelii, Christianam accepisse religionem.
[u] Bed. hist. Angl. lib. 3. cap. 21. & 22.

fidem recepisse. Deinde, ut ab iis primùm nobis data sit; tamen à Papæ majoribus eam non accepimus. Nam, quatenus à te nomen Papæ, supremum Caput esse intelligitur; & Caput supremum eam potestatem denotat, quam tu definivisti: ita nullus omnino Papa, quo tempore nos fidem recepimus, apparuit. Nondum enim prorepserat in lucem spurius ille, Gregorio primo, multo minùs Eleutherio Romanum Episcopatum obtinente: quod deinceps demonstrabitur disputatione nostra. Tertiò, si Papæ majores (quamvis non ut Papæ) nobis primam fidem dederint; posteri sanè queri nequeunt, eam gratuitò datam fuisse: iis hoc nomine abunde, affatímq; satisfactum esse puto. [x] Vestrates (ut eos evehant) in comparatione quadam illos cum Balaamo committunt, & [y] Ecclesiam cum Balaami asina. Profectò fateamur necesse est Ecclesiam nostram asinam fuisse: at [z] Balaamus vester haud gravatè accepit, * *domum plenam auro & argento*; etiam lubens ambivit. Postremò, si eam nobis gratuitò impertivissent, & defuncti fuissent piæ matris officio: nihilominus de matre ita prolabente, ut illa prolapsa est, [a] Pater noster nos alloquitur; * *Contendite cum matre vestra, contendite ipsam non esse uxorem meam, & me non esse virum ipsius; ut amoveat scortationes suas à conspectu suo, & adulteria sua è medio uberum suorum*. Erat D. Paulus Apostolus [b] *nutritus apud pedes Gamalielis:* [c] Gamaliel verò magnus Pharisæus: neq; *discipulus* modò erat, sed etiam [d] *filius Pharisæi*. Officium tamen illud, & amor ille, quo D. Paulus obstrictus, devinctúsq; patri & magistro suo tenebatur, nunquam eum culpâ coram Dei tribunali liberasset; si adhæsisset perpetuò Pharisæorum sectæ, majore jam à Deo cognitione veritatis illuminatus. De me autem, de quo sententiam suam nonnulli, quo spiritu id faciam, sunt laturi, si ludam vestros Pharisæos, aut *sanctæ matris* vestræ adulteria *sanctiq; patris* flagitia tangam; non sum anxius: ex hominum judiciis non pendeo, quæ nec metuo, nec contemno. Est * judex mihi, cui sto. Atq; in eo acquiesco, quod ipse attestetur spiritui meo, eo spiritu me hoc facere, etsi non eâ mensurâ spiritûs, quo [e] Elias ludificatus est Baalitas, quo [f] Esaias tetigit *idololatras*. Quare, ut pergamus in illa Stapletoni disputatione, adversus errorem nostrum de Scripturarum expositione à Scripturis ipsis derivanda; fundamentum ab illo jactum accepisti, *regulâ fidei utiq; exponendas esse, ideóq; non Scripturis solis*. Quale autem fundamentum, talia sunt, quæ educit argumenta; cùm ad vestra media firmanda, tùm deinde ad evertenda nostra. Quàm verò sint infallibilia, & certa vestra; [g] *praxis Ecclesiæ*, [h] *consensus Patrum*, [i] *Conciliorum determinatio*; postea liquebit magis, ubi locus accuratiùs examinandi dabitur: jam antea partem aliquam liquebat; quùm necesse haberes ab illis omnibus ad Papam confugere, qui Doctori vestro hoc loco excidit. Nostra autem arguit fallacia, & incerta esse: quo modo? [k] *Quia singula seorsim sumpta fallere possunt quenquam, & in errorem inducere*. Quod exemplis in aliquot illorum illustrat; ut in *consideratione consequentium & antecedentium, in observatione phrasis seu styli Scripturæ, in locorum* [l] *collatione, in* [m] *fontium inspectione, textûs scilicet Græci, & Hebraici*. Atq;, si res ita esset, quid appellem hanc argutationem? fraudem? an stultitiam? Nos de nostris rationibus profitemur; omnes eas conglobatas perfectam nobis viam munitare, qua germanum Scripturæ sensum possimus invenire. Regerit ille singulas illarum seorsim & per se sumptas, non esse perfectam inveniendi viam. In quo responsi genere, si non debilitatem hominis (ut optimè interpreter) dispicias; exhibebo tibi speculum, in quo intueri valeas. [1] Non sunt multi jam anni, quum dux Stukeleius

[x] Gratian. 2. q.7.c.Nos si. parag. cũ Balaam.
[y] Bened. Paris & Bulloc. Anglus in cōcordāt. sacr. Scri. Asina, Ecclesia.
[z] Chro. Tho. Walsingham. & Matt. Paris. præcipuè verò Matt. Paris. in Hen.3. ann. Dom. 1245. 1246. & 1247.
* Num. 22.18.
[a] Hos. 2.2.
* Vulgat. edit. Lat. Iudicate matrē vestrā, judicate.
[b] Act. 22.3.
[c] 5.34.
[d] 23.6.
* 1. Cor. 4.4.
[e] 1. Reg. 18.27
[f] Esai. 44.16.
[g] Stapl. princ. doct. l.11. ca.4.
[h] c.5.
[i] c.6.
[k] c.9.
[l] c.10.
[m] c.12.
[1] Anno Chri. 1578.

Cap.2. Sect.2.

(*Marchio* Hyberniæ, ut in vestris historiis vocatur) [n] sexcentis Italis à Papa instructus ad *Hyberniam occupandam* mittebatur. Quod quidem moliturus erat, nisi (Regis Portugalliæ rogatu) * Barbariam in itinere occupasset. Posset nostrorum aliquis divinare, quò adderet animos subditis fidelibus, Italos istos, & Marchionem (Dei auxilio) si ad Hyberniæ oras appulissent, ab exercitu Reginæ potuisse profligari: quo fato Papæ milites, illos qui subsequuti sunt, fungebantur. Sandero liceret hîc respondere, ut erigeret rebelles, nullam esse ipsis metuendi causam: quia Reginæ milites, etiamsi virium sit illis aliquid; tamen singuli, seorsim sejunctiq; à ceteris, nunquam valebunt sexcentos Italos, tanto duce præcipuè amplificatos superare. Quod ut verisimile esse confirmaret; argumentorum, exemplorum, & testimoniorum ei magna copia suppeteret; quibus fusè rem omnem tractaret, tanta cum eloquentia, nec prudentia minori, quàm quæ à Stapletono in altero adhibetur. Hoc tamen apud Stapletonum * *demonstrationis* nomen meretur. An illud alterum quoq; futurum fuisset *demonstratio*? Non mirum igitur, si tam multos ad nos mittatis libros, illiusmodi *demonstrationum* mercibus refertos. Mirum, quòd non plures: nisi nemini præterquam publicis Lectoribus concessum sit tam subtiliter sua demonstrando ostendere. Quod si verò absurdum sit Doctoris vestri responsum, etiamsi nostrarum rationum nulla à reliquis separata, certa esset firmáq; ad genuinum Scripturæ sensum exquirendum: quanto absurdior est futura, si illarum quæpiam vel ipso judice, firma & certa perspiciatur? Ea est Scripturæ locorum collatio: quanquam eam conatur ille caligine obscurare. Sed caligo hæc, quam [o] offundit, non est priori spissior. Eam vel imbellis oculus penetrârit. Dicimus enim nos *dexteram collationem locorum Scripturæ, viam maximè præstantem esse:* quæ verba nostra ab ipso in re illa sunt recensita. Respondet ille *collationem infeliciter adhibitam, sinistram,* (ut ita loquar) *non esse viam adeo præstantem.* Quod ita se habet, atq; si nos diceremus, *sapientes & bonos viros dignos esse, qui magistratus gerant in republica:* ille verò, ut refelleret, responderet; *homines furiosos, & nebulones non esse bonos magistratus.* Si possumus istam caliginem oculis penetrare, perfecta via esse locorum collatio censebitur. Quod enim nobis est *locorum collatio*, idem est *fidei regula* S. Augustino: At [p] fidei regula est via infallibilis, Doctoris vestri judicio: Collatio igitur locorum, ut ex suo ore judicetur, via est infallibilis. Si autem ista solitaria tam certa sit, multo magis ista, ceteræq; conglutinatæ. Quare rationes illæ intelligendi exponendiq; Scripturas, quas cõmendamus, firmæ & certæ sunt; quibus verus Scripturæ sensus eruatur. Doctor autem vester asserit, [q] *hæc media hæreticis, Judæis, & Paganis cum nobis esse communia. Illi enim omnes conferunt loca, considerant antecedentia & consequentia, inspiciunt fontes, observant phrases, & similia.* Hoc si non faciunt illi, est Doctoris vestri nimiùm amplificantis hyperbole: sin faciant, faciunt id quidem, quod non ipse solet in multis fidei controversiis, quas tamen legit publicè, & prelo etiam committit. Quid? Omnésne *hæretici, Judæiq; & Pagani his mediis utuntur?* nulliq; eorum cernunt *praxin Ecclesiæ*, observant *consensum Patrum*, evolvunt *decreta Conciliorum*? Si ab ullis illorum ista fiunt, quod à multis illorum fieri est manifestum: tum æquè gravi cum ratione, atq; Doctor vester, ne ista quidem ipsius media certa esse arguemus. Quod quidem gravissimum foret consectarium, Romanámq; Ecclesiã funditus esset subversurum. Circumspiciat igitur ista, secúmq; consideret, & illas ruinas curet, quas (nisi provideat) ab ipso emissa tormẽta in muris Jerosolymæ suæ sunt editura. De nobis autem, & nostris rationibus, si qui iis

[n] Hist. de bello Africa, quo periit Sebastianus Rex Portugalliæ. ca. 7. Genebrard. Chronog. l. 4.
* Illic cæsus est. Hist. de bello Afric. c. 13.

* Demonstratio methodica, princ. fid. doctr. Thom. Stapletoni.

[o] Stap. princ. doct. l. 11. c. 10

[p] Cap. 1. & 3. & 9.

[q] Cap. 9.

[r] De doctr. Chr. li.1. in prol.

tuantur, & tamen à nativo Scripturæ sensu aberrent: aio cum [r] S. Augustino, (cui hæc lis non minùs, quàm nobis officit) *Si illi qui præcepta ista cognoscunt, ea quæ in divinis libris obscura sunt, intueri nequiverint; illi ipsi in culpa sunt, non præcepta: tanquam si sidus aliquod vellent videre, quod ego intento digito demonstrarem, acies autem oculorum ita infirma esset, ut etiamsi digitum meum valerent intueri, sidus quidem non valerent.* Quare, ut de illis concludit Augustinus; *Me ergo reprehendere desinant, & lumen oculorum divinitus sibi præberi deprecentur*: ita confitemur nos, omnes modos & rationes inanes esse, nisi Dominus oculos det, quibus cernamus. Quem ideo [s] Propheta obtestatus est; *Retege oculos meos, ut intuear mirabilia legis tuæ.*

[s] Psal.119.18.

[*] Stapl. princ. doct.l.11.c.10

HARTUS. Dicas licet, quod libet. Ostendit tamen experientia, quod certissimum quidem est, multos qui hisce, quibus tu, mediis student, & secundum illa Scripturas explicant; & ipsos decipi, & alios decipere. Nam * *collatio locorum*, quam unam ceteris anteponitis, quam etiam *ingens remedium, & felicissimam expositionem Scripturæ* vocatis: hæc quidem via, si per se & solitariè sumatur, cùm fallax est, tùm etiam perniciosa maximè, & pestilens; tantoq; magis, quanto majorem probabilitatis speciem secum adfert: nec unquam minùs quàm duo Scripturæ loca pestilenter corrumpit, infeliciter adhibita. Cum B. Augustino sanè libenter agnoscimus ex uno loco alium illustrari; & quæ alicubi obscurè dicta sunt, alio in loco clariùs enuntiari. Verùm in collatione Scripturarum sciendum est, diligentérq; observandum (quod observare hæretici nolunt, quia Catholici & boni Ecclesiæ filii esse nolunt:) primùm, aliquid similiter aut dissimiliter dictum videri, non tam ex rerum ipsarum similitudine, aut dissimilitudine, quàm ex affectu & præjudicata sententia ipsorum conferentium. Deinde, eandem dictionem aut phrasin, non ubiq; idem significare, sed vel diversa, vel interdum etiam contraria. Tertiò, multa loca esse, quæ semel tantùm in Scripturis dicta cum aliis similibus conferri non possunt. Quartò & postremò, omnes hæreticos, non hujus tantùm, sed & omnium ætatum, conferendo Scripturas diligentissimè, errasse tamen in Scripturarum sensu turpissimè. Quas rationes, ut ostenderet locorum Scripturarum collationem fallax esse interpretandi medium, & sæpissimè in errorem homines abducere; Stapletonus, vir extra controversiam inprimis eruditus, utcunq; à te tenuior judicatur, descripsit, iisq; exemplis declaravit, quæ apud te valerent fortassis, ipsa modò velles expendere.

RAINOLDUS. Expendi ea, & leviora esse reperio. Mercatorem quem tu laudas, divitem esse non abnuo; sed certè dolosis utitur ponderibus, & simplicitate hominum abutitur, qui ejus fide freti merces suas accipiunt. Homines minimè mali, de iis optimè sentientes quos amant, arbitrantur eum se honestè gerere, quòd calumnietur alios, inquiens, *fraudulentos eos esse, quia nolunt honesti esse, & boni reipublicæ filii.* Mittantur autem verba, & ejus observemus pondera. Si cuiquam in sagittandi arte tironi narrares, illos qui ad metam collimant sagittas, eásq; rectissimis lineis eam versùs emittunt, non tamen semper ferire metam, verissima narrares. Sin verò diceres omnes imperitos sagittarios, qui aut sunt, aut fuerunt unquam, aberrasse à meta turpissimè, rectissimè eò collimando: posset esse illi vel scientia tua, vel voluntas suspecta, qui sagittarios sic instituis. De illo igitur quid nobis existimandum est, qui ut persuadeat aliis collationem Scripturarum fallacem esse viam Scripturæ sensús attingendi, ait, *omnes hæreticos, non hujus tantùm, sed & omnium ætatum, conferendo Scripturas*

diligentissimè , errasse tamen in Scripturarum sensu turpissimè ? Nam , quamvis errare poterant Scripturas conferendo; error tamen, non conferendo *diligentissimè*, sed non diligenter satis conferendo, necesse est oriatur. Hæc verò ultima est Doctoris vestri ratio. Neq; est ea, quæ huic proximè præcedit, ulla ex parte melior. Ait, *multa loca esse, quæ semel tantùm in Scripturis dicta, cum aliis similibus conferri non possunt*. Cujus hanc rationem affert, quòd *quamplurima apud B. Paulum leguntur, quæ neq; in Propheta, neq; in Apostolo quoquam præterea comperiuntur*: (exempli causâ) *veterem hominem exuere, novum induere*. Quæ ratio est causæ ipsi, quam confirmat, simillima. Nam, si non eædem in aliis loquutiones exstent; exstant tamen illarum similes, quibus percipi queant. Aut, si non in aliis, at in B. Paulo ipso, qui suo sita illustrat sermones : si ne in illo quidem, confer tamen eas cum scopo textûs & circumstantiis; series ipsa rerum & verborum, sensa tandem dictionum enucleabit. Quemlibet igitur Scripturæ locum commemora, etiam quem potes obscurissimum; quem si nostris regulis instructus quis exponat, nunquam sanè in hæresin labetur. Vel enim affluit dilucidis locis ipsum explicantibus, ex illisq; explicatus procul ab hæresi discedit; vel si tales desint, non est tamen ab hæresi aliqua periculum metuendum; quùm omnia, quæ ad fidem & salutem sunt necessaria, in Scripturis apertè describantur. Periculum omne in duabus vestris prioribus cautionibus latet; primâ, de dictis, quæ *infecti affectus hominum esse vel similia vel dissimilia possunt judicare, quùm nulla talis rerum vel similitudo vel dissimilitudo existat* : alterâ, de dictionibus, *quæ errore hominum videantur aut idem aut diversum significare, quùm non significent*. Atq; his modis non negamus Scripturas esse posse, & à multis esse pravè explicatas : ut verum sit, quod de S. Pauli epistolis scripsit [t] S. Petrus, *esse in iis nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parúmq; stabiles detorquent, ut & reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio*. Cujus offeruntur nobis egregia à vobis ipsis exempla : aut, (quia de vestris postea) à *Familia caritatis*, & ab ejus magistro, illâ prole Satanæ, *Henrico Nicolao*. Quem Spiritus erroris, illecebrâ ignorantiæ ita fascinavit, ut quasi in ignominia sua gloriaretur, & laudi sibi duceret, cùm se, tùm suos *indoctos* esse, (quales Petrus innuit;) [u] detestetur doctos, & Scripturarum peritos, *in Scripturis sapientes*, quos appellat; & suis pusionibus præcipiat, ut illos devitent. Peritior fuit in Scripturis Christus, quàm cui Diabolus ex illis fucum valeret facere. Poterat enim alioqui [x] Diabolus per speciem Scripturarum quas urgebat (aut torquebat potiùs) majori spe in pertentando Christo perseverasse. Sed an suspectæ nobis erunt, aut non à nobis probatæ Scripturæ, eas Dæmone ad peregrinum sensum premente? aut Scripturæ collatio, illius progenie eam perperam adhibente? Non sic Christum didicimus. Vel eo magis quidem certè nobis elaborandum, vigilandúmq; esset in iis sedulò perscrutandis, & prudenter conferendis; ut istis modis extorqueamus illis de manibus *gladium*, eóq; errorem ipsorum jugulemus. Nam ejusmodi spiritualium hostium excidium est *gladius Spiritus*, [y] *gladius autem Spiritus est verbum Dei*. Ita *Familiæ* huic *caritatis*, fides nostra, salus nostra per Jesum Christum, resurrectio, judicium, æterna vita, sunt ludibrio; & (ut insaniam suam immunem servent à periculo divini verbi) retundunt sensum literæ germanum, qui est ipsius verbi acies, cúmq; in vaginam fanaticorum somniorum suorum & allegoriarum recondunt. [z] *Bipennis* ille educatur *gladius*, acuatúrq; istâ collatione: & ut paleam ignis flamma devorat, ita mucro veritatis illorum errorum viscera resecabit. Ita Ariani, quùm objicerent fractas

[t] 2. Pet. 3. 16.

[u] In regni Evangelio c. 23. 6. & 33. 11. atq; ita deinceps tùm in isto, tùm in reliquis suis libellis nugatoriis.

[x] Matt. 4. 6.

[y] Ephes. 6. 17.

[z] Heb. 4. 12.

 &

& mutilatas Scripturæ sententias, specie aliquantulum referentes blasphemã ipsorum adversus Dei filium doctrinam, re autem ab ea planè abhorrentes: collatis [a] Scripturis à Concilio Niceno, & [b] piis Ecclesiæ pastoribus evertebantur. Ita Pelagiani, hostes illi gratiæ, sub naturæ nomine capitales, quùm vanissimè nugarentur ut eluderent Scripturas, quæ contra liberum hominis arbitrium faciunt pro Dei gratia: fusi fugatiq; sunt liquidioribus cœlestis verbi locis, à Conciliis, [c] Carthaginensi, [d] Milevitano, [e] Arausicano, inprimísq; à B. [f] Augustino. Ita alios olim ejus catervæ Deus disperdidit, reliquósq; deinceps sine dubio gregales ipsorum est contriturus; si *gladio spiritûs*, qui est *verbum Dei*; [g] *scutum fidei*, *ad omnia Satanæ ignita jacula extinguenda*, adjungamus. Sentiet hoc aliquando *charitatis Familia*, quod pater *Familiæ* metuebat; ideóq; admonebat filios suos, ut caverent sibi ab illis, qui isto cum telo sunt, & eo scienter uti possunt, *ab hominibus in Scripturis doctis*. Vos autem, [h] qui *Familiæ* peccati nos insimulatis, ac si foveremus illius venenatæ viperæ progeniem; ipsi illis dextram porrigitis, conjunctásq; copias in campum educitis, & in nos vires eorum confirmatis. A vobis edocti nomen [i] *Scripturariorum* ad ludibrium objectant, & contumeliæ loco usurpant. A vobis didicerunt [k] *diligentem*, etiam *diligentißimam Scripturarum collationem*, semitam esse hæreticorum ad execrandos errores ducentem. Vos iis persuadetis, [l] *fontes Græci & Hebraici textus*, neq; puros esse, neq; multùm necessarios. A vobis audiunt, utile esse, [m] *Scripturam Scripturã exponere*, & fructuosum quidem *conferre loca*, *observare dictiones*, *& circumstantias textus*; sed multa esse in eo pericula, difficultates multas: *textus non semper connexus est, sibiq; coherens; ipse ordo dicendi sæpißimè est interruptus, aliquando etiam planè præposterus; frequentia sunt apud Paulum * hyperbata, & * anantapodota; unum & idem vocabulum in eodem membro diversam habet significationem; poßunt loca videri sibi similia, quæ sunt dissimilia, & vicißim dißimilia, quæ sunt similia*; & multa similia incommoda, quæ infirmum Christianum prorsus exaniment. Quæ dum facitis, cum illis decem speculatoribus conjuratis, [n] qui quùm excitare debuissent Israelitarum animos ad ingressum in terram promissionis; dixerunt iis, *terram certè fructuosam esse, & affluentem lacte & melle; nisi quòd robustus populus est, qui habitat in ea terra, & civitates munitæ, & filii Anak, (Gigantes) illic habitant. Amalek habitat in regione Australi, deinde & Hitthæus, Jebusæus, atq; Amorrhæus habitat in montibus, Chananæus verò habitat ad mare & ad littus Iordanis.* [o] *Iuravit* istis in *ira sua* Dominus, & populo qui illis credidit, *eos non ingressuros in requiem ipsius.* Miror te, & tuos, Harte, quorum facta sequimini, eorum exitum non perhorrescere. Nos autem, etiamsi *duo* soli adversus vestros *decem* essemus, & vobis universus populus potiùs quàm nobis crederet; imitabimur tamen eos, qui * *alius fuerunt spiritûs, Calebum, & Iosuam*; & cum illis totum cœtum filiorum Dei alloquemur: [p] *Terra, per quam transivimus, ad explorandum eam, terra est perquam optima; si delectatur nobis Iehova, introducet quoq; nos in terram istam, et dabit eam nobis terram, quæ est affluens lacte et melle. Tantummodò contra* Jehovam *ne rebellate; præterea vos ne timete populum istius terræ, nam cibus noster sunt.* Est sanè Scriptura sacra *cibus* animarum nostrarum, & Dei verbum est vitæ pabulum: si Dominus delectatur nobis, introducet nos eò, & dabit nobis. Ne rebellemus, nec difficultatẽ verbi timeamus; [q] *scrutandæ* sunt à nobis *Scripturæ*, & [r] *postulanda à Deo sapientia*; [s] *ille nobis eas reserabit*, (promisit enim) & efficiet, ut in illis eruditi evadamus.

HARTUS. De rationibus, quas commemoras, vobis assentimur; * scrutari nempe Scripturas, & sapientiam à Deo intelligentiámq; petere, esse utiles, &

pias

[a] Theod. Hist. Eccl. l. 1. ca. 7.
[b] Athan. contra Arian. Greg. Nazian. de filio. Basil. cõtra Eunom. Hilar. & Aug. de Trinit. & contr. Arian.
[c] In epist. ad Innoc. epist. 90 inter ep. Aug.
[d] Epist. 92. inter epist. Aug.
[e] Cõcil. Arausican. secundũ
[f] in operibus cont. Pelagianos, Tom. 7.
[g] Ephes. 6. 16.
[h] Howlet, in epist. ad Reginã Elisabethã.
[i] Albert. Pighius Eccl. Hierarch l. 1. c. 3
[k] Stapl. princ. doct. l. 11. c. 10
[l] Lindan. de opt. gen. interp. Scriptu. Staplet. princ. doct. l. 11. c. 12.
[m] Stap. princ. doct. l. 11. c. 9. & 10.
* Ecce Gigantes filii Anak, de quibus scriptum est. Num 13:34.
[n] Num. 13. 28
[o] Psal. 95. 11.
* Num. 14. 6.
[p] Vers. 7.
[q] Ioh. 5. 39.
[r] Iacob. 1. 5.
[s] Matth. 7. 7
* Stapl. princ. doct. l. 10. c. 10 & li. 11. c. 9.

pias rationes, quibus possimus citiùs intelligentiam earum consequi, aut potiùs ad assequendum disponi, & informari. Quæ neutiquam tamen semper sunt efficaces.

RAINOL. Semper sunt efficaces, si homines, uti debent, petant, & scrutentur ut oportet,[t] *in Spiritu fidei* &[u] *modestiæ*. t 1.Ioh.5.14 u Rom.12.3.

HARTUS. Juxta eam scilicet *mensuram*, quæ cujusq; functionem & officiū decet. Alii, ut privatim exhortentur, & consolentur; alii, ut Ecclesiam publicè instituāt. Verùm, ut omnes nervos contenderis, dixerisq; quæ possis omnia, nullus nobis finis, aut exitus dabitur, si hanc viam affectemus. Si enim tu me Scripturis, & Scripturis vicissim ego te oppugnem; si eas ego hujus, & tu illius loci collatione exponas; si opinione tuâ una, meâ vero altera sententia sit aperta; mihi noster sensus sit rectior, tibi verò contrarius: quis est, absq; judice, litigandi finis futurus? Et, si judicem non recusas, quis Papâ commodior?

RAINOLDUS. Quis potiùs, quàm Servator Christus? & illi qui sub ejus imperio hoc habent sibi delegatum, ipsa *Christi Ecclesia?*.

HARTUS. Ecclesia? atqui superiùs *pios* commemorabas; atq; eò sermo tuus spectabat, ac si illi veritatem ab errore secernerent Scripturarum collatione. Quod purum putum vestrum est examinandi & judicandi genus. Nunc autem ejus te fortasse pudet: potest quidem certè. Nam vestiarios multos & sutores reperies magis pios, quàm sunt alii ipsis longè doctiores. Non tamen, opinor, tabernam illorum aliquam, panniculos & segmenta petiturus adibis.

RAIN. Potest tamen fieri, ut in panniculis & segmentis vestiariorum & sutorum, major cognitio meliúsq; de sensu Scripturarum judicium delitescat, quàm in ardente doctiorum virorum purpurâ. Docti enim Pharisæi,[x] qui *populum* ut *ignarum legis* condemnârunt; veram esse Christi doctrinam non sunt arbitrati: immo cum his verbis[y] amandârunt eam ut falsam, *Scrutare, & vide*.[z] Qui Berœam tamen incolebant (quorum nonnullos est verisimile fuisse vestiarios, aut sutores, aut certè plebeios artifices illis non ampliores)[a] *eam cum omni alacritate receperūt, & (Scripturas scrutati) ei crediderunt*. Quanquam ego *pios* illos, qui eruditi sunt, intelligerem; quum de *piorum* judicio mentionem facerem. Quare, non adeo necessum fuit tibi de *panniculis* & *segmentis* loqui, nisi quòd paulo ægriùs fortasse hoc te joco spoliatum esse tulisses: quùm præsertim simul adjicerem, ad controversias ex Scripturis examinandas, linguas (quibus Scriptura traditur) Græcam & Hebræam cognoscendas esse. Quibus panniculis & segmentis non multi, vel apud nos *vestiarii* & *sutores*, vel *Cardinales* apud vos & *Papæ* abundârunt. Neq; verò me pudet disquisitionis & judicii *piorum*, qui Christum solum, non linguas & artes didicerunt. Quod iis verbis meis comprehensum est, quùm dicerem *Christū judicem esse*; & *illos, qui sub ejus imperio hoc habent sibi delegatum, ipsam Christi Ecclesiam*. Dedit enim ipse, peculiari delegatione, judicii duo genera Ecclesiæ; unum privatum, alterum publicum: privatum, fidelibus cunctis &[b] *spiritualibus* (uti à Deo vocantur) qui jubentur de eo quod docetur[c] *judicare*, &[d] *probare spiritus an ex Deo sint*: publicum,[e] Pastorum & Seniorum cœtui. Nam de[f] iis quæ Prophetæ docent, *Prophetæ judicent*, &,[g] *Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur*. Quorum utrisq; id ab Ecclesia tamen tenendum est, Deum nihil ipsi præter ministerium faciendi judicium delegasse. Suprema judicii potestas Dei verbo deferenda est. Christus enim (1) *solus est Doctor noster & (2) legislator*, secundū cujus scriptam voluntatē Ecclesiæ ferenda est sententia. Quē igitur sensum verborum Christi reddidi (ut redeamus ad verba ejus, à quibus divertimus) eum ex Scripturis fir-

x Ioh.7.49.
y ver.52.
z Act.17.11.
a v.12.
b 1.Cor.2.15.
c 1.Cor.10.15
d 1.Ioh 4.1.
e Act.15.6.
f 1.Cor.14.29
g 1.Cor.14.32.
(1) Matt.23.10.
(2) Iac.4.12.

SECTIO TERTIA.

mabò, juxta fidei regulam; & porrò, hanc sensûs confirmationem privato & publico Ecclesiæ judicio subjicio. In verbis Christi ad Petrum continetur clavium promissio, *Ego dabo tibi claves regni Cœlorum*. Occasionem verborum dedit Christi quæstio, quæ facta est Apostolis, ad quam responsum est à Petro; *Quem vos dicitis me esse? Tu es Christus filius Dei viventis*. Sensus, quem istis connectendis collegi, hic fuit: nempe, ut Petrus unus pro omnibus respondebat; ita illi uni cum omnibus claves concessas esse. Petrum verò unum pro omnibus respondere, Scriptura manifestò probat Johannis sexto: ubi (ante hoc promissionis tempus) Petrus communi omnium nomine confessus erat; [h] *Nos credimus, & novimus te esse Christum illum filium Dei viventis*. Illi autem uni cum omnibus claves concessas esse, non minùs apertè Scriptura Johannis vicesimo arguit: ubi Christus, cum præstaret illud quod Petro promisit, illi unà cum ceteris ait; [i] *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: si quorum remiseritis peccata, remittuntur iis; si quorum retinueritis, retenta sunt*. Quamobrem, quùm claves à Christo promissæ sint, post illam fidei professionem, quæ fuit omnibus communis; & illud præstitum sit promissum, quùm omnes mitteret cum potestate ligandi & solvendi, remittēdi & retinendi peccata: ex eo sequitur, claves non magis Petri, quàm omnium Apostolorum esse. Quare, nec clavium promissio Petro facta, suprematum aliquem ejus in ipsos evincit.

[h] Ioh. 6. 69.
[i] Ioh. 20. 21. 23

Hartus. Quod fuit à Christo Petro promisum, ceteris Apostolis non præstabatur. Non enim illis claves regni sui dedit, sed peccata remittendi & retinendi potestatem.

Rainoldus. Ista verbis inter se discrepant, sed sensu unum sunt. Ut Josephus dixit Pharaoni; [k] *utrumq; Pharaonis somnium unum est*. Quemadmodum enim Deus, ut doceret Pharaonem, quid in Ægypto septem annis destinatis saturitati, aliisq; septem fami, facturus esset; duo diversa somnia *vaccarum* & *spicarum* immisit; ut certiorem illum consilii sui redderet: ita Christus, ut ostendat nobis, quid commodi humano generi afferat, & ministerio verbi, & sacramentorum instituto; [l] geminam similitudinem, unam *clavium*, alteram *ligandi & solvendi* apponit; quò meliùs fructum ejus & virtutem teneamus. De *clavibus* enim dum loquitur; cœlum quasi domicilium esse statuit, in quod nullus hominibus patet ingressus, nisi fores reserentur. Nobis verò omnibus, Adami propagini, clausum cœlum est, sicut Adamo primo parenti nostro Paradisus, propter offensas & peccata nostra. [m] *Non enim in illud intrabit quicquam inquinatum*. Sed ita [n] *Deus dilexit nos*, nobisq; favit, ut *filium suum, unigenitum filium suum dederit; ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, quæ est [o] *hereditas nobis in cœlis servata*. [p] *Credere* non possumus, nisi verbum ejus audiamus: non *audimus* verbum, nisi *prædicetur*. Quare, quum [q] *Deus pater filium suum Christum mitteret*, & [r] *Christus mitteret Apostolos suos, ut Pater ipsum*, ad verbum ejus hominibus prædicandum; *ut iis qui resipiscerent, & crederent, peccata remitterentur; non autem iis remitterentur, qui increduli fuerunt, nec resipuerunt*: tum autoritatem concessit quasi aperiendi cœlum fidelibus, idémq; adversus impios claudendi. Quod claudendi aperiendíq; munus, quoniam *clavium* operâ in ædibus hominum exerceatur; & [s] *œconomus* [t] *clavem* habere dicatur, qua domum aperiat, & claudat: ideo Christus primarius Dei domûs œconomus scribitur [u] habere *clavem Davidis*; & Apostolis suis *claves* dedit (quasi diceres) *regni Cœlorum*, quùm eos [*] œconomos suos, excludendi recipiendiq; potestate ornatos, designaret. Altera illa *solvendi ligandiq;* similitudo idem spectat. [x] Sumus enim omnes *naturâ peccati filii*, [y] ideóq;

[k] Gen. 41. 25.
[l] Matth. 16. 19.
[m] Rev. 21. 27.
[n] Ioh. 3. 16.
[o] 1. Pet. 1. 4.
[p] Rom. 10. 14.
[q] Luc. 4. 18. & Esai. 61. 1.
[r] Marc. 16. 15. & Luc. 24. 47
[s] 2. Reg. 18. 18
[t] Esai. 22. 22.
[u] Revel. 3. 7.
[*] οἰκονόμους. 1. Cor. 4. 1.
[x] Rom. 5. 12.
[y] Rom. 6. 23.

mortis. *Peccata* verò animæ ferè sunt eadem, quæ [z] *funes* corpori; [a] & infiniti dolores mortis (hoc est, *stipendia peccati*) [a] *catenis* similes sunt, quibus impii in tartaro tanquam in [b] *carcere* ligantur. Ab hisce peccati funibus, æternísq; mortis *catenis* homines à Christo *solvuntur*, quùm *peccata ipsis remittuntur*; peccata remittuntur, si in ipsum *credant*; *si non credant, peccata retinentur*; & quorum peccata retinentur, illi *ligati* permanent. Nam, [c] *qui non credit, condemnabitur*; servabitur autẽ, qui credit. Illi enim soli condemnabuntur, quorum sunt retenta peccata, ut catenis caliginis vinciantur; soli illi servabuntur, quorum peccata remissa sunt, & soluti funes quibus detinebantur. Quoniam igitur in hunc finem Evangelium prædicatur, [d] *odor vitæ ad vitam credentibus*; infidelibus, *odor mortis ad mortem* (ut de Christo in Spiritûs sancti monumentis accepimus, [e] *misisse eum* Jehovam *ad proclamandam captivis libertatem, & vinctis aperturam ergastuli*) ita ministri ejus, quibus hoc prædicandum commisit, [f] *ligare* & *solvere*, [g] *retinere* & *remittere* peccata dicuntur. Quare, utrumq; loquendi genus idem innuit, quod *clavibus* significatur. Nam *ligare* & *retinere peccata*, nihil aliud est, quàm *claudere*; nec *solvere* & *remittere*, quàm *aperire regnum cœlorum*. Vestra Ecclesia in hanc partem *claves* interpretatur, ipsum videlicet [h] Concilium Tridentinum. Quum enim Christus Apostolis tribueret eorúmq; posteris *potestatem ligandi* & *solvendi*, hoc est, *remittendi peccata* & *retinendi*, quo modo ipsi exponitis: hanc vos ipsi *potestatem* vocatis *clavium, qua aditus in cælum pateat*; quoniam fores cœlorum illis quasi reseratæ sunt, qui remissione peccatorum donati sunt, reliquis verò occlusæ. Quibus ita constitutis, hæc summa est. Quùm *claves regni cælorum* nihil aliud sint, quàm *potestas ligandi* & *solvendi, remittendi* & *retinendi peccata*; Christus igitur, quùm *claves* promitteret, illam *potestatem* designavit; & illam *potestatem* quùm daret, *claves* dedit. Dedit autem illam *potestatem* cunctis Apostolis. *Claves* igitur eum cunctis dedisse concedendum est.

[z] Prov. 5. 22.
[a] 2. Pet. 2. 4
[b] 1. Pet. 3. 19.
[c] Ioh. 3. 18.
[d] 2. Cor. 2. 16.
[e] Esai. 61. 1.
[f] Matth. 16. 19. & 18. 18.
[g] Ioh. 20. 23.
[h] Chatechism. Conc. Trid. in sacram. Pœnitent.

HART. Hæc à te loca, nescio quomodo exponuntur. Magna enim pars ejus quod dicis, à nobis etiam affirmatur: in eo tamen, quod caput est, dissentis. Utcunq; singulas rationes conficis, est quidem totius summæ error. Ignosces igitur si non amplectar. Nam (ut * ejus utar verbis, cujus opinionem, licet tibi is displiceat, tuæ longè præpono) nomine *clavium regni cælorum*, quas Christus Petro promisit, omnem omnino potestatem, quâ regnum cœlorũ quomodocunq; acceptum aperiri & claudi potest, Christus complexus est. Nam quod sequitur, [a] *Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum in cælis; & quodcunq; solveris super terram, erit solutum in cælis*: non est (ut quibusdam visum fuit) explicatio, aut limitatio ipsarum clavium. Sic enim Petri potestatem tantùm ad forum externũ Ecclesiasticum Christus his verbis limitasset. Omnium enim Doctorum Scholasticorum sententiâ, verbis illis, [b] *Quæcunq; ligaveritis*, &c. (quæ sanè his verbis ad Petrum similia sunt, idémq; prorsus sonant) constituitur judex Ecclesiasticus in foro exteriori: sicuti illis aliis verbis, [c] *Quorum remiseritis peccata*, &c. constituitur judex Ecclesiasticus in foro interiori. Si ergo [d] hoc loco illud [*quodcunq; ligaveris*] esset vel explicatio, vel limitatio clavium; promitteretur Petro nomine *clavium*, solummodò judiciaria potestas in foro externo, quæ tantùm pars est (eadémq; minor) potestatis clavium. Multo enim excellentior est remittendi peccata, quàm excommunicandi, aut ab officio vel honore suspendendi facultas; ideóq; illa penes solos Sacerdotes est, hanc etiam non Sacerdos exercere potest. Rursum, quia Salvator illud, *Et quodcunq; ligaveris*, conjunctivè addit; debet differenter aliquam distinctam potestatem notare, saltem in specie: sicuti profectò cetera

* Stapl. princ. doctr. lib. 6. c. 1.
[a] Matth. 16. 19
[b] Matth. 18. 18.
[c] Ioh. 20. 23.
[d] Matth. 16. 19

om-

omnia præcedentia, conjunctivè prolata, differentia & distincta sunt. Ista videlicet, *Et ego tibi dico: Et super hunc Petrum: Et portæ inferi non prævalebunt: Et tibi dabo claves:* ac postremò, *Et quodcunq; ligaveris super terram*, &c. Itaq; in istis postremis verbis Petro promissa est, non solùm potestas ligandi & solvendi in foro, sive exteriori sive interiori, quæ utraq; sunt partiales tantùm actus ipsarum clavium; sed quia *claves* ipsæ indefinitè promissæ, nec ad unum aliquod vel aperiendi vel claudendi genus determinatæ sunt; profectò promissa est illi tota potestas, quantaecunq; tandem & qualiscunq; illa sit, quæ clavibus continetur. Tota autem & adæquata potestas ipsis *clavibus*, est *aperire* & *claudere*. Et in hujus rei signum ad summum magistratum claves urbis deferuntur; ut ejus imperio claudatur urbs & aperiatur. *Claves* ergo *regni cælorum* accipere, est potestatem accipere claudēdi & aperiendi regnum cœlorum: sive vitam æternam, sive communionem Ecclesiæ militantis, *regni cælorum* nomine intelligas. Hoc autem diversis & multis aliis modis fit, quàm ligando & solvendo in utroq; foro. Pastores enim in tota sua gubernatione spirituali, in doctrinæ prædicatione, in sacramentorum dispensatione, in legum constitutione, in sacræ Scripturę interpretatione, in articulorum fidei declaratione, in dubii & controversi dogmatis decisione, *aperiunt* & *claudunt* (exercendo, & subtrahendo illam potestatem) regnum cœlorum. Deniq; *Claves* Ecclesiæ dividi possunt, in *clavem scientiæ*, & *clavem potestatis*. Ad *clavem scientiæ* pertinet aperire Scripturas, quam Christus exercuit, Lucæ 24. & de qua dixit [e] Legisperitis, *Tulistis clavem scientiæ*, &c. *Potestas* verò *clavium* est vel *ordinis* vel *jurisdictionis*: ipsa verò jurisdictio est vel in foro externo, excommunicando, suspendendo ab officio, indulgentias concedēdo, & leges ferendo; vel in interno, peccata remittendo. Tota hæc amplissima & adæquata potestas *clavium*, soli Petro hoc in loco à Christo Salvatore promissa est. Atq; hæc ex vi & significatione verbi [*clavium*] satis patet. Ex usu & modo loquendi Scripturæ idem ostenditur. Nam quum apud Esaiam summo Sacerdoti Eliakim in figura Christi dictum esset, [f] *Dabo clavem domûs David, super humerum ejus*; statim Scriptura explicans hujus *clavis* usum, subjungit, *Et aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat*. Quod itidem totidem verbis reperiatur in Apocalypsi de persona Christi. Dicitur enim [g] *sanctus ille & verus, qui habet clavem David; qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*. Sicut ergo in figura *Eliakim*, in veritate Christus, accipiens *clavem domûs David*, id est, Ecclesiæ, aut *regni cælorum*; accipit eâdem operâ potestatem claudendi & aperiendi: ita Petrus loco & vice Christi accepturus claves regni cœlorum, unà etiam procul dubio accepturus est potestatem claudendi & aperiendi; id est, non solùm ligandi & solvendi in judicio utriusq; fori, qui sunt tantummodo partiales, non totales, & minores, non præcipui actus claviū, qui etiam omnibus Apostolis Matthæi 18. & Johannis 20. commissi sunt, quùm soli Petro claves datæ fuerint: sed etiam gubernandi, docendi, disponendi, atq; omnia exercendi, quæ ad generale Pastoris munus aliquo modo pertinere possūt, qui sunt adæquati actus ipsis clavibus; ideóq; his verbis soli Petro principaliter, ante, & supra alios omnes promissi. Audis hoc Stapletoni de clavibus Petro promissis judicium, in quo positum est Petri suprematûs & principatûs in Apostolos planissimè valideq; firmatum fundamentum.

RAINOLDUS. Quam tu benè longam & concinnam ex Doctore vestro fabulam narrasti, est lusciniæ illi simillima, quam [i] Laco quidam, quùm eam plumis denudasset, & pusillum tantùm cadaver relictum cerneret, his verbis lusit, *vox tu es, & nihil præterea*. Dispolies modò plumis fabulam tuam, corpus misellum ca-

[e] Luc.11.52.

[f] Esai.22.22.

[g] Apocal.3.7.

[i] Plutarch. in apoph. Lacon

daver est, nec quicquam ei materiæ subest. Quanquam nomina quidem gemini *fori, externi, interni*, unà cum aliis paris symphoniæ modulis, suavis valde videtur eorum auribus harmonia, quorum corda in *foro Romano* habitant. Hominibus autem rudibus, qui tantùm in * *foris Domini* versati sunt, admodum peregrinæ voces sunt, & profunda magis mysteria complecti videntur, quàm ut in eorum abyssum speremus nos posse immergi. Sed ut responsum tuum resecem, quo appareat quid in eo sit infirmum; hoc caput controversiæ decernitur. Ego potestatem aio promissam Petro nomine *clavium* decimo sexto Matthæi, præstitam fuisse & concessam omnibus Apostolis Christi, vicesimo Johannis. Id tu cum Stapletono negas. Quid ita? Quoniam *claves promissæ Petro significant aliud genus potestatis; cujus pars tantùm Apostolis data fuit, in alterutro nempe foro ligandi & solvendi* facultas. Quî autem isthuc probatis? *Quoniam scilicet his verbis, Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cælis*; &, *quodcunque solveris super terram, erit solutum in cælis: non explicat Christus suam de clavibus sententiam, ut quibusdam* (dicitis vos) *visum fuit*. *Quibusdam* ergo *visum fuit*, potestatem *clavium*, & potestatem *ligandi* & *solvendi* eandem esse: posteriorem à Christo additam, qua priorē exponeret. Mihi profectò ita visum fuit; nec tamen, ut ex vobis intelligo, mihi soli. *Quibusdam aliis ita visum fuit*. Ceterùm dicitis, *non esse, ut quibusdam visum fuit*; neq; adhuc nobis eos [*quosdam*] nominatis. An liceat, quæso, mihi, quinam hi [*quidam*] sint, cognoscere?

* Psal. 84. 2.

HARTUS. Nihil refert, qui sint; quum nos illorum opinioni repugnemus.

RAINOLD. Immo refert. Potest enim fieri, ut ego, si homines cognoscerem, eos vellem convenire.

HARTUS. Quò in errore tuo magis confirmeris. Sed eruditi viri in Scripturis exponendis diffident: alii metam attingunt, alii hallucinantur. Quùm verò Stapletonus multos omnis generis pervolutaret; poterat in nonnullos incidere falsò id exponentes (quomodo ipse facis) quos ille modestiæ causâ nominare noluit, ubi eorum opinionem refellit.

RAINOLDUS. Nequaquam ista mihi placet *modestia*. Verùm, quod res est, non audebat proferre illorum nomina; ne ipsos cognosceremus, & illorum præsidiis muniremur in veritate, ad errorem vestrū profligandum. Nam isti [*quidam*] quos ille ita levi pede transit, Patres tantùm sunt pleriq; omnes; qui uno ore *clavium promissionem à Christo factam*, eo pacto, quo nos, explicant. Atqui, quam edunt Patres expositionem, ea (vel ipsius judicio) Ecclesiæ est expositio; quæ purissimum Scripturæ sensum tradit. Atq; ita dum in altum solvit, ut suprematui *Romani Petri* merces invehat, naufragium in portu facit.

HART. Quî scis tu Patres plerosque omnes ita exposuisse? Num eos omnes legisti?

RAINOL. Minimè verò: neq; unquam lecturum me opinor. Illum tamen legi, qui ipsos, credo, legit omnes. Qui, quùm is sit, cujus fidei vos credere debeatis, verè hæc à me dicta esse testatur.

HARTUS. Quis ille?

RAINOLDUS. Ipse Pater Robertus, qui Lectoris publici, & Professoris Theologiæ vicibus Romæ defungitur. Qui, [k] quum tractaret de verbis Christi ad Petrum, *Quicquid ligaveris super terram, ligatum erit in cælis*; &, *quicquid solveris super terram, erit solutum in cælis:* aiebat omnem potestatem clavium illic promitti; non determinari ad partem, sed extendi ad quamcunq;. Etiam, Christum similiter eandem potestatem omnibus Apostolis promisisse, quùm verbis consimilibus u-

[k] Robert. Bellarmin. in prælect. Rom. controv. 4. q. 3. de sum. Pontifice.

* Math.18,18

(1) ἐν τῷ οὐρανῷ
Math 18,18.
(2) ἐν τοῖς οὐρανοῖς.
Math. 16, 19

sus * dixerit, *Quæcunq; ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo; & quæcunq; solveritis in terra, erunt soluta in cœlo.* Nam, etsi Origenis expositio, subtilior, quàm literalior, discrimen ponat inter promissa, quia in uno dicitur [(1) *in cœlo,*] in altero [(2) *in cœlis;*] *tamen est communis expositio Hilarii, Hieronymi, Anselmi & aliorum in hunc locum; nec non Augustini, tract. 22. & 49. in Johan. Dominum loqui de potestate clavium qua Apostoli, & eorum successores ligant vel solvunt peccatores. Et quanquā hîc videatur præcipuè agi de potestate jurisdictionis, qua peccatores excommunicantur; tamen Patres citati de utraq; intelligunt potestate, tam jurisdictionis, quàm ordinis. Et videtur ex textu colligi. Nam ita generaliter hîc dicitur [Apostolis] Quæcunq; solveritis, ut [Petro dicitur] Matth. 16. Quodcunq; solveris.*

Hartus. Fortasse à Patre Roberto ista objectionis loco dicuntur, ad quam responsum attexitur, atq; ita in adversam partem concluditur.

Rainoldus. Nequaquam. Sed opinionem quidem certè vestram objectionis loco inducit, ad quam responsum attexit, atq; ita in adversariam partem concludit. Hoc enim modo pergit. *Quid? Num igitur quod soli Petro promissum, datur omnibus Apostolis? Caietanus in tract. de inst. & autorit. Roman. Pontificis, cap. 5. dicit, non esse idem claves regni cœlorum, & potestatem ligandi & solvendi. Minus enim esse ligare & solvere, quàm aperire & claudere. Verùm, hæc doctrina magis subtilis, quàm vera esse videtur. Nam inauditum est, esse in Ecclesia alias claves, quàm jurisdictionis & ordinis: & planus est sensus illorum verborum, Tibi dabo claves, &, Quodcunq; ligaveris & solveris: ut, primò promittatur quædam autoritas; deinde explicetur actus ejus. Explicatur autem actus harū clavium per Ligare & Solvere, non per Claudere & Aperire: ut intelligamus esse metaphoricas loquutiones; nec propriè cœlum aperiri, sed dici tum aperiri cœlum his clavibus, quum homines solvuntur, & expediuntur à difficultatibus, &c.* Ita loquitur palmaris Lector vester, & Jesuita, Robertus Bellarminus: cujus judicium, (pace tua) multo pluris hac in re, quàm Stapletoni æstimo, ut Scripturis magis consentaneum.

Hartus. Illud tu, ut libet, æstima. Ego non necesse habeo Bellarmini stare judicio.

Rain. Verùm necesse habes Patrum judicio, Concilii Tridentini jussis, etiā [1] juramento, quantum ego conjicio, obstrictus, acquiescere. Cujus juramenti religione, quomodo exsolvat se Stapletonus, non video. Nisi Papa interpretetur eò usq; Patres sequendos esse, quò usq; ipsum comitentur; aliàs juramenti * cōditor vos obstringere non decrevit. Habeant ergo Patres bona nostra cum gratia discedendi veniam. Hominis forsan conscientia stimulata lumine veritatis eum impulit, ut ab eis descisceret. Causam ergo, qua impulsus est, audiamus. *Non idem significant,* inquit, *claves, & verba ligandi & solvendi, ut quibusdam visum fuit.* Cur non? *Omnium enim Doctorum Scholasticorum sententiâ, verbis illis, ligandi & solvēdi, constituitur potestas judicialis in foro solùm exteriori; illis autem, remittendi & retinendi peccata, in foro interiori. Exteriori foro* intelligit *Consistorium,* in quo Ecclesiæ disciplina & censura exercetur: *Interiori* conscientiam, ubi hominum culpæ & peccata ligantur aut solvuntur. Quare reipsa dicit solam *potestatem remittendi peccata, & in noxios animadvertendi,* Christi verbis ad *Apostolos designari; non illam amplissimam latissimamq; clavium potestatem* (Petro promissam) *omnium Doctorum Scholasticorum sententiâ.* Quæ ratio, etsi nequeat esse ejus ponderis ad partes ipsius corroborandas, cujus sunt Patres ad eas oppugnandas: in hoc tamen bono modo & apertè se gerit, quòd, Patribus desertis, Scholasticis adhærescit. Nam (post omnes vias tentatas) Scholastici tandem fulcra sint oportet *Papismi,*

[1] Alan. Apolog Anglic. Seminar. c. 5. Cōcil. Trid. Sess. 4. Bulla juramēti (annexa Concil. Trid.) Sacram Scripturam nunquā nisi juxta unanimem consēsum Patrum, accipiam, & interpretabor
* Pius quartus Bulla sanctissimi Domini nostri Domini Pii, divinâ providentiâ Papæ quarti, super forma juramēti professionis fidei.

adjunctis amicis fratrum suorum *Canonistarum* subsidiis. Opus quoq; Scripturas & Patres ad pompam prætendere, quibus res sit adornata. Sed illi sunt tanquam imagunculæ in priscis ædificiis laqueato opere decoratis, quę ita effinguntur, ut humeris suis tectum sustinere videantur, quùm illud muris & columnis stabiliatur. Scholastici & Canonistæ, (fontes ipsi corruptionis ejus, quæ pervasit Christi Ecclesiam: Scholastici in doctrina, per Papismi dogmata; in disciplina Canonistæ, per Papatûs dignitatem;) Scholastici & Canonistæ *duæ columnæ* sunt, quibus sustentatur Ecclesia vestra, ut [m] *domus Dagonis*, in qua Philistæi triumphant & insultant in fidem & Deum Sampsonis. Quid igitur si Scholastici, quorum [n] *oppositiones falsò nominatæ scientiæ*, notantur à B. Paulo, ut à Timotheo devitentur; quorum pleriq; illotis pedibus ingressi sunt Jehovæ sanctuarium; qui ignorantes linguas, quibus scripta sua Spiritus sanctus exaravit, (magna ad ejus sensum assequendum adjumenta,) non indagârunt sensum Scripturæ in Scriptura, sed humanum sensum in consilium vocârunt, juxta quem exposuerunt: quid si illi affirment, verba *ligandi & solvendi constituere judicem tantùm in foro exteriori; remittendi & retinendi peccata, in interiori; & utraq; minus quàm claves denotare,* quibus omnia quæ usquam gentium sunt, reserantur? Ego contrarium Scripturarum collatione probavi: nec potes ipse negare, quin Patres doceant contrarium. Ubi est acumen vestrum? Qui, etiamsi Scripturæ, ut nos probamus; Patres, ut vos ipsi conceditis, ita esse dicant: tamen non ita esse dicitis, quoniam *Scholastici non ita sentiunt*. Quasi diceretis in causa aliqua reip. quæ à Principe ejusq; consiliariis comprobata & constituta est; eam, etiamsi illi præcipiant, tamen non posse fieri. Quid ita? Quoniam non ita culinæ magistris placet.

m Iudic. 16, 29.
n 1. Tim. 6, 20.

HARTVS. Si pro eo ac debebas, crederes cum Catholicis, nolles ita opinione tuâ Scholasticos abjicere. Nã (ut à [o] Melchiore Cano benè vereq; scribitur) *Scholasticæ Theologiæ contemptus hæresis comes est; & hæreses Lutheri, Wiclefi, Melancthonis, deniq; omniũ Lutheranorũ videntur pleræq; ab illo fonte, nempe judicii Scholasticorũ contemptu esse derivatæ.* Sed utcunq; tu de illis censes, [p] *concors illorum omnium opinio* à nobis *tanti fit*, ut *illis refragari temerariũ atq; hæresi proximũ* esse arbitremur. Non sunt illis sanè politioris disciplinę ornamenta ea nec linguarum, quibus nonnulli nostræ ætatis instructi sunt; corpus tamen ipsum & [q] *medullam omnium scientiarũ* possident: in primis verò Thomas Aquinas, *in gravissimis & doctissimis Theologorum nominatus, quibus unquam Ecclesia Christi aucta fuit; quicquid demum imperiti hæretici, qui illum non intelligunt, contrà sentiant.*

o Loc. Theol. l. 8. c. 1.
p Cap. 4.
q Narratio de Angli. Semin. degente Romæ.

RAIN. Eam ego de vestræ Scholæ autoribus sententiam fero, quã ipsi merentur. Si Canus magis candidè de iis judicârit, in eo ferendum est, qui [r] ipse in eadẽ schola aliquo numero, & esse & haberi cuperet. Neq; tamen si tantum iis ego, quantũ ille, tribuerẽ, *consentientibus* scilicet *omnibus adhærescendũ esse*; nobis in multis fidei partibus gravem aliquam molestiam facesserent. Tantopere enim inter se pleriq; digladiantur, atq; iis etiam de rebus: ut, quod reprehendit S. [s] Paulus in *quæstionibus & verborũ pugnis*, id in nullos unquã rectiùs, quàm in illos quadrârit. Sed quomodo de Scholę Theologis, & Scholę Theologia Canus loquitur, ita cõvenimus ambo: etsi ego inimicus illis, amicus ipse appareat. [t] Familiaris quidã Sophoclis, Poetę Tragici, ab illo quęsivit olim, quid causę esset, quòd ille quùm mulierũ personas induceret, eas sẽper probas effingeret, quas Euripides cõtrà sẽper malas: Cui ille, *Quoniã ego mulieres, quales debent esse, effingo; Euripides, quales esse solent.* Ita mihi prorsus res cũ Cano cedit. Nã ille Scholasticos, quales debẽt esse, depingit: ego autẽ, quales esse solẽt. In eos ego invehor, qui pervertẽtes Scripturas, sacrã Theolo-

r Loc. Theol. l. 8. c. 1.
s 1. Tim. 6, 4.
t Arist. Poet.

giã philosophiæ placitis, vel potiùs sophismatis profanam reddiderunt,& tamen *Scholæ Theologi* appellantur: quùm revera neq; *Scholastici* sint, neq; *Theologi*. Ab illo verò nemo *Scholæ Theologus* habetur, nisi [t] qui *de Deo rebúsq; divinis aptè, prudenter, doctè, è literis institutísq; sacris ratiocinetur*. Si ergo istiusmodi viri soli sint *Scholæ Theologi*, & illa sola *Scholæ Theologia*, *quæ sacrarum literarum fundamentis constituta sit*, sicut à Cano definitur; tum libenter ego cedam *Scholæ Theologiæ*, & *Theologos Scholæ* sequar; sed illos ego nego *Scholæ Theologos* esse, quos tu voluisti, quum *Scholasticos* nominares. Etiam Thomam Aquinatem, quem Pōtifices vestri pluris, quàm Doctores omnes faciunt, illum in(1)*præcipuo et*(2)*primo loco secundùm Scripturam* statuentes,(Quid ni verò statuerent? Nam primus ille adeo penitus devotus consecratusq; fuit Papismo, omniũ qui ullius nominis sunt, scriptorũ:& suis rarissimis ingenii, doctrinę,& industrię dotibus, prę ceteris Papismũ evexit; quo magis(3)laudari jure posset, ut antesignanus fidei à Cōcilio Tridentino defensæ) etiã illũ ego sequar, quãdiu talẽ se præbeat Scholasticũ, qualẽ nobis Canus cōmendat. Non autẽ talẽ se Scholasticũ præbet, quùm(ut sæpè: cò usq; eũ nos intelligimus)deprimat veritatem,& errorẽ efferat; vel Scripturæ cōtra Scripturam obliquã interpretatione, vel fideliũ erroribus tanquam incorruptis nixus; vel propositis ad imitãdum, tanquã perfectæ lucis radiis, conjecturis Philosophorum. *Scripturæ obliquâ interpretatione*, ex translationibus aut expositionibus hominum vitiosis: *Fidelium erroribus*, ex praxi Ecclesiæ, aut nonnullis Patrum dogmatis: *Philosophorum conjecturis*, ex fundamentis Aristotelis, quæ tanquam principia veritatis paria Dei sacris oraculis habebat. Non exempla omnium Papismi errorũ recenseo, qui has nascendi occasiones habuerunt, à Thoma & Scholæ Magistris confirmati. Suo enim loco in disputatione nostra (si Deus voluerit) proferentur. In præsenti autem fateor *doctrinæ Scholasticorum contemptũ* de istis causis permovisse nos, ut à vestris Catholicis erroribus nosmet reciperemus; & *Lutheranicum quendã despectũ*, non *Scholasticæ Theologiæ*, sed *hujus Scholasticæ Theologiæ, esse hæresis nostræ comitẽ*. & in Academiis nostris, *Oxoniæ* & *Cantabrigiæ*, sacras nos literas magis quàm illã meditari; adeo ut id partẽ aliquã jure nobis exprobretis,(1)*hæresin in Anglia ejus studiũ finibus nostris exegisse*. Non enim Christi [u] *hæresi*,& illi seditioso homini ejus Apostolo Paulo fidẽ adhibuissemus; nisi despectui habuissemus Catholica commenta Scholasticorũ, qui huic, ut [x] Demetrius, adversantur. Nunquã autẽ me arcebis terriculamentis nominũ(2)Lutheri, aut Wiclefi, aut Melãcthonis, aut cujusquã hominũ; quò minùs illud cũ iis defendã, quod divino jure defendũt illi. Etsi enim nō gloriemur nominibus ab iis deductis, quibus à vobis premimur, sed [y] *Christianorũ* nomine, [z] *in quod baptizati fuimus*: tamẽ nō ullius in ipsis mali cōscius sum, nec vos, opinor,(mittite modò calũnias) quare illorum nos magis pudeat, quã quodã patres nostros Cæciliani, [a] à quo Donatistę eos Cæcilianistas nominãrũt. Verùm fuissent illi æquè flagitiosi, atq; eos fuisse hostes fabulãtur; vita libidinibus inquinata, doctrina mixta fermento, non minùs quàm illa Pharisæorũ: me [b] Paulus edocuit ut agnoscerẽ meipsũ etiã Pharisæũ(si necesse fuerit, nō modò Lutheranũ) quòd Pharisæi veritatẽ Christianæ fidei doceant, *resurrectionẽ mortuorũ*. Quare, si *Scholastici*(ut ad institutum redeam,) si omnes *Scholastici* distinxissent *claves à ligandi & solvendi functione, eamq; functionem à remittendi & retinendi peccata* potestate, quod tu de illis asseris: non tamen possent rationes, quas objeci, illorũ existimatione prępōderari. Quid verò, si omnes vestrę Scholę Doctores ista nō distinxerint? quod quidẽ certũ est. Quid si cōtrariũ potiùs scripserint? Quid de illo dicem', qui excoluit linguã suã tã inverecũda emẽtiẽdi cōsuetudine, ac si neq; Deũ ti-

meret,

[t] Loc. Theol. l.8.c.1.

1 Vrban. Pont. in confirm. & approbat. doctrinæ S. Thomæ.
2 Innocentius Pont. in serm. Ecce plus quã Salomon hîc. August. Hunę. præf. Summ. Theol. Thom. Aquin.
3 Pius Quintus, in bulla super celebratione festivitatis Angelici Doctoris, S. Tho. Aquin. Eclog. bullar. & Motu. proprior.

1 Narratio de Angl. Semin. degẽte Romę
[u] Act.24.5. & 28.22.
[x] Act.19. 24.
2 Vnde nomina Lutheranorum, Wiclefistarum, Melancthonistarum adversus nos usurpãtur ab Hosio, Staphylo, Sandero; ut & illa Calvinistarũ, & Anglocalvinistarum à D. Stapletono.
[y] Act.11.26.
[z] 1.Cor.1.13.
[a] Aug. brevic. collat. cum Donatist. collat. diei 3. cap 4.
[b] Act.23.6.

meret, nec homines revereretur? Primus, [c] Pet. Lombardus Pater Scholasticorū, *claves* definit per *scientiam, & potestatem ligandi & solvendi*; perindeq; porrò eas dividit, & tractat. [d] Alexander de Ales, qui ei suppar fuit, ejus insistit vestigiis, atq; *tantum esse ligare & solvere, quantum aperire & claudere*; quod potestas est universa *clavium*. Huic proximus Thomas Aquinas, cui displicuit quòd [e] Petrus Lombardus *scientiam* requireret, (quam quidam qui claves arrogant, non obtinent:) cetera illi assentitur; & *potestatem ligandi & solvendi*, rationem ipsam *clavium* esse decernit. Johannes Scotus Thomam subsequutus, [f] etiamsi inter *utrumq; forum secretum & apertum*, quemadmodum vos, distinguat: [g] tamen nō de aliis ullis clavibus, quàm de *ligandi* & *solvendi* munere somniat. Etiam (quod supremum vestrum caput jugulat) [h] Scotus, [i] Thomas, & [k] Alexander, idem, quod ego, affirmant; scilicet *claves promissas Petro decimo sexto Matthæi, datas esse Apostolis vicesimo Iohānis*. Isti verò principes Scholasticorū vestrorū perhibētur, atq; eo in pretio apud vos sunt, ut illorū 1 primus, *Magister sententiarū*; 2 proximus, *Doctor irrefragabilis*; 3 tertius, *Doctor Angelicus*; 4 quartus & ultimus, *subtilis Doctor* appelletur. Quid reliqui nigri satellites de re judicent, nō quæsivi; sed est verisimile à Dominorum latere non discedere, Thoma & Scoto præsertim non litigantibus. Quod ut credam eo citiùs adducor, quoniā Stapletonus, quāvis *omnes Scholasticos* suos esse hac in quæstione prędicat, nō unū tamē nominat; qui nō solet in nominibus & locis infarciendis tēperare margini, quùm ii (quos citat) aut dicant, aut videātur aliquid pro illo dicere.

[c] Sent l 4 dist 18. & 19
[d] Sum. Theol. part. 4. qu. 20. memb. 2. & 5.
[e] In magist. Sent. li. 4. dist. 18. quæ. 1 art. 1.
[f] Scrip. Oxon in Magist. Sēt. lib. 4 dist. 19. artic. 5.
[g] Art 3.
[h] In magist sent. l. 4. dist. 19. art. 1.
[i] In 4. sent. dist 24 q. 3 art. 2.
[k] Sūm. Theol. part. 4. qu. 20. memb. 5. & 6.
1 Lombardus.
2 Alexander.
3 Thomas.
4 Scotus.

HARTUS. Non est quod vitio illi vertas, quia nomina Scholasticorum ad expositionem suam confirmandam non producat; quùm eo modo probet, qui tibi arridet magis, ipsas nempe Scripturas conferendo.

RAINOLDUS. Locos alios apertiores Scripturarum conferendo?

HARTUS. Non. Sed ex ejusdem textús verbo [et] nimirum, *voculâ conjunctivâ*: quæ quoniam in prioribus membris res distinctas & discrepantes copulat, *Et ego tibi dico, Et super hanc petram, Et portæ inferi*; *Et tibi dabo claves: ligare* igitur *& solvere* aliud sit oportet à *clavibus*, quoniam extrema clausula per hanc voculam [et] reliquis connexa est, *Et quicquid ligaveris*.

RAIN. Nonne putas illum hoc exemplo contendisse ut ostenderet collationē esse inutilem verū Scripturæ sensum eliciendi rationē? Talis quidē certè collatio, qualis hæc est (quam ille rudiusculè tentat) non est optima eò perveniendi via. Verùm, nescio quo modo, quùm Scripturas versat, quasi stupere videtur, tanquā hospes in aliena terra. Neq; enim redit in memoriam [l] suæ adversus nos exceptionis, *unū atq; idē verbū in eadē sententia sæpe aliud atq; aliud significare*: nec animadvertit propriè *conjunctionē* usurpari ad connectendas res tam cōsentientes quàm discrepantes, & [m] utrasq; (ut hîc est videre) in eodem loco: nec cogitat posse res inter se differre, & tamen alteram alterâ explicari, ut *causam effectis, totum partibus*: neq; id, quod in quæstione versatur, expendit; quòd quamvis apud Matthæum verba Christi ad Petrum sensu differrent tantum, quantum ea ipse differre vellet, tamen Christus posset generali suâ apud Johannem legatione, cunctis Apostolis conjunctim præstare, quod illi promisit. Atq; hoc (ut illud ex omni controversia tollamus, in quo cardo litium nostrarum vertitur,) verba ipsa legationis tradita in *Scripturis*, à *Patribus* explicata, observata à *Scholasticis* tam necessariò evincunt, ut [n] Jesuita ille (quem citavi) Pontificis ipsius professor, & vehementissimus suprematus Pontificii procurator, ad alia sit coactus perfugia se quasi in subsidium conferre, hoc autem necesse haberet confiteri. Postquam enim ostenderat, *claves promissas Petro tantùm duas fuisse, ordinis & jurisdictionis*: demonstravit

[l] Stapl. princ. doct. l. 11. ca. 9.
[m] Ier. 1. 17. 18
[n] Rob. Bellar. prælect. Rom. controv. 4. qu. 3. de summo Pontif.

Christum utrasq; Apostolis dedisse; Clavem jurisdictionis in universum mundum, quòd iis diceret, Sicut misit me pater, & ego mitto vos; quod Cyrillus & Chrysostomus in hunc locum notant: Clavem ordinis, verbis quæ proximè consequuntur, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur iis; quorum retinueritis, retenta sunt. Aut, si Stapletonus se amet tantopere, ut nec *Scripturis*, nec *Patribus*, nec *Scholasticis*, nec *Jesuitis* ad erratum suum agnoscendum induci queat; audiat testem, qui apud eum plus valet; quem nullâ exceptione licet rejicere, nisi illa Legis sit; [o] *Testes, qui adversus fidem testationis suæ vacillant, audiendi non sunt.* Hic testis ipsus est; qui oblitus proverbii, *Oportere mendacem esse memorem*; [p] affirmat postea, *omnes Apostolos missos esse cum plena potestate ad inchoandam Ecclesiam, illis Christi verbis, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; & in ea omnes Petro pares fuisse.*

[o] L. in testim. Dig. de testib.
[p] Stapl. princ. doct. l. 6. ca. 7.

HARTUS. Rectè. Ait quidem *plenam potestatem ipsis datam esse illis verbis, Sicut misit me Pater; sed verba sequentia partem ejus tantùm continere, Quorum remiseritis peccata*, ut rursus eodem loco meminit. Hæc autem duo benè conveniunt; illis verbis eam datam esse, istis non esse. Quare, in eo ipse delinquis, quod in illo reprehẽdis, quem ut mendacem tangis. Commune sanè Protestantium vitium, dum nos oppugnant: quod satis indicii est, à quo vestra Ecclesia parente sit oriunda. [q] *Diabolus mendax est, & pater mendacii.*

[q] Ioh. 8. 44.

RAINOLDUS. Si quis nostrarum partium est his sordibus contaminatus; consulimus & exhortamur, ut elutis iis se purget, ne nomen Dei illius culpâ apud Ethnicos malè audiat. Verùm tu injustus nobis es, qui propter nonnullorum offensam, Ecclesiam nostram criminaris. *Non enim* [r] *omnes qui sunt ex Israele, sunt Israel*. Et è Jacobi filiis [s] Ruben incestum patravit, [t] Simeon & Levi homicidium: fuit tamen domus Jacobi Ecclesia Dei. Si ego injuriâ aliquâ Doctori vestro intulerim, quòd ut *mendacem* eum tangerem: error fuit, non crimen; non voluntate meâ, sed lapsu quodam. Atq; is quidem lapsus fuit, de quo gratias potiùs mihi debet, qui tango hominem; quam tibi, qui eum liberas. Ego enim, qui tango, virgâ tango; tu qui liberas, cædis illum scorpiis.

[r] Rom. 9. 6.
[s] Gen. 35. 22.
[t] Gen. 34. 23.

HARTUS. Quid hoc est?

RAINOLDUS. Tu illum capitalis criminis (ut sic appellem) insimulas, ut leviori liberes. Non Diabolum, inquis, mentiendo sequitur. Verùm concedis in eo sequi quod est deterius, supprimendis sacris Scripturis, ut lectorem seducat. Sicut enim Diabolus Christum tentans, ut *se de pinnis Templi dejiceret*, ait, [u] *Scriptum est, quia Angelis suis mandabit de te*; omisit, [x] *ut conservent te in omnibus viis tuis*; quòd hoc illi officeret, quum *viæ* ad quas tentabat, *Christi viæ* non essent: ita Doctor iste, dum tentat nos ut prosternamus nosipsos coram Papa, quùm recitaret, [y] *Quorum remiseritis peccata*, quasi minus aliquid his verbis Apostolis daretur quàm sit promissum Petro; [z] omisit, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*; quibus omnes plenam potestatem eandem cum Petro acceperunt. Neq; hac fraude contentus, pergit porrò. Et, quum [a] Scriptura de Eliakim referat, ipsum *præfectum Regis domûs fuisse*; Doctor iste eum, *summum Sacerdotem* fuisse affirmat: ut, quoniam *clavis domus Davidis* ei data esset, & hæc *clavis* in eo esset figura Christi, & Christus promitteret *claves* Petro; imperitus lector cogitaret (ex hac similitudine) quemadmodum Eliakim *summus Sacerdos* fuit in Testamento veteri, sic Petrum fore in novo: alterum, ut typum; alterum ut legatum *Christi veri summi Sacerdotis*.

[u] Matth. 4. 6.
[x] Psal. 91. 11.
[y] Ioh. 20. 23.
[z] Ioh. 20. 21.
[a] 2. Reg. 18. 18.

HARTUS. Quo consilio commotus Stapletonus, *Eliakim summum Sacerdotem*

fuisse diceret, me quidem latet; non opinor id dicturum ipsum fuisse, nisi justam opinionis suæ rationem habuisset. Et persuadeo certè mihi; si hujus rerúmq; aliarum quas tu criminaris, certior esset factus; velle ipsum, quicquid ab eo scriptum sit, præstare.

RAINOLDVS. Hoc per quidem ego vellem. Tum enim resipisceret, & errores corrigeret; qua una via id quod malum est, præstatur. Verùm hinc licet tibi audire ipsum confitentem, *claves* Christum omnibus Apostolis dedisse quas Petro promisit. Quoniam enim *claves* significant *plenam potestatem*, & *plena potestas* illis omnibus est concessa: *claves* illis omnibus datas esse consequitur. Quo magis otiosa est illa plenissima delirationis fabula, quam ex illo commentus es: verba scilicet *ligandi & solvendi, remittendi & retinendi peccata, partiales non totales, & minores non præcipuos actus ipsarum clavium denotare; aperire autem & claudere, quibus potestas ipsis clavibus adæquata significatur, esse totam & amplißimam potestatem; atq; ita partiales minores actus clavium commissos esse à Christo omnibus Apostolis, quùm soli Petro claves traderentur.* Cujus conclusio tam liquidò falsa est, ut ipse (quasi ferventius frustum liguri sset, quod rursum necesse esset evomere) coactus sit eam ejicere protinus, eiq; planè contrarium affirmare. Nam quod addit, *plenam potestatem clavium promissam esse soli Petro principaliter, ante & supra alios omnes*: concedit (vi consequentis) eam promissam esse reliquis Apostolis, & illis igitur datam esse.

HARTVS. At principaliter tamen soli Petro. Quamvis autem omnes recepissent claves, ipsam plenam potestatem, eandem cum illa Petri, quod ego nihilominus non concedo, sed finge recepisse; confirmat tamen hoc Petrum quadam ratione illis supremum caput fuisse.

RAIN. Quid ita? Quoniam non major potestas ipsi data fuit, quàm illis?

HARTVS. Minimè verò: sed quoniam * potestas quæ illis data fuit, per ipsum tributa sit. Nam hoc modo (ut [b] Leo magnus prudenter scribit) *firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis confertur.*

RAIN. Leo iste impendiò magis Petri dignitati favit, quod [c] antea demonstravi. Quare, utcunq; *magnus* fuerit, & *prudenter scripserit*; scripta tamen ejus cedant oportet verbo majoris Leonis, * *Leonis*, dico, *tribus Judæ*. Nō enim ab illo docemur Apostolos potestatem suam acceptam Petro referre, sed [d] cum illis Petrum proximè eam à Christo recepisse. Etiam Paulus, [e] licet post ascensum Christi designatus esset Apostolus: tamen [f] *Apostolus fuit, non ab hominibus, neq; per homines, sed per Jesum Christum, ac Deum Patrem, qui suscitavit eum ex mortuis.*

HARTVS. Vera sunt quæ dicis: verùm non rectè mea interpretaris. Videris enim de Apostolica potestate loqui, quā ego fateor illos proximè à Christo recepisse. Sed * alia præterea in illis fuit nēpe Episcopalis; aut Pastoralis potestas. Qua quùm Petro impares essent, licet pares Apostolicā: potest fieri eos Episcopalem potestatem ab illo, quamvis non Apostolicam, habuisse.

RAIN. Est certè tale aliquid, quod velint vestrates dicere. Sed (ut ignorantiā meā confitear) ego, quid inde vellent, nō assequor. Cujus me suppuderet fortassis, si vos (qui tractatis illud) ipsi perciperetis, aut nobis sensum aliquē, & rationem ejus redderetis. Nā, si omnis potestas, quā prediti sunt Episcopi, quatenus Episcopi, sit potestas clavium; & Apostoli, quatenus Apostoli, obtinerent omnem potestatem clavium ipsis à Christo delegatā; (quorū utraq; probant Scripturæ, nec vos refellitis:) non fuit ulla tum potestas, quam à Petro, quatenus Episcopi, poterant recipere; ideóq; nec receperunt ab illo aliquam, nec in ea inferiores ipsi fuerunt. Hoc

* Stapl. princ. doct. li. 6 ca. 7. & 15.
[b] Serm. 3. in ann. die assumpt. suæ, & Serm. 2. in Natali Apostol. Petri & Pauli.
[c] Ca. 1. sect. 2.
* Revelat. 5. 5.
[d] Ioh. 20. 21. Mat. 28. 18.
[e] Act 9. 15.
[f] Galat. 1. 1.
* Stapl. princ. doct. li. 6. c. 7.

tamen Papatus figitur fundamentum, sed super eam arenam jacitur, ut Architecti, qui maximos in illo jaciendo labores exantlant, circum illud (tanquam temulenti) nutent ultrò citróq;, & vacillent; & percussi scotomate, ut [g] *Sodomitæ ad Loti ostium, quærendo sint defessi.* [h] Cardinalis Turrecremata, maximus hujus commenti autor, opinatur [i] *Christum reliquos Apostolos suos ad Episcopalem dignitatem duxisse, eos per Petrum consecrando: sicut duxit populum suum per desertum in manu Mosis & Aaronis.*[k] *Nam ab ipso solus Petrus factus est Episcopus, & Petrus reliquos fecit, primùm* Johannem, *deinde* Jacobum, *& deinde alios:* ut divinat scilicet Cardinalis conjecturis somniorum, partim è jure canonico, partim è suo cerebro depromptis. [l] Turrianus Jesuita (qui homo somnia ejusmodi ut oracula solet suspicere) etsi Petrum *patrem Apostolorum* esse comprobet, tamen hunc modum *paternam* illi *dignitatem* tribuendi absurdiorem putans, ait, *omnes Apostolos ordinatos fuisse Episcopos,*[a] *impositione quasi linguarum ignearum super ipsos, quum Spiritum sanctum reciperent.* Quod Hieronymi, Dionysii, aliorúmq; Patrum testimoniis corroborat. Cujus ex opinione efficitur, ut, si detur Apostolos Episcopos fuisse designatos, sicut generali quodam sensu (quo munus eorum * Episcopatus dicitur) fuerunt; tamen à Deo fuerint proximè, quemadmodum Petrus, & non à Deo per Petrum designati. Stapletonus, anxius valde quomodo inter has utrasq; opiniones se gerat, posteriorem quidem veriorem, priorem verò Papę tutiorem, titubanter & inconstanter loquitur, quasi (ut in proverbio est) *lupum auribus teneret*, quem neq; è manibus dimittere ausit, neq; metu periculi retinere. Nam ex altera parte veritati cedere, non facilè quidem audet, ne inde præjudicio quodam Papæ jus infringeret: & ex altera, ei resistere non libenter cupit, quia * *timet populum.*[m] Primùm igitur ait *claves* (quæ significant plenam Ecclesiasticæ administrationis potestatem) *datas esse soli Petro.*[n] Tum fatetur *omnes Apostolos legatos esse à Christo cum plena potestate, immò cum potestate plenissima, & illi Petri potestati pari.* Hinc rursus revertitur, veterémq; suam cantilenam recipit; [o] *Christum omnem potestatem Ecclesiasticam uni Petro eminenter, & per eum aliis communicasse.* Quam chordam, quoniam suavem illa sonum fundit, [p] pulsat sępiùs. Postea, vel quòd sollicitus esset de infirmorum Catholicorum conscientiis, vel de linguis Calvinistarum qui favent Apostolis, eósq; ita dejici auribus animísq; aversantur; dicit [q] *Apostolos immediatè à Deo ubiq; terrarum cum plena potestate missos esse.* Confestim tamẽ eâdem correptus vertigine (quadam, credo, commotiunculâ * suæ sanctitatis irę, quę posset hisce sermonibus concitari) pronũtiat [r] *principium potestatis & honoris ad alios omnes ab uno Petro derivari.* Atq; istis progreditur itineribus in universo volumine (cùm hujus, tùm reliquorum suorum *doctrinalium principiorum*) alternis quibusq; passibus intertrigene quadam confundens vestigia, ungulásq; inter se collidens. Verùm ita Dominus eorum linguas confundet, qui Babylonem exstruunt. Hic tamen, istis vulneribus, quibus seipsum lancinat, putat mederi se posse distinctiúculâ, quã de Cardinalis Turrecrematę officina surripuit, *duplicis potestatis*, cujus altera *Apostolica*, altera *Episcopalis*; ceteros Apostolos inferiores fuisse Petro *Episcopali*, licèt pares *Apostolicâ*; atq; omnes potestatẽ *Apostolicã* immediatè recepisse à Christo, ceteros (ut nominatim Jacobũ) *Episcopalẽ* à Petro. Sed duo docti Fratres, *Sixtus Senensis*, & *Franciscus Victoria* (majoris lectionis et judicii viri, quàm vel ipse, vel Turrecremata) has argutias, tanquam putridum pharmacum rejecerunt, priusquã Stapletonus eas arriperet. [s] *Victoria*, dum ex Scripturis ostendit, *Apostolos recepisse omnem suam potestatem immediatè à Christo:* [t] *Sixtus*, dum demonstrat ex Patribus, *potestate Apostolica, & ordine* (sic illas

[g] Gen. 19. 11.
[h] In summa de Eccles. l. 2.
[i] Cap. 34.
[k] Cap. 32.
[l] Pro epist. decretalibus Põtificũ. l. 2. c. 21.
[a] Cap. 2.
* ἐπισκοπὴν. Act. 1. 20.
* Mat 21. 26.
[m] Stapleton. princ. doctr. l. 6. cap. 1.
[n] Cap. 7.
[o] Cap. 8.
[p] Cap. 6. & 7. & 8. & 10. & 15.
[q] Cap. 15.
* Pontificis.
[r] Cap. 15.
[s] Relect. 2. de potest. Eccles.
[t] Bib. l. sanct. l. 6 annot. 269 & 271.

binas potestates appellat) *Paulum parem Petro fuisse, & illis utrisq; ceteros.* Quod ita perspicuum esse existimavit, ut quum desperaret Papatui à Petri vel *Episcopali potestate* vel *Apostolica*, tertium adjiceret potestatis genus, ipsam *regni potestatem*, qua Petrum omnibus Apostolis præficeret, ut ita Papa quoq; Episcopis imperaret. *Sciendum est*, inquit; *triplicem in Petro fuisse potestatem, nimirum Ordinis, Apostolatus, ac Regni. Si Apostolatum spectemus, hoc est, docendi officium, & Evangelicæ prædicationis curam, rectè dixit* (1) *Hieronymus, Paulum non esse Petro inferiorem, quia Paulus ad Evangelicum munus, non à Petro, sed à Deo, æquè ut Petrus, electus est. At si ad potestatem inspicimus, quæ in Ordinis sacramento confertur, scitè* (2) *Hieronymus pronuntiavit, omnes Apostolos ex æquo claves accepisse; etiam omnes Episcopos pares esse in eodem sacerdotii ordine, & in eadem sacramenti præstantia. Demum, si de potestate Regni, deq; illa primaria super omnes Episcopos & Ecclesias autoritate sit sermo, optimè scripsit* (3) *Hieronymus, unũ Petrum inter duodecim Apostolos electũ, & caput omnium constitutum, ut ejus supremâ autoritate, & eminentiori præ ceteris potestate, contentiones Ecclesiæ dirimantur, & omnis schismatum occasio tollatur.* Jam si voles præsidiis *regiæ potestatis* uti quibus Papam munias; eorum nos robur experiemur, [u] quum tu proferes. Interim *Episcopalis* illa *potestas*, quam Petrus fingitur *Apostolis tribuisse*, (uti Papa vellet Episcopis) Cardinalis fuit diverticulum, quo Domini sui Papæ commodo inserviret: doctissimi *Jesuitarum* vestrorum, & *Fratrum* non audent eam assumere: Doctor vester ejus est cupidior, sed ita leviter attingit, quasi ab illa sibi metueret. Si tibi animus huic stare, eamq; tueri cum Cardinale, videamus robora tua & firmamenta. Ubi eam Apostoli à Petro acceperunt? Quo tempore? Quo modo? Quem testem ejus affers?

(1) In Cōment ad Galat.
(2) Advers Iovin. & ad Evagr.
(3) Advers. Iovin. & Luciferian.
[u] Cap. 5. Sect. 3.

HART. Non acceperunt. Sed ex præscripto quidem ordine accipere debuerunt.

RAINOLDUS. Num ordo iste fuit? Cur violârunt?

HART. Christus * singulari privilegio illos ab eo eximebat.

RAINOLDUS. Lex ergo fuit, qua huic obstricti fuerunt.

HARTUS. Quid ni? Facere enim debuissent, quamvis non fecerunt.

RAINOLDUS. Debuissent facere quod non fecerunt? quî id probas?

HARTUS. Quia ordinem præscribi oportuit, quem posteri observarent.

RAINOLD. Ordinem præscribi? Quibus? Num Apostolis? [y] fateris ab hominibus eos legari non potuisse. An Episcopis? [z] Ab aliis illi non minùs ritè quàm à Petro sunt instituti. Malles autem tu hanc speciem responsi excudere; quàm dicere, (quod reipsa diceres) *Nescio.* Nobiscum enim agitis, ut * Erucius olim cum Roscio; quem quum insimularet, *patrem occidisse, quòd Pater ipsum exheredare cogitaret: illum quidem voluisse exheredare*, inquit Cicero, *certè tu planum facere debes. Exheredare filium voluit. Quam ob causam? Nescio. Exheredavitne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? Cui dixit? Nemini.* Quæ mihi respōsa dedisti, sũt istis valde similia, sed paulò perturbatiora. Nam ut Papæ suprematum Petro fulcires, aiebas *Apostolos omnes accepisse potestatem suam, saltem illam Episcopalem à Petro.* Accepisse eam, tu planum facere debes. *Omnes Apostoli accipere debuerunt suam à Petro potestatem.* Quæ Scriptura ita dicit? *Nescio.* Acceperuntne? *Non.* Quis prohibuit? *Debuerunt.* Debuerunt? Quî probas? *Nescio.* Non possũ de te asserere, quod Cicero de Erucio: *Quid est aliud judicio, ac legibus, ac majestate judicum abuti ad quæstum atq; ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atq; id objicere, quod planum facere non modò non possis, sed ne coneris quidem?* A me enim ipso hoc testimonii sumes, te ut id planũ facias, conari. Sed præstabit tibi huic supersedere conatui, nisi argumēta tua sint firmiora, nec speciem in se tantùm, sed etiam pondus habeant veritatis.

* Stapl. l. 6. c. 7
[y] Immediatè à Deo missi. Staplet l. 6. c. 13.
[z] Tit. 1. 5. 7.
* Cic. pro Sex. Roscio.

Cap. 3.

Donatio [promissi suprematus] quam Christo affingunt adversarii, 1. dum dicit Petro, Pasce agnos meos, pasce oves meas: *2. &*, Confirma fratres tuos; *unà cum partium ejusdem circumstantiis,* Diligis me? *&*, Ego oravi pro te Petre: *Quid, & quomodo pro Petro faciant; quomodo pro universis.*

SECTIO PRIMA.



HARTUS. Quod Petro factum est promissum, non speciem tantùm habet, sed etiam pondus veritatis, ad suprematum ejus stabiliendum. Sed ut faciam tibi satis, qui id in se ponderis satis habere non arbitraris; persolutum Petro idem adjiciam, atq; ita tibi ad justum ejus pōdus corollarium hoc addetur.* Dictum enim fuit Petro in præsentia trium Apostolorum, Jacobi, Johannis, & Thomæ à Servatore Christo, eo etiam momento quo ad Patrem jam ascensurus esset, ideóq; aut tunc, aut nunquam vicarium constituturus; [a] *Pasce agnos meos, Pasce oves meas.*

*Staplet. prin. doct. lib. 6. c. 9.

a Ioh. 21, 15, 17.

RAINOLD. Non *eo momento* dictum. Istud est, opinor, corollarium illud, quod ad pondus supplendum es additurus; ut nonnulli cerumen levioribus aureis addunt. Verùm verba illa dixit Christus; quid ex iis colligis?

HARTUS. In illis verbis Christus verè promissum illud solvebat, quod Petro fecerat. Sed Christus delegavit illi provinciam universum gregem suum pascendi, absq; cujusquam exceptione. Quare eum supremum caput Apostolorum constituit.

RAINOLDUS. Ista ratio videtur paralysi quadam laborare. Nervi ejus viribus deficiuntur.

HART. Quamobrem?

RAINOLDUS. Quoniam in illo *pascendi oves & agnos* negotio, neq; legatio fuit Petro data; & si fuit, nihil amplius tamen ipsi quàm ceteris Apostolis fuit delegatum; & verò, si quid amplius, non tantum tamen, quantum ipsum illis supremum caput præficeret.

HART. Si ex tribus istis secundum probâris, illa quæ supersunt duo, superfluunt.

RAINOLD. Omnino. Verùm, cum corollario pondus reddemus tibi, quod tuum nobis datum exsuperet. De primo autem, ostendi jam antea legationem, quā Christus Petro dedit, [b] priùs illi dedisse, quum diceret: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: si quorum remiseritis peccata, remittuntur iis; si quorum retinueritis, retenta sunt.*

b Ioh. 20, 21.

HARTUS. At Christus eo tempore non tantum ei tribuit, quantum promiserat. Quare promissi parte tantùm tum præstita, pars postea præstabatur: tum, quantum conjunctim cum Apostolis obtineret; postea, quod supra ipsos est consequutus.

RAINOLD. Istud vobis exsistit vallum Petri suprematus, sed mendacio fulcitur. Quicquid enim Christus ei promiserat, iis verbis continebatur; [c] *Tibi dabo claves regni cælorum.* Nonne?

c Matt. 16, 19.

HARTUS. Etiam: quid inde?

RAINOLDUS. In ista verò legatione (quum eum plena cum autoritate &

potestate mitteret) omnes illi claves dedit regni cœlorum: in ista ergo legatione dedit quicquid promiserat.

HARTUS. Omnes claves regni cœlorum in ista legatione dedisse nego.

RAINOL. Confirmo. Omnes claves (ut ex * tua propria confessione constitit) duæ tantùm sunt, scientiæ & potestatis; vel potiùs utræq; potestatis, Thomæ Aquinatis judicio, quem tu potiùs amplecteris. At Christus utrasq; illas ei dedit in hac legatione;[d] *Ut Pater me misit, ita & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum.* Quare in ista legatione dedit illi claves omnes regni cœlorum. Quascũq; autem in ista illi claves dederit, easdem ceteris Apostolis dedit; tantam ergo autoritatem universis dedit, quantam Petro. Verùm istud proximè est agitandum. * Cap. 2. Sec. 3 [d] Ioh. 20. 21.

HART. Spiritum sanctum tamen [e] postea die *Pentecostes* cœlitus receperunt. Quare non totam legationem suam hoc tempore assequuti sunt: partem ejus deinceps exspectabant. [e] Act. 2. 1.

RAINOLDUS. Immò; hæc pars fuit legationis, ita exspectare. Nam (ut ampliùs à Luca declaratum est) quum [f] *Christus eorum mentem aperuisset ut intelligerent Scripturas*; imperavit iis ut [g] *manerent in urbe* Jerusalem *usq; quò induerentur virtute ex alto.* Si suis Rex aliquis pacis publicæ tuendæ legationem designat; autoritatem simul iis tribuit verbis legationis suæ, qua munere illo fungantur. Si ipsis non tanta fortè sit bonorum affluentia, quanta opus est pacis Justitiariis ad munere suo defungendum; Regi autem sit in animo, certo quodam tempore possessiones & fortunas iis elargiri, quibus instruantur ad negotium: recipiunt illi ex possessionibus istis, non autoritatẽ, quam jam adepti sunt, sed facultatem, qua erat destituti: & quo majora possident, eo majorem facultatem, sed non autoritatem majorem officium exsequendi nanciscuntur. Christus Rex Regum, [h] legationem pacis Apostolis cõmisit, pacis cœlestis non terrenæ, non corporeæ sed spiritualis, non temporalis sed æternæ. Autoritatem suam verbis legationis acceperunt: sed ut hoc officio defungerentur, magnis Spiritus sancti thesauris indigebant. Quorũ aliquot [i] tum tẽporis eos locupletavit; [k] pluribus, in *ignitis* illis *linguis* cœlitus demissis; & adhuc etiam pluribus, [l] ut Ecclesiæ statui maximè conducebat; atq; isti [m] benè elocati plures confecerunt; quibus adauctis, facultas quoq; eorum fuit amplificata: non sic autem autoritas, quæ tota semel est concessa. [f] Luc. 24. 45. [g] ver. 49. [h] Rom. 10. 15. 2. Cor. 5. 20. [i] Ioh. 20. 22. [k] Act. 2. 3. [l] Act. 10. 11. & 11. 18. [m] Luc. 19. 16.

HARTUS. Atqui Rex, ut majus periculum suorum Justitiariorum faciat, potest illis minorem autoritatem primò, & deinde majorem committere.

RAINOLDUS. [n] Perinde Christus Apostolis. Sed quum jam fecisset eorum periculum in minori ista legatione; eos per hanc legationem ad majorem accersivit, immò ad maximam, qua neutiquam majorem poterat iis assignare. [n] Math. 10. 15

HARTUS. Non fortasse intra limites legationis: poterat tamen propagare fines, latioresq; limites definire.

RAINOLD. At Christus in ista legatione autoritatem ipsis non per unum aliquem comitatum aut pagum, sed per universos imperii sui fines concessit. [o] *Ad omnes* enim *nationes* misit. [o] Marc. 16. 15. Luc. 24. 47.

HART. Quid verò, si cedam tibi Christum hac legatione omnem autoritatem Petro dedisse, quam ei promiserat, eiq; daturus erat?

RAINOLDUS. Si omnem illam potestatem hac legatione dederit, nulla particula ejus supererat in quavis altera concedenda; si nulla particula concedenda, nulla tum amplior potestas iis verbis Christi concessa fuit, *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*; si nulla potestas amplior, vallum præsidiumq; Papatus vestri figmento stabilitur.

p Ioh.21.15, 16,17.

Hartvs. Nullum igitur ad usum loquebatur Christus, quum diceret Petro,p *Diligis me? Pasce agnos meos. Diligis me? Pasce oves meas.*

Rainoldvs. Absit. Ad magnum enim usum, quamvis non ad vestrum. Nam his illi mandatum dat, etiamsi non legationem. Ut si regia Majestas, quum jam diplomate suo Justitiarios Boreali parti præposuisset, & in iis unum fortasse, de cujus fideli animo optimè ei persuasum esset, qui tamen non constantissimum se seditionum temporibus præbuisset, huic illa diceret (quò ad officii sui rationē alacriùs suscipiendam ipsum incitaret) *Diligis nos? Cura miseros subditos nostros. Diligis nos? Cura fidelem populum nostrum.* Quod negotium & mandatum multo rectiùs dare Petro Christus poterat, quàm Regina cuiquam Borealis regionis Justitiario: quia incerta est, an nova *Bulla* aliqua ab urbe Romana sit ventura, aut, an oriturae sint novæ *seditiones*. Illum autem non fugerat in gravioribus periculis Petrum futurum, quàm quibus tum urgebatur, quum aufugeret, & magistrum ejuraret: De quibus prædicit illi (quàm primùm hoc mandatum ei dederat) idq; tāquam in causa gravi,* vehementibus, magnæq; asseverationis verbis: narrans illi, q acerbam ipsi mortem esse obeundam, professionis fidei suæ, & gregem Christi pascendi causâ. Quare, ut contra carnis timorem armaret eum, quo perculsus priùs prodidit officium, quum levior metuendi occasio objiceretur; Christus, quū quasi calfecisset ferrum, quæstiunculâ illâ, *Diligis me?* ferit idem, ut instrumentum fiat structuræ commodum, atq; ita præcipit, *Pasce oves meas*; etiam, quamvis labor molestus sit, & tibi magno constaturus; nam tibi mortem procurabit. Non igitur novum aliquod negotium Petro delegat; sed imperat, ut ejus curam gerat, quod ipsi delegârat; nec ab eo ullius periculi metu transfugeret. Perinde, ut si prudens navarchus, quum cerneret periculosam procellam adventantem, nautis præciperet, de quibus benè sit promeritus, ut, *si ipsum diligant, velificationi diligenter incumbant.*

* Amen, amē, dico tibi.
q Ioh.21.18.

Hartvs. Esto. Ut fuerit fortasse, non legatio, sed mandatum; tamen ejusmodi mandatum fuit, quo officium illud jubebatur exsequi, quod ejus fidei in legatione commissum est.

Rainoldvs. Opinor. Quid infers?

Hart. Petrus ergo legationem accepit *pascendi oves & agnos Christi.*

Rainoldvs. Quis diffitetur? Eam enim r à Christo, quam s Christus à Patre suo, accepit legationem, *Evangelizandi pauperibus, medendi contritis corde, prædicandi captivis dimißionem, & cæcis visus recuperationem, confractos emittendi in libertatem, & annum Domini acceptum prædicandi.* Quod est, verbis quidem aliis, *agnos & oves Christi pascendi munus.* Christus enim per similitudinem quandam vocatur, *Pastorum* t *Princeps*; Ecclesia ejus, & electi servi, u *grex ovium & agnorum*; cujus præcipuam curam Apostolis commisit, ut eum pascerent. Quare, quod est Petro mandatum de *pascendis ovibus, & agnis*, legationem illam denotat, quæ priùs illi commissa fuit, quùm *Christus illum mittebat, ut Deus Christum.* At in ista legatione Apostoli omnes pares Petro erant: pares igitur erant illi in ipso munere *pascendi oves, & agnos Christi.* Atq; isto modo est, quod secundo loco mihi probandum fuit, (illud maximè lethale vestri supremates vulnus) probatum.

r Ioh.20.21.
s Luc.4.18.
t 1.Pet.5.4.
u 1.Pet.5.2.

Hartvs. Probatum? Quî probatum?

Rainol. Non minùs certè manifestò luce ipsâ solis meridianâ. Nam ita *Apostolos mittere, ut Deus Pater misit Christum*, est, *delegare videlicet ipsis munus pascendi oves, & agnos*; At *Christus misit Apostolos, sicut ipsum misit Deus Pater*; *delegavit* igitur *ipsis munus pascendi oves, & agnos.* Amplissima verò potestas ista est, quæ

po-

potest exhiberi uspiam Petro à Christo concessa. Quare, in amplissima potestate quam ei Christus concessit, omnes illi Apostoli pares erant. Si ægrè hæc in causa Scripturis credas; at Pontifici credas, [x] eiq; antiquo Pontifici (nisi decreta canonica mentiantur;) *Ceteri Apostoli cum Petro pari consortio honorem & potestatem acceperunt.*

HARTUS. Verum hoc quidem est, Apostolos Petro pares fuisse; sed Apostolatus ratione, non muneris Pastoralis.

RAINOLD. Hæc responsio tua quandam distinctionem habet, non autem differentiam. Homo idem est, sed togâ indutus non eâdem, quem [y] paulò ante ostendi esse decoctorem; atq; nunc prodit iterum nova veste amictus instar honesti civis & locupletis.

HARTUS. Cur ita dicis?

RAINOLDUS. Quoniam distinxeras *Episcopalem potestatem* Apostolorum ab Apostolica; ut hîc, verbis aliis, *Apostolatum* eorum à *Pastorali munere*: quùm *Pastorale Apostolorum munus* nihil aliud revera sit, quàm *Apostolatus*; nec quicquam habeat magis, quàm alterum, discriminis. Nomen enim *Pastoris* duplici sensu usurpatur, *speciali*, & *generali*. *Speciali*, genus quoddam functionis ab Apostolatu distinctum notatur, (quod [z] Doctor vester concedit) atq; ita Apostoli non sunt Pastores; ut quùm dicitur, [a] *Dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Generali*, commune significatur eorum omnium munus, qui verbum docent, & gregem Dei pascunt; quo sensu [b] Christus ipse appellatur *Pastor*. Quùm idcirco Apostoli priori sensu non sint *Pastores*, posteriori verò, quicunq; sunt in Apostolatu pares, eos in Pastorali munere pares esse necessariò consequatur: distinctio tua, *in altero* nimirum *fuisse pares*, *in altero non fuisse*; non majore eum ratione affertur, quàm alia quædam [c] Stapletoni; qui ait, *eos æquales fuisse potestate gubernationis, sed non regiminis.*

HARTUS. Verba ejus depravas. Ait enim *maximum hoc discrimen esse inter Petrum, & reliquos Apostolos; quòd Petro data est potestas præceptiva, seu regiminis; Apostolis autem tantùm exsequutiva, seu gubernationis; quoniam in ipsa gubernatione Ecclesiastica, Petrus præscriberet ea quæ agenda essent, & illi eadem exsequerentur.*

RAINOLD. Ego illa non depravo, nisi is insulsè loquatur, & quæ ipse non intelligat. Eò enim contendit, ut probet *omnes Apostolos æqualem potestatem à Christo accepisse; sed cum triplici quodam discrimine: quorum hoc unum. A Christo parem potestatem habuisse* (scilicet) *omnia faciendi, & exsequendi, quæ ad ædificandam Ecclesiam pertinebant: ita tamen, ut Petro data sit potestas præceptiva, & regiminis; reliquis exsequutiva & gubernationis.* Quod perinde ridiculum est, atq; si quis diceret; Regiam Majestatem, & Prætores Londinenses, *parem* habere *potestatem*, quadam tamen adhibitâ differentiâ: quippe, quòd Principi sit *potestas regiminis*; id est, ut *præcipiat* quum proditor in crucem sit agendus: & Prætoribus, *potestas gubernationis*; id est, ut exsequantur, quod ille præcipit. Si hoc modo pro concione Londinenses alloquereris, illi sanè subriderent. Credo equidem heresi istâ ingenii nostri aciem hebescere. Adeo acutæ sunt subtilesq; catholicæ vestræ distinctiunculæ, ut eas assequi nequeamus.

HARTUS. Potes eodem jure, si velis, D. Gregorium ludificari: qui etsi non verba hujus distinctionis usurpet, ejus tamen sensum refert, dicens; [d] *Andream, Iacobum, & Johannem singularium plebium capita fuisse; & sub uno capite Petro omnes membra Ecclesiæ.*

RAINOLDUS. Si hæc de re Gregorium reprehenderem, injuriam illi facere:

non

[x] Anacletus Pont. Dist. 21. c. in novo Testamento.

[y] Cap. 1. Sec. 3

[z] Stapl. princi doctr. l. 6. c. 7. & 15.

[a] Ephes 4. 11.

[b] Ioh. 10. 11.

[c] Princ. doctr. l. 6. c. 7. Petro data est potestas præceptiva, seu regiminis: Apostolis autem tantùm exsequutiva, seu gubernationis.

[d] Gregor. Regist. l. 4. ep. 38.

non minorẽ illam ferè, quàm quæ à [e] Doctore vestro ei est illata, qui verba ista ex Gregorio recitat. Quanquam enim fuerat ipse Romanus Episcopus, & Petri studiosus; in ea tamen epistola (ex qua verba illa recitata sunt) appellat *Christum caput universalis Ecclesiæ, Petrum primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ, & alios membra etiam ejusdem.* Stapletonus parvi id quidem pendens, Petrum ut *primum membrum* haberi, nisi quoq; *caput* sit; injecit (factâ mentione * *unius capitis*) nomen Petri, tanquam versutus aleator, qui est ad quamvis fraudem faciendã doctus. Necesse profectò fuit in tantis angustiis aliquid experiri. Nam de vobis actum esset, si in hoc lusu victi discederetis.

[e] Lib.6.cap.7.

* Gregorius ait, *Sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ.* Stapl. citat, *Sub uno capite* Petro *omnes membra Ecclesiæ.*

HARTUS. Miror non te erubescere, quum Stapletonum magnæ eruditionis, vel tuo judicio, virum, tam inhumanis sermonibus & convitiis lacessas.

RAINOL. Vir ille non tam magnæ eruditionis, quàm lectionis est; si velis meum in eo judicium audire. Vellem tamen, ipsius causâ, tam bonam ejus eruditionem fuisse, quàm est magna. Verùm, quod ad illos attinet *inhumanos sermones & convitia*, quibus eum lacesso; occasiones oblatas, & circumstantias eorum quasq; examina. Si non meruit quod [f] Scribæ & Pharisæi, redarguar ipse, quum illum vitupero, ut Christus illos. Verùm idem tu hac in re facis, quod fecisse Athenagoram refert [g] Cicero; *Non de culpa sua dixit, sed de pœna questus est.* Concessum est Stapletono me convitiis [h] *Calvinistæ, Anglocalvinistæ,* [i] *Puritani*, idq; immeritò, corripere. Sed si ego apertis sermonibus, justa de causa, illum fraudulẽtum, corruptorem, mendacem, maledicum, Deo hominibúsq; abutentem reprehendam: grave crimen est, dignúmq; in quo erubescam. Erubescant illi, Harte, * *qui amant & committunt mendacia*, vel nectendo tam impudentes fraudes & fallacias, vel iis assentiendo. Non est mihi dedecori eadem notare & reprehendere.

[f] Matth.23.13. Luc.11.44.
[g] Cic. pro Flacco.
[h] Princ. doctr. l.4.c.14.
[i] L.13.c.9.
* Rev. 22. 15.

HARTUS. Quid? An tu certus es nullum extare Gregorii operum exemplar, quod nomen Petri eò loci insertum habeat?

RAINOLDUS. Opinor habere nullum: habere sanè debere nullum certus sum. Nam [f] in alia ejusdem argumenti epistola, quum affirmasset omnes Christianos, *soli uni capiti cohærere*; addit, *videlicet Christo.* Qúumq; in eadem epistola id discriminis inter Christum & Petrum posuisset; Petrum *membrum* esse, Christum *caput Ecclesiæ*: perspicuè, quem *caput* esse senserit, declarat. Res tam aperta, ut [g] Cardinalis Cusanus ea Gregorii verba * Christi nomine inserto repetat, vel quòd ita in exemplari aliquo legisset, vel ut eorum sensum explicaret. Quo impudẽtius Stapletoni facinus est, qui intrudit invehitq; [*Petrum*]; ut his præstigiis Papam in Christi sede collocet. Verùm, satius tibi in Scripturis disquirendis pergere; atq; ubi in iis nihil repereris, tum demum ad Patres advola.

[f] Greg. Regist. l.4. ep.36.
[g] De Concord Cathol. l. 2. c. 34.
* Sub uno capite Christo, omnes membra.

HARTUS. Es in sermonibus tuis semper valde capitalis. Summam omnium, quæ affirmavi, in iis reperiam. Nam quomodocunq; verba *Pastoralis functionis & Apostolatus, Potestas regiminis & gubernationis* meæ sententiæ consonent; mea sententia, scio, Scripturis consonat, optimáq; ratione nititur.

RAINOLDUS. Expediet igitur in posterum tibi temperare à tam crassis, & spissis distinctionibus, quæ eo consilio excogitatæ sunt, ut suffocarent *cæcos*, qui *multas muscas devorant*: & opinionem tuam illustribus disertísq; verbis exprimere; ne suspicemur te tenebras magis, quàm lucem consectari.

HARTUS. Sic sentio igitur; Petro commissam fuisse autoritatem in Apostolos, ut eos pasceret, ut regeret, ut ipsorum deniq; Pastor esset; quæ non erat reliquis Apostolis neq; in illum, neq; in se mutuos concessa.

RAINOLD. Optimè. Jam aliquo argumento id confirma.

HARTUS. Christus Petro dixit,[h] *Diligis me? Pasce oves meas.* Unde sic rationem instituo. Christus mandavit Petro, ut omnes ejus *oves pasceret*, etiam omnes absq; ulla exceptione: sed Apostoli fuerunt oves Christi; ergo ut eos etiam *pasceret*, illi est mandatum. [h] Joh. 21. 17.

RAINOLDUS. Christus Apostolis dixit, [i] *Profecti in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Unde ita argumentor: Christus mandavit Apostolis, ut *prædicarent Evangelium omni creaturæ, omni*, absq; exceptione: sed Petrus creatura fuit; ut illi igitur *prædicarent*, etiam est mandatum: Hic si verbis ludere mihi etiam allubesceret, qui mos est vestratium; possem ostendere hanc rationem necessario tuam illam in aperto campo superare. Non enim Christus Petro dixit, *Pasce oves omnes meas*; dixit autem Apostolis, *Prædicate omni creaturæ*. [i] Marc. 16. 15.

HARTUS. At considerandum tibi est, * Christum, quum illud mandatum Petro daret, cum quadam differentia inter oves & agnos, dedisse, ut recte observavit [k] S. Ambrosius; (describe quæso Latinè verba ejus germana:) *Tertiò Dominus interrogavit: & non jam agnos, ut primò, quodam lacte pascendos; nec oviculas, ut secundò; sed oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret*: Ut videlicet Petro hic pascendum committatur universum ovile, tàm parvulorum, quàm grandium; tàm *laicorum*, qui ut *agni* pascuntur ipsi, nec alios pascunt; quàm ipsorum *Sacerdotum* & *cleri*, qui ut *oves* pascunt quidem *agnos*, sed pascuntur à pastore. * Stapl. princ. doctr. l. 6. c. 10 [k] Comment. in Luc. lib. 10.

RAINOLDUS: *Agni* & *oves* duo Christianorum genera significant. Unum adolescentius & tenellum magis, cui opus prima principia degustare, quod quasi [l] *lacte* sit nutriendum; alterum maturius, & ætate provectius; aptum ad profunda mysteria fidei perdiscẽda; alendúmq; est *cibo solidiore*. Quod recte in mandato quod Petro dedit Christus S. Ambrosius observavit: Quamvis differentia illa quam statuit, inter secundum & tertium, *oviculas*, & *oves*; vel in (1) Græco exemplari lapsus quidam fuit, vel alicujus interpretis commentum. De quo ne verbum quidem fecissem, nisi quòd juberes me verba ejus germana Latinè describere; quasi in iis arcanum aliquod delitesceret, quæ ipsi tamen consuevistis nihili facere: nisi [m] Romanus Lector vester majus aliquid in iis dispexerit, qui ait textum corrigendum esse, atq; ita legendum; ut citatur ab Ambrosio. Verùm illa glossa tua, quæ *laicos* significari *agnis* vult, & *ovibus Sacerdotes* atq; *clerum*, textui non Christi modò, sed Ambrosii etiam reclamat. Nam quùm illi de *agnis* & *ovibus* loquantur, ex quibus utrisq; ovile constat; tu verba illorum de *ovibus*, & *pastoribus* dicta interpretaris. Atq; quùm omnium *pastorum* officium sit, tùm *oves*, tùm *agnos pascere*; sic tu explicas, ac si ceteris solùm hoc negotium imponeretur, ut *agnos* pascerent, omnésq; *oves* Petro committerentur. A quo somnio ita abfuit Ambrosius, ut de ovibus [n] loquatur, quas Christus pascendas præcepit; *Non solùm Petrum eas pascendas, sed etiam cum illo se, omnésq; Episcopos suscepisse*: Quare cogitandum tibi est in Christi legatione Apostolis commissa, non ut oves eos considerari, sed ut pastores; ideóq; non ipsos ab ullis pascendos fuisse, sed ab ipsis singulis alios. Ita, quum commorarentur pariter in Jerusalem, pascebant omnes Ecclesiam communiter [o] *doctrinâ Apostolorum*; non illos S. Petrus, & illi ceteros. Et quum illinc ad alias regiones proficiscerentur, non comitabantur Petrum, ut oves Pastorem, sed qui essent ipsi Pastores singuli omnium nationum ovibus præpositi.

[l] Hebr. 5. 12.

(1) Legerat forsan προβάτια pro προβάτα.

[m] Rob. Bella. Rom. controvers. 4. q. 3. de summ. Pontif.

[n] De dignitat. sacerd. cap. 2. Eas cum illo nos suscepimus omnes.

[o] Act. 2. 42.

HARTUS. Esto; Christum in legatione sua illos, ut Pastores, affatum esse: o-

ves nihilominus fuerunt ovilis Christi. Quare, & illis quoq; pastorem poterat præponere.

RAINOLDUS. Nonne Petrus quoq; ovis fuit ovilis Christi? nonne istâ ratione illi quoq; à Servatore Pastor est præponendus? Nam si omnes oves pastore indigeant, cur non Petrus? Si quædam non indigeant, cur Apostoli? Sed certum est, eos quatenus oves erant (neminem quantumvis præstantem excipio) aliquando pastore indiguisse; cui necessitati Christus providebat, quamvis non arte consilióq; vestro; non unum ceteris pastorem præponendo, sed singulis imperando, ut mutuâ seipsos operâ juvarent. Nam ut seniores Ephesi S. Paulus alloquebatur, [p] *Attendite vos ipsos, & totum gregem*; præcipiens illis non ut *gregis* tantùm curam gererent, sed *sibiipsis* quoq;, omnes omnibus, singulisq; singuli consulerent: ita Apostoli, qui provinciam omnium sortiti sunt, quà pastores erant, curandi fuerunt; quà erant oves, admonendi, docendi, pascendi; non singuli à Petro, sed à singulis singuli, etiam vel Petrus ipse, quando ita opus esset. Cujus documentum eorum facta præbent. Nam quum [q] S. *Petrus non recto pede incederet ut veritati Evangelii congruebat*; S. Paulus eum *coram omnibus* redarguebat: sed illum redarguere, fuit illum pascere. Paulus igitur Petrum pascebat.

HARTUS. S. * Paulus eum non ex autoritate, sed ex humanitate redarguebat: & ei S. Petrus, non ex officio, sed ex modestia cedebat. Quemadmodum nunc cuiquam Episcopo fas est Papam reprehendere, quod ille patienter, & humaniter est auditurus; nequicquam interea suprematu suo diminuto.

RAINOLDUS. Agnosco *styli Romani* distinctionem, [r] qui (in ceremoniarum Ecclesiæ Romanæ libro, capite, *Quòd Romanus Pontifex nemini reverentiam facit*) ait: *Quamvis solenni quadam cum majestate magnos viros ad osculum pedis suscipiat; consuevisse tamen Pontifices Cardinalibus, & maximis Principibus privatim adventantibus, & reverentiam facientibus, quum non sint in Pontificalibus, aliquantulum caput inclinare, tanquam reverentiam reddentes: & hoc non ex officio, sed ex laudabili humanitate*. Hoc tibi, Harte, humanitatis Papa non præbuit, quum suæ Sanctitatis pedis osculo te dignaretur; non fuit majestatis ipsius præbuisse. Sic tamen tuos sensus eo fascinavit, ut (quò illi non officium, sed humanitatem reddas) excussa sit tibi omnis humanitas, & officium in Paulum Apostolum, electum Dei instrumentum, & Spiritus sancti amanuensem. Paulus enim consultò *reprehensionem* suam commemorat, qua probet se æqualem Petro *autoritate* fuisse, adversus Pseudoapostolos, qui fidem doctrinæ illi, quam docebat, detrahere, illum infra alios dejiciendo, contenderunt. Ais eum Petrum reprehendisse, ex *humanitate, non autoritate*. Unde (quod attende diligentiùs) ais re quidem ipsa ineptam eum rationem contexuisse, qua falsam induceret conclusionem. Si B. Petro inferior esset autoritate, quod tu respondes: quem in finem ergo illa, quum diceret; [s] *Se putare seipsum * nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis*? Addis tu, *cuiquam Episcopo ita fas esse, Papam reprehendere*. At hoc [t] Thomas tuus negat. Nam *factum istud* Pauli, Petrum reprehendentis, *Excedit*, inquit, *modum fraternæ correptionis, quæ Prælatis à subditis debetur, quia id factum* [u] *coram multitudine*. Alias tamen ipse, ut Papatum fulciat, [x] iis, quibus tu, diverticulis delectatur; & Pauli [y] ratio-

[p] Act. 20. 28.

[q] Gal. 2. 14.

* Stapl. princ. doct. l. 6. c. 14.

[r] Sacr. cerem. Eccl. Rom. l. 3 Sect. 1. cap. Quòd Romanus Pontifex nemini reverentiam facit.

[s] 2 Cor. 11. 5. * ὑστερέω.

[t] Aquin. in 4. sent. dist. 19. q. 2. art. 2.

[u] Gal. 2. 4

[x] Paulus fuit par Petro in exsequutione autoritatis, non autoritate regiminis; in epist. ad Galat. cap. 2. lect. 3. [y] In 2a. 2æ. q. 33. art. 4.

nem habet, ut subditi; Petri, ut prælati, juxta [z] decreta Canonum. Veruntamen ejus sententiam tanquam securim adhibere possumus, qua vester communis error obtruncetur. Vel enim Paulus, dum eo modo reprehendit Petrum, officium suum violavit; vel ei æqualis fuit autoritate, nō subditus. Primū verò asserere, blasphema est [a] Porphyrii vox; verum igitur est postremum. Atq; ita concidit tua de *autoritate & humanitate* responsio.

[z] 2. q. 7. c. Testes.

[a] Hier. procem. comment. in ep. ad Gal. & in cap. 2.

HARTUS. [b] Paulum autoritate æqualem fuisse quodam modo Petro, concedo. Hoc tamen illustre inter illos discrimen est, & notatu dignum; quòd B. Paulus quidem Gentium Apostolus & Doctor fuit; B. Petrus verò tùm Gentium, tùm etiam Judæorum Apostolus. Quod (quoniam nolumus orationem nostram expertem Doctorum esse) apud S. Ambrosium licet tibi legere in suis in hunc locum commentariis. * *Qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit etiam per me erga Gentes.* [b] *Petrum,* inquit, *solum nominat, & sibi comparat, quia primatum ipse accepit ad fundandam Ecclesiam; se quoq; pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis Gentium Ecclesiis: ita tamen, ut & Petrus Gentibus prædicaret.* Hæc verba sunt S. Ambrosii.

[b] Stapl. princ. doct. l. 6. c. 14.

* Galat. 2. 8.

[b] Amb. in cōment. ep. ad Galat.

RAINOLD. Num tu ipse hæc verba legisti apud Ambrosium, an fide aliena accepisti?

HARTUS. Quid verò si ipse legerim?

RAINOLDUS. Non eum igitur te esse credam, quem putâram. Putâram enim te credulitate quadam errasse: sed aliud hîc aliquid mihi videor odorari.

HARTUS. Ego apud S. Ambrosium ea ipse equidem non legi, sed apud [c] Stapletonum reperi, qui, quo modo ego, recitat.

[c] Princ. doctr. lib. 6. cap. 14.

RAINOLDUS. Discas idcirco licet præceptum * ingeniosi poetæ; *Esto sobrius, & diffide*: artus sunt isti sapientiæ. Nam quæ Stapletoni fide accepisti, comminuta sunt; turpiter comminuta. Si sic Principis numum tractaret, scio quod judicium esset subiturus. S. Ambrosii verba sunt; *Ita tamen, ut & Petrus Gentibus prædicaret, si causa fuisset, & Paulus Judæis.* Stapletonus recitat, *Ita tamen ut & Petrus Gentibus prædicaret: hæc ille.* Non tu vides, quàm scitè arroserit extrema verba Ambrosii [*& Paulus Judæis,*] ut probaret Paulum non potuisse Judæis prædicare, ut potuit Petrus Gentibus? Hic homo tamen Stapletonus est, cujus * *de Ecclesia librum* quidam ex nostris studiosis, & seductis adolescentibus, pro magnæ veritatis & sapientiæ thesauro habent. Verùm, Deus suo tempore, falsitatem & stultitiam ejus omnibus patefaciet. Ad hoc autem demonstrandum, *S. Paulum* videlicet *fuisse Apostolum & Doctorem Judæorum simul & Gentium, sicut S. Petrus fuit, ideóq; nequaquam illi hac in re inferiorem*; Scriptura ita liquida est, ut nulla Stapletoni caligo, non si tam spissa esset, quàm illæ olim tenebræ Ægyptiacæ, valeat ejus lucem adimere. Verba Christi hoc probant, quæ de B. Paulo Ananiæ dicta sunt; [d] *Instrumentum electum est mihi iste, ut perferat nomen meum in conspectum Gentium, & Regum, & filiorum Israel.* Probat legatio per Ananiam missa Paulo; [e] *Deus patrum nostrorum delegit te, qui cognosceres ipsius voluntatem, & videres Justum illum, & audires vocem ex ore ipsius. Nam eris ei testis apud omnes homines, eorum quæ vidisti, & audisti.* Probat Paulus ipse vocanti obsequutus, & suo defunctus officio; [f] *In synagogis prædicabat Christum,* [g] *confundebat Judæos,* [h] *loquebatur & disceptabat adversus* * *Græcos,* (religione, etsi non origine Judæos:) deniq;, [i] quum singulari

* Epicharmus Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν.

* Princip. fid. doctr. demonstratio methodica per controv. 7. in l. 12. tradit.

[d] Act. 9. 15.
[e] Act. 22. 14.
[f] Act. 9. 20.
[g] Vers. 22.
[h] Vers. 29.

* Non Ἑλληνας, sed Ἑλληνιστάς, hoc est, origine Gentiles, conversos ad fidē Iudaicam, & circumcisos, qui vocantur proselyti, Act. 2. 10. & 13. 43. [i] Act. 13. 2.

legatione à Spiritu sancto missus esset *ad opus, ad quod eum & Barnabam Deus advocavit*; [k] *annuntiârunt illi sermonem Dei in synagogis Judaeorum*; multas civitates & regiones obeuntes, donec, [l] quum Judæi repellerent eam veritatem, quam prædicabant, iis liberè dicerent; *Vobis necesse fuit primùm exponi sermonem Dei: postquam autem ipsum repellitis, & indignos vos ipsos decernitis æternâ vitâ, ecce convertimur ad Gentes*. Quapropter, ut [h] Petrus annunciavit Evangelium Judæis & Gentibus, ita quoq; Paulus annuntiavit: ut [i] elegit Deus Petrum, ut *per os ejus* audirent *Gentes* verbum Evangelii, ita Paulum elegit.

[k] Ver.5.& 14. [l] Ver.45. [h] Act.8.25.& 10.28. [i] Act.15.7.

HARTVS. Cur igitur se S. Paulus appellat [k] *Apostolum & Doctorem Gentium*, idq; variis in locis?

[k] Rom.11.13. 1.Tim.2.7. 2.Tim.1.11.

RAINOLDVS. Quoniam, quum ille & Petrus cernerent Deum alterius laboribus præcipuos fructus apud Judæos dedisse, alterius apud Gentes; consenserunt, & [l] *dextras dederunt sibi invicem societatis, ut Paulus Gentibus, Petrus Judæis prædicaret*: non ita tamen, quin alteruter, si tempus postularet, potuisset, atq; etiam soleret alterutris prædicare, ut rectè notavit [m] Ambrosius, & nominatim de [n] Paulo scribitur: sed ut præcipuè instituerent, alter Judæos, alter Gentes; quod fecisse ipsos [o] Epistolæ ipsorum arguunt. Si ergo illud respicias, quod præcipuè fecerunt: Petrus fuit Apostolus & Doctor Judæorum, Paulus Gentium: si quod facere potuissent, & solerent quoq; tempore postulante; erant Apostoli, & Doctores utriq; utrorumq;, ideòq; nihil inter ipsos discriminis apparet.

[l] Gal.2.9. [m] Comment. in ep.ad Gal.c.2. [n] Act.28.17.30 [o] Rom.1.13. 1.Pet.1.1. & sic in ceteris.

HARTVS. Nos concedimus * nihil fuisse discriminis inter ipsos in officio illo Apostolatus; in eo enim fuit Petro Paulus æqualis.

* Stapl. prin. doct.l.6.c.14.

RAINOLDVS. Qui hoc concedit, visurus quidem esset, nisi oculis orbus esset, alterum quoq; sibi concedendum esse, quod negârat. Nam si in officio Apostolatus æqualis, æqualis igitur in negotio omnibus nationibus prædicandi; & si in negotio prædicandi omnibus nationibus, tum & Judæis pariter, & Gentibus.

HARTVS. Verum est; utrisq;: sed ita, ut Petrus fuerit præcipuus Apostolus utrisq;, & supremum caput, quo tùm Paulus, tùm reliqui Apostoli regebantur.

RAINOLDVS. Illum Petri in ipsos principatum ego everti. Tu nudè asseris contrarium, idémq; semper repetis. Vitium hoc est disputationis reprehensum à [p] Dialecticis, nomine *Petitionis principii*. Noli, quæso, in eum elenchum ampliùs incurrere; sed vel proba quod dicis, vel tace, & id cessa dicere.

[p] Arist. in reprehens. Soph.

HARTVS. Probabo verò * circumstantiis verborum Christi, [q] alloquentis Petrum: *Diligis me plùs quã hi? Pasce agnos meos. Diligis me? Pasce oves meas. Diligis me? Pasce oves meas.* In quibus varia sunt observatione digna. Primùm, dilectionis apertam confessionem ab eo exigit, ut propterea curam gregis ipsius susciperet. Secundò, non solùm *dilectionem* ab eo exigit, sed etiam *dilectionem plus ceteris*, ut videlicet diligenti plùs ceteris, potestatem daret pascendi plùs quàm ceteris. Tertiò, *ter* illum interrogat, an ipsum *diligat*: & utroq; tempore priori, verbo ἀγαπᾷς; ultimo, φιλεῖς, quo ardens amor significatur: quo verbo quoq; Petrus ei semper responderat. Quartò, *ter* illi etiam dicit, *Pasce*. Atq;, ut prætercam *oves & agnos*, de quibus antea sum loquutus; quintò, primum illud mandatum, de agnis pascendis, & ultimum de ovibus exprimitur Græco vocabulo βόσκε, hoc est, *pasce*; secundũ de ovibus mandatum, ποίμαινε habet, hoc est, *rege*: ut appareat *agnos*,

* Stapl.princ. doct.l.6.c.10. [q] Ioh. 21.v.15. 16,& 17.

videlicet *laicos*, ut dixi, solùm pascendos esse; *oves* autem, *Episcopos* intelligo & *Pastores*, à Petro & *pascendos* esse, & *regendos*. Sextò, magna vis est verbi *Pasce*, plenissimámq; potestatem & absolutam significat, quæ omnes utiq; alios actus Ecclesiastici regiminis complectatur. Omnes enim ad pastum animarum diriguntur. Multa sunt alia in rem eandem observata, sed vel non ita nervosa & solida, atq; sunt ista; vel jam antea pertractata. His senis igitur acquiesco. Quæ si conferas, & quid pro quoque eorum possit sigillatim disseri, perpendas; satis tibi præbuimus rationis, ad magnam quandam dignitatem Petri confirmandam, vel cujusquam judicio; nostro etiam ad suprematum stabiliendum.

RAINOLDVS. Quod * in proverbiis Salomonis scribitur, *Qui nasum premit, educit sanguinem*; id verè dici potest de tuis argumentis, quæ tu ex istis circumstantiis exprimis. Quæ maximi in iis momenti sunt, siqua sunt tamen, illa sunt quæ rem attingunt; quæstio de *dilectione* petita; negotium *pascendi* mandatum; & horum utrumq; *ter* repetitum. Quæ omnia certè, ut à Christo sunt accommodata Petro, erant potiùs ejus infirmitatis adminicula, quàm indicia dignitatis; multo minùs suprematûs ipsius argumenta. Petrus enim majorem Christo amorem professus est, quàm reliqui Apostoli. Adeo ut, quum ipsos Christus de inconstantia, proxima ante passionem ejus nocte præmoneret, [r] *Omnes vos ista nocte offendemini in me: Scriptum est enim, Percutiam Pastorem, & dispergentur oves gregis*; Petrus respondens ei diceret, *Etiamsi omnes offendantur in te, ego nunquam offendar*. Ad quæ quum Christus subjiceret, *Amen dico tibi, ista nocte antequam gallus vocem mittat, ter me abnegabis*; iterum respondet ei Petrus, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo*. Quod promissum, ut omnes Apostoli dederunt, præcipuè verò Petrus; ita illud omnes, sed præcipuè Petrus violavit. Omnes enim Christum deseruerunt; Petrus non deseruit solùm, sed etiam ejuravit. Quamobrem, quum Christus post suam à mortuis resurrectionem cuperet eos congregare & colligere, ut illos meticulosos confirmaret, concederétq; ipsis potestatem Evangelii omnibus Nationibus prædicandi: ille, qui ipsos omnes ante passionem suam solatus maximè fuit memor Petri, ut qui maximè hoc indigeret, [f] *Sed ego rogavi pro te*; idem eos, ut ipsi occurrerent in Galilæa, accersens, Petri nominatim meminit, Angelo mulieres alloquente, [t] *Dicite discipulis ejus & Petro, ipsum præire vobis in Galileam. Petrus, discipulus*: extra tamen *discipulos* nominatus; (1) ut qui indignum se nomine *discipuli* posset cogitare, qui magistrum suum ter abnegârat. Quum autem obviam ei fuerunt in Galilæa, & receperant communem tùm consolationem, tùm legationem exsequendi negotium ad quod delecti sunt: Petrum Christus speciatim admonuit officii, & præ ceteris eum commovit ad illud summa cum fide præstandum; ut ille speciatim priùs Christum prodiderat, & se maximè præ ceteris meticulosè gesserat. Ut erigat igitur illum, conscientiæ ipsius ratum faciens (2) peccatum remissum esse, & confirmet ad constantiam, ne sic rursus prolabatur: sciscitatur ab eo Christus, an ipsum diligat; unde continuò illi præcipit, ut *agnos* ejus & *oves pascat*. Quòd autem ab eo ita sciscitetur, *Diligis me plus quàm hi?* primùm quidem peccatum ejus reprehendit, qui *plus quàm hi* professus fuisset, sed minus quam hi præstitisset. Deinde ostendit hoc ei condonatū esse. [u] *Qui enim plus diligit, ei plus remittitur*: major Petri dilectio hujus est indicium.

* Prov.30.33.

[r] Mat.26.31.

[f] Luc.22.32.

[t] Marc.16.7.

(1) Autor cōment. Hieron. in Marc.16. Gregor. in Evan. hom.21.

(2) Cyrill. in Evang. Johan. lib.12. ca.64. Quia Petrus Christi clementiâ majoris peccati remissionem habuit, jure ab eo major repetitur dilectio: cui enim plus remittitur, plus amare debet, ut ipse dicit alibi. Luc.7.

[u] Luc.7.47.

Quòd verò præcipiat ei, ut *agnos* & *oves* pascat; curam ejus excitat & acuit, ut fidelis sit & constans in Christo sequendo, licet inde periculum, etiam mors ei fuerit obeunda. Quorum utraq;, (3) quæstio, & negotium, *ter* repetuntur: quæstio, ut Petrus *trina responsione trinam Christi abnegationem compenset*; negotium, quoniam **clavi*, quo sæpiùs feriuntur, eo altiùs penetrant. **Eadem scribere* Christianis nostrum *non piget* Apostolum; *nobis autem tutum est*. Quamvis autem hujus expositionis veritas, collatis inter se Scripturis valde perspicua sit: tamen, ut tibi stomachum excitet, qui nullis libenter cibis vesceris sine isto condimento, cognoscas licet eam me (*præcipua si spectes capita quæ ad rem propiùs accedunt*) apud S. Cyrillum, S. Augustinum, S. Ambrosium, aliósq; priscos Patres invenire. Quare, quas momenti alicujus ex textus circumstantiis notas collegisti, videntur aliquid contra Petri infirmitatem, nihil autem pro Petri suprematu facere. De alteris autem tribus, quæ excerpis ex verbis φιλεῖν, ποιμαίνειν, atq; *Pascere*, nullam omnino vim habent; sunt tanquam ossa medullæ expertia. Si hunc fructum ferat [y] linguarum studium, in Seminariis vestris instauratum, ut ejus venditatione Protestantes deterreatis, qui ejusdem præsidio muniti, vestris ejectis sordibus, Ecclesiam expiârunt: linguæ certæ vestræ illa [z] Jannis & Jambris miracula referent, quæ Pharaonis cordi callum obduxerunt, Mosis facinora imitando. Nobis exprobratis [a] *regnum Grammaticorum*, vos autem Papatum quendam eorum erigere laboratis. Atq;, ut [b] Erasmus ait, *Scholasticos barbarè loquentes negare è dignitate sacrarum literarum esse, si Grammaticorum legibus parere cogantur*: ita *Papatus Grammaticorum nimiùm Papaliter* sese gerens in verbis exponendis, (quemadmodum quàm sæpissimè * Papæ solent in *dispensandis* rebus) non vult ea Grammatico sensui astricta esse, quo ab autoribus sunt usurpata. Verùm, si id liceat obtinere, ut jus secundùm civiles *imperii nostri* leges detur; tum misella verba (quæ à *Papali* vestro *dominatu* coguntur id pro Papatu dicere, quod abhorret maximè ab eorum sensu) vindicabuntur tandem ab illa injuria. Scriptura enim declarat, τὸ ἀγαπᾷν non minùs ferventem amorem significare, quàm φιλεῖν, immo eundem prorsus, inprimísq; apud Johannem, qui perfectum & intimum *amorem* [c] *Dei* in Christum, [d] Christi in ipsum describens, aliàs eum exprimit τῷ φιλεῖν, aliàs τῷ ἀγαπᾷν, etiam sæpiùs τῷ ἀγαπᾷν, quàm τῷ φιλεῖν. Quare, (si verba sensu quicquam discreparent) propius vero foret ex iis duobus τὸ ἀγαπᾷν esse dictum significantiùs: [e] passim enim usurpatur ad eum *amorem* exprimendum, quo Deus erga nos afficitur, quóq; nos item mutuò erga nos *affici debemus*, ídq; ubi majorem in modum urgetur: ut quum dicat, [f] *Hoc est præceptum meum, ut (1) diligatis alii alios, prout (2) dilexi vos; (3) Majorem hac caritatem nemo habet, quando quispiam animam suam deponit pro amicis suis*. Ubi igitur Johannes verborum altero Christi quæstionem exprimeret, altero verò responsum Petri; videtur illum sine discrimine aliquo verbis usum esse, utpote quæ unum eundémq; sensum sortirentur. Quod constat quoq; consensu judicióq; Syriacæ versionis, quæ [g] idem verbum utrisq; assignat. Quanquam, si sensu differant verba, modestiæ Petri magis convenit paulò minora potiùs de amore suo, quàm majus aliquod prædicasse; præsertim, quum lapsus fuisset in eo nimiùm prædicando, & periculo suo suam inconstantiam didicisset. Sed si, ut fingis tu, responderat, *Diligis me Petre? etiam Domine, ego te vehementer diligo*: hic *vehemens* tamen *amor*, non infert suprematum quendam in ceteros Apostolos. Nam quod ipse de suo *amore* refert, idem de illorum *amore* testatur Christus, vel quid majus etiam, si placeret

nobis

(3) Aug. in Iohan. tract. 123 & de verb. Dom. secund. Ioh. serm. 49. Amb. comment. in Luc. l. b. 10.
* Eccl. 12. 11.
* Philipp. 3. 1.
y Narrat. de Angli. Semin. degen. Romæ.
z 2. Tim. 3. 8. Exod. 7. 11, 13, 22.
a Camp. provocatio, artic. 6. Bristoi ad Fulc. resp. c. 10 q. 41.
b De laud. stul.
* Fuit hic nimiùm Papaliter dispensatū 2. q. 5. c. Mennam. in Gloss. Francisc. Vict. Relect. 4. de potest. Papæ & Concil. Alber. Krantz. Saxon. l. 5. c. 8.
c φιλεῖ, Ioh. 5. 20. ἀγαπᾷ, Ioh. 13. 36. & 10. 7.
d ἐφίλει, Ioh. 20. 2. ἠγάπα, Ioh. 19. 26. & 21 20.
e Ioh. 13 & 14. & 15. & per universum Testa. novum.
f Ioh. 15. 12.
(1) ἀγαπᾶτε. (2) ἠγάπησα, (3) μείζονα ἀγάπην.
g רחמ

nobis, ut vos soletis, illud exornare; [h] *Patrem* scilicet *suum eos amare, quòd illi ipsum amant*. In quibus utrisq; membris [*] idem vocabulum ponitur; quod (ut tu autumas) vehementem amorem significat, quùm Papæ inservire possit emolumento.

Hartus. Non tantum illi verbo attribuimus, quantum aliis duobus ποιμαίνειν, & βόσκειν præcipuè autem τῷ ποιμαίνειν Quanquã enim hoc ipsum *pascere* quod τῷ βόσκειν designatur, multum arguit; tamen *pascere* & *regere* (quod τὸ ποιμαίνειν significat) vim habet graviorem; ut ex illis locis liquet, ubi hoc vocabulum legitur, [i] *Reges eos in virga ferrea*; &, [k] *Qui reget populum meum Israël.* Quare Christus Petro commisit plenissimam potestatem, eò quòd ποίμαινε [l] diceret; non solùm ut *pasceret*, sed etiam *regeret* & gubernaret.

Rainold. Non ergo ad officium Petri spectabat agnos regere, sed tantùm oves. Ait enim Christus, ποίμαινε, quùm de ovibus ei præceptum dat; & quùm [m] de agnis, βόσκε.

Hart. Ita dixi. Quo tamen verbo de agnis utitur, etiam de [n] ovibus eodẽ utitur. Unde hoc efficitur (quod ex [o] Stapletono breviter attigeram) *agnos* solùm cibandos & pascendos à Petro esse (per communem doctrinæ cibum ab ipso, ut supremo patrefamilias, & ejus cathedrâ expectandum;) regendos autem esse à suis proximis & propriis Pastoribus, quibus immediatè subjiciuntur: *oves* verò, id est, grandiores & perfectiores, Episcopos, & Pastores ipsos illi committi, non pascendos tantùm doctrinâ communi, sed ab illo tanquam supremo Pastorum Pastore immediatè regendos.

Rainoldus. Ita Doctor vester observat, fateor, & tu attigeras. Verùm, erit tibi tutius id revocare; aliàs hoc elegans commentum de illo Græco vocabulo, ut longè petitum est, ita plurimi constaturum est. Papæ enim dimidii suprematùs sui dispendium inde est ferendum.

Hartus. Quamobrem ista dicis?

Rain. Quamobrem? Nonne Principes ipsos, tuo judicio, nomen *agnorum* complectitur, sicut Episcopos & Pastores nomen *ovium*?

Hartus. Complectitur; quid tum demum?

Rainoldus. Non potest Papa igitur regere & gubernare Principes, multo minùs ipsos deponere. *Petro enim legatio commissa fuit*, inquis, *pascendi tantùm, & non regendi agnos*.

Hart. Sed à proximis & propriis Pastoribus sunt regendi. Unde consequẽs est, ut etiam à Papa regantur; quoniam Pastores eorum ab ipso regendi sunt, ut Pastorum Pastore.

Rainoldus. Atqui ne Pastores quidem à Papa regendi sunt, si hoc commẽtum valeat. Nam in Latina vestra authentica translatione, [p] clausula quæ Græco verbo respondet, non *oves* habet, sed *agnos*. Quo loco [q] Rhemenses vestri annotãt, id dictum de agnis esse, ποίμαινε, *pasce* & *rege*. Quare, utcunq; in alios ille invadat vi Græci vocabuli cum Latino vestro textu collati; regimen tamen ejus, & dominatus in Episcopos, & Pastores inde excutitur. Atq; hoc dimidium suprematûs ipsius exsistit; immo suprematus universus ex eo quod consequitur. Jus enim suum primùm vendicat in Episcopos, atq; Episcoporum auxilio in Ecclesiam universam. Hoc pacto igitur dum molimini argutiis vestris fulcire Papam, eum humi prosternitis, majoriq; incommodo eum afficitis, dum verbũ illud βόσκειν infringitis; quàm commodo, dum ποιμαίνειν amplificatis. Quamvis enim *eum pascendi modum* significet, *quo suas oves pascunt pastores*, indéq; *regendi* & *gubernandi* ratio inferatur eadem ex omni parte, cum illa Pastorum, ut conserventur: illud tamen re-

[h] Ioh. 16. 27.
[*] αὐτὸς ὁ πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε.
[i] ποιμανεῖς. Psal. 2. 9. Rev. 2. 27.
[k] ποιμανεῖ, Matth. 2. 6. Mich. 5. 2.
[l] Ioh. 21. 16.
[m] v. 15.
[n] v. 17.
[o] Lib. 6. c. 10.
[p] Ioh. 21. 16. Pasce agnos, pro ποίμαινε τὰ πρόβατα.
[q] Rhemense Testamentũ in locum illũ in margine.

gendi munus non ad Petrum unum privatim pertinuit, sed fuit, estq; omnibus Pastoribus commune. Vernacula lingua nostra Anglicana non illam Græcæ & Latinæ felicitatem, ad hoc evincendum, assequitur. Nam in Græcis illis ποιμὴν & ποιμαίνω, & in Latinis *Pastor*, & *pasco*, res esset apertior. veruntamen in vernaculis nostris, *Pastor* atq; *eo regendi modo pascere*, ita conjugata sunt nexu (ut ita loquar) rationis, & sensûs; etsi non appareat nexu, & similitudine verborum: ut quotquot ad (1)Pastorum functionem in Ecclesia vocentur, omnes ex officio suo ita (2)*pascere* & *regere* cogantur. Cujus argumentum nobis Petrus, & Paulus suppeditant, qui adhortantes pastores (quos Seniores vocant) ut attendant suo muneri; [i] alter rogat eos, ut (3)*pascant gregem Dei qui penes ipsos est*; narrat iis [k] alter, *Spiritum sanctum ipsos Episcopos constituisse ad (4)pascendam Ecclesiam Dei*; uterq; eodem vocabulo ποιμαίνειν utitur, ut commune Pastorum munus designante. Immo [l] Christus ipse Angelum alloquens, hoc est, Ecclesiæ Thyatirensis pastorem, promittit ei, *Si quis vicerit, & observaverit ad finem usq; opera ejus, daturum se illi potestatem in Gentes, & (5)ipsum recturum eas virgâ ferreâ.* Ubi igitur tu observas vocabulo illo gravissimam potestatem proterendi impios denotari; ibi etiam Christus illud ad omnes suos fideles servos, non ad Petrum solum, accommodat. Quare, si amplius aliquid voluisset innuere, quùm ποίμαινε diceret; quàm quùm βόσκε, in eo, quod dedit Petro, negotio: nihil amplius tamen innuebat, quàm quod cujusq; Pastoris officio assignatur de ovibus illis, quas ei Deus pascendas tradit. Verùm profectò, si esset tua, quâ titillaris, torquendi sacras Scripturas ad privata placita prurigo ad sanitatem revocata, velles in eam cogitationem potiùs descendere, Johannem eundem sensum diversis verbis expressisse, cùm in Domini quæstione ad Petrum factâ, [m] *Diligis me?* tùm in mandato ejus Petro dato, [n] *Pasce oves meas*. Syriaca enim interpretatio, quam ipse produxisti, ut probares Græca verba πίστος & πίστεα, quamvis sono discrepantia, sensu tamen convenire; quòd Syriacè Christus loqueretur, & Syriacè utraq; sint כאמא: ea etiam hoc in loco duo diversa Græca vocabula uno רעי reddit, ac si Christus eodem usus fuisset, & in utrisq; idem voluisset. Quam interpretationem ideo pluris tu æstimare debes, quòd authentica vestra Latina versio, quæ in altero ab ea discessit, ei hoc in loco assentiat, verbo *pasce* similiter utrumq; explicans. Nisi affirmare velis authenticam Latinam vestram plenè sensum Græci scripti non exprimere?

HARTUS. Nequit interpretatio perpetuò vim verborum originalis scripti assequi; ut in [o] Ecclesiastico, de Hebraico idiomate est observatum.

RAINOLDUS. Verissimum dicis. Quo majorem illi meriti sunt reprehensionem, [p] qui decreverunt *versionem ut authenticam habendam* * *in omnibus Theologicis exercitiis, & à nemine sub quovis prætextu esse rejiciendam*. Verùm, si tanta fuisset vis, aut pondus tantum in illo Græco ποιμαίνειν; nullo labore id ab interprete vestro Latino poterat explicari. [q] Aliàs enim illud ipse interpretatur (1) *regere*; etiam tum, quum de minoribus Petro Pastoribus prolatum sit, Episcopis scilicet Ephesinis. Quod magis in lucem profert miseram conditionem argumenti tui illo verbo nixi. Nam si Petrus supremum caput sit constitutus, quòd impositum sit ei negotium *regendi (2)oves* aut *(3)agnos*: quem suprematum Episcopi Ephesini védicent, quibus commissa fuit cura regendi Ecclesiam Dei, id est, tam *agnos* quàm *oves*? Sed illa ultima ratio, à verbo [r] *Pasce* arcessita, *quo designatur*, inquis, *plenissima potestas*, toto cœlo errat: neq; est vobiscum, neq; cum veritate, & ratione consentiens. *Agnos* enim aiebas à *Petro pasci solùm, oves pasci* simul & *regi*. Quod ineptum omnino est, si *regere* nihil aliud significet, quàm *pascere*; ineptius, si illud *pascere*,

(1) ποιμένες
(2) ποιμαίνειν
[i] 1.Pet.5.2.
(3) ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ.
[k] Act.20.28.
(4) ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ
[l] Revel.2.26.
(5) ποιμανεῖ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ.
[m] ἀγαπᾷς, & φιλεῖς.
[n] ποίμαινε, & βόσκε.
[o] Prolog. in Ecclesiastic. Iesu filii Sirac.
[p] Conc. Trid. Sect.4.
* In publicis lectionibus disputationibus, prædicationibus, & expositionibus.
[q] Act.20.28.
(1) Regere Ecclesiam Dei.
(2) Græcus contextus, πρόβατα.
(3) Versio Latina, agnos
[r] Stapler. l.6. cap.10. Observa vim verbi [Pasce] quo plenissima potestas designatur.

cere, est Christianos nutrire [f] *lacte*, aut *solido cibo* pro cujusq; conditione, quà aut *agni* sunt, aut *oves*. Si igitur illud plenitudinem potestatis significat, quæ nemini, præterquam uni, putà, supremo capiti conceditur; quantâ in Ecclesiam Christi sævitis vos crudelitate, qui unum tantùm Pastorem universo orbi terræ præponitis, qui Dei verbum ipsi prædicet? Aut si plures præponitis, & Ecclesiis singulis suos Pastores singulos, ex divinis institutis, scitisq; conceditis: quantas ad ineptias abitis, qui tot nobis Pastores concedentes, tamen dicitis uni soli munus *pascendi* deferri, illudq; suprematum denotare? Nam, si cuiq; Pastori negotium *pascendi gregem suum* detur, & *pascendi* vocabulum, plenitudinem potestatis significet supremo capiti peculiarem: ex tua ratione sequetur quemque Ministrum in Ecclesia sua, quemque in grege suo Pastorem, supremum caput esse, non minori jure, quàm quo Petrus fuit inter Apostolos. Immo, ne Petrus quidē tua ratione supremum caput fuit. Nam si *pascere* declaret potestatem absolutam & plenissimam, quod [t] vos dicitis; & illa potestas omnibus Apostolis sit concessa, quod [u] iidem vos confitemini: consequens est, vobis confitentibus & dicentibus, omnes Apostolos munus illud *pascendi* accepisse. Si omnes illud munus acceperint, *Pascere* nequicquam Petri suprematum adjuvat. Quare iste, simillimiq; alii nodi, quos Stapletonus in scirpis quæsivit & dispexit; non iis innati sunt operâ Creatoris: ab hominibus contexti sunt, & à Deo dissolventur.

[f] Heb. 5. 12. 1. Cor. 3. 2.

[t] Stap l. 6. c. 10

[u] Stap. l. 6. c. 7

SECTIO SECVNDA.

HARTVS. Ista quæ tu disseruisti, nonnihil valere ad eos dissolvendos videri poterant; nisi ex divinis codicibus, tam aliàs, quàm hoc in loco clarissima ejus suprematus testimonia suppeterent. Dixit enim Christus Petro, [x] *Simon, Simon, ecce, Satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

[x] Luc. 22. 31.

RAINOLD. Etiámne pergis *sanguinem* exprimere? Quid enim ampliùs vel Christi pro *Petro oratio*, vel datum ei mandatum, ut *confirmaret fratres suos*, pro suprematu ejus loquuntur; quàm quæstio illa, *Diligis me?* aut mandatum, *Pasce oves meas?* Nisi verba extra sensum suum violenter urgeas, ut vestræ *Scholæ Theologi* in suis captiosis *Syllogismis* (seu potiùs *Sophismatis*) facere consueverunt.

HARTVS. *Fæces* ejusmodi (ut eas [y] Canus noster appellat) *Sophismatum* in Scholam inductæ ab hominibus, qui immeritò *Scholastici Theologi* sunt vocati; nō minùs à nobis, quàm à vobis redarguuntur. Verùm Christi verba satis pro Petri prærogativa loquuntur, omni violentiâ urgendi remotâ. [z] Præcipiunt enim, ut *fratres suos confirmet*: *fratres* autem ejus erant Apostoli: ut Apostolos ergo confirmet, præcipiunt. Si ut Apostolos confirmet, caput supremum igitur eorum est. Quare verba Christi suprematum Petri probant.

[y] Melc. Canus loc. Theolog. lib. 8. cap. 1.

[z] Stapl. princ. doctr. l. 6. c. 8.

RAINOLD. Putásne verò Christum id de reliquis Apostolis intellexisse, quū diceret, *Fratres tuos?*

HARTVS. De quibus, quæso, si non de illis?

RAIN. De cunctis fidelibus, ut ego arbitror. Cunctis enim [a] idem *Pater* est, qui Petro: cuncti unà cum *Petro* [b] *coheredes sunt gratiæ vitæ*, & Petrus eos confirmans, [c] *fratres* appellat. Quapropter Petri judicio Christus id de cunctis fidelibus intellexisse videtur. Da veniam, si illi hac in re potiùs, quàm vobis assentiar.

[a] 1. Pet. 1. 17.
[b] 1. Pet. 3, 7.
[c] 2. Pet. 1. 10.

HARTVS. Quasi verò negaremus nos per *fratres* ejus, cunctos fideles intelligi; [d] nos idem quoq; docemus. Verum tamen illud est quod asserueram. Spero enim Apostolos fidelium numero non exclusos esse.

[d] Stap. l. 6. c. 8.

RAINOLDVS. Non sunt exclusi. Sed hinc ista tua ratio de *fratribus* instituta, non magis valet, quàm illa altera de *ovibus*. Immo minùs. Quid enim hoc ipsum

sum est * *confirmare?*

* στηρίζειν.

HARTUS. *Confirmare* est stantes fulcire. Functio enim prædicandi, [e] quæ per gratiam Dei in hominibus fidem ingenerat, duo habet præcipua munera; *docendi* unum, alterum *confirmandi*, vel, ut Paulus loquitur, [f] *plantandi* atq; *rigandi*. *Docere* & *plantare*, est homines ad fidem Christi convertere, eósq; illi inserere. *Confirmare* autem & *rigare*, fulcire est eos, qui jam fideles sunt, ut in fide perseverent.

e Rom. 10.14.
f 1.Cor. 3.6.

RAINOLDUS. Minoris ergo negotii est *confirmare fratres*, quàm *oves pascere*. Nam *pascere* idem est, quod verbum Dei prædicare. Hoc ipsum verò, *prædicare*, duo officia comprehendit; alterum, *erigendi* lapsos, alterum stantes *confirmandi*. Quare, si suprematus Petro non delatus fuerit ex negotio dato *pascendi oves*; multò minùs ex negotii ejus parte, *fratrum* videlicet *confirmatione*, potest deferri. Quemadmodum enim Petrus illud officium fratribus suis debebat; ita fratres ejus debebant ipsi, eiq; [g] Paulus illud præstabat: debebant idem suis fratribus Apostoli, & [h] illis persolvebant: idem [i] *omnes fideles*, singuli fratribus suis debent (secundùm mensuram gratiæ ipsis à Deo datam;) ut [k] qui omnes *unius corporis membra* sint, ideóq; alii alios adjuvarent. [l] In Annalibus nostris de Rege Edovardo confessore & Godvino Cantii Comite traditur: quum illi aliquando unà discumberent, *Haraldum* qui *Regis poculum* miscebat, Comitis filium, ita uno pede titubasse, ut pene laberetur, sed alterius pedis auxilio sese recepisse, vinóq; nequaquam effuso constitisse. Quod quum subridens Comes intueretur, ac diceret, *Nunc frater fratrem juvit*: Rex, in mentem ei veniente Alfredi fratris interitu, quem Comes occiderat, turbato vultu in eum conversus, aiebat; *Sic mihi meus frater auxilio fuisset, si per te licuisset*. In qua quidem historia, Haraldus, qui pede altero titubavit, est indicio nobis, unum pedem ab altero posse confirmari, & utrosq; sisti ne labantur: Comes, qui in eo fratris officium observavit, docet à juniore posse confirmari seniorem, aut juniorem à seniore: Rex, qui suam inde meminit conditionem, ostendit inferiorem posse superiorem confirmare, etiam membrum caput. Quorum omnium proportio, potest cuipiam ratione utenti manifestum facere, parem omnimodo posse parem corroborare: in imparibus verò sinistrum dextrum, & dextrũ sinistrum, etiam brachium vel pedem posse capiti esse præsidio; illúdq; à tanto lapsu forsan eripere, quo miserè foret conquassatum. Quare negotium Petri, ut *confirmaret fratres suos*, non est satis argumenti, illum *caput*, vel infimis fidelium, præpositum fuisse; multo minùs Pastoribus, quos [m] *sympresbyteros suos* vocat; nõ omnino verò Apostolis, [n] quibus eadem cum ipso ad *omnes nationes* commissa est legatio.

g Galat. 2. 14.
h Act 15.41. Rom. 1.11. 1.Pet. 5.12. Iud. 3.&c.
i 1.Thess. 5.11
k Rom. 12. 5. 1.Cor. 12. 25.
l Pol. Virgil. hist. Angl. l. 8.
m 1.Pet. 5.1.
n Matt. 28. 19.

HARTUS. Verum est, posse alios *fratres suos confirmare*, ut *membra* ejusdem corporis; sed illud Christus Petro, tanquam eorum *capiti* faciendum imponit. Quod ex verborum ipsorum * occasione colligitur. Nam, *contentione* quadam *facta inter Apostolos, qui eorum videretur esse major*; Christus illis dixit, [o] *Reges Gẽtium dominantur, vos autem non sic, &c*: docens videlicet omnem *dominandi* appetitum ac libidinem à suis Ministris quàm longissimè abesse debere. Ne tamen omnem *dominandi* potestatẽ illis pariter prohibuisse aut abstulisse videretur; subjecit verba illa soli Petro dicta, apertè demonstrans illum fore *majorem* eorum, quod ipsum illud erat de quo contendebant.

* Stap. l. 6. c. 8
o Luc. 22. 25.

RAINOL. Aiebat Cato * *se mirari aruspicem non ridere quum aruspicem videret*. Mihi videtur Theologiæ vestræ professores risuros esse, quum se mutuò conspiciant. Nam perinde validis rationibus Papisticæ suæ doctrinę capita confirmãt, atq; *divinationes suas aruspices*, jecore & corde, aliisq; intestinis belluarum. Verum

* Cic. de divinat. lib. 2.

pueris persuasum est,quum tinnitum campanarum audiût, loqui campanas quicquid illi cogitatione finxerint,aut saltem ei quàm simillimè. Dominus,quum Apostoli de dominatu,primatúq; cõtenderent, narrabat iis neminem eorũ inter ceteros fore,ut Reges inter Gentes.Ne tamẽ omnẽ apud illos dominandi potestatẽ pariter prohibuisse videretur,Petrum iis supremum caput præponebat. Sic aruspex.Sed quid Scriptura? Re planissimè contrarium. Ostendit enim Christum [p] quum reprehendisset eos,quòd,*qui major eorum esset*,contenderent, & quòd avidè se Dominos esse more Regum terrenorum cuperent; [q] docuisse eos voluntatem subjiciendi se fratribus,& desiderium benefaciendi sibi invicem ministrando,illam esse oportere eminentiam,quam illi,[r] ejus exemplo,ambirent: atq; porrò sicut [s] *participes fuerãt tentationum ejus*,ita quoq; eum *illis* [t] *pactum esse regnum*; [u] ut participes fierent illius beatitudinis,& gloriæ, in qua ipse tanquam Rex Regum regnaret,& illi(tanquam consiliarii ejus)ipsi adessent,[x] *sedentes super thronos duodecim,& judicantes duodecim tribus Israël.* Jam prior hujus orationis pars abjudicat ab Apostolis omnibus suprematum eum *(sanctissimi Domini nostri Papæ)* quem tu Petro cupis imponere.Pars verò altera majori fuco somnium ejus adornat,qui ait *Christum omnem dominandi appetitum,ac libidinem abstulisse Ministris suis,& non omnem dominandi potestatem*; quoniam *regnum à Christo ipsis paratum* commemorat.Sed hoc potiùs Petrum æqualem fuisse reliquis Apostolis arguit, quùm conditio omnium sit communis,iisq; omnibus *throni* sint cõcessi.Aut si vel etiam hoc modo posset esse nihilominus quisquam altero superior,ut necesse est in concilio,alio supra alium sedente; nihil hoc tamen ad suprematum illum quẽ Petro vendicatis. Nam,ut vestro proposito commodet,dixisset Christus,se illos in honoris thronis collocaturum; Petrum verò in throno, tanquam [y] *throno illo Salomonis*; & illum *Papam* ipsis,ipsósq; illi Cardinales futuros, * ut (1)*circa thronũ sedeant,& (2)consiliarii ejus sint,& conjudices orbis terrarum.*

[p] Luc.22.ver.25.
[q] v.26.
[r] v.27.
[s] v.28.
[t] v.29.
[u] v.30.
[x] Matt.19.28.
[y] 1.Reg.10.18.
* Vt Papa Cardinalibus suis(recèns creatis)narrat ipsos officii sui admonens. Sacrar.ceremon.Sanct. Rom. Eccles. lib.1.sect. 8.
(1) Successores Apostolorũ circa thronum sedebitis
(2) Consiliarii nostri,& conjudices orbis terrarum.

HARTUS. Frustra video me tecum disserere,si apud te decreveris tam graves rationes,ut nugas rejicere.

RAIN. Frustra profectò,si velis me de colliculis, tanquam de montibus æstimare.

HARTUS. Nollem id quidem: illud verò,ut rationes quæ revera montium instar sunt,tantas eas tu velis æstimare.

RAINOLD. Tantas ergo esse probes oportet. Sed si montes vestri parturiant, & murem pariant; non id à me exspectabis,ut tanquam Gigantem illum admirer.

HART. Age. Omittamus verborum Christi occasionem, & verba ipsa examinemus. * Ista enim duo sunt,quæ in illis Christus facit. Primum, in communi omnium periculo solum Petrum confirmat;*Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te,ut non deficiat fides tua.* Deinde,ne illa confirmatio solius Petri causâ facta fuisse, aut ad fidem Petri personalem pertinere videretur, addit; *Tu autem conversus confirma fratres tuos.* Ostendens ideo illum confirmatum in fide,ut aliorum omnium fidem, ipse postea futurus Pastor omnium confirmaret.

* Stap. princ. doct.l.6.c.8.

RAIN. Esset non necessarius labor mihi in hisce duobus verba conterere, si ea,quæ jam dicta sunt,observasses. Demonstravi enim, prius, infirmitatem ejus arguere; posterius,officium ejus explicare; neutrum verò prærogativam aliquã, aut eminentiã omnino,nisi fragilitatis illã quidẽ indicare.Sed, quod res est,Christus in illis verbis tria facit,quorum unum ulcus est,ideóq; non tangis.Nam in cõ-

muni

muni omnium periculo, gravissimo autem Petri, in mentem ei revocat, primò, (1) lapsum ejus, ut eum dejiciat; deinde post lapsum, (2) confirmationem, ut consoletur; postremò, (3) officium, ut ad illud eum erigat, & animet. Lapsum, ut restingueret æstum [t] *superbiæ* ejus, & [u] *jactantiæ*, (licétne mihi cum Patribus eam sic appellare?) quâ elatus, * amplius quàm ceteri de fide sua, & constantia promittebat. Confirmationem, ne semel lapsus desperaret. Etiamsi enim infidè se gessisset, quum Christũ ter abnegasset, *fides* tamen *ejus non esset defectura, quòd* [x] *ipse (quē Deus semper audit) pro illo orasset*. Officium, ut excitatus rursus fratres confirmaret, ut qui periculo suo didicisset, & infirmitatis hominum misereri, & Dei bonitatem clementiamq; prædicare. Ultimum hoc de officio ejus, commune Petro fuit, (ut ostendi) cum Apostolis; ideóq; nullam suprematus indicat prærogativam. Primum autem de lapsu, prærogativam quandam probat, sed illam, in Christo præ ceteris abnegando; quæ certè optimo jure Paparum est, sed eam illi non vendicant. Alterum de confirmatione ejus consequitur, & à lapsu ejus pendet: in quo quidem quùm illius peculiare magis peccatum futurum esset, quàm reliquorum, adeóq; periculum ejus magis peculiare, ideóq; auxilii magis peculiaris indigeret; Christus illi præcipuè dixit, *Ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua*. Christus enim re idem, etsi verbis non iisdem, pro omnibus Apostolis orabat, quum illam solennem orationem [y] ad Patrem haberet; [z] *Patefeci nomen tuum illis*. [a] *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, &* [b] *sanctifica eos tua veritate*. Neq; pro illis tantùm hæc precatus est, sed [c] pro omnibus fidelibus, *qui per sermonem eorum essent in ipsum credituri*. Quamobrem ut pio patri curæ sunt omnes filii, sed si quem unum præ ceteris afflictum cernat, eum ille [d] præ ceteris reficiet, & recreabit; & perito medico curæ corpus est universum, qui tamen medicamenta malè affectæ parti apponit: ita Christus, ut Petrum adjuvaret, qui maximè pòst affligendus, pessiméq; afficiendus esset; animos ei addidit hoc solatio, *non esse fidem ejus defecturam*; & hoc Dei certissimi favoris medicamentum plagæ illi diffidentiæ, quæ poterat mentem ejus conflictare, adhibuit. Ista autem cura & prudentia patris & medici, ostendit (de filio & parte, quibus eam illi præstant) neutrum esse in majore honore ceteris, sed majore ceteris auxilio indigere. Quæ igitur verba sunt Petro à Christo dicta, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; arguunt illũ in majori periculo ceteris, nõ autẽ in majore dignitate fuisse cõstitutũ. Atq; hæc verba sunt, quæ [e] Stapletonus tã insolenter jactitat ita singulariter Petri suprematũ ostendere: *ut Calvinus (quum omnia alia loca & argumenta, quæ pro Petri primatu afferri solent, diligenter expenderit, atq; ut potuit, refutaverit;) hujus loci, & horum verborum nullam prorsus mentionem fecerit, ut qui probè sciret, nullo cavillationis fuco tam manifesta verba eludi potuisse*. Quùm maximè sit verisimile, Calvinum prudentem & fidelem servum Domini, ea re præteriisse ista in suprematu vestro refutando, quòd ad propositum vestrum, ea ita parùm fecisse cognosceret; ut si in vestris rationibus ea numeraret umbram videretur petiisse, cum qua confligeret. Nam ea tam insigniter depravatis, ut si, non dico Calvinus, sed quivis unus ex infimis Prophetarum filiis, cui vix particulam unam Spiritûs sui Deus afflavit, vobiscum de ista re ageret; perinde justa causa nobis oblata sit vos hujus facinoris reos postulandi, atq; qua olim [f] Tamar incensa fratrem suum Amnonem incesti insimulavit.

HART. Bone Deus, quorsum ista dicis?

RAINOLD. Immo mihi potiùs licet sciscitari; Bone Deus, quorsum ista facitis? Nam sicut Amnon captus forma sororis eam fraude pelliciens compressit primò, deinde [g] ejecit; unde dixit illa, [h] *malum hoc majus fuisse altero quo eam affecerat*:

(1) Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.
(2) Ego rogavi pro te, ut fides tua nõ deficiat.
(3) Tu autem conversus, cõfirma fratres tuos.
[t] Theophylact. in Luc. 23
[u] Chrysost. in Matt. hõ. 83.
* Matt. 26. 33.
[x] Ioh. 11, 42.
[y] Ioh. 17.
[z] Ver. 6.
[a] Ver. 11.
[b] Ver. 17.
[c] Ver. 20.
[d] Luc. 15. 22. 31.
[e] Princ. doctr. l. 6. c. 8.
[f] 2. Sam. 13. 14.
[g] Ver. 15.
[h] Ver. 16.

cerat: ita Papa Ecclesiæ amore inflammatus, fraude eam illaqueans, & stuprum ei inferens, illam foras eliminat; dum hoc ut peculiare Petro primùm, deinde sibi ascribat, *Christum pro ipso rogasse, ut fides ejus non deficeret*. In quo quidem hoc mihi occurrit causæ, ut dicam, *majore eum malo Ecclesiam afficere, quàm quo ille sororem*: quoniam in altero id solatii puellę supererat, potiùs ejus culpam fuisse, qui vim intulerat, quàm suam quæ pertulisset; in hoc autem omni Ecclesia miseriarum suarũ levamẽto spoliatur, nec audet Deũ, hominésve rectis oculis aspicere. Quo enim alio solatio fruitur Ecclesia Christi, fideles, & electi, nisi quod [i] ille pro nobis rogârit, ut non deficiamus, nec [k] *portæ inferorum in nos sint prævalituræ*; ut [l] *spes nostra esset anchora fortis consolationis*; ut [m] credamus, & *per Dei Spiritum* certi simus, nos vitæ æternæ *heredes* esse? Quo solatio ille incestus Amnon nos privare cupit, & foras ejicere; quando ait Christum pro Petro tantùm rogasse, & pro Papa secũdùm Petrum. Verùm de Papa * suo loco. De Petro nunc loquimur.

i Ioh. 17. 11. k Matth. 16. 18 l Heb. 6. 18. m Rom. 8. 16.

HARTUS. Quid? Audésne inficiari Christum Petro loquutum esse, & soli Petro, quum diceret; [n] *Simon, ego rogavi pro te, ut fides tua non deficiat?* Nónne scriptũ ipsum Evangelii hoc evincit?

* Cap. 7. Sect. 2. n Luc. 22. 31.

RAINOLDUS. Quid? Audésne inficiari Christum paralytico loquutum esse, & illi soli, quum diceret; [o] *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua?* Nónne scriptum ipsum Evangelii hoc evincit? An hoc autem argumento est, ceteris Christianis peccata non remissa esse? Et nos omnes frustra credimus, quando *remissionem peccatorum* credimus? An verò non tam probabiliter hoc tu affirmare possis, atq; illud alterum de Petro affirmas, *in fide non deficere*? Num vos magistri estis Israelis, [p] qui omnis Theologiæ scientiam tantopere ostentatis; & nescitis Pastores, diviniq; verbi præcones (quorum (1) *princeps* Christus exstitit) generalia præcepta legis & Evangelii illis nominatim enuntiare, quos opus est iisdem recreari? Si avarũ quẽpiam alloquerer, qui faciem pauperum comminolit, & domũ exstruit sanguine, aut Beneficium Beneficio adjungit, & curam gregis suscipit, quem non pascit; [r] *Sint mores tui alieni ab avaritia: dixit enim ipse, Non te deseram, neq; te derelinquam*: num hoc divinæ providentiæ solatium cuiquam alii Christiano aufero, quòd ad unum illud nominatim applicem? Aut verò, num Apostolus transilivit veritatis limites, quum cunctis fidelibus diceret, quod Deus Joshuæ; [s] *Non te deseram, neq; te derelinquam*? Datur tibi optio, utrumvis accipe; aut nos absolvas, aut illum condemnes. Nam, si Christus illud apud animum suum informatum haberet, fidem nulli præterquam Petro confirmare, quoniam dixit illi; *Ego rogavi pro te, ut fides tua non deficiat*: pari ratione Deus illustre præsidium suum nulli præterquam Joshuæ promisit, quum affirmaret illi; *Non te deseram, neq; te derelinquam*: & erravit * Apostolus, quum illud ad omnes Christianos accommodaret. Si Apostolus id omnibus Christianis accommodârit per Spiritum veritatis; similiter igitur verum est, posse cuiquam Dei filio dici, quem Satan expetivit (sicut Petrum) ut cribraret & excuteret, & quem ad Christum abnegandum impulit; *Confide: dixit enim ipse, Rogavi pro te, ut fides tua non deficiat*. Et si cuiquam Dei filio hoc dici possit; verum igitur est omnibus Apostolis dictum esse, præterquam [t] *filio illi perditionis*. Quare Christus, quum iis verbis Petrum alloqueretur, nullum illi suprematum in Apostolos donavit.

o Matth. 9. 2. p Alan. apol. Anglic. semin. Bristo. in Motiv. Quæst. & Resp. (1) ἀρχιποίμην. 1. Pet. 5. 4. r Heb. 13. 5. s Ios. 1. 5. * Heb. 13. 5. t Ioh. 17. 12.

HART. Non possum diffiteri, quin ratione quadam omnibus Dei filiis dici possit, si, ut Petrus, labuntur. Ceterùm (nescio quo modo) nequeo persuadere mihi, quin aliquid pro Petri suprematu faciat.

RAINOLDUS. Nec mirum. Nam strepitus ejus ita magnus & canorus

aures tuas personuit in *Seminario Rhemensi*, aliisq; transmarinis Pontificiis Gymnasiis, ut planè obsurdescas, nec audire queas * *tranquillam & tenuem vocem* veritatis. Quemadmodum de iis [u] accipimus, qui catadupa Nili accolunt, (ad quæ Nilus ex altissimis montibus pręcipitat) eos propter magnitudinem sonitus, & aquarum strepitum sensu audiendi carere. Verùm, dic quæso; opinarisne Christum cōstituisse Petrum supremum caput, quum diceret; *Rogavi pro te*, aut, *Confirma fratres tuos?*

*1. Reg. 19. 12. [u] Cic. in Sem. Scip.

HARTVS. Quis illud quæsiverit? quorsum commemorarem, nisi suprematū ejus indicaret?

RAINOLDVS. Atqui potest illud quæri. Si enim illis verbis eum Christus supremum caput constitueret; supremum igitur caput abnegavit Christum, etiam sępiùs, etiam adhibito jurejurando. Unde maximè periculosa cōclusio sequeretur; Papam errare posse, etiam quod majus est, posse Christum abnegare.

HARTVS. Non dico eo tempore Christum supremum caput eum constituisse; sed præparasse quasi, ut postea supremū caput designaretur. Sicut [x] Stapletonus scribit Christum illis verbis fidē Petri stabilivisse, antequam *hanc tantā potestatē illi de facto conferret*. Illam enim potestatem post resurrectionem suā dedit, quum ei diceret; *Pasce agnos meos, Pasce oves meas*. Illa autē verba [*confirma fratres*] ante mortē loquutus est; quibus solum subinnuerat, & supremū caput illum se facturum (*1*) insinuaverat.

[x] Princ. doct. l. 6. cap. 8.

(1) Futuram insinuaverat, Stap. li. 6. c. 9.

RAIN. Dixisti verò. Atq; hac in re Doctor vester specimē majoris ingenii, quàm multi cōmilitonū suorū exhibuit. Sed ut majoris ingenii, sic majoris malitię; dū adjicit (quod modò tetigi;) * *Calvinū nullā prorsus mētionē verborū illorū fecisse, ut qui probè sciret* (*ita singulariter Petri primatū ostendunt*) *nullo modo evitari potuisse*. Facit enim [y] Calvinus eorū mentionē, dū eā quæstionē agitat; An Papa possit errare. Et Doctor vester attestatur ad eā quæstionē directè illa pertinere; *suprematū* autē tātū insinuare. Vis ergo eorū de suprematu confirmando, in eo nititur, quod illa postea faciendum insinuant; videlicet, in negotio *pascendi oves & agnos*. Probatū autē est in eo nihil ampliùs Christū Petro, quàm reliquis Apostolis cōcessisse. Probatū est igitur verba Christi, [*cōfirma fratres tuos*] in nullū altiorē *thronū Petrū*, quàm ipsos evehere. Multo minùs hoc quidem; si Christi oratio pro Petro facta, illi cum omnibus fidelibus Christianis, non modò Apostolis sit communis. Quamobrem ista ratio, quæ opinione tua, adeò fortis est, à fratribus suis munienda est, si quos habeat. Nam profectò longè debilior est, quàm ut ipsos corroboret.

* Lib. 6. c. 8.

[y] Instit. l. 4. c. 7 parag. 27. 28.

HARTVS. Immo, adsunt illi fratres: atq; plures ii fortasse, quàm quos tu libenter velles in aciem productos conspicari; utcunq; animosior es, & eos te posse conficere arbitraris.

RAINOLDVS. Ego verò minimè; nisi præsidiis tantùm Elisæi fretus; [z] *Plures sunt qui nobiscum, quàm qui cum illis sunt*. Sed qui tandem sint, videamus.

[z] 2. Reg. 6. 16

CAP. 4.

Praxis suprematûs (*Petro vendicati,*) *quam probare putantur*; 1. Electio Matthiæ ad Apostolatum; 2. Præsidentia Concilii habiti Jerosolymis; 3. *Et* susceptum à Paulo iter ad Petrum videndum, ejúsq; apud illum commoratio. *In quibus, ut in aliis Apostolorum Actis, omnium æqualitas ostenditur, non unius suprematus*.

SECTIO PRIMA.



HARTVS. Exempla scilicet praxis Petri suprematûs in Ecclesiæ administratione; quæ in sacris codicibus contestata reperimus, in ipsis Actis Apostolorum, quæ exemplar sunt Ecclesiasticæ politiæ.

RAINOLDVS. Rationes certè, quas inde colligitis, fratres sunt priorum; sed nequaquam sunt prioribus fortiores. Si in aciem producas, id tibi comparebit.

HARTVS. Multa loca sunt, duo verò præcipua, quibus Petri dominatus in Apostolos manifestò arguitur. Nam in [a] altero proponit *electionem* faciendam, *qua novus Apostolus in Judæ locum sufficeretur*. In [b] altero præsidet *Concilio Apostolorum*, quod in urbe Jerusalem habebatur; primus loquitur, postremus concludit. Ex quibus utrisq; hoc argumentum colligo. Petrus exercuit potestatem, & autoritatem supremi capitis in Apostolos; fuit igitur eorum caput supremum.

[a] Act. 1. 15.
[b] Act. 15. 7.

RAINOLDVS. Nunc tandem ad illud devenisti, quod ego respexeram, quum te in [c] initio colloquii nostri rogarem, ut mihi significares quam potestatem Papæ ascribatis, quum illum supremum caput appellatis. Nam in hac herba anguis delitescit. Quem ut possis dispicere, & (si ita benignæ voluntati Dei placeat) devitare, ne virus ejus te perimat; percontabor ex te quæstionem hanc. Quando dicitis [d] *Papā primariū, et supremū esse Ecclesiastici judicii caput, & præsidentē Conciliorū*; nū intelligitis eum esse Papam in Episcoporum conventibus, qui est apud nos Orator in Regni Comitiis; ut iis res proponat, & eos sententias suas roget, & suffragia colligat, ut omnia ordine tractentur, & communi consensu sanciantur?

[c] Ca. 1. Sect. 2.
[d] Stapl. princ. doct. l. 6. in præfat.

HARTVS. Qui Orator? Non. Sed qui Princeps potiùs.

RAIN. Immo, narro tibi, major etiam quàm Princeps: nam ut quæ in regni comitiis tractātur sine Principis consensu rata haberi nequeunt; ita neq; Princeps potest acta figere, sine optimatum assensu & popularium. Et quum illorum omnium concordi consensu statuuntur, non possunt à Principe solo, nisi similis consensus, à quo statuta sunt, adhibeatur, antiquari. Non sic autem res sunt Papæ. Ea enim est potestas illius regiæ prærogativæ, ut non solùm Concilia nequeant absq; ejus consensu decreta ad Ecclesiæ administrationem spectantia sancire; verùm ipse etiam possit absq; illis decreta sancire, nec minùs rata quidem, quàm si illi suffragarentur. Etiam, ut adjicere ei liceat, & detrahere, & mutare quicquid ipsi lubeat in decretis Conciliorum, & illorum nomine promulgare, sicut [e] Clemens est *Concilium Viennense* ludificatus. Etiam, ut ea, quæ cùm ipsius, tùm illorum mutuo consensu fixa sunt; ipse * possit infringere quum velit, &, ubi velit, antiquare: *nullis* enim *legibus tenetur*. Quoniam verò potestatem illam quam Papę attribuitis nomine *supremi capitis*, Petro quoq; ascribitis, à quo ad Papā transfertis; Petrus autem in Apostolorum conventibus, ut Orator tantùm fuit, ideóq; non ut Princeps; ideóq; non ut major quàm Princeps in nostris comitiis: hinc ego Petrū non supremum caput fuisse Apostolorum concludo. Atq; ita tertium illud membrum, sicut [f] promiseram, confirmavi: Si major aliquanto scilicet dignitas daretur Petro, quàm reliquis Apostolis; non tamen eā esse, quæ illū iis valeat supremū caput præficere. Potes jam dimittere ab exercitu tuo Acta Apostolorum. Nam quascunq; inde rationes derivâris, non prioribus illis, ut monui, fortiores eas reperies.

[e] Iohānes Andreas in principio Clemētinarum, de constit. Concil. Vienn.
* Quod ex universa serie Canonici juris, Præcipuè verò Decretalium, quæ vocantur, constat.
[f] Ca. 3. Sect. 1.

HARTVS. Festinas nimiùm. Conclusio tua argumento tuo antevertit.

RAINOLDVS. Ego verò id argumenti dedi, quo facilè concludatur eam

potestatem Papam vestrum contra jus & æquum obtinere.

HARTUS. Nihil dedisti argumenti, cur Petrus in conventibus Apostolorum idem fuerit, qui in nostris comitiis Orator.

RAINOL. Quid verò necesse? quùm ei Oratoris solùm officium in priori conventu tute assignares, in quo tamen præcipuas partes sustinuit. Aiebas enim illum [g] proposuisse *faciendam surrogationem novi Apostoli in locum Judæ*; neq; quicquam præterea ad veritatē poteras ex Actorū historia proferre. Quod sanè ostendit, nō illū, sed [h] ipsos electionē constituisse; quoad licitū esset iis in ea re agere, quā Deus extraordinaria ratione erat effecturus. Quod autē attinet ad alterū Conciliū, quod in urbe Jerusalē habebatur; non vales vel Oratoris quidē officium in illo ei assignare.[i] Doctor tuus, fateor, amplius ei attribuit; nempe, *primum ex omnibus illum loqui, concludere, etiam & præsidere*. Verùm, quid nō audebit is asserere, qui in tanta luce Scripturarum, illud scripto asserit, quod illis prorsus reclamat? Ait enim ille, Petrū nō solùm *primū loqui*, sed etiā *cōcludere*. Scripturæ verò testantur, [k] *multā fuisse disceptationē*, antequā Petrus sit exorsus dicere: & postquam loquutus tacuisset, [l] Barnabam & Paulum & [m] Jacobum loquutos esse, atq; ita [n] Conciliun rē conclusisse. Quin etiam secundùm [o] verba ipsa Jacobi, & [p] disertum quoddam orationis ejus caput, quod Petrus non attigerat, Concilium concludebat. Quare, si jure vellemus adversus illum contendere, pro quo vos iniquè dimicatis: est similius quidem vero, Jacobum quàm Petrum in Concilio pręsedisse; quùm & ultimus loqueretur, & secundùm illum universum Concilium concluderet. Sed ut largiamur vobis (quod cum vestro maximo fiat compendio) quantum, aut verò amplius quàm ulla veri similitudo vobis donet; Petrum nimirum non Oratorem tantùm fuisse, sed in utroq; conventu etiam præsedisse: nihilo magis tamen suprematum illum de quo laboratis, evincitis. Quod enim præsidendi officium inter Apostolos Petro datum fuit, tam procul abest ab illo præsulatus fastu, quem Papa inter Episcopos ambit; ut si omnia Petri ornamenta illi (rogatu suo) elargiremur, ea conditione, utì ea acciperet, nec quid amplius concupisceret: derisum ille se à nobis putaturus esset; nec tibi magnas quidem gratias ageret, qui patrocinium ejus in te suscipis, & tam jejunè ejus causam oras. Quod etiam licet tibi perspicere ex altero quodam ejus patrono, Francisco Duareno, docto Jurisconsulto, qui ex ista historia, causam ejus eodem modo agebat. Ille (in [q] sua juris Canonici epitome) in quęstionem de *Papa* & *Concilio* incidens; uter dominetur, maximamq; potestatem habeat, cui alter in rebus Ecclesię subjiceretur; sententiam suam hoc pacto in ea quęstione explicat. *Videtur hoc inprimis juri divino consentaneum esse, ut Ecclesia, quam repræsentat Synodus, potestatem omnimodam habeat, utq; Pontifex se ei subjectum agnoscat. Non enim uni Petro, cujus dicitur successor Pontifex Romanus, data est à Christo potestas ligandi & solvendi, sed* [a] *toti Ecclesiæ. Quanquam inficias non eo, ceteris Apostolis eum præpositum fuisse. Hinc temporibus Apostolorum,* [b] *quoties ordinandus fuit aliquis, sive Episcopus, sive Diaconus; vel aliquid decernendum, quod ad Ecclesiam pertineret, nunquam id sibi sumpsit Petrus, sed toti Ecclesiæ permisit. Illud fuit in eo præcipuum, quod ceteros convocare tanquam Princeps Apostolorum, et de his quæ agenda forent apud eos orationem habere solitus fuit. Sicut hodie* apud nos, Curiæ parlamentalis Præses senatum cogit; primus in senatu, quum opus est, verba facit; multaq; alia exsequitur, quæ præstantiam quandam personæ, quam gerit, facilè ostendat. Nō ideo tamē major aut superior totā curiā est, nec potestatē in universos Senatores, aut cōtra eorū judicia quicquā decernēdi habet: quinimmo ipsius curiæ, cujus caput esse Præses dicitur, de controversiis omnibus judicium est, non præsidis. Adde, quòd Curia in ipsum,*

[g] Petrus proponit surrogationem faciendam novi Apostoli Stap. li 6. c. 13.
[h] Act. 1. 23.
[i] Stap. l. 6. c. 13.
[k] Act. 15. 7 πολλῆς συζητήσεως γενομένης.
[l] Vers. 12.
[m] Vers. 13.
[n] Vers. 22.
[o] Vers. 29.
[p] Vers. 20.
[q] De sacr. Eccle. Minist. ac ben. l. 3. c. 2.
[a] Matth. 18 c. Quodcunq; 24 q 1.
[b] Act 1. & 6. & 15.
* Apud Gallos scil. ubi curiæ parlamētales, quidam sunt consessus judicum, quorum prætor quasi, pręses dicitur.

*si res exigat, ut in quemvis alium ; jus dicit, & animadvertit. Et hæc quidem (1) olim ita se habuerunt: verùm, nescio quo modo, tandem factum est, ut summum in omnes Christianos imperium uni sit tributum; útq; legibus omnibus, canonibúsq; synodalibus, * Imperatorũ exemplo, solutus sit. Nã* [c] *Paschalis Decretali epistola, cautum expressúmq; est, nulla Concilia Romanæ Ecclesiæ legem præfigere posse; & in* [d] *decretis quibusdam synodalibus, Romani Pontificis excepta reperitur autoritas*. Atq; hoc modo in declaranda Papæ supra Concilium prærogativa pergit, cui ipsum præsidere docet. Verùm ita tamen, ut agnoscat (uti vides) non esse in * *Actis Paparum*, ut olim fuit in *Actis Apostolorum*; non in iis ipsis *Actorum* locis, ex quibus firmissimum suprematus vestri argumentum colligis. Quæ, ceteráq; omnia, quæ ulla specie ex Scripturis derivare possis, eum suprematum Petro assignant, si sic malis appellare; ut mihi planè persuadeam Gregorium Papam decimum tertium, sicut jã [q] multũ Scholasticis elargitus est, & [r] nõnihil militibus, status sui tuendi causâ: ita deinceps triplicẽ potiùs suã cũ suis bonis omnib' coronã, iis profusurũ; quã ut ab Hęreticis descẽdere de throno Majestatis suę aliquando cogatur, et huic tali suprematui caput subjicere.

(1) Olim, olim.

* Princeps legibus solutus est; L. Princeps. D. de legibus, Senatusq; consult.

[c] Cap signifi. casti, de elect.

[d] C. ideo. 25. q. 1.

* Disciplina illorum, secũdùm jus suum canonicum.

[q] Alan. Apol. Sem. c. 2

[r] Genebrard. Chron. l. 4.

HARTVS. Quid mihi Franciscũ Duarenum objicis? cujus autoritate ego nihil moveor, nec ea premẽdus sum: pręsertim quũ Jurisconsultus fuerit, nõ Theologus; & Catholicúsne fuerit, an secus, mihi non constat. Ego ex priscis, sanctis, doctissimísq; Patribus evincam, in iis duobus Actorum locis, Petrum plenum & perfectũ in Apostolos suprematum obtinuisse.

RAINOLDVS. Non statuebam Duarenum robur esse responsionis meæ, sed sacras *Scripturas*, eas quas tu attulisti. Quarum textu & circumstantiis manifestũ id reddidi: Petrũ non altiorẽ potestatem in conciliis Apostolorum habuisse; quàm vel habet Orator in imperii nostri Comitiis, vel (ut maximè) qui in Curia Galliæ parlamentari præses est, quę Duareni similitudo est. Quanquã si autoritate illius usus fuisse, qua rem confirmarẽ; queadmodũ verba ejus citavi, ut eã aperirem: tantus vir à te nõ adeò facilè fuit rejiciendus. [s] *Hortulanus* enim (quod Græcorũ sermone teritur proverbiũ) *sæpenumero magno cũ consilio loquutus est*. Et in aliquibus id vidit [t] Jethro, quod nõ vidit Moses. Et Duarenus, licet Jurisconsultus; tamen nõ solùm *juris civilis* peritus fuit (quod magnũ adjumentũ nihilominus prudentiæ in rebus affert politicis:) sed *Canonici* etiam, quod apud te quidẽ eo loco digneris esse, quo Theologiam; vestra quidem certè Theologia absq; illo frigescet. Præterea, illos scripsit commentarios, ut institueret studiosos *in scientia juris Canonici, quod Papatûs est propugnaculum*: atq; eo quidem modo præcipua ejus capita tradit; ut quidã Protestantium Jurisconsulti eã re illi succensuerint, & eum [u] scriptis refutârint. Atqui nunc (ita tu amicos beas) in dubium vocatur, *Catholicus*, nécne, exstiterit. Profectò, nisi caveas, honestos, benéq; erga vos affectos animos deterrebis, quò minùs *Catholici* sint futuri, quales tu eo vocabulo interpretaris. Si enim quis intra ullos modestiæ & veritatis cancellos se contineat, neq; præceps velit vobiscum per omnia ferri; vel Hæreticus à vobis censebitur, vel unus aliquis saltem, qui hæresin redolet. Verùm, qui Patres illi sunt, quos contra Duarenum præ te fers, ut ex illis duobus Actorum locis suprematum vestrum confirmes?

[s] Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ...

[t] Exod. 18. 17.

[u] Resp. Christian. jurisconsultor. ad Duareni commẽtarios de minist. Eccl. atq; benef. Argentorati.

HARTVS. Horum unus est * Chrysostomus, alter Hieronymus.

RAINOLDVS. Et quid illi loquuntur?

HART. * Chrysostom' factũ Petri exponẽs, quomodo proponeret surrogationẽ novi Apostoli in locũ Judę; *Vide*, inquit, *fervorẽ Petri; quã agnoscit sibi creditũ à Christo gregẽ? quã in hoc choro princeps est? et ubiq; primus omniũ incipit loqui?* Postea laudat Petrũ, quòd *agat omnia ex communi Discipulorum sententia, nihil autoritate sua;*

* Stap. princ. doct. l. 6. c. 13.

* In Act. Apost. hom. 3.

potuisse eum tamen vel solum, Apostolum surrogare, apertè asserit. *Quid*, inquit, *an non licebat ipsi Petro eligere? Licebat, & quidem maximè: verùm id non facit, ne cui videretur gratificari*. Deinde laudat aliorum Discipulorum modestiam; *Considera*, inquit, *quo pacto concedunt ei solium (id est, primatum*, ut [y] alibi appellat;) *nec ampliùs ambigunt disceptantes inter sese*, (scilicet ut olim cõversante cũ illis Christo faciebant) quærentes, *quis futurus esset eorum major*. Hæc Chrysostomi de loco illo sententia, quẽ ex primo capite Actorum Apostolorũ protuli de suprematu Petri.

[y] In Matth. hom. 51.

RAINOLDVS. Hoc Chrysostomi testimoniũ duobus membris nititur: altero, quid faciat Petrus, ex verbis Scripturæ; altero, quid liceret ei facere, ex Chrysostomi conjectura. Quod à Petro factum est, concessum est; non autem suprematũ indicat. *Officii sui memor est, primus loquitur, agit omnia ex communi Discipulorum sententia, nihil autoritate sua*. Tantundem ego de Petro asserueram, & ex Duareno explanâram. Apud Duarenum id officere tibi putasti, ideóq; eum respuisti. Numquid te juvat magis, quando apud Chrysostomum reperias, quòd illum adversus Duarenum proferas? An verò hac de causa hunc amplecteris, illum rejicis, quòd verba Chrysostomi, quæ *primatum* quendam Petro attribuunt, imponant simplicibus, quasi *primatum* illum, quem vos *suprematũ* appellatis, intelligeret: Duareni autẽ verba adeo apertum inter utrosq; *primatus* discrimen exprimant, eum nimirũ quẽ habuit Petrus, & illũ alterũ quẽ habet Papa, aut vellet quidẽ; ut homo cæcus valeat Petri primatũ, ab isto Papæ suprematu internoscere? Quod [z] ampliùs constabit, volente Deo, ex iis quæ Patres de primatu Petri loquuntur. Atq; hoc modo deficit argumentum tuũ in eo, quod à Petro factũ est ex verbis Scripturæ. Illud verò quod ex Chrysostomi conjectura licebat Petro facere, majorem certè, si verum esset, illaturum esset primatum eo, quem Petrus habuit. At Scriptura nõ asserit. Quare, quemadmodum [a] Patrum alii de aliis asserũt, ([b] vobis id fatentibus) quædã ab iis scribi ἀγωνιστικῶς, *ut refutent adversarios quibuscũ iis lis fuerit*; & in hisce hallucinari eos interdũ, & malè colligere: ita mihi fas sit dicere, quædã ab iis scribi ἐγκωμιαστικῶς, *ut laudent Dei Sanctos, & alios ad illorũ virtutẽ excitent*; in quibus, si eorũ verba severiùs excuterentur, veritatẽ aliquando prætervehũtur. Quomodo [c] Chrysostomus (illo altero in loco quẽ ex Actis profers) ut lenitatẽ, & prudentiã Jacobi cõmẽdet, *qui onerosa Petro reliquit, & ipse mãsuetiùs egit*, de illo loquitur, ut qui *potestate* esset *Petro superior*: atq; hîc etiã, ut Petri modestiam commendet, quòd *omnia ageret communi* fratrum suorum *sententiâ & judicio*, ait (ὑπερβολικῶς;) Petro *ipsi licitum fuisse Apostolum eligere, quod tamen non fecerit*.

[z] Cap. 5. Sect. 3.

[a] Basil. de Gregor. Neocæs. ep. 64. Athanas. de orig. libell. de decret. Nicæn. Synod.
[b] Stap. princ. doct. l. 7. c. 6.
[c] In Act. c. 15. hom. 33.

HARTVS. ὑπερβολικῶς, ἐγκωμιαστικῶς, *ut Dei Sanctos laudet*. His coloribus rẽ adumbras. Verùm, Chrysostomus planissimè affirmat; *Petro ipsi*, (hoc est, soli) *licitum fuisse, modò voluisset, Apostolum eligere*. Tu autem (verbis mollioribus, sed reipsa) mentiri illum respondes. Itáne verò Patres *Sanctos laudant*?

RAINOLDVS. [d] Vestra planè regula hæc est, & à [e] Jesuita vestro adhibita; *licere à Patribus salva honorificentia dissentire*. Si quis istam non observat, illum ais Patres maledictis incessere. Me autem, qui eam observare conor, dicis *coloribus rẽ adumbrare*. Quomodo tibi satisfecero?

[d] Cap. 2. sec. 2.
[e] Hier. Torrens. in conf. Aug. l. 1. c. 11. tit. 1.

HARTVS. Mihi quidem satisfeceris, si ab illis non discedas, nisi in iis solùm quæ sunt *exploratæ veritatis*. Quæ alia est regularum nostrarum, si memineris.

RAIN. Benè memini; atq; in hoc etiam illam observavi. Veritatis enim hoc est, & *exploratæ veritatis*; Patres in gratiã *Sanctorum* quædam scribere, quæ veritatem exsuperant, si quis eos Lydio lapide probet, & examinet. Esto Petrus ipse *Sanctus* ille, quem hujus rei afferam exemplum. [f] *Hilarius* in verba Christi ad Petrum,

[f] In Matth. can. 16.

* *Abscede à me Satana, offendiculo es mihi*; ait, *non convenire, ut existimemus Petro Satanæ nomen deputari; sed illi Christum dixisse, Vade retrò post me, & nihil ampliùs. Cetera verò Diabolo, non illi; Satana, scandalum es mihi.* Idem quoq; g Hilarius (1) penè, planè autem h Ambrosius, Petrum ab omni culpa eximit, quòd Christum abnegaret; etiam eum hoc nomine Ambrosius dilaudat. *Petrus respondit*, inquit ille, * *Non novi hominem. Rectè denegavit hominem, quem sciebat Deum.* i Clemens Alexandr. & k Eusebius, quos sequitur l Oecumenius, mandârunt literis; *Petrum cui Paulus restitit, quémq; reprehendit Antiochiæ, non fuisse Petrum Apostolum; sed alium nescio quem ejusdem nominis, unum ex septuaginta Discipulis.* Quùm igitur ex verbo veritatis liqueat; *Christum vocasse Petrum Satanam, Petrum abnegasse Christum, Paulum Petro restitisse, eúmq; reprehendisse*; quùm possit etiã ex Patrum scriptis liquere, quàm ab hac veritate illi in gratiam Petri dissideant, ut elutis maculis, quæ videntur illum inquinare, laus ejus sit illustrior: spero licitum id fuisse mihi pro *explorata veritate* accipere, *à Patribus quædam scilicet scribi* ἐγκωμιαστικῶς, *ut Dei Sanctos laudent; in quibus si eorum verba severiùs excutiantur, veritatis aliquando regiones prætervehuntur.* Si verò hoc quum dico, me *coloribus rem adumbrare* putas, & *verbis mollioribus uti*: me corrigere in eo possum, & aliquanto asperiùs loqui cum m Hieronymo; qui ait *sensum illum, quem Hilarius & Ambrosius de Petri verbis tradunt, Non novi hominem; quasi quum negaret Christum, eum negasset hominem, quia sciret Deum; pio eos affectu erga Petrum tradidisse: sed hoc quàm frivolum sit, prudentem lectorem intelligere; si defendant Petrum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim Petrus non negavit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat;* * *Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat; Me negabis, non hominem.* Aut si Hieronymi quoq; verba sint paulo molliora, adhuc etiam asperiorem cum n Theophylacto sententiam mihi licet eloqui; qui *illos* ait, *qui istã instituunt Petri defensionem*, * *stultam defensionem instituere.* Quòd si igitur verba mea conferas cum illis Theophylacti, & Hieronymi, *salvâ honorificentiâ* dissensi; si cum iis quæ alii Patres tradiderunt, id in *explorata veritate* feci, quum à Chrysostomo discederem. An adhuc tibi satisfacio?

Hartus. Miror te Chrysostomo teipsum opponere; Patri tam antiquo, tã erudito, tam pio, tam in Scripturis perito.

Rainold. Quæso ex te hoc liceat mihi percontari. Quid de Christo censes? Num solus ille ab omni labe peccati, cùm originalis, tùm actualis, liber fuit? An item *beata Virgo* libera?

Hartus. Tenes o nostram de hac re sententiam. Ipsa quoq; fuit libera.

Rainoldus. p Chrysostomus id verò negat; Pater tam antiquus, tam eruditus, tam pius, tam in Scripturis peritus. Etiam ipsas q Scripturas fundamenta negationis suæ ponit; non ita verò in eo loco, quem vos de Petro affertis.

Hartus. Verùm alii Patrum nobis suffragantur, quibuscum nos à Chrysostomo dissentimus.

Rain. Si rogarem qui Patrum id de *actuali peccato* affirment, difficile tibi foret homines nominare. De *originali* verò r Canus vester docet * *omnes illud dogma refugere.* Quod si affirmarent id multi, cernas tamẽ licet ex iis quæ de Chrysostomo produxi, quàm fractis innitaris arundinibus, quum istiusmodi rationibus confidas; *Chrysostomus ita dicit, ergo ita est*: & si [*alii Patrum*] tantæ sint fidei ad id quod verum est, quantæ ad illud sunt quod falsum est, tibi persuadendum; nõ minùs quidem facilè in isto de *Petro*, quàm in illo de *Virgine*, ejus deserueris opinionem. Quamplurimi enim Patres, f totum prorsus *Concilium Episcoporum Africa-*

* Matt. 16. 23.
g In Matth. can. 32.
(1) Penè fine, piaculo.
h Comm. in Luc. l. 10.
* Matt. 26. 72.
i Hypotypos. l. 5.
k Hist. Eccles. l. 1. c. 13.
l In Epist. ad Galat. c. 2.
m In Mat. c. 26
* Matt. 26. 34.
n In Luc. c. 22.
* ἀνόητον ἀπολογίαν.
o Conc. Trid Sess. 5. decret. de pecc. orig. & Sess. 6. de justif. can. 23.
p In Mat. hom. 45. & in Ioh. hom. 20.
q Matt. 12. 48. Ioh. 2. 4.
r Loc. Theol. lib 7. c. 1. & 3.
* Ambros. August. Chrysost. Euseb. Emiss. Remig. Maxim. Bed. Anselm. Bernard. Erard. Anton. Pad. Bernardin. Bonaventur. Tho. Vincent. Antonin. Damas. Hug. de S. Vict.
f Epist. Synod African. ad Ecclesias Legion. Astur. Emerit. apud Cyprian. epist 68.

norum(unà cum Cypriano)aiunt, *Petrum fecisse secundùm magisteria divina, quando de ordinando in locum Judæ Episcopo ad plebem loquebatur; ut in eo omnium suffragio & judicio ab ipsis ageretur.* Quare, si tanti, quanti præ te fers, Patres æstimes, & multorum potiùs consensum sequaris, quàm unius sententiam (quæ * tua regula est) in Scripturis exponendis: concedas oportet id *non licuisse* Petro *facere*, quod Chrysostomus ait *licuisse*; nisi affirmare velis illud ei *licuisse*, cui *contrarium planè à Deo mandatum accepit, & institutum.* Sed, si hæc opinio tantas in te radices egerit, ut eam ratio non possit exstirpare; noli me admirari, qui præter Scripturas ipsas, pluribus, quàm tu, Patribus munior, ideóq; tuo judicio, Patrum fruor expositione. Quin te potiùs ipsum admirare, qui neutro eorum fretus, utrisq; repugnas. Admirare Doctorem tuum, qui quum suscepisset provinciam suprematum confirmandi ex eo quod *Petrus fecerit in Actis Apostolorum*, narrat demum quid ei *licuerit facere ex Chrysostomi conjectura.* Admirare Papam vestrum, qui verbo non divino, sed humano nixus, & fundamentum humanum nimis infirmum quoq; perséntiscens, non illud agit, quod in facto Petri Chrysostomus commendat; sed illud arrogat, quod de jure Petri Chrysostomus auguratur.

* Cap.2. Sect.2

HARTUS. Si nollet Petrus modestiæ causâ jus suum exercere; non facto ejus Papa (Successor ejus) astringitur, quin ipsi illud exercere liceat.

RAINOLDUS. Perfugium hoc inutile est futurum, nisi hæc duo queas, quorum neutrum verum est, probare. Unum, suprematum hunc *jus* Petri fuisse; alterum, Papam in omne jus Petri *succedere.* Interea tamen, quicquid de jure ejus existimes, in *modestiam* ejus illum non *succedere* fateris.

SECTIO SECUNDA.

HARTUS. Non hoc expedit ei in singulis Petrum imitari. Verùm, in omne jus Petri eum *succedere* tum probabo, quum jus Petri præstiterim: suprematum autem istum *jus* Petri fuisse, perindéq; plenam ei potestatem datam esse in conventibus Apostolorum, atq; Principi in suis comitiis, aut Papę in Cōciliis conceditur; non ita plena fuerūt verba Chrysostomi in primum Actorum, quàm sunt in decimum quintum * Hieronymi, ad illud invicto argumento demonstrandum. [t] Docet enim apertè, Petrum primùm dedisse sententiam; quam quum ceteri amplecterentur & comprobarent, conclusa fuit, & nomine universi Concilii, tàm capitis quàm corporis promulgata. *Audito*, inquit, *Petro, tacuit omnis multitudo, & in sententiam Petri Jacobus, & omnes simul Presbyteri transierunt.*

* Stap. princ. doct. l. 6. c. 14.
[t] Epist. 11. inter epist. Augustin.

RAIN. Quorsum hæc verò? Num [*tacuit omnis multitudo*] probat suprematum Petri?

HARTUS. Placet tibi tricari. Argumentum meum in ceteris verbis Hieronymi consistit; quod potes, si libeat, agnoscere. *In sententiam Petri Jacobus, & omnes simul Presbyteri transierunt:* fuit igitur Petrus caput supremum.

RAINOLD. Equidem non videram, unde arcessere potueris tuum argumentum. Ignoscas errori meo. Aptius aliquanto fuit multitudinis silentium. Omnes enim hominum ordines id usu compertum habent; Principes & Consiliarii in causis reipublicæ; Optimates & populares in regni comitiis; Cives & oppidani in suis publicis conventibus; Academiarum nostrarum alumni, cùm publicè in *Convocationibus*, tùm privatim in Collegiis: non illum semper potestate reliquis superiorem esse, cujus in sententiam deliberatione habita omnes reliqui faciunt discessionem. Sin amici tui, Harte, adeò tibi injurii fuerint, ut (quòd immaturè te in exteras nationes amandârint) hospes factus sis in iis, quæ ad communem sensum & humanitatem spectant, domi: evolvisti tamen, spero, *Actorum* historiam, unde deducis rationem; & te instruxit Deus ingenii memoriæq; dotibus, quibus

& intelligere eam queas, & meminisse. Dic mihi, putásne [u] *Gamalielem illum Pharisæum, Legis Doctorem, quem totus populus in pretio habebat*, potestate fuisse Pontifice maximo, & Concilio Judæorum superiorem?

HART. Non puto.

RAINOLD. Atqui, quum [x] Pontifex maximus & Concilium *inirent consilium Apostolos interimendi*, [y] ille ipsis consuluit, *ne id facerent*; [z] cui audito *sunt* * *assensi*. Si non hinc suprematus Gamalieli enascatur, cur tandem Petro? Si verò Petro, cur nō etiā Gamalieli? Nū hoc *invictū* est *illud argumētum* quod pollicebare? *Audito Petro, omnes in ejus sententiam transierunt: fuit igitur Petrus caput supremū?*

HARTUS. Verùm [a] Hieronymus addit præterea, Petrum *principem* fuisse *hujus decreti quod Apostoli fecerunt*. Et sanè, (ut benè notat Waldensis) [b] *Nisi Petrus hic præsidens & primus fuisset, procax esset, quòd in absolutione dissidii, & in definitione sententiæ singulos præveniret*. Hæc Waldensis.

RAINOL. Antea promittebas *Scripturas* nobis, & præstabas *Chrysostomum*: nunc ex *Hieronymo* vendicas, & ex *Waldense* probas. Hic mos est vester. Thesauros exspectamus, & invenimus carbones.

HART. Non ego *Waldensem* suæ existimationis causâ affero, sed ut Hieronymi sententiæ interpretem. Quanquam, etiamsi in priscis Scriptoribus non fuerit, eruditissimorum sui seculi unus exstitit.

RAINOLDUS. Fortasse eorum unus, à quibus natum est id, quod à nostris hominibus sæpissimè usurpatum est, & in proverbii consuetudinem venit; *Eruditissimos non semper esse sapientissimos*. Nunquam in Senatu Romano pedem posuit; aliàs ediscere potuisset, etiam * *principem Senatûs* (ut appellabatur) *primum sententiam suam dixisse*, non tamen Senatui præsedisse; neq; sententiam ejus illam definitivam fuisse, sed de re ipsum judicium suum retulisse, (quod & post ipsum alii) & universum (1) Senatum rem definivisse. Quanquam sæpiùs tamen uni cuipiam Senatori Senatus assentiebatur, eúmq; *principem sententiæ*, hoc est, *primum autorem* appellabat; quemadmodum Hieronymus Petrum vocat *principem decreti*, quod * ipse explicat, primum *autorem sententiæ*. Quare, non cujusdam procacitatis erat Petrus insimulandus, si alios loquendo præveniret, etiamsi Concilio non præsideret; procax potiùs Waldensis ille, qui id de Petro asseruit, & eò Hieronymi verba torsit. Nam præsidentiam Petri ea non probare, dum Petrū *principem decreti* nominant, à (2) Cicerone accipias; qui se *principem sententiarum* fuisse docet, quum neq; Præsidens esset, neq; Princeps Senatûs. Præterea, (ut tibi magis constent hujus principatûs angustiæ) non intelligit Hieronymus integrum Concilii *decretum*, quum *Principem* ejus Petrum fuisse asserat; ([c] Scripturæ enim ipsi repugnaret, quæ partē ejus *principatûs* Jacobo defert;) sed illud tantùm quod ad institutum ejus attinuit, quod Petrus primus dicitur decrevisse; videlicet, [d] *Gentibus ad fidem Christi conversis, jugum Legis Mosis non esse imponendum*. Ubi illi, qui quid [*dividere sententiam*] * Romanis fuerit cognoscunt, facilè animadvertant Jacobum, etsi Petri sententiæ generatim assentiretur, hoc tamen particulare quasi reservasse; ut, [e] *qui credebant ex Gentibus quædam ipsis Legis Mosaicæ observanda admonerentur*, quæ ad *(1) sanctitatem* & *(2) concordiam* cum * fratribus pertinebant, [f] utraq; necessaria fidelibus officia. Cujus sententiæ verba tam religiosè [g] Concilium est sequutum, ut [h] Chrysostomus (si vellem ego, quomodo tu, hominum testimoniis insistere) de illa Jacobi sententia, tanquam definitiva sententia loquatur, affirmetq; (1) *illum judicium suum cum potestate pronuntiasse*, & (2) *principatum ei delegatum esse*.

[u] Act. 5. 34.
[x] Act. 5. 33.
[y] Ver. 35.
[z] Ver. 40.
* ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ.
[a] Epist. 11. inter epist. August.
[b] Doctrinal. fid. l. 2. c. 4.
* Varro in epist. ad Oppian. apud Gellium noct. Attic lib 14. c. 7.
(1) Senatusconsultum.
* Hieron. ep. 11. inter epist. August.
(2) Cic. pro Cornel. Balbo; Harum ego sententiarum princeps, & autor fui.
[c] Act 15, 20.
[d] Ver. 10.
* Cic. pro Milō. Ascon. Pædian. in Ciceron.
[e] Act 15. 20.
(1) Ut abstineant à pollutionibus idolorum, & scortatione.
(2) Et à suffocato, & sanguine.
* Iudæis.
[f] Heb. 12. 14.
[g] Act. 15. 29.
[h] In Act. Apost hom. 33.
(1) Κρίνω μετ' ἐξουσίας.
(2) ἐκεῖνος ἦν τὴν ἀρχὴν ἐγχειρισάμενος.

HARTVS. Ita de Jacobo loquitur, quia * Jerosolymitanæ civitatis Episcopus fuit, ubi Concilium illud habebatur.

RAINOLDVS. Vide-sis ne hoc respondeas.

HARTVS. Quamobrem? [i] Chrysostomi est.

RAINOLDVS. Cujuscunq; fuerit; non tu sentis, quid inde efficiatur: quêq; in sua diœcesi Episcopum Papâ esse superiorem? Nam si Petro fuerit superior, etiam Apostolo, etiam principe Apostolo superior; multo magis Romano, aut quovis alio Episcopo. Erit tutius tibi dicere, *errasse Chrysostomum*; quàm in hoc periculum incidere. Et certè (ut tibi, & veritati opem feram) qui *Jacobum unius civitatis Episcopum* constituit, quem Christus *Apostolum ad cunctas terræ nationes* legavit; eum ab aula (quod aiunt nostri) in culinam trahit. Videtur autem Chrysostomum fide Clementis id loquutum esse; [k] qui, quum illud referret, hoc unà referebat, *Christum post resurrectionem suam, cognitionem (1) dedisse* Jacobo, Johanni, *& Petro, illósq; eam reliquis Apostolis (2) tradidisse.* Quæ fabula planè reclamat verbo veritatis; ubi accipimus, [l] *cognitionem*, & [m] *Spiritum sanctum, à Christo cunctis* pariter *Apostolis* datum esse.

HARTVS. Non mihi istis adversus Patres diverticulis opem feres. Alii enim ex ipsis hoc Chrysostomo assentiuntur, *Jacobum Episcopum fuisse* Jerosolymitanum.

RAINOLD. Neq; *diverticula* sunt; nec *adversus Patres*: sed veræ in illorum gratiam defensiones. Apostoli enim missi ad Evangelium *cunctis nationibus* prædicandum, in maximis maximæ frequentiæ civitatibus diversabatur, nempe [n] Jerosolymis, [o] Antiochiæ, [p] Ephesi, [q] Romæ; ut ab istis * *Metropolibus*, uti appellabantur, civitatum ceterarum matribus, religio ad filias derivaretur. Quoniam autem eorum in Metropolibus istis civitatibus commorationi & operæ earundē Episcopi postea successerunt; ideo soliti sunt Patres sæpe Apostolos *Episcopos* earum *civitatum* vocare, in quibus maximam partem sunt commorati. Quod ea de causa poterant potiùs dicere, quòd (1) vocabulum (illorum sermone) quamvis *tutelam & curam aliorum* generali quodam sensu designet; adeo ut à (2) Scriptura *ministerio Apostolorum* quoq; accommodetur. Atq; hoc modo videtur dici, ut à [r] Cypriano, *Episcopum in locum* Judæ *ordinatum fuisse*: sic ab [f] Hieronymo, *Petrum Episcopum fuisse Antiochenum*; & à Chrysostomo, *Jacobum Episcopum fuisse* Jerosolymitanum. Sed, sive sic, sive secus fuerit, quod à me tamen defendendi Chrysostomi causâ dictum fuit, id ab illo ipso à tua *diverticuli* contumelia liberatur. Ait enim, (3) *Jacobum Episcopum fuisse, sicut ferunt*. Quæ verba [*sicut ferunt*] declarant id eum ex aliorum sermonibus loquutum esse: à nullo autem verisimilius hoc eū accepisse, quàm à Clemente, à quo (4) Eusebius id arcessit. Ceterùm, si respondeas nihilominus Chrysostomum illud [*sicut ferunt*] approbavisse; & existimasse *Jacobum* verè *Episcopum* fuisse: major ergo verborum ejus vis est contra suprematum vestrum, quum *principatum* Jacobo in diœcesi sua, etiam supra *Petrum* assignent. Verùm ego id subsidii mihi contra te non arripiam; quoniam non me latet, neq; Petrum, neq; Jacobum definitivam sententiam dedisse; sed quùm illi de re proposita sententias suas dixissent, eam [t] Concilii communi judicio definitam esse & decretam.

HARTVS. Communi judicio decretam esse non abnuo. Sed Theodoretus ostendit magnam in eo prærogativam Petrum, ut principem, præ ceteris habuisse; adeóq; etiam dedisse sententiam definitivam, cui ceteri assenserūt, & quasi subscripserunt.. Ille enim in epistola quadam quam ad Leonem scripsit, affirmat;

* Stap. princ. doct. l. 6. c. 14
[i] In Act. Apost. hom. 33.
[k] Hypotyposl. l. 7. apud Euseb. hist. Eccle. l. 2. c. 1.
(1) παρέδωκε τὴν γνῶσιν.
(2) παρέδωκαν.
[l] Luc. 24. 45.
[m] Act. 2. 4.
[n] Act. 8. 1.
[o] Act. 11. 26.
[p] Act. 19. 10.
[q] Act. 28. 30.
* μητροπόλεις
(1) ἐπισκοπὴ Euseb. & Clem τὸν τῆς ἐπισκοπῆς ἐγχειρισθῆναι θρόνον.
(2) Act. 1. 20. ἐπισκοπήν v. 25. τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης, καὶ ἀποστολῆς.
[r] Ep. 68. de ordinando in locum Iudæ Episcopo.
[f] Comm. in epist. ad Galat. c. 2.
(3) ἐπίσκοπος, ὥς φασιν.
(4) Euseb. hist. Eccles. l. 2. c. 1.
[t] Act. 15. v. 22. & 23 & 28.

Paulum ad magnum Petrum cucurrisse, ut iis qui Antiochiæ circa legalia contendebant, ab ipso afferret solutionem.

RAINOLD. Potes quoq; si placet,[u] Isidorum commemorare pro alia peculiari Petri prærogativa, nihilóq; istâ minori, & similiter ab *Actis* deducta, (quorum verba, ut confirmet eam, producit;) videlicet, *Antiochiæ primùm nomen Christianorum per Petri prædicationem exortum esse.* Nam etiamsi è regione Scripturæ magis adversetur, quæ testatur [x] *nomen Christianorum ortum esse*, non ex *Petri sed ex Pauli* & *Barnabæ prædicatione:* tamen Theodoretus quoq; eidem prorsus opponitur; dum illud ut propriũ & peculiare Petro attribuit; quod *Apostolis* & *Senioribus* fuit cõmune,[y] de quorũ judicio, ut aliquid certi afferret Paulus [z] mittebatur. Atq; ut Isidorus videtur lapsu memoriæ hallucinatus esse, nimis propẽso fortassis in Petrum animo: ita Theodoretus, ut iniret gratiam à Leone Episcopo Romano, (cujus ope indiguit) commodavit causæ suæ ipsius quum scriberet, *Paulum cucurrisse ad magnum Petrum*; ut *sic ipse multo magis* posset ad magnum *Leonem* currere. Quæ verba ab illo morbo profluxisse, indicant commentarii ejus quos in Scripturas conscripsit, in quibus indagabat veritatem, & textui adhærescebat. In iis enim de Barnaba & Paulo scribit; [a] *cucurrisse illos*, [non ad magnum Petrum] sed ad *magnos Apostolos*, & [b] *ab iis dubitationis illius de observãda lege solutionẽ accepisse.* Quanquam, si verba Theodoreti ad Leonem nullam exceptionem paterentur: potissimum hoc fuit, Petrum definitivam sententiam pronuntiasse, ut Præsidentem; non ut Principem, dedisse. Ceterùm Scriptura ipsa (cujus ad perpendiculum verba ejus sunt exigenda,) nihilo magis Petri præsidentiam arguit, quàm Jacobi; & quisquis Præsidens fuerit, ostendit tamen neq; *Jacobum*, neq; *Petrum*, sed *Concilium* dedisse sententiam definitivam. Ita pulchrè scilicet illud confirmat, quod tu de Petro probandum suscepisti: *tàm plenam illum potestatem habuisse in conventibus Apostolorum; quàm Princeps in Imperii Comitiis*, vel etiam *Papa in Concilio habere dicitur.*

SECTIO TERTIA.

HARTUS. Satis illud rectè confirmat, quanquam non tibi satis; præsertim verò si quædam alia similiter loca expendantur. Singularis enim Petri potestas à B. Paulo declarata est, quum scribit ad Galatas; [c] *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.*

RAINOLDUS. *Singularis potestas Petri?* Quibus verbis? Qua ratione? Quòd *venerit Jerosolymam, ut videret eum?* Aut quòd *post annos tres venerit?* Aut quòd *apud eum quindecim diebus manserit?*

HARTUS. Vis rationis * in eo consistit quod fecit Paulus, & ejus facti causâ. *Venit* enim *Jerosolymam videre Petrum.* Quamobrem? Nisi *honoris deferendi causâ*, ut ait [d] Hieronymus in commentariis. Et in [e] epistola quadam ad Augustinum; *Tantæ*, inquit, *autoritatis Petrus fuit, ut Paulus scripserit; Deinde post annos tres, &c.* Et [f] Chrysostomus, *Quia*, inquit, *Apostolorum Petrus fuit princeps & vertex ipsius cœtus, propterea Paulus ascendit eum videre præ aliis. Quia dignum erat*, ait [g] Ambrosius, *ut cuperet videre Petrum, cui delegaverat Servator curam Ecclesiarum.* Quod etiam *ex officio & jure fecisse* [h] Tertullianus affirmat. Nec aliter [i] Theodoretus; *Principi*, inquit, *Apostolorum, quem par erat, honorem tribuit.* Hinc videlicet non dubitat B.[k] Gregorius *Apostolum Paulum minorem fratrem appellare*: [l] B. quoq; Augustinus, factum Apostolum *Petro posteriorem*; qui præterea etiam ait, *Primatum Apostolorum in ipso Petro excellenti gratia præeminere.*

RAINOLD. Testes non necessarios ad rem non negatam probandam inducis. Nam fuisse Paulum Apostolum tempore Petro *posteriorem*, itáq; *fratrem* ejus *minorem*, ut affirmant Gregorius, Augustinus,* Ambrosiúsq; *venisse videre Petrum*

honoris

[u] De offic. Eccles. lib. 1. c. 1.
[x] Act. 11. 26.
[y] Act. 15. 22. & 16. 4.
[z] Act. 15. 2.
[a] In epist. ad Galat. c. 2.
[b] In argumẽto epist. ad Ephes.
[c] Galat. 1. 18.
* Stapl. princ. doctr. l. 6. c. 13
[d] In epist. ad Galat. c. 1.
[e] Epist. 11. inter ep. August.
[f] In Ioh. hom. 87.
[g] Comm. in Ep. ad Galat. cap. 1.
[h] De præscrip. cont. hæret.
[i] Comm. in ep. ad Galat.
[k] In Ezechiel. hom. 18.
[l] De Baptism. contr. Donat. lib. 2. cap. 1.
* *Quia primus erat inter Apostolos, cui Salvator delegaverat curam Ecclesiarum.* Vt Hieronymus, *Honoris priori Apostolo deferendi.*

honoris deferendi causâ, quē illi debuit, ut est apud Hieronymum, Chrysostomum, & Theodoretum: hoc fecisse illum, *ex officio & jure*. Quo *jure*, & *officio*? Scilicet [m] ejusdem fidei & prædicationis Evangelii, ut suum cum illo consensum, qui sensus est Tertulliani, declararet. Hæc omnia dabo tibi; [n] Scripturæ idem docent: quid opus ex Patribus confirmare?

m Tertullian. n Gal, 1.17. & 2.2.

HARTUS. Dabis omnia illa quæ ex Patribus produxi? Dabis ergo Protestantes in errore versari, & veritatem esse nostram dabis. Asserunt enim illi planè *primatum* Petri; & eum *os, principem, verticem Apostolorum* vocant.

RAINOLDUS. Statueras verò, uti mihi videbare, priùs Scripturas persequi, & deinde ad Patres migrare. Exiguum sanè illi tibi de Protestantibus triumphandi causam dabunt, quum illorum copias in campū eduxeris, viderisq; quibuscunq; vobiscum, an nobiscum conspirent: sed de reliquis deinceps. Nunc tantum tibi concedo, quantum ad rem attineat, quam ut probares, eos citasti: scilicet, *Paulum venisse ut videret Petrum, reverentiæ & honoris causâ quo personam ejus prosequebatur*. Sed argumentum, quod à te hinc infertur, nego: *Petrum igitur singularem potestatem habuisse*, quâ tu *suprematum* intelligis. Conjecisses Patres (si ita cuperes illos alicubi disponere) in hoc quod negatum est; non in illud quod concessum est. Verùm sic nunc vivitur. Divitibus damus, quibus non opus; quibus opus verò, pauperibus non damus.

HARTUS. Putâram autem illud potiùs quàm hoc te negaturum fuisse: nam hoc per se constat, nulliúsq; eget probationis. Communi hominum consuetudine demonstratur. Illi enim honorem & reverentiam ei deferre solent, in quo præstãtiam quandam inesse agnoscunt.

RAINOLD. Præstantiam fortasse, sed non *suprematum*.

HARTUS. Si fuerit Petrus præstantior Paulo potestate, *suprematum* evicimus.

RAINOL. Si potestate; aliquid dicis. Quanquam nihilominus longè celsissimus potestate potuisset esse, nec tamen ad vestrum *suprematum* aspirare. Sed fuit is in rebus aliis, non potestate, Paulo superior.

HARTUS. Fuisse potestate superiorem probo. Petro honor à Paulo delatus est: quare superior fuit potestate.

RAINOLDUS. Malum omen maritis quibus morosæ sunt uxorculæ, si quid hoc argumentum valeat. [n] Jubentur enim *vasi muliebri, ut infirmiori, honorem tribuere*. Unde (ut tua argutatur Dialectica) possint uxores autoritatem, & potestatem in viros suos vendicare. Hoc non vidit S. Petrus consectarium; de isto suprematu non cogitavit. Etsi enim doceat à *viro uxori suæ honorem esse tribuendū: uxorem* tamen *vas infirmius*, non *firmius* appellat; & [o] *uxoribus* præcipit ut *subjectæ sint suis viris*, id est, ut illis potestate sint (ut ego interpretor) inferiores. Quod magis apertè S. Paulus [p] indicat, quum dicit; *Debet mulier potestatem habere in capite*.

n 1, Pet. 3.7.

o 1. Pet. 3.1.

p 1. Cor. 11, 10.

HARTUS. Minimè verò ista responsio vires enervat argumenti mei. Nomen enim *honoris*, quum jubentur viri eum uxoribus suis tribuere, improprio sensu accipitur. Verùm *honor*, quo modo à me affertur, & à Paulo deferebatur Petro, suo proprio genuinóq; sensu usurpatur: ut reverentiam eam denotet, quam superiori debet inferior, & subditus illi, qui ei potestate præest.

RAINOL. Quem *honorem viris* mandatum est *uxoribus suis ut vasis infirmioribus tribuere*, significat ille honestam quandam curam & rationem, qua illarum infirmitatem tolerent, consulant inopiæ, & iis omnem amorem & officium quod

maritos deceat, exhibeant. Non eam reverentiam, fateor, de qua tu loqueris, denotat: eam tamen reverentiam denotat, quam amor & officium, quæ illis à viris suis debentur, complectuntur. B. [q] Paulus ait Timotheo; *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Vult autem, ut piâ curâ illarum penuriæ succurratur. Hæc tamen ut illis succurratur cura nihil causæ dicit, quò minùs cum reverentia colantur. Erras enim, si putas à nullis reverẽtiam aliis nisi ab inferioribus, iis qui potestate sunt superiores, esse tribuendã. Ethnici naturâ magistrâ id edocti sunt, *reverentiam* cuiq; hominũ conditioni *deberi.* [r] *Pueris* cum cautione quadam, ne quid turpe in conspectu illorum committatur, quòd tenera illorum ætas ad illud imbibendum sit proclivior; [s] *Sensibus*, cum honore quodam, propter prudentiam illam, experientiam, gravitatem, quæ illorũ canos solent comitari; [t] *omnibus* deniq;, *inprimis* verò *optimis quibusque*, ut modestam illorum bonæ de nobis opinionis habeamus rationem, & piâ voluntate probari nos illis cupiamus. Quare, si ratio tua in propria *honoris* significatione ponitur; ipse senties, nunquam ex ea *suprematum* esse consequuturum. Est enim *honor* externa professio, & testimonium officiosæ opinionis, quam concepimus de excellentia quadam illi insita, cui eum habemus. Ita præcipuus honor debetur [u] Deo, patri luminũ, fonti omnis excellentiæ; & secũdùm ipsum, hominibus in diversis gradibus constitutis, juxta diversas conditiones, & excellentiæ dotes, quibus eos Dominus locupletavit: [a] *Regi, ut* [b] *qui superemineat*, & [c] *præsidibus* omnibus qui per eum mittuntur; [d] *Ministris Evangelii*, eorũ cuique major, quo quisq; meliùs munere suo perfungitur; [e] iis etiam quibus nos natura maximè devincit, *parentibus*; [f] *senibus*; [g] *sapientibus*, [h] *piis*, [i] *doctis*, [k] *omnibus* deniq;, inprimis verò [l] *fidelibus*, ut *membris corporis Christi*, quorum nullum ita vile est, quin excellentiam aliquam, hominis Christiani excellentiam sit assequutum. Atq; hinc quàm labascat argumentum tuum, appáret; *Paulum Petro inferiorem fuisse potestate, quòd ei honorẽ præstaret.* Nõne in majestatis suæ solio cõstitutus [m] Salomõ, matrẽ suã honoravit? Nonne Rex ille, illa verò ei subdita? Nonne sic erudimur omnes, [n] ut *honore alii alios præeamus*, divites, pauperes, summi, infimi? Quàm superba verò & arrogans* illi mens inerat (nisi mentis & linguæ fuerit divortium,) qui nemini à se honorem esse deferendum, præterquam illis solis qui erant potestate ipso superiores, cogitabat? Ista credo Theologia hausta est ex illo capite libri sacrarum Ceremoniarũ (quod priùs attigi;) [o] *Papam nemini reverentiam facere ex officio & jure*: veretur enim, ne hoc modo existimaretur aliquis potestate illo superior. Ceterùm in [p] eodem libello (vide humanitatem hominis) legimus illum * *honorasse Fridericum Imperatorem, adeò ut illum proximũ sibi supra omnes Cardinales collocaret*; & (*1*) *locus ubi sedebat Imperator, non minùs altus fuit, quàm ubi Pontifex tenebat pedes.* Jam, *sedes* Imperatoris hîc ostendit Papam illo potestate fuisse superiorem; quem (*2*) Papa tamen *honoravit.* Poterat ergo esse Petro superior Paulus potestate, etsi *honoraret* Petrũ. Si poterat, nihil *honos ille, qui est ab eo delatus Petro*, dignũ *suprematu* molitur. Licet ergo illum, tanquam minimè cordatũ militẽ, ab exercitu dimittere, nequaquam ad Papę bella gerenda satis animosum. Nõnne hęc responsio quę à me affertur, [*honorẽ*] *suo proprio acceptum sensu* attingit? Aut vis tu Imperatorem Papæ potestate anteponere? Aut verò mendacium hoc est, Papam illum honorasse?

Hartus. De me triumphas tu, quaq; levissimâ occasione oblatâ, ac si victoriam peperisses. Tua verò absurda interim, & ineptias non attendis. Modò de Apostolis ut potestate æqualibus loquebare; nunc de Paulo perinde loqueris, quasi ita Petro esset superior, sicut Papa superior est Imperatore. Et meam ego

[q] 1. Tim. 5. 3.
[r] Maxima debetur puero reverentia. Iuv. Satyr. 14.
[s] Magna fuit quõdã capitis reverentia cani. Ovid. Fast. lib. 4.
[t] Adhibẽdaest quædam reverentia adversus homines, & optimi cujusque, & reliquorum. Cic. off. l. 1.
[u] Revel. 7. 12.
[a] 1. Pet. 2. 17.
[b] Vers. 13.
[c] Vers. 14. & 1. Tim 6. 1.
[d] Phil. 2. 29. 1. Tim. 5. 17.
[e] Exod. 20. 12
[f] Levit. 19. 32
[g] Gen. 41. 39.
[h] Esther. 6. 3.
[i] Act. 5. 34.
[k] 1. Pet. 2. 17.
[l] 1. Cor. 12. 24
[m] 1. Reg. 2. 19.
[n] Rom. 12. 10
* Stapl. princ. doct. l. 6. c. 13.
[o] Sacr. cerem. sanct. Rom. Eccles. l. 3. Sect. 1.
[p] L. 1. Sect. 13
* Anno Dom. 1568.
(1) Altitudo sedis ita erat in structura, ut non altior esset locus, ubi sederet Imperator, quàm ubi Pontifex teneret pedes.
(2) Honoravit quantum potuit, cum summa tamen gravitate & majestate.

rationem ex Scripturis,&Patribus efformavi,tu verò libellum Ceremoniarum affers,ut eam interimas. Num talibus nos bellatoribus subigetis?

RAINOLDVS. Valde equidem,si possem,cupio,non de *te*,sed de *erroribus* tuis *triumphare*. Causæ meæ robur, mearúmq; pondus rationum, majores mihi addit animos ad dimicandum cum fugitivis illis ratiunculis, quas adversum eas opponis. Priora illa,quæ de *Apostolis* ut *æqualibus potestate* dixeram, cum istis de Petro,& Paulo conspirant. Aio enim non Paulum fuisse Petro potestate superiorem; sed *esse quidem illo superiorem potuisse*, honore illo nihil officiente, quem ei exhibebat. Quod satis est ad tuum argumentum evertendum.Verùm,si exemplum quod de Papa & Imperatore apposui, in causa fuerit quòd me perperam sis interpretatus; alterum accipias licet, propositóq; commodius, *Collegium Apostolicum*, ut eos [q] Papa vocat, *Romanos* intelligo *Cardinales*. Qui, etiamsi conditionibus, ordinibus, possessionibúsq; alii aliis superiores emineant, [r] tamen (*1*)*in omnibus rebus*, & *omnibus humanitatis officiis singuli sibi mutuam exhibent reverentiam*. Et quando quispiam illorum ad Capellam suæ Sanctitatis, ad vota precésq; faciendas veniat, *pergit versus Cardinales sui ordinis, & non vadit ad suum locum directè, nisi esset ultimus; sed ab ultimo incipiens, quasi ibi remanere velit, invitatur à singulis ut ascendat, quousq; veniat ad locum suum directè, nisi esset ultimus; & ipse modestè semel atq; iterum invitat subsequentem, ut præcedere velit, & tandem in locum suum residet*. Plenum hoc molestiarum est, sic omnia perturbari *cuiusq; Cardinalis* ad preces ingressu, præcipuè verò precibus inchoatis. Ut tamen videant alii,quàm modestè de seipsis sentiant, & quàm se mutuò reverentia prosequantur, *idem facit quisquis post illos venerit, præsente vel absente Pontifice*. Nunquam sine dubio *Cardinales* tantæ sapientiæ viri adeò ineptirent, si superior ipsis potestate quisq; foret, quem illi honorant. Sed iniquiùs mecum agis, qui ais, *te ex Scripturis & Patribus rationem tuam efformasse, me verò libellum Ceremoniarum, quo eam interimam, afferre*. Nam neq; in Scripturæ verbis insistebas, sed in quadam tantùm circumstantia à Patribus observata, *Paulum ad Petrum venisse honoris ei deferendi causâ*: ego verò occidi rationem quam inde confeceras *Scripturarum* gladio; *libello* verò *Ceremoniarum* tanquam circumpede usus sum Hybernico, qui mortui cervicibus caput abscinderet. Ne nominare quidem illum dignatus fuissem, nisi ut hoc pacto stercus solennium vestrorum vobis in os objicerem; arguerémq; ineptias Papisticæ rationis, ex Papalis ludibrii exemplo. Quanquam ego nihil video cur sic *Scripturas* & *Patres libello Ceremoniarum* præponeres. Hujus enim *libelli* unum aliquod folium majora de Papa prædicat, quàm illorum utrorumq; universa volumina. * Solenni quoq; more Romæ excusus est,ut magni alicujus pretii liber,Petri in fronte depicta imagine, adpictísq; in manibus ejus *clavibus*, & verbis illis [*Pasce oves meas*] illi circundatis; quùm multi Patrum interea in pulvere *Vaticanæ Bibliothecæ* jaceant, nec iis lucem aspicere concedatur. Veruntamen, si te malis *Patribus* ut generosis heroibus victum dedere, & *librum Ceremoniarum* proletariorum aliquem esse censeas, cui tradi te fers molestiùs; audi testes tuos qui Paulum Petro inferiorem aliàs non arbitrantur quàm tempore Apostolatûs, quippe quòd primus alter, alter ultimus sit designatus. Audi S. Hieronymum, qui [s] *æqualitatem inter eos* statuit, etiamsi Paulus illum [t] *ut Apostolum ipso priorem* honoraret;S.[u] Chrysostomũ,qui pronuntiat *Paulum*(*ne quid ampliùs dicat*)*Petro pari dignitate fuisse*; S.[x] Ambrosium,qui *utrisq; primatum* dat, aitq;, *talem Paulum fu-*

[q] Pius secundus sacr. cerem.l.1.sect.8

[r] Lib.3.sect.1.

(1)Cardinales inter sese, & gestis,& verbis, & nutu summam exhibent reverentiam; stando, sedendo, eundo, equitando,&in rebus omnibus alter alteri deferendo.

* Sacrarum Ceremoniarum,sive rituum Ecclesiasticorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ libri tres; Romæ. typis Valerii Dorici,1560. cum privilegio.

[s] Comm in epist.ad Gal. cap.2.

[t] Cap.1.

[u] In epist. ad Gal. cap.1. [x] In Epist.ad Gal.Cap.1.& 2.

isse, qualis fuit Petrus; S. [y] Augustinum, qui narrat *æqualem fuisse illorum autoritatem*, & *in Pauli honorem implere clarificationem Domini, si quid habeat ordo temporis minus*; *quòd illum Apostolum faceret non ut ceteros, quum adhuc mortalis esset in terris*; *sed quum immortalis clarificatus esset in cœlis*. Atq; hæc ab illis Patribus scribuntur, quorum verba de *honore qui est à Paulo delatus Petro*, * Doctor vester certo descripta ordine recenset, quasi illorum judicio Paulus inde Petrum caput suum supremum esse agnosceret. Quo loco animadvertere potes tùm fraudes ejus, qui illorum verba perinde repetit, ac si alterum alteri præponerent, quum disertis verbis alterum parem alteri constituant; tùm etiam quàm bellè expositiones vestræ cum Patribus consentiant, qui ex epistola ad Galatas æqualitatem Petri, & Pauli collegerunt; unde Petri in Paulum suprematum vos concluditis.

[y] Exposit. epi. ad Gal. c. 1.

* Stapl. princ. doctr. l. 6. c. 13.

Hartus. Quàm unanimis sit, concorsq; Patrum de Petri supremati consensus, deinceps ostendetur. Circumstantiam verò illam, quam ex iis observavi de Pauli actione, *quum veniret is videre Petrum, venisse reverentiæ & honoris ei deferendi gratiâ*, non adeò atq; actionem ipsam, æstimo; nec tam Patres urgeo eam observantes, quàm quæ de illa Scripturæ tradunt. Eam enim illæ verbis adeò efficacibus, vivisq; exprimunt, ac si de industria primatum Petri depingere contendissent. * *Deinde post annos tres veni* Jerosolymam, inquit Paulus, *videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim*. Quæso velis verba ejus attendere, & quid ponderis habeant, cogitare. *Venit* Jerosolymam, ita multùm dissitam, tam longo itinere; *venitq;* nullis magnis ejus Ecclesiasticis negotiis obstantibus; *venit* verò *videre Petrum*, non vulgari more, sed (ut [z] S. Chrysostomus vim * Græci verbi notat) *intueri illum, ut solent homines rem quampiam, aut personam alicujus nominis, excellentiæ, & majestatis intueri*; neq; venit tantùm videre illum, verùm etiam *apud illum mansit*, ut se pleno morum ejus intuitu satiaret; neq; verò *mansit apud illum* aliquo brevi tempore, sed *diebus quindecim: diebus quindecim*; magna res quidem, majorq; quàm eam putârint multi, qui abyssum Scripturarum non scrutantur. Tantus apud Paulum erat Petrus: tamenne perges adhuc primatum ejus denegare?

* Gal. 1. 18.

[z] In epist. ad Galat. cap. 1.

* ἱςορῆσαι.

Rainoldus. * Laudante quodam Oratorem apud Agesilaum, hoc nomine, quòd res amplificare posset, & ex minutis eas oratione magnas efficere; *Ego*, inquit Rex, *ne sutorem quidem arbitror bonum, qui parvo pedi magnos inducat calceos*. Tu Oratorem, Harte, agis amplificando; eumq; in modum, ut *sutorem Agesilai* superes. Nam non modo parvo pedi magnum inducis calceum, sed dentibus tuis distendis corium. Et tamen, ubi defatigâris te, & lassus fueris distendendo; incassum id quidem distenderis. Nam etsi calceus tuus major sit, quàm qui *primatui Petri* inserviat; minor tamen futurus est, quàm ut *Papæ suprematui* accommodetur.

* Plutarch. in Apophthegm.

Hartus. Non de Papa jam, sed de Petro loquimur: cur dilaberis ab instituto?

Rainoldus. Ego verò illos utrosq; putâram ejusdem naturæ fuisse, nomine solùm diversos. Verùm de Petro loquar. Et quò percipias faciliùs calceum quem consuisti, pede illius majorem esse; exhibebo evidentem ejus demonstrationem, sensibusq; ipsis obviam. Mater Servatoris nostri, *Maria beata Virgo*, in Scripturis appellatur [a] *benedicta inter mulieres*; hoc est (sicut ego ex Hebraica phrasi interpretor) *mulierum beatissima*. Quid tu de illa censes? Ecquæ mulier ejus seculi exstitit in re ulla nominis, excellentiæ, &

[a] Luc. 1. 28.

majestatis illâ superior?

HARTVS. Illâ superior? Absit prorsus. Neq; ejus seculi, neq; prioris, neq; consequentis ulla.

RAINOLD. Illa tamen, quum [b] jam *Spiritus sanctus in ipsam supervenisset, & virtus Altissimi eam inumbrasset*, [c] *profecta est in montanam regionem, cum festinatione in urbem* Juda, non ut videret tantùm, sed ut [d] *salutaret* etiam *cognatam Elisabetham*. Ea verò fuit *ejus* [e] *salutatio*, ut statim post auditam illam, Elisabethæ *subsiliret fœtus in utero, & repleta sit Spiritu sancto*: neq; tãtùm profecta est eam salutare, sed [f] *mansit cum illa* etiam; neq; brevi aliquo tempore, sed *quasi tres menses*: *tres menses*; magnum verò tempus, præsertim fœminæ jam prægnanti. Si non pluris honorem *beatæ Virginis*, quàm *Pauli* penderes; tua quæ Paulum infra Petrum detrudit Rhetorica, multo magis eam infra Elisabetham esset dejectura. Erat enim *Elisabetha* secundùm carnem *cognata*; Paulus *Petro frater* fuit secundùm spiritum; * magis propinqua hæc est necessitudo, & arctius amicitiæ, officiiq; vinculum. Profecta est illa itinere magis impedito *in montanam regionem*; commodiori Paulus itinere venit *Jerosolymam*, quò aliis quoq; de causis poterat invitari. Illa, *fœmina* corpore debilior, & cui molestiora viarum tædia; *vir* autem Paulus, fortis, laboribus molestiisq; exercitatus: profecta est illa *cum festinatione*; Paulus *post annos tres*: Paulus venit *videre Petrum*; illa *Elisabetham salutare*: ita cœlestis illius fuit *salutatio*, ut ipsius fœtus corpusculum spiritusq; matris eam persentisceret; de Petro à Paulo viso nihil scriptum est, nisi unum hoc, *Paulum eum vidisse*: illa cum cognata mansit, *quasi menses tres*; Paulus apud Petrum mansit solùm *quindecim diebus*: atqui *Paulo* licuit, ut *Apostolo*, uspiam esse & commorari; *Virgini* major causa fuit, scilicet [g] *desponsæ viro*, & præsertim gravidæ, domi se continendi. Quare, si fuit Petrus Paulo superior excellentiâ & majestate, quòd *venerit Jerosolymam videre Petrum*, & *apud ipsum quindecim diebus manserit*: quanto posset Elisabetha fuisse superior *beatâ Virgine*; *quæ profecta est in montanam regionem, ut eam salutaret*, & *mansit cum illa quasi menses tres*?

[b] Vers.35.
[c] Ver.39.
[d] Ver.40.
[e] Vers.41.
[f] Vers.56.
* Mat.12.42.
[g] Luc.1.27.

HART. Quinimmo majus quiddam est in illa *quindecim dierum* commoratione Pauli apud Petrum, quàm in illa *trimestri Mariæ* cum *Elisabetha*.

RAINOLDVS. Majus? Quid illud quæso?

HARTVS. Mysterium videlicet est, (ut demonstrat S. Hieronymus) in illo numero dierum, quos apud Petrum Paulus contrivit.

RAINOLDVS. Prædicâras autem modò *efficacia* contextûs *verba*; nunc ab illis migras ad S. Hieronymum. *Mysteria* sunt, video, quæ vestro suprematui futura sint adjumento; Scripturæ sensus, literæ affinis, haud quicquam juvabit. Sed quod tandem *mysterium*?

HARTVS. [h] Hieronymus (in epistola quadam, quæ plerunq; in fronte Bibliorum præfigitur, quòd de singulis tractet sacrarum Scripturarum voluminibus) de Paulo faciens mentionem, *quomodo cum Petro quindecim diebus maneret*, hanc ejus rationem reddit; *Hoc enim mysterio hebdomadis & ogdoadis futurus Gentium prædicator instruendus erat*.

[h] Ep. ad Paulin. presbyt. inter Epist. Hieron. ep. 103.

RAINOLDVS. Et quid demum voluerit Hieronymus per *hoc hebdomadis & ogdoadis mysterium*, in quæ *dies* illos *quindecim* divisit? Quomodo, quæso, Paulus inde instruendus erat?

HARTVS. Id tu videris. Ea pura puta sunt ipsius verba, quibus idem expressum audis quod dixeram; esse nempe hoc *mysterium*.

RAINOLDVS. Atqui semper quidem *mysterium* futurum est, nisi explanetur: & nos nucleum amittemus, nisi frangamus nucem.

HARTVS. Quid? Quam tu in eo sententiam Hieronymi fuisse arbitraris?

RAINOLD. Nescio planè: nisi voluerit, ut quidam (hominem non novi, sed appellant (i) Maximum Papam) exponit; *Paulum venisse*, ut institueretur à Petro, & apud illum quasi in Schola quadam, ad aliquot dies mansisse. *Mansi apud illum, inquit Paulus, quindecim diebus. Per mysticum hebdoadis & octoadis numerum, veteris Testamenti simul & novi didicit sacramentum.*

(i) Maximus Papa, in epist. ad Orientales apud Turrecremat. in summ. de Eccles. l. 2. c. 107.

HARTVS. Et quid tu de ista expositione dicis?

RAINOLDVS. Dico delirasse *Papam Maximum*, quum eam excogitaret. Hac enim ratione efficietur, Paulum Evangelium à Petro didicisse; cui Scriptura refragatur, quæ asseverat, *eum* [k] *neq; ab homine id accepisse, neq; edoctum esse, sed illud patefaciente ipsi Jesu Christo.* Si verò lucernam cupias in luce meridiana, quâ splendorem Solis, terras jam fortissimis radiis lustrantis, amplifices; cognoscas licet Patres, [l] Augustinum, Chrysostomum, Ambrosium, Theodoretum, Hieronymum, [m] aliósq;, idem omnino affirmare; *Paulum ad Petrum venisse, non ut ab eo disceret; sed reverentiâ quadam & amore*, ut in ejus familiaritatem veniret. Hieronymus verò, qui videtur (in epistola quam commemoras) aliter contra Scripturam, & seipsum sentire, non mirum, si aliquando declinârit de via, *allegoriis* delectatus, ut assiduus lector, & imitator Origenis, [*] qui nimis licenter Scripturas vagis mysticísq; sensibus tractavit. [n] Hieronymus ipse, quum majorem adeptus esset judicii maturitatem, agnovit *adolescentiæ* suæ hac in re errorem, confessúsq; est, se (*dum mysticos quæreret intellectus*) *allegoricè interpretatum esse prophetam inconsultò, cujus historiam nesciebat.*

k Galat. 1. 12.

l Expos. epist. ad Gal. c. 1. & ut Augustinus, ita reliqui, in comm. suis in epist. ad Gala. m Theophylactus, & Oecumenius.

* De princ. l. 4. c. 2.

n Præfat. in comm. in Abdiam proph.

HARTVS. Quicquid demum intellexerit Hieronymus, Petri certè supra Paulum prærogativam intellexit; quam neq; *adolescentiæ* ejus, neq; *allegoriæ* auxilio potes devitare. Similem enim prærogativam Petro, absq; allegoria, provectâ ætate ascripsit, in aperta verba Pauli; [o] *Ascendi*, inquit Paulus, *Jerosolymam secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus; seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem. Paulus*, inquit [p] Hieronymus, *non habuisset securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri, & eorum, qui cum eo aderant sententiâ fuisset roboratum.*

o Gal. 2. 2.

p Ad August. ep. 11. inter epist. Augustini.

RAINOLDVS. Nos soletis criminari, quòd nuditatem Patrum detegamus; quum vos scilicet ii verè sitis, à quibus illi sic tractantur: neq; verò solùm nuditatẽ eorum detegitis, sed etiam eam proclamatis, cantatísq; nævorum eorum pulchritudinem, & ibi optimè amictos illos esse putatis, ubi maximè denudantur. Quis enim hic sermo est, quem affers ex Hieronymo? *Paulum non habiturum fuisse securitatem prædicandi Evangelii, nisi Petri sententiâ fuisset roboratum.* Quid? Num per [q] *Deum* vocatus est *ad Evangelium prædicandum*; neq; id dùm exsequi ausus est, donec ab hominibus approbaretur? Quum verò id à [r] Christo edoctus fuisset *per revelationem*, non adhuc de eo certus fuerat nisi Petro quoq; consulto? & quum [s] viginti jam penè annos id prædicasset, ne id fortè falsò prædicasset, tandem subverebatur?

q Gal. 1. 1.
r Vers. 12.
s Vers. 18. & Gal. 2. 1.

HARTVS. Non ita dicit Hieronymus: sed *non habiturum fuisse ipsum securitatem prædicandi Evangelii, nisi roboratum fuisset eorum sententiâ, quibuscum contulit Evangelium.*

Rainoldus. Non ita dicit Hieronymus: *sed non habiturum fuisse ipsum securitatem.* Hieronymus igitur *ita dicit, dum non ita dicit:* & tu uno verbo negas, quod affirmas alio. Quid enim est aliud, *non habere securitatē Evangelii prædicandi:* quàm sollicitum esse vel de doctrina sua, ne minùs vera; vel de actione, ne non legitima judicetur?

Hartus. Quorsum igitur de Paulo [t] Scripturæ referunt; *contulisse eum cum illis, ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset?*

Rainoldus. Quoniam multi Christiani quibus Paulus Evangelium prædicârat, jam à falsis Apostolis Judæorum seducebantur; [u] qui illis suggesserant, *non posse ipsos servari, nisi legem Mosis servarent.* Atq; ut hæreticæ doctrinæ suæ majorem fidem facerent, quò procliviùs eam auditores docentium autoritate moti amplecterentur; aiebant doctrinam fuisse *Petri, & reliquorum maximorum Apostolorum*, qui Ecclesiæ *columnæ* exstiterunt: Paulum verò, qui illorum hæresibus saniora præcepta objecit, infamârunt contumeliis, ut qui post ipsos in Apostolatum irrepsisset; & quùm ab ipsis Evangelium, quod prædicârat, accepisset, ab iis tamen, in eo prædicando, dissideret. Quibus seductorum voculis si fidem ii adhibuissent, quibus aut prædicaturus esset Paulus, aut jam prædicasset Evangelium: [x] *depravatis mentibus degenerassent à simplicitate, quæ est in Christo*; & Paulus oleum & operam suam perdidisset, & *in vacuum cucurrisset*, ut loquitur, hoc est, sine commodo, sine [y] *fructu* ejus, cujus causâ cucurrit. Quam querelam fundit apud [z] Prophetam Christus; *Frustra laboro, inaniter & vanè vires meas consumo:* quum non receptus esset à Judæis, quibus verbum vitæ annuntiavit. Paulus igitur, quum ut industrius agricola cuperet, ubi sementem jecerat, ibi metere; elaborabat evellere herbas noxias falsorum Apostolorum, quæ frugibus crescentibus aut offecerant, aut officere potuerunt. Quo consilio quum demonstrasset primò de autoritate suâ, eam se [a] adeptum esse *neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed per Deum*; tum de doctrina, eam à [b] *Christo,* non ab Apostolis se accepisse: postremò quidem, de sua ab illis dissensione, narrat [c] *ivisse se & contulisse cum præcipuis eorum,* Jacobo, *Petro, &* Johanne, *qui columnæ habebantur*, ut consensum suum attestarentur, redderéntq; prædicationem ejus fructuosam, & falsis Apostolis os occluderent. Universum hoc vidit Hieronymus, & in [d] Cōmentariis suis in Epistolam ad Galatas editis demonstravit: ubi diligentiùs de instituto & scopo Pauli deliberavit, examinavítq; quasq; contextûs particulas et circumstantias. In quibus autem verbis tu ita hæres, ea inconsultiùs in [e] epistola quadam ad Augustinum effutivit: adversus quem, ut opinionem suam, quamvis falsam, præstaret; *Petri nimirum culpam Antiochiæ commissam, revera culpam non fuisse, neq; Paulum eum reprehendisse seriò:* ait, ut alteri majorem existimationem acquirat, *Paulum non habuisse securitatem prædicandi Evangelii, nisi id Petri sententiâ fuisset roboratum.* Quare, idem mihi jure licet pro ejus excusatione dicere (ut duritiem saltem sermonis ejus leniam) quod [f] Basilius pro Gregorio dixit; *verba ejus non* δογματικῶς, sed ἀγωνιστικῶς *dicta esse*, ut causam suam potiùs adversus Augustinum tueretur, quàm ut suum de re judicium ostenderet: ut qui ex affectu magis scriberet, quid placeret ipsi; quàm ex consilio, quid sentiret. Cujus rei quasi vestigium quoddam in verbis ejus apparet. Petrum enim nominatim profert, (de quo cum Augustino contendit) nec quenquam aliorum: quum à Scriptura non magis ille, quàm alii nominentur. Sed de Paulo [g] primùm generatim loquitur; *contulisse eum cum illis Evangelium, qui in pretio fuerunt:* & [h] postea sigillatim, *de* Jacobo, *Petro, &* Johanne, *illos colum-*

nas

[t] Gal. 2. 2.
[u] Gal. 1. 7. & 5. 2.
[x] 2. Cor. 11. 3.
[y] Rom. 1. 13.
[z] Esai. 49. 4.
[a] Gal. 1. 1.
[b] Vers. 12.
[c] Gal. 2. 2.
[d] In ca. 1. & 2.
[e] De Petro reprehenso à Paulo, epist. 11. inter epist. Augustin.
[f] Epist. 64.
[g] Gal. 2. v. 2.
[h] Ver. 9.

nas existimari. Quare non cum Petro solo Paulus Evangelium contulit, sed cum Jacobo etiam, & Johanne; ideóq; non supremat[illegible] Petri magis, quàm Jacobi & Johannis hinc probatur: & verò, ut cum illo contulisset solo, tamen satis signi fuit (ipsius Hieronymi judicio) Paulum Petro æqualem fuisse, non Petrum eo superiorem. * *Nam inter conferentes*, inquit Hieronymus, *æqualitas est*. Utinam, Harte, si autoritatem Hieronymi omnino velis sequi, in optimis quidem eum sequerere; & quod per errorem contentionis æstu abreptus dicas, id per veritatem judicio doctrinæ nixus compensares. Verùm quod de *donis* scribitur & *muneribus*; [i] *Occæcant oculos sapientum, & pervertunt verba justorum*: id haud veriùs de judicibus dicitur, & arbitris, qui in causis civilibus occupantur; quàm de te, & * tuis, qui in spiritualibus controversiis dijudicandis versamini. *Munera* illa, quibus partim ingenium & ars Papæ vos accepit in suis Seminariis, & negotiis; & quæ partim Papatûs majestas, iis qui loquuntur illi placentia, elargitur; *occæcant oculos tuos, & verba tua pervertunt*, adeò ut tenebras lucem putes, & lucem tenebras; & malum bonum, bonum verò malum appelles. Aciem tuam impediunt illa, quò minùs possis Pauli in Epistola ad Galatas certum intueri propositum subvertendi illud, quod tu illum exstruere erigereq; contendis. Illis impelleris ad depravandas verborum ejus circumstantias, quasi iis verbis probaret se Petro inferiorem, quibus se planè non inferiorem probat. Illa stimulant te, instigántq; ad humilitatem ejus in subjectionem quandam transmutandam; & ut spiritu Apostolicæ ipsius modestiæ abutare, quò magis erigas Papalem superbiam, & pompam suprematûs. *Paulus venit videre Petrum desiderio eum cognoscendi, quod Græco verbo innuitur; quod solent*, inquit [z] Chrysostomus, *loqui, qui proficiscuntur ad magnas & celebres civitates intuendas.* Non vales tu Chrysostomum scribentem in eundem locum legere; *Paulum (1) Petro æqualem fuisse dignitate, ne quid ampliùs dicatur*: sed hanc annotatiunculam illius arripis, eámq; verbo *majestatis* inflas, ut inde credulo lectori persuadeas; Petrum non minùs * eo homine magnificum fuisse, qui (2) illo titulo cōpellatur. *Paulus venit* Jerosolymam à [k] Damasco, quæ haud multo longiùs distant centum millium intervallo. Ais illum venisse, *in regionem ita multùm dissitam, tam longo itinere*; quasi non minoris laboris fuisset, quàm hinc ad curiam Romanā navigare: quam operā * Episcopi Papæ persolvunt, non voluntate suâ, ut Paulus; sed eò *solenni juramento* adacti: non semel atq; iterum septendecim annorum intersititio, ut Paulus; *sed semel singulis annis, vel per se, vel per nuntios suos, nisi à Papa datâ licentiâ absolvantur.* Sed præter cetera, insigne verò illud est, quod ais, venisse Jerosolymam videre Petrum, *nullis magnis ejus Ecclesiasticis negotiis obstantibus.* Hoc artis fuit interea, ut constet Episcopis licere, Papam ut visum veniāt, functiones suas negligere; quùm hoc Pauli scilicet exemplo honestentur. Et hanc celare artem, etiam artis fuit; nihili futura est, si comparuerit. Quæ enim ista *magna* fuerūt *Ecclesiastica negotia*, quibus Paulus supersedebat, ut Petrum inviseret? Scilicet, [l] *Damasci à Judæis ei structæ sunt insidiæ, qui adservabant portas civitatis die ac nocte, ut eum interimerent*; adeò ut necesse fuerit illi *nocte per murum demitti, discipulis eum in sporta submittentibus*: atq; hoc pacto *aufugit* Jerosolymam. Hæc sunt *negotia, magna negotia illa Ecclesiastica*; quibus non obstantibus Paulus à Damasco venit Jerosolymam *videre Petrum*. Ubi, ut tu ais, rever[illegible] commotus est suprematûs Petri; ut * amicus quidam tuus ait, *peregrinatoris more* profectus est ad Petrum. Uter vestrûm meliùs ad propositum, locum accommodet, & aptiùs contextui, id verò potest addubitari. Sed ad speciem quidem videtur peregrinationi magis, quàm suprematui favere.

* Hieron. in epist. ad Gal cap. 2.

[i] Deut. 16. 19.

* Rhemensibus: qui premunt loca ista Hieronymi de illo quindecim dierum mysterio, & securitate prædicandi Evāgelii; ut & superiora illa Tertulliani de officio; Ambrosii & Chrysostomi, de honore; & vi Græci vocabuli (*videre*) unà cum circumstantiis majestatis, lōgi itineris, &, *Non obstantibus magnis ejus Ecclesiasticis negotiis*. In annot. suis, in ep. ad Galat. cap. 1. & 2.

[z] In epist. ad Galat. cap. 1.

(1) ἰσότιμος ὢν αὐτῷ, πλέον γὰρ οὐδὲν ἐρῶ τέως

* Pontifice.

(2) Majestate tua, Paul. Manut. epist l. 8. ad Pium 4. Pōtif. Maxim.

[k] Act. 9. 26.

* Ego N. Episcopus. extra. de jurejurando. Limina Apostolorum singulis annis per me, aut per certum nuntium visitabo, nisi eorū absolvar licētiâ: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.

[l] Act. 9. 24.

* Greg. Martinus in quodam libello, de Christiana peregrinatione.

HARTUS. Vide verò quam injuriam illi docto viro intuleris. Ait ille; *quum Paulus veniret videre Petrum, eum peregrinationem quandam instituisse*: refers tu dixisse illum; Paulum *peregrinatoris more*, ad Petrum *profectum esse*.

RAINOLD. *Instituit quandam peregrinationem*: ignoscas verò. Existimâram illum probaturum fuisse id genus peregrinationis, quod ab Ecclesia nostra improbatur, quod quidem facere instituerat; saltem præ se tulerat. Sed dum probat, nugatur, velut sophista, cum *quadam peregrinatione* quam Ecclesia nostra amplexatur. Perinde dixeris me ad te *Oxoniâ* venisse, *peregrinatione* institutâ, *quadam peregrinatione*. Et verò hoc indiligentiam ejus arguit, quòd in multis peregrinationũ exemplis, quæ in Scripturis occurrunt, [m] Jacobi non meminerit; qui se *omnes annos vitæ suæ peregrinatum esse dicit*; & *patrum suorum peregrinationum* annos plures fuisse iis, quos ipse peregrinando confecerat. Sed quam demum cunq; speciem habeat Pauli actio ad *quandam peregrinationem* arguendam, quòd venerit *videre Petrum*; nullam tamen ad Petri suprematum firmandum affert. Immo, universa Pauli hac in re oratio, ei penitus repugnat; sicut (* partem aliquam ejus) priùs constitit. Quare, inhonestè tecum egerunt, qui eò te relegârunt. Tutiorem tibi viam affectasses, si Actis Apostolorum acquievisses. Quod si illa duo à te prolata loca ex primo & decimo quinto Actorum Apostolorum, non satis virium ad id quod tu velles, probandum administrarent; poteras eorum loco duo alia ex octavo & undecimo desumpsisse, quæ ad id probandum satis valida sunt, quod tu probare velle deberes. Nam in [n] altero, *Apostoli qui erant Jerosolymis, miserunt Petrum & Johannem ad Samaritanos*, ut illos in fide per donum *Spiritûs S.* corroborarent. In [o] altero, *Apostoli & fratres qui erant in Judæa*, à Petro *rationem facti* postulârunt, (quum Cornelio prędicasset Evãgelium) *quòd ad viros præputium habentes introiisset, & unà edisset cum eis*.

[m] Gen. 47. 9.
* C. 3. Sect. 1.
[n] Act. 8. 14.
[o] Act. 11. 3.

HARTUS. Hui, tu autumas Apostolos parem cum Petro potestatem obtinuisse, quòd illum ad exteros mitterent, & rationem facti ab eo postularent. Miserę profectò rationes. Licet enim id homini mediocri ab eo qui ipso superior est, petere, ut negotia ejus procuret; præcipuè verò, politico corpori aut societati deligere Caput suum licet, & quò velint, legare: quemadmodum civibus licitum est, suum Prætorem ad Principem, aut Regni Comitia, quamvis Caput civitatis existat, mittere; quippe qui eorum negotiis conficiendis fuerit opportunior. Atq; ut eum mittere illis licet, ita quoq; licet ab ipso rationem eorum quæ gesserit reposcere, eúmq; ad reddendas facti rationes revocare. An opinaris Cardinales à Papa non posse impetrare, ut hoc vel illud faciat, quod commodo Ecclesiæ expedierit? Aut verò Papam de dignitate sua detractum aliquid esse existimaturum, si ex illo rationem actionis alicujus sciscitentur? Fortasse sic opinaris, quòd nec Papam, nec Cardinales nôris. Quid igitur de vobis ipsis respondes? Nonne *Seniores* vestri in *Corporis Christi Collegio*, *Præsidentem* vestrum in Collegii negotiis foras mittunt? Nonne vobis reversus rationes reddit eorum quæ absens confecit? Aut si non reddat, nonne eas licitum est vobis ab eo postulare? Ideóne verò Caput illum vestrum esse negabitis?

RAINOLDUS. Est certè Caput nostrum: sed Caput ejusmodi, ut Caput vestrum *Romanum* malit abscissum tibi caput esse, quàm ut ita potestatem ejus decollares. Id tibi * antea te quidem significâram, explanaveramq; tibi illâ Duareni similitudine, de *Præsidente Curiæ alicujus in Comitiis Galliæ*, qui *caput Curiæ* nominatur. Poteras idem de *Præsidente* nostro conjecisse, & cogitasse nõn minùs ejus, quàm alterius *Præsidentiam* ad institutum tuũ infirmam esse. Ille enim statutis ob-

* In 1ª hujus capitis sectione.

stringitur; ex eorum præscripto illum emittimus, & eorum quæ gerit rationem poscimus. Nullis Papa vester statutis tenetur; sua illi libido lex est; & quod vult ille, id sanctum esto. Licebit nobis *Præsidentem* nostrum gravius aliquod crimen, ut homicidium aut adulterium perpetrantem, loco suo movere. Vestrum verò *Pontificem*, etiamsi adeò perditus sit homicida, æquéq; insignis adulter, atq; [p] fuit Johannes Papa duodecimus; etiamsi in horribili & incesto stupro, & omnis generis flagitiis deprehendatur: tamen non Concilium, ne Imperator quidem cum Concilio, valet Papatu abdicare. Verum quidem est Othonem Imperatorem illū abdicasse in Concilio, quod ea ipsa de causa convenerat: sed * Doctores vestri nobis narrant hoc egisse Imperatorem [q] *de facto, non de jure*; [r] *pio zelo, sed non secundū scientiam*. Quare nollem ut istis ampliùs similitudinibus utare, derivatis à *Præsidibus* Collegiorum, à Præfectis civitatum, & societatum *Capitibus*. Aut, si iis voles uti, ut iis tum utaris moneo, quum tibi cum rudioribus, quibus istiusmodi similitudines fucum faciant, sit negotium: nobis verò ea non expromas, qui earum dissimilitudinem dispicimus, & valemus, Dei gratiâ, piscem à serpente internoscere. Quæso verò te, dic seriò. Num tu ipse existimas Petrum (in Actis Apostolorum) tanquam Papam fuisse; & reliquos *Apostolorum*, tanquam Collegium *Cardinalium*?

p Luitprand. Ticin. hist. rer. per Europ. gest. l. 6. c. 6. 7. & 8.

* Cardinalis Turrecremata, & Pater Robertus Jesuita.

q Turrecrem. in summa de Eccl. l. 2. c. 103

r Rob. Bellar. controv. 4. part. 1. qu. 5.

Hartvs. Quorsum me id interrogas? quasi quicquam aliter loquerer, ac existimarem.

Rainoldvs. Mirus hic foret nuntius, audituq; incredibilis; Cardinales Papæ legationem commisisse, (ipsúmq; quasi Legatum *à latere* delegisse;) maximè verò, ut pro iis qui ad fidem conversi sunt oraret, & *Evangelium* iis *annuntiaret*. Atqui *Apostolorum* Collegium hæc Petro, in legatione, [s] facienda imposuit. Videris tu dicere, id *eos precariò imposuisse*; esto; &, *sicut societas aliqua posset Capiti suo negotia committere, quippe quòd iis conficiendis sit opportunius*; an fas autem foret, Collegium *Cardinalium* sic *precariò Papam legare*? Nisi hoc fortassis in iis differentiæ ponas: in aliis nempe societatibus Caput quandoq; esse opportunius; Papam autem non quovis alio suæ societatis ministro esse Ecclesię negotiis opportuniorē. Quanquam illinc etiam partim consequatur; Petrum non fuisse omni modo tanquam Papam quendam in priori actione. Quod ad posteriorem autem attinet, de petendis ab eo rerum gestarum rationibus, quanquam ex egregia quadam tua de Papa conjectura persuasum habeas, illum nihil de dignitate sua detractum esse existimaturum, si ab eo Cardinales alicujus actionis suæ rationem peterent; ii tamen, qui illum multo meliùs, quàm tu, nôrunt, & tam vehementer amârunt, ut nihil de eo confisuri essent, non verbo tantùm, sed & scriptis attestantur, non passurum illum ita secum agi ab inferioribus, ut Apostoli cum Petro quondam egerunt. Non hîc *Canonistas* vestros intelligo, in quorum [t] *glossa* hoc insignis cujusdam regulæ instar cavetur, *nemini licere Papæ dicere; Domine, cur ita facis?* Sed de doctissimis peritissimisq; *Theologorum* vestrorum loquor; qui *Ecclesiæ autoritatem Papæ anteferentes*, in eo reprehendunt *Papam*, *quòd Concilio subjici se non patietur*. E quibus (ut unum multorum loco proferam) Johannes Ferus, Fraterculus *Franciscanus*, sed * vulgo ordinis illius probior, dum in commentariis suis in Acta Apostolorum editis de Petri exemplo tractat, quomodo ratio ejus quod fecerit ab eo sit petita, ibidem hoc observat. [u] *Petrus Apostolus, & Apostolorum primus atq; præcipuus, rationem reddere Ecclesiæ cogitur, nec hoc indignè fert, quoniam non dominium sed ministerium Ecclesiæ se agere sciebat. Ecclesia sponsa Christi est, & Domina domûs; Petrus autem servus, & minister. Ecclesia igitur à ministris suis nedum*

s Act. 8. v. 15. 17. & 25.

t C. ad Apostolatus. Extravagant. Ne sede vacante. In Glossa.

* Quales Buchananus in Franciscano suo depingit.

u Ferus in Act. Apost. cap. 11.

rationem exigere, sed etiam omnino, si non sunt idonei, eos repudiare potest. Sic olim quàm sæpissimè actum est in Conciliis. Impii autem Pontifices nunc ne ab Ecclesia quidem argui & in ordinem cogi volunt, quasi sint Domini, non Ministri. Justo igitur Dei judicio, ab omnibus & singulis confunduntur. Nôris tu, qui sint Pontifices illi, qui recusant *Ecclesiæ subjici?* Qui *se superiores Concilio* esse asserunt? Quibus *omnes judicare licet,* ipsi verò *à nemine in judicium vocari possunt?* Illos iste Concionator, vester ille, non noster, *impios Pontifices* appellat. Dominus pro misericordia sua, ut verba ejus divinæ prophetiæ instar sint, largiatur, ut *impii illi Pontifices justo Dei judicio ab omnibus & singulis confundantur.*

HARTUS. Verba mihi Feri commemoras, quæ ejus fortasse non fuerunt, sed ab aliquo malitioso hæretico in commentarios ejus, priusquam subjicerentur prelo, intrusa. [x] Sixtus enim Senensis ait, *non deesse testes fide dignos, qui pro certo asseverent, Feri commentaria in Matthæum, post mortem ejus, antequam excuderentur, depravata.*

RAINOLDUS. Ait quidem Sixtus de commentariis quæ contexuit in Mattheum, *ea depravata fuisse, præsertim* [a] *eo loco, ubi Ferus de clavibus loquitur, quas Christus Petro promittebat.* Ibi enim ut quiddam attentione majore, observationéq; dignum monetur, *Christum Petro dicere, Tibi dabo claves regni cælorum; non dicit, Regni terrarum: nihil hæc verba spectant ad terrenam potestatem, quam tamen ex his verbis stabilire nituntur, asserentes Petrum nedum in spiritualibus, sed & in externis plenitudinem potestatis accepisse.* Et postquam declarasset, quàm hoc manifestè [b] Bernardus, ad Papam Eugenium scribens redarguat, commentatur porrò; *Petrus accepit claves, hoc est, potestatem, non terrenam aliquam, ut posset scilicet dare, auferre, alienare regna & principatus; nec talem potestatem, ut sibi licuerit facere, quicquid libuisset, (id quod pleriq; somniant:) sed potestatem accepit ligandi & solvendi, remittendi peccata & retinendi, aperiendi & claudendi, neq; id pro libito suo, sed tanquam minister voluntatem Domini perficiens.* Hæc verò verba sunt illa, quæ hæreticum spiritum tam vehementer redolent, ut affirmet Sixtus, *testes fide dignos certò asseverare, Feri commentaria in Matthæum, post mortem ejus, antequam excuderentur, ab hæreticis, præsertim hoc loco, depravata.* Ubi cautos se viros (meo judicio) prudentésq;, *Sixtus* & *testes* ejus præbuerunt. Est enim satius hominibus id imponere, *hæreticos Feri commentarios corrupisse, præsertim hoc loco;* quàm ut crederetur aliquando munitissimum totius vestræ religionis propugnaculum [*Supremam Papæ potestatem donandi & auferendi regna*] à viro tam docto, tam celebri, tam Catholico, qualis Ferus fuit, concussum esse. Sed de *ejus in Acta commentariis,* non dicit Sixtus, eos quoq; ab hæreticis corruptos fuisse. Possit tamen alicujus hæretici ingenium videri in his fuisse occupatum, *præsertim hoc loco,* ubi redarguit *Paparum* arrogantiã, & ipsos, *impios Pontifices* appellat. Quamobrem operæpretium certè fuerit, incuriam *Sixti* isthic ab aliquo alio Sixto correctam esse; cui licebit non minùs de *Feri in Acta commentariis* conqueri, quàm Sixtus conqueritur de *illis in Matthæum.* Desunt, opinor, *testes,* qui hoc affirmaturi sint, sicut quorundam illud testimoniis est asseveratum. Facilis verò res, & expedita. Nam duo, aut verò tres, quales sunt (1) Surius, Pontacus, & Genebrardus, qui homines prostituerunt vulgârúntq; se ad omnia in *Papismi* causam ementienda, prompti paratíq; sunt futuri (fidé cujusdam (2) Lindani, aut Bolseci) non id dicere modò, sed in Annales quoq; referre. Hinc autem difficultas omnis & negotium, quòd [x] libri isti his verbis apud vos excudantur, qui primùm eos emittitis, & à quibus ad nostros postea solent deferri. Grave crimen quidem certè, nescio an *Typographorum,* an *Censorum* potiùs, & eorũ

[x] Bibliothec. sanct. lib. 6. annot. 72.

[a] Comm. in Matth. lib. 3.

[b] De consid. ad Eugen. l. 1.

(1) Papistici Chronographi.

(2) Venalis fidei mangones quos Anglicè dicimus, *Knights of the Post.*

[x] Ferus in Act. Apost. Colon. 1567. apud Hered. Arnol. Birckm. cum Priv. Cæs. Majest. In Matth. Moguntiæ, 1559. apud Franciscum Beh. cum Privileg. Cæs. Majest. & Regis Gallorum.

qui prelo libros adjudicant; à quibus non obsistitur, quò minùs hujusmodi loca in apertam offensionem incurrentia divulgentur. Etiam ut in quibusq; y novissimis editionibus emineant: præsertim quum Sixtus Senensis dixerit, & fidei nonnullius testes affirmârint, eos ab hæreticis corruptos esse. Minimè verò, Harte, minimè sic se habet: nimis vetustum est & obsoletum ludibrium asserere; *hæreticos depravasse Feri commentarios.* Nam illa detestanda *Pontificii suprematûs* abominatio, oppresso & magistratu Reipub. & Ecclesiæ ministerio, sic ad omnem progressa est, projectaq; iniquitatem; ut si nos (quos *hæreticos* vocatis) conticescere mus, *lapides* ipsi adversus eam *sint exclamaturi.*

y In Act. apost. Parisiis, 1568. apud Sonnium, cum Privileg. Regis & Cæs. Majest. & Co 16. 1577. apud Gervin. Calē. & heredes Quēt. In Mat. Lugdun. 1562 apud heredes Iuntæ, & Antuerpiæ, 1570 apud Philipp. Nutium.

Hartus. Quid opus hac omni de Fero, aut Sixto, aut Canonistis, aut aliis nescio quibus oratione? Revocâras me ad Scripturas, quum Patres producerem; nunc à Scripturis me ad novitios Scriptores abducis.

Rainoldus. Non à Scripturis ad illos, sed ad Scripturas per illos te reduco. Quemadmodum Christus, quum calumniarentur ejus opera Pharisæi, illis *filiorū suorum* exempla z opposuit, quò faciliùs ad veritatem cernendam ducerentur. Et sicut Christus illis; *Propterea filii vestri erunt vestri judices:* ita ego tibi; *Propterea fratres tui erunt tui judices.*

z Matth. 12. 27

Hartus. Ego verò non inficior Papam non adeò omni usq; ratione se subjicere, uti se subjecit Petrus, dum eorum quæ gesserat, cùm Apostolis, tùm inferioris conditionis Christianis rationem redderet. Verùm illud Fero attendendum fuerat, quod tibi etiam; tempora esse dissimilia. Non illi hac ætate sic se gerere cōveniret.

Rainol. Putâram sanè: conversa res est. Per [*tempora,*] opinor, homines designas, qui illis temporibus viguerunt, quiq; istis vigent. Sunt ii profectò dissimiles, & valde dispares. Nam illis temporibus, fuit Petrus Evangelii præco, ut sunt istis Pastores; & istis quidem Princeps orbis terrarum Papa est, ut illis Nero.

Cap. 5.

Patres, 1 non sunt lapis Lydius, ad veritatem in religionis controversiis explorandam, sed sola Scriptura: 2: Scripta illorum corrupta sunt, & adulterina illorum nominibus insigniuntur. 3. Dicta ex genuinis eorum scriptis citata prætensum Petri supre-matum nequaquam docent.

SECTIO PRIMA.



Hartus. Quocunque certè modo status, & terrestris regiminis potestas Papam, & Petrum discriminet: Petro tamen ea fuit autoritas, is supremàtus in Apostolos, quem sibi in Episcopos omnes Papa vendicat. Quod (quùm nolis Scripturis cedere) ex Patribus edisseram; quorum testimonia hac de re clarissima sunt & evidentia.

Rainoldus. Uter nostrûm Scripturis cedere recuset, piorum judicium appello. De Patribus autem quod meditaris; partim probo. Nam optâram, ut priùs Scripturas totas obires; & (quum in illis nihil subsidii reperisses) deinde ad Patres te conferres. Sed hoc quidem exopto; ampliùs, modò mihi meum liceret votum assequi, ut eo in pretio apud te Scripturæ essent, quo esse

verbum

verbum Dei debeat; ut cum iis nulla mortalium verba committerentur, in quibus fidem tuam fundares. *Verbum* enim suum nobis dedit *Deus* [a] *pedibus nostris lucernam, & lumen semitis nostris*; ut intueamur viam ad cœlum ducentem, & in ea incedamus.[b] Asserit verò Spiritus sanctus, *Scripturas posse nos sapientes reddere ad salutem*: *sapientes* quos *in fide Christi* instituunt; ad *salutem* autem, dum ad [c] *vitam* per *fidem* illam perducunt. Quare quum de quadam sapientiæ quæstione ad fidē & vitam pertinente, omnis nostra sit contentio; nihil erit tibi factu melius, quàm sacro diplomati acquiescere, soli Lydio illi lapidi, quo veritatis vis examinetur.

[a] Psalm.119. 105.
[b] 2.Tim.3.15.
[c] Ioh.20.31.

HARTVS. Audio jam tandem quod exspectâram. Equidem crediderâm, quāvis tam officiosè & reverenter de *Patribus* loquereris, fore tamen, ut ad *Scripturas* solas, priusquam desiisses, refugeres.

RAINOLD. Quid? Ideóne in homines sum inofficiosus, quòd in Deum suū quàm in ipsos, officiosior?

HARTVS. Dignissimum verò *volumen* ab antiquo quodam scriptore Vincentio Lirinensi elimatum est adversus profanas omnium hæreseōn novationes, [d] perelegans profectò libellus; [e] qui ut ab omnibus illis evolvatur optari solet, qui veritatis cognoscendæ desiderio inflammantur. Legisti fortasse. Et quis, quæso, tibi videtur? Nónne [f] aureus liber est?

[d] Bristous Motiv.14.
[e] Præfat. Motiv.
[f] Stap. princ. doct. l.10.c.11

RAINOLDVS. Liber verò sat bonus est, si in sapientis lectoris manus incidat.

HARTVS. Ais tu? At nonnulli vestratium sunt, qui vel ipso nomine Vincētii Lirinensis terrentur.

RAINOLDVS. Terrentur magis quàm læduntur, quantùm ego conjicio. Sed quid de Vincentio?

HARTVS. Ait ille, [g] *adeò familiarem hanc Scripturas citandi consuetudinem hæreticis invaluisse, ut nihil unquam penè de suo proferant, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur*. Quod quum exemplis variis illustrasset, subjicit, [h] *Diaboli magistri sui ipsos callida machinamenta sectari, qui assumpsit Servatorem nostrū, & statuit super pinnam templi, & dixit ei; Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, quòd Angelis suis mandabit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorsum. Quare? Scriptum est enim. Magnopere à nobis doctrina loci istius attendenda, atq; retinenda est, ut tanto Evangelicæ autoritatis exemplo, quando aliquos Apostolica seu Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, Diabolum per eos loqui minimè dubitemus*. Hæc antiquus ille Pater Vincentius Lirinensis. Cujus verbis præcipuè tua opinio redarguitur; veritatem in causis fidei secundùm Scripturas tantùm esse examinandam.

[g] Cap.35.
[h] Cap.37.

RAINOLDVS. * Jus civile esse *quiddam incivile* cavet, *nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere*. Proinde tu, dum verba Vincentii Lirinensis ita tractas, hujus reus es inhumanitatis. Ille enim quò nos instrueret, *ut firmi in fide possimus perseverare, adversus dolos hæreticorum, & fraudem Satanæ, qui se in Angelum lucis transfigurat*: [i] docet *Salvatorem nostrum hunc in finem, & præmonuisse nos de periculo, & remedium prædixisse. De periculo nos monuit in præcepto quod mandavit; Attendite vobis à Pseudoprophetis qui veniunt ad vos in vestitu ovium, abintus autem sunt lupi rapaces. Quid enim*, inquit, *est vestitus ovium, nisi mollia Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ tàm à Pseudoprophetis, quàm à veris proferuntur? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui velleribus obvoluti, gregem Christi quaqua possunt, dilacerant? Remedium autem prædixit*

* L. Incivile. Dig. de Legib Senatusq; cōsult.
[i] Cap.36.

dixit nobis Salvator; cautione illa adjecta; Ex fructibus eorum cognoscetis eos: id est, quum cœperint illas voces non jam proferre tantum, sed etiam exponere, & ut veri Prophetæ eas proferentes, non ut veri Prophetæ interpretari: tunc ex dentibus & rabie sua lupi dignoscuntur; tunc sanguinaria illorum ingenia vellerum amplius involucris non teguntur; [k] *tunc simplices à subdolis, veri Apostoli à falsis, Angelus lucis ab Angelo tenebrarum, ministri justitiæ à ministris Satanæ discernuntur.* Quibus fixis, & fusiùs multo pleniùsq; pertractatis, huc omnia tandem contrahit, (quæ ejus totius summa est commentationis:) [l] *Quamvis Scripturæ per se satis sint ad omnes causas fidei, non tamen satis esse verborum speciem ostentare, sed simul vim sensus retinere, hoc est, veram nativámq; Scripturarum sententiam.* Jam si ista illius disputatio *universa* expendatur, nec ejus *pars aliqua* sevellatur à reliquis; quid tu inde assequi possis amplius, quàm quod ego velim concedere? Immo, quid amplius, quàm quod pridem concesserim, & evicerim, quum [m] ostenderem *germanum Scripturarum sensum secundùm Scripturas expositum*, esse *gladium Spiritus sancti*, quo omnes hæreses sunt profligandæ? *Diabolus*, inquis, *verba Scripturæ citavit adversus Christum:* citavit; non tamen integra & sincera, ut repetuntur à Vincentio; sed ut ab [n] Evangelistis recensentur, mutilata. Ubi, si Vincentius, qui conatum *Diaboli citantis Scripturæ verba* observavit, observasset simul astutias Tentatoris, *quâ arte* ea *citaret*: commodiùs poterat fraudes hæreticorum Scripturas depravantium deprehensas explicasse; indéq; munivisse fortiùs Scripturarum viribus rectè credentes Christianos. Nam perinde hæc refert, ac si universum illum Scripturę locum Diabolus protulisset; *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in* * *omnibus viis tuis: in manibus tollent te, &c.* Quum Diabolus, cetera objiciens de *mandato eum custodiendi & tollendi*, ex mediis verbis omisit illa, *custodiendi illum* [*in omnibus viis suis.*] Illa enim, (ut [o] ostendi) omnino adversabantur Diaboli proposito, ad quod Christum pertentavit. Quare, si existimasset Vincentius in Scripturis non satis subsidii nobis suppetere adversus malitiam hæreticorum, quòd tàm à falsis, quàm à veris doctoribus; à Satana, quàm à Christo proferantur: potiùs ei venia petenda fuerat, quòd artem Satanæ non dispiceret; quàm gratia, quòd detraheret divini chirographi autoritati. Verùm, quanquam omnia sigillatim non calluerit, generatim tamen veritatem amplexatur. [p] Dicit enim, *hæreticos Diabolum imitari, quotiescunque divinæ legis sententias proferunt, quibus male interpretatis errores suos astruere conentur.* *Quam* igitur *Scripturam adversus fidem Catholicam proferunt hæretici, Scriptura* est, ejus judicio, *alieno sensu explicata, maléq; interpretando depravata.* Ego verò *Scripturam ritè explicatam* intelligo, quum dico *causas fidei juxta Scripturam solam esse examinandas.* Quæ ergo ex Vincentio verba objecisti, confirmant id magis quod à me defenditur, quàm convellunt. Neq; nobis sunt, quàm vobisipsis infestiora; nisi principia petas, & totum quod in controversia positum est, emendices; *Papismum* videlicet *esse fidem Catholicam.* Tum enim concluseris nos *Scripturam contra fidem Catholicam proferre*, quum contra *Papismum* eam proferamus. Facilis certè vincendi ratio, si id emendicando possis obtinere. Sed mihi certum est non concedere, nec ullo jure tuo id queas arrogare. Vincas oportet, si velis obtinere.

HARTUS. Sit necne fides Romanæ Ecclesiæ, quam vos *Papismum* nuncupatis, *Catholica fides*; quoniam ad posteriorem partem disputationis nostræ, de *una fide* spectat, cum ista de uno *Capite* non commiscebo. Quorsum autem

[k] Cap. 37.
[l] Ca. 38. & 41.
[m] Ca. 2. Sect. a
[n] Matt. 4. 6. & Luc. 4. 10. utrique omittentes & sexpungentes verba illa [*in omnibus viis tuis*] ex contextu Scripturæ (Psa. 91. 11.) quem citavit Diabolus.
* Quæ verba perinde adjicit Vincentius quasi illa Evangelistæ nō omisissent.
[o] Ca. 2. Sect. 3
[p] cap. 37.

ais verba Vincentii quæ ego adduxeram; nequaquam tuam assertionem infringere, nec vos magis, quàm nos oppugnare? quùm affirmet ille *ab hæreticis Scripturam proferri, ut etiam à Diabolo*; & vos item eam proferatis, eáq; satis vallatas esse opiniones vestras putetis.

RAINOLDVS. Eam vos quoq; profertis, nónne? Et quid, quæso, in illis verbis reperias, quod nostris magis quàm vestris sententiis adversetur? Non me tu ridere velles, si sic ratiocinarer: *Hæretici Scripturam proferunt; Proferunt etiam Papistæ; sunt ergo Papistæ hæretici*: [q] *Diabolus Scripturam protulit; Scripturam proferi* [r] *Papa; Diaboli igitur Papa est discipulus?*

HARTVS. At nos non Scripturam tantùm proferimus, nec Scripturæ solius examini nos subjicimus: solam ad Scripturam provocant hæretici, & Scripturam solam Diabolus opponebat Christo.

RAINOLDVS. Non hoc ex Vincentii verbis elicis; tui cerebri est commentum. Ait ille, *hæreticos proferre Scripturam*; eam solam proferre, non ait. Neq; poterat id absq; labe mendacii adjecisse. Multas enim illi præter Scripturas rationes afferunt, etiam quibuscunq; valeant errores suos aliis venditare: aliquando [a] *Ecclesiam*, aliquando [b] *Traditiones*, nunc [c] *Concilia*, nunc [d] *Patres*, nunc [e] *miracula*, nunc [f] *visiones*, nunc [g] *successionem Episcoporum*, nunc [h] alia ejusmodi *Motiva*, sicut à Bristöo vestro appellantur. Quinetiam erroribus suis adversus fidem Catholicam magis his mediis, quàm Scripturis commodant. Verissimè enim ista fidei opponi possunt, ut sæpiùs objecta fuerunt: Scriptura verò nunquam, nisi falsò & iniquè adducetur. Ex eo verò quòd *Diabolus Scripturam solam adversus Christum protulerit*; colligis tu, exemplum ejus, fidem huic veritatis juxta solam Scripturam examini derogare. Quod ita forsan hebetiori oculo videri possit, sed iis qui acutis magis oculis rem perlustrant, hinc magis confirmatur. Nam quum non nesciat [i] ille *astutus Serpens*, quibus escis facillimè capiantur ii, quos [k] *tanquam leo rugiens quærit, ut devoret*; solet iis invitamentis hominum cogitationes invadere, quibus potissimum ipsos seducere se posse opinatur. Huic [l] *boni & mali cognitionem* pollicetur, ut *Evæ*; alii, [m] *mendacibus miraculis*, callum obducit, ut Pharaoni; Prophetæ narrat de [n] cujusdam *Angeli sermone*; fallit regem [o] *consensu* falsorum Prophetarum; Judæis ostentat [p] *templum Domini*; [q] *universalitatem Ethnicis* & [r] *antiquitatem* prædicat; [s] nullas deniq; rationes viásq; non affectat & tentat, quibus irretitas humanas animas corripiat, & in mortis laqueos induat. Quare, ut per instrumenta sua alia *Motiva* architectatur, quibus apud alios valeat: ita ipse fortassis eadem adversus Christum moliturus fuisset, non *Scripturam solam*, nisi rescivisset *Scripturam solam* (si quicquam) apud illum fuisse valituram. Dum persuadere nobis Stapletonus enititur Petrum, & à Petro Papam supremum Caput esse Ecclesiæ; [t] ait *id probaturum se solâ eâ, quæ ex Scripturis peti potest, demonstratione; & ex solis Scripturis satis plenè & cumulatè demonstrari posse*. Nónne hoc indicio est, nos, quos suis rationibus vincere elaborat, non passuros esse nos ipsos ullis modis præterquam Scripturis solis vinci? Similiter dum *solam Scripturam Christo objicit Diabolus*, facit valde, ut arbitremur nihil Christum præter *Scripturam solam* pro *fundamento fidei & officii* habuisse. Quod certiùs ex cunctis Christi adversus Diabolum responsis docetur, quem [u] in singulis trium tentationum suarum machinis *Scripturâ* perpetuò profligavit; *Scriptum est*. Etsi verò Diabolus (quo

[q] Matt. 4.6.
[r] C. Vnam sanctam, Extra. de Majorit. & Obedient.
[a] Autor oper. imperf. in Matth. hom. 48.
[b] Iren. advers. hæres. lib. 3. cap. 2.
[c] August. contra Maxim. Arian. Episc. lib. 1.
[d] De baptis. cont. Don. lib. 3. cap. 2.
[e] In Ioh. tract. 13.
[f] De unit. Eccles. cap. 16.
[g] Epist. 165. ad Generosum.
[h] Euseb. hist. Eccles. lib. 5. cap. 14. Socrat. lib. 4. c. 23. Theod. l. 1. cap. 16. & cet. hist. Eccles.
[i] Gen. 3. 1.
[k] 1. Pet. 5. 8.
[l] Gen. 3. 5.
[m] Exod. 7. 22.
[n] 1. Reg. 13. 18
[o] 2. Chr. 18. 11
[p] Ierem. 7. 4.
[q] Act. 19. 27.
[r] Act. 17. 19.
[s] Deut. 13. 2. 1. Reg. 18. 28. Ierem. 23. 25. Ioh. 7. 42. & 48. & 52. 2. Thess. 2. 9. 1. Tim. 4. 2. & sic in cet. Scripturis.
[t] Princip. doctrin. lib. 6. in præfat.
[u] Matt. 4. ver. 4. & 7. & 10.

illum ab eo repelleret propugnaculo) *Scripturam* quoq; opponeret : Christus tamen non * ex *Patribus*, vel *Doctoribus*, vel Synagogæ *Rabbinis*, sed ex *verbo sui cœlestis Patris* respondit; & mutilatas tortásq; *Scripturæ* voces, genuino scripto, ritissiméq; adducto refutavit. Quare milites suos x duces vestri, ut lubet, erudiant, ut *nos in apertos campos Motivorum suorum extrahant; ex nostro parùm munito & fallaci solius Scripturæ castello*, sicut à * *Licentiato* quodam vocatur: Christi actio, Christianorum est instructio; non poterat ex eo illū Princeps tenebrarū ejicere, neq; nos à cohorte Principis dejiciemur. Quinimmo huic *castello* (utcunq; parùm *munitum* & *fallax* fallacibus imbellibúsq; homulis putetur) satis tormentorū esse ad vestra penitus *Motiva* concutienda; posséq; hoc *solū* absq; cujuspiam præsidio omnes hostium adversarias copias subigere; non opus est Christi exemplo, & Dei verbo te urgere, quo convincam. Idem *aureus* tuus autor Vincentius Lirinensis profitetur. Nam y affirmat ipse; *Scripturæ canonē solū adversus hæreticos sufficere, modò germano sensu accipiatur*. Atqui Scriptura, nequaquam Scriptura est, nisi germano sensu accipiatur, quo quidem solo sensu (1) *fuit divinitus inspirata* &(2) *Dei verbum* existit. Quare, si *aurum Vincentii* velis, fatendum tibi est *Scripturam solam* sufficere ad secernendam ab errore veritatem, & ad fidem Catholicam contra hæresin tutandam.

HARTUS. Parùm ingenuè facis, qui verba Vincentii secus, ac ab ipso scribuntur, commemoras. Ille enim z duas nobis vias præscribit, quibus fidem nostrā munire adversùm hæreticos, & eorum laqueos vitare debeamus. Primò, *divinæ*, inquit, *legis autoritate*; deinde, *Ecclesiæ Catholicæ Traditione*. Tu id omittis prorsus quod ille de *Traditione* loquitur, atq; illum eo modo nobis exponis, quasi pro *Scripturis solùm* verba fecisset.

RAINOLDUS. Non opinor te id in animo habere, ut me fuco verborum ejus fallas. Tute fortassis in iis decipere. a Ille enim per [*Traditionem Catholicæ Ecclesiæ*] veram intellexit & affinem Scripturæ expositionem, à fidelibus Pastoribus, Ecclesiæq; Doctoribus collectam; quod verba ejus continuò sequentia declarant. Et hujus ego memini, quum dicerem; (1) *Scripturæ per se canonem solum sufficere* adversus *hæreticos*, (2) *si sensu germano accipiatur*, quem ille *Catholicum sensum* appellat. Videris verò tu autumare, illum per vocem [*Traditionem*,] *non scriptas veritates* intellexisse, ut olim vocari solebant, aut, ut vos hodiè b *Traditiones*; quas *Tridentinum Concilium* non minoris facit quàm *Scripturas*, eásq; colligat & inter se connectit, ut ex iis satis certus fiat perfectúsq; canon veritatis, quasi *Scripturæ solæ* non sufficerent. Qui error tam abhorruit à Vincentii animo, ut c disertè profiteatur, nō se *Traditionem Ecclesiæ Scripturarum autoritati adjicere, quasi Scripturarum canon non sibi solus ad omnia sufficeret, etiam satis superq; : sed ut doceat, quùm ita torqueantur, & depraventur Scripturæ ab hæreticis*, ideo nobis earum *sensum & sententiam germanam, piis Ecclesiæ ministerio traditam*, discendam esse. Eáq; re, sicut d Paulus scribit, *se tradidisse secundùm Scripturas* quæ docebat, proindéq; doctrinam suam vocat e *Traditiones*, ac si diceres, *res traditas*: ita Vincentius tùm de *Ecclesiæ* f *Traditione* loquitur, ut Ecclesiæ tradentis Scripturarum sensum ministerium observet; tùm de g *Traditionibus Ecclesiæ*, ut per eas fidei regulas significet, juxta quas (ut à me h ostensum est) Scripturæ ex Scripturis exponuntur. Quæ verba igitur Vincentius tuus, de *Traditione*, atq; *Traditionibus Ecclesiæ* fatur, ea dextram porrigunt illis quæ ego de veritate tradidi (in causis fidei) juxta *Scripturas* solas examinandâ.

HARTUS. Non sic abripies nube orationis tuæ verba Vincentii. Quamvis

* Matt. 22. 9.

x Quod facit Bristous in suis ad Catholicam fidem Motivis. Mot. 48.

* Richardus Bristous, Presbyter licentiatus in Theologia.

y Cap. 2. & 41.

(1) Θεόπνευστος. 2. Tim. 3. 16.

(2) Λόγος ἀληθείας. Iacob. 1. 18.

z Cap. 1.

a Cap. 2.

(1) Perfectus Scripturarum canon.

(2) Vt propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici, & Catholici sensus normam dirigatur.

b Conc. Trid. Sess. 4.

c Cap. 2. & 41.

d 1. Cor. 15 3. παρέδωκα.

e παραδόσεις. 2. Thess. 2. 15.

f Cap. 1. & 41. Ecclesiæ traditionem, & interpretationem.

g Ecclesiæ traditiones, & Catholici dogmatis regulas. cap. 38.

h Ca. 2, Sect. 2.

enim videri possit per [*traditionem Ecclesiæ*] generatim intellexisse Scripturarum expositionem juxta ipsarum germani catholiciq; sensûs canonem, quem tradunt Pastores Ecclesiæ; tamen quum in singulis insistit, non ex Scripturis illum canonem, sed ex placitis quæ ab Ecclesia defenduntur in causis religionis, fabricatur. Nam ex se [i] ipse percontatur; *Quùm hæretici divina eloquia objiciant, quid facient Catholici homines? Quomodo in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent?* Ad quæ respondet, *interpretandum esse ipsis divinum canonem juxta sensum Ecclesiæ, & in eo quoque universitatem, antiquitatem, consensionem sequendam esse.* Qua [k] triplici veritatis explorandæ ratione edocet nos, ut *illud sequamur, quod tota per orbem Ecclesia nostri temporis verum esse consitetur. Quòd si verò se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit; sanitatem universi corporis uni corrupto membro oportet anteponere. Si totam pariter Ecclesiam novellus error aliquis commaculârit, providendum est, ut antiquitati inhæreamus; si in ipsa vetustate non fuerit omnium concordia, consensionem respiciamus, hoc modo; quid generale aliquod Concilium decreverit; aut, si nullum ejusmodi decretum appareat, quid omnes Patres existimârint; aut si non omnes, quid pleriq;, qui ipsi in Catholicæ Ecclesiæ communione & fide permanserunt. Et quicquid nō unum, aut duos, sed omnes pariter uno eodémq; consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuisse cognoverimus, id nobis quoq; intelligamus absq; ulla dubitatione credendum.* Isto pacto edisserit Vincentius, quo modo *veritatem* sentiat per *Ecclesiam examinari* oportere: si Ecclesia sana sit, per *nostri temporis vigentem universitatem*; sin corrupta illa, per *antiquitatem prioris seculi*; illa si dissideat, per *omnium aut plerorumq; Patrum consensionem.* Quamobrem, si velis ejus judicio acquiescere, cui ita annuis, ac si approbares; non ad *Scripturas solas*, sed ad *Patrum consensionem* potiùs, veritatem in religionis controversiis revocabis.

[i] Vincent. Lirin, cap. 38.

[k] Cap. 3. & 4.

RAINOLDUS. Approbavi quidem, quod ad rem universam attinet, ejus de Scripturarum sufficientia, atq; perfectione judicium; quod scio tibi minimè probari; quamvis illum tibi probari tute magis, quàm ego, præ te feras. Si in nonnullis ejus verbis nonnihil reprehendam, conferatur culpa in merentem, non in me, qui consto iis quæ ab illo rectè dicuntur; sed in illum, qui ab iis descîscit. Nam quùm fundamentum suum quasi in petra posuisset, ejus oblitus, domicilium super arenam exstruit: *Solam sibi sufficere Scripturam adversus hæreticos, modò germano sensu accipiatur secundùm regulas Catholicæ fidei explicata*; hoc rectè affirmavit, tanquam super petram divini verbi fundatum. Verùm, *fidei regulas, & Scripturæ sensum examinandum, & dijudicandum esse per consensionem, antiquitatem, atq; universitatem Ecclesiæ*; hoc non ita rectè, quasi super arenam humanorum dogmatum erectum adjunxit. Horum utrorumque discrimen ex Augustino comparebit, qui Vincentio in priori suffragatur, in altero verò eum derelinquit. (1) Augustinus enim, quemadmodum religionis fundamentum in genuino sensu, Catholicáq; Scripturæ sententia ponit; ita præcipit ille, hunc sensum ex Scriptura ipsa dignoscendum, examinandúmq; esse, minimè fallaci veritatis regulâ; non incertis, & inconstantibus hominum mentibus & judiciis. Atq; ad hunc modum cùm Augustino de sensu Scripturæ docuisse, maximè Vincentii fundamento expedisset; qui statuit (2) *Scripturarum canonem solum sibi sufficere ad universa.* Verùm, quoniam infirmioribus magísq; rudibus Christianis non datur Scripturæ veram expositionem à falsa internoscere, ideo se ad illorum infirmitatem componens & accommodans, externas quasdam & sensui obvias iis notas exhibet, quibus eam compertam habeant. Qua quidem in re perinde cum

(1) De doctr. Christ. *ut prius demonstratum est*, cap. 2. Sect. 2.

(2) Vinc. c. 41.

illis agit, ac si Philosophus quispiam, quum definivisset *hominem* esse *animal rationale*, eum postea, quòd discipuli non possint de *ratione* dijudicare (cujus id in multis *brutis animantibus* specimen eminet, ut ipsa *rationalia* esse [l] quidam sint arbitrati) describeret eum dilucidiùs externis quibusdam notis, & accidentibus, putà, *bipedem esse*, & *sine plumis*. [m] Ferunt *Platonem ita hominem* definivisse, *Homo est animal bipes sine pennis*; quo nomine quum ab aliis celebraretur, caponem arripuit Diogenes, quem nudatum pennis & plumis in scholam Platonis invexit, inquiens, *Hic est Platonis homo*. Quod est in homine ratio, idem est *sanctum Dei verbum in Ecclesia*. Quare nos hoc tanquam *essentialem notam* (ut ita dicam) *Ecclesiæ* adscribimus, quâ certò scitur *Ecclesia* atq; dignoscitur. Verùm id specimen *divini verbi* in multis hæreticis (ut rationis in brutis animantibus) enitescit, ut nonnulli, qui imperiti sunt ad illam notam dignoscendam, fieri nunquam posse credant, ut inde Ecclesia cognoscatur. Hinc tui [n] commilitones Ecclesiam *externis* & *adventitiis notis* describunt; scilicet *antiquitate*, *successione consensione*. Plausibilia valde sunt ista, & à multis plenâ manu efferuntur. Sed qui vix aliquo numero fuerit in Philosophis, prudens, dico, Christianus, non necesse habet cum Diogene pennas avellere, quò notas istas *caponi* quoq; convenire doceat. Quemadmodum verò illi notas Ecclesiæ tractarunt, ita tu, Harte, notas veritatis. Non Vincentius, sed tu quidem, qui velo quodam nominis Vincentii errores tuos obtendis; quiq; ea, tanquam necessaria assumis, & veritatis certa argumenta, quæ ille ut probabilia verisimiliáq; ejus tantùm indicia observavit. Ab illo enim sunt tradita, non quæ nunquam fallerent, sed quæ sæpe valerent; eáq;, quæ tametsi aliquando vera narrent, aliquando tamen labantur. Cui ipse suum testimonium defert, quod eadem infringat; primùm, *universitatem*, [o] Arianorum exemplo, à qua [p] fugit ad *antiquitatem*; tum *antiquitatem*, exemplo [q] Donatistarum, à qua ad [r] *consensionem* divertit.

[l] Lactant. de ira Dei. cap. 7. Plutarch. in opusc. *Quòd bruta animantia ratione utantur.*

[m] Diog. Laer. de vit. Phil. l. 6.

[n] Aut. Roman. Dictat. contro. 1. q. 3. Detectio Nicclai, part. 3. Bristous in Motivis suis & Quæst.

[o] Vinc. Lirin. cap. 6.

[p] Cap. 4.

[q] C. 5. & 11.

[r] C. 4.

HARTUS. Verùm tertium illud, *consensionem*, ut [s] nunquam fallacem commendat, ut necessarium indicium, quo veritas dignosci possit, & explorari; ut notam essentialem, & conjunctissimam rebus Catholicæ fidei & veritatis. Atq; hæc nota est illa quam inprimis ego respexeram, quum Vincentium nominarem, ut quæstiones nostræ *secundùm consensum Patrum* deciderentur.

[s] C. 4.

RAINOLDUS. Notam sanè istam reliquis anteponit, ut quæ valuerit nimirum, quum illæ deficerent. Nihilominus non eam ita ratione suâ effert, ac si possit quæstionibus inter nos agitatis examinandis, decidendisq; esse opportuna. Quid enim est quod ille hac notâ ratum, & cui necessariò nos fidem dare debeamus, fatetur? *Illud* nempe *quòd Patres omnes pariter uno eodemq; consensu tenuerint*, *scripserint*, *docuerint*, *apertè*, *frequenter*, *perseveranter*. Quis autem ausit asserere de re ulla demum quæ venit in quæstionem, eam non unum, aut duos, sed *omnes* Patres pariter *tenuisse*? Nec tenuisse modò, sed *scripsisse* quoq;? Nec scripsisse tantùm, verùmetiam *docuisse*? non obscurè, sed *apertè*; non rarò, sed *frequenter*; nec aliquo brevi temporis spacio, sed *perseveranter*? Quæ verò tanta *consensio* partim ita rara est, inventúq; difficilis; partim, ut possit inveniri, tamen tam incerta, ut [t] ipse (quò eam ad usum aliquem & certitudinem redigeret) coactus sit eam definire limitibus quibusdam atq; restringere. Primò de rebus, *illorum nobis consensum quærendum, & sequendum esse*, *non in omnibus divinæ legis quæstiunculis*, sed in summis fidei capitibus. Tum de personis, vel *omnes sequendos*, vel *plures*, quòd in multis causis non consentiant universi. Postremò (quod propiùs ad nostrum accedit institutum) posse ejusmodi *hereses* exoriri, quas *Scrip-*

[t] Cap. 39.

turis solis, non Patribus, oportet discutere. Nam quum instituerat proponere, tùm *quo modo*, tùm *quod genus hæreseωn consentientibus Patrum sententiis inveniri queat, & condemnari*; ait confirmátq;, *neq; omnes hæreses hoc modo impugnandas esse, neq; semper; sed novitias, recentésq; tantummodò, quum primùm scilicet exoriuntur, antequam infalsârint vetustæ fidei regulas; ipsius temporis vetita angustiis, ac priusquam manante latiùs veneno Majorum volumina vitiare conentur. Ceterùm, dilatatæ atq; inveteratæ hæreses nequaquam hac via aggrediendæ sunt, eo quòd prolixo temporis tractu longa iis furandæ veritatis patuerit occasio. Atq; ideo quascunq; illas antiquiores vel schismatum, vel hæreseωn profanitates nullo modo nos oportet, nisi aut solâ, si opus est, Scripturarum autoritate convincere, aut certè jam antiquitus universalibus Sacerdotum catholicorum Conciliis convictas damnatásq; vitare.* Ecce verò, quum inceperint *hæreses* esse tempore *antiquæ*; & loco *amplissimæ*, quum *antiquitatem* & *universitatem* fuerint assequutæ; tum nobis adversùm illas dimicandum est, non *Patrum* consensu, sed autoritate *sola Scripturarum*. Hæc est Vincentii Lirinensis sententia, in illo *egregio* libello, *adversus profanas omnium hæreseωn novationes*. Nónne *aurea* videtur sententia?

SECTIO SECVNDA.

HARTVS. Quæ Vincentium causa comôrit, ut affirmaret, *dilatatas & inveteratas hæreses Scripturis solis, non Patrum consensu esse convincendas*; illa fuit (quam ipse innuit) *quòd Majorum volumina conentur vitiare*: qui mos hæresibus vulgaris est, si occasio & tempus occurrat maturum. Nulla autem species est rationis, quare nobiscum idcirco consensu *Patrum* agere recusaretis. Nam neq; quæ profitemur dogmata, *hæreses* sunt, nedum *antiquæ* & *amplæ hæreses*, cujusmodi ille verbis suis designat; neq; *conati sumus Patrum scripta corrumpere*: quinimmo asservavimus ea vigilanti custodia, & assiduè ipsa integerrimè edere enitimur. Vestræ quidem certè *hæreses*, tametsi nuper sint exortæ, & pro *novitiis recentibúsq;* haberi possint; tamen *Patrum* scripta corrumpere contenderunt, & quidem corruperunt. * Celebris est Erasmi fraus. De quo ut omittam *censuras* aliorum dignissimorum hominum, quos Torrensis commemorat; Marianus Victorius in commentariis suis, quos in tres *priores tomos S. Hieronymi* emisit, plusquam sexcentos errores in eos ab Erasmo, aut falsò exponendo, aut perperam corrigendo, intrusos doctissimè reprehendit. Et Torrensis in præfatione sua ad *confessionem S. Augustini*, varios libros S. Augustini esse demonstrat, in quos Erasmus ut falsò illi ascriptos animadverterat. Quare, si ex Vincentio eos cupias insectari, qui conantur *Patrum scripta corrumpere*; priùs de tuo oculo trabem ejice, quàm festucam in nostro quæras.

*Torren. præfat. Aug. conf. ad Lectorem.

RAINOLDVS. Vides tamen interea loci (etsi ab hoc loco festinanter properes) quàm sint illa improba fulcra, quibus, ut præcipuis columnis, vestra fundata est Ecclesia & fides; *universitas, antiquitas, consensio*. Quorum priora duo, *universitatē* & *antiquitatem hæreses* jure posse vendicare, ex Vincentio evictum est: etiam tertium illud, *consensionem*, temporum progressu preclarè invasuras; tam artificiosè ad institutum suum *Patrum* scripta doctæ sunt limare. Verùm abestis vos ab omni tali suspicione. Quamobrem? Quoniam *dogmata quæ vos profitemini, non sunt antiquæ & amplæ hæreses*, inquis, *ne hæreses quidem*: *nostra ejusmodi sunt, non vestra*. Utrùm in fidei atq; religionis dogmatis, de quibus inter nos controvertitur, nostra sint an vestra, *hæreses*: id caput est quod in quæstione ponitur. Tuum, vel meum; Etiam, vel Non, nullarum est ad alterutrum virium: sed de quibuscunq; ex disputatione nostra constaturum sit, sacris ea Scripturis cōtradicere; illa *hæreses* sunto, illiq; *hæretici*, qui ea mordicus contumaciterq; tuentur. Hoc qui-

dem tu vel invitus fatebere, opiniones vestras *antiquas* esse & *dilatatas*: [u] *antiquitatem* enim & *universitatem* vobis arrogatis, quorum utroq; nostras opiniones destitui vociferamini. Magis propensum igitur est ad veritatem, *Vincentio judice*, vos, qui *prolixo temporum tractu longa freti estis furandæ veritatis occasione*, *Patres* corrupisse; quàm nos, quibus eadem nunquam est oblata. Et certè ut *cultus* Imaginum (quæ prima invaluit maxima Papismi abominatio) *confirmabatur scriptis admodum incertis & fabulosis, muliebribus somniis & Dæmonum spectris in* [x] *Concilio Niceno secundo*, (quod res ipsa, & [y] vestrates doctissimi viri attestantur:) perinde ceteri errores vestri, qui orbem Christianum in illa nocte superstitionum obruerunt, fidem & autoritatem nacti sunt confictis testimoniis, scriptisq; adulterinis, à nebulonibus nonnullis genitis, & *Doctorum* nomine fraudulenter exclusis. *Scholastici* & *Canonistæ*, quorum manus potissimùm in hac iniquitate versabantur, ad multos annos perpetuò in Academiis & Ecclesiis sunt dominati. *Doctores* & *Patres* ad speciem multùm jactati fuerunt, sed jactati, quàm curati, magis: corruptiq; sunt eorum libri, quà per Scribarum ignorantiam, qui, typis nondum inventis, eos descripserunt; quà per impudentiam impostorum, qui cuderunt eorum nomine cõmentitios. Quum igitur hoc modo deformati & ægri in pulvere Bibliothecarũ jacerent: Erasmus excellentis judicii vir, nec minùs industria quàm doctrina & ingenio pollens, primus eorum curam suscepit, eósq; in lucem extraxit. In Hieronymi operibus, quæ omnium maximè sunt depravata, præsertim *tomi priores*, elaboravit certè, quoad facere potuit, ut ea cùm purgaret nævis, tùm suis annotationibus illustraret. [z] Professus est *conjecturas suas in locis restituendis* non perpetuò ipsi satisfecisse. Promisit, *si quis meliùs restitueret, se tùm labores ejus libenter amplecti velle, tùm communi commodo gratulari*. Quæ verò gratitudinis, mitto gratitudinis, quæ ingenuitatis & candoris scintilla in Mariano Victorio apparuit; [a] qui opus tantum, susceptum tam sollicitè, tam diligenter confectum, tam modestè excusatum, dicteriis & contumeliis *erroris, mendacii, fraudis, ignorantiæ, hæresis, impietatis*, remuneratur? [b] Aristoteles de iis censet qui primi in literis aliquid aggrediuntur, quamvis *non minorem alii præstare videntur, qui ab illis inventa accipiunt, & pòst de suo addunt, revera tamen majora facere: quoniam principium cujusq; rei est difficillimum; nec addere aliquid tanti est negotii*. Quare petit ab omnibus, quos labore suo adjuvare studuit, *de iis quæ invenerat, gratiam; veniam eorum in quibus aberrârat*. Si Victorius non majores progressus in schola Christi fecerit, Aristotelẽ consulat: & primùm quidem discat non tam valde inflari animo; deinde verò, ut erga alios modestiorem se præbeat. Tu verò (cui placet ille tantopere quòd Erasmi labores insectetur, ut olim sutor Apellis picturam, quòd in calceamenti corrigia peccasset) agnoscas licet ipsum permultis vestrorum pietate & doctrina claris viris, *ultra crepidam* audacem, displicuisse. [c] Quod Molanus, unus ex præcipuis vestris *Doctoribus*, & librorum *censoribus*, testatur, qui hoc nomine (in Hieronymi operibus (1) editis Antuerpiæ) labia Victorii circuncidit.

HARTUS. A Molano quidem ille reprehenditur, & castigatur de inhumanis quibusdam sermonibus, quibus personam Erasmi læsit, ut (2) qui scilicet limites Christianæ modestiæ transiliret; non de lapsu ejus aliquo, quòd errorum Erasmum insimularet. Quamvis quod præcipuum in Erasmo culpamus, non ita multùm in erroribus iis ponitur, quibus S.Hyeronymum vitiavit. Censuras ejus in S.Augustinum potissimùm ei vitio vertimus: quibus varios libros exterminat, ut adumbratos, quos S.Augustini germanos esse Torrensis probat. Quod quidẽ eo gravioris est momenti & periculi, quòd nonnullis illud solum S.Augustini sit,

[u] Bristous Quæstion, 31. & 32.

[x] Actiõ, 4. & 5.

[y] Adrianus postea Sextus Papa quodlibet. 6. Claud. Espencæus Parisiensis Theol. comm. in Poster. ep. ad Tim. cap. 4.

[z] Erasm. præf. ad Gulielm. Waram. Archiep. Cant.

[a] Victor. præf. ad Piũ quart. in tres priores tomos Hierõ.

[b] In reprehẽs. Sophistarum.

[c] Ioh. Molan. censor. Apost. & Regius: in censura Scholiorum Mar. Vict. (1) Ex officin. Christopi Plantini, ann. Dom. 1578.

(2) Præter Christianam modestiam.

quod Erasmi arbitrio S. Augustini esse judicatur.

RAINOLD. Celavit Victorii peccata Molanus, quum nihil præter inhumanos sermones in observationibus ejus culparet. Nisi amor hominis, & melior de causa opinio eum deflexisset in alteram partem procliviorem; poterat similiter affirmasse illum, *sicut transilivit limites Christianæ modestiæ Erasmi personam (3) calumniatus*, ita Christianæ veritatis limites transilivisse Erasmi errores animadvertentem. Verùm, [d] qui auderet asserere Erasmum *Græcæ linguæ* ignarum esse, cui convicio opera ejus tùm in Theologia, tùm in humana literatura per omne genus scriptorum proclamant contrarium: is neminem alium *Censorem* desiderat, qui admoneat homines, quos oculos ille in lucubrationes Erasmi intulerit. Non erat Erasmi in *Græcis* imperitia, quæ tot errores, vel in animadversionibus ejus, vel in annotationibus in S. Hieronymum procreavit. Erat potiùs ejus in *Latinis* Romanæ Ecclesiæ erroribus scientia: erat in *Italicis* Papæ dolis & fraudibus peritia. [e] *Antidotum* illud erat quod impertit mortalibus, quod vobis quidem [f] *venenum* videtur. Quum ista ergo facerent, ut multi suspicarentur, nonnihil in Papismo vix sanum aut integrum subesse: percommodum esse existimatum est, ut prorsus è S. Hieronymo tollerentur. Victorius (quò negotium hoc speciosiùs tractaret) *errores* alios simulavit: sed bili nimiâ accensus consilii malitiâ sui prodidit. Illâ ei prudentia deerat, quam postea in Vivis annotationibus in S. Augustinum recudendis Lovanienses Theologi exhibuerunt. [g] Quamplurima enim omiserunt, in quibus à Vive Papæ sui & Ecclesiæ vlcera tanguntur: nec id profitentur tamen. [h] Fatentur tantùm, * *nonnulla omissa* esse: *nonnulla*, quasi non multa: nec *errores* appellant, nec quænam illa sint enunciant. Quòd si Vivis in Augustinum observationes tam displiceant; Erasmi in eum censuris æquiùs hoc est ferendum. Et quidem certè, ut quod res est dicam, id à vobis promeruerunt. Nam in censuris illis ostendit Erasmus complures libros S. Augustini nomine falsò commendari, quibus, ut certo S. Augustini judicii testimonio, varia Scholasticorum vestrorum & Canonistarum somnia evecta sunt, & ad juta. Sed nonnullos, inquis, ut *adumbratos exterminat, quos S. Augustini germanos esse Torrensis probat*. Et quid hoc miri est, si ex tot voluminibus, in uno aut altero laberetur? Et, quum multos fictitios titulos explorasset, aliquos fictos esse, qui non erant tamen, cogitaret? Piscem aiunt, qui semel ab hamo læsus sit, sub omni escâ latentem hamum pertimescere. Non est succensendum iis, qui periculo suo quosdam impostores esse experti sunt, qui tamen se honestos simulant; si aliquando in eum, in quem non opus est, sint suspiciosi: quùm præsertim majoris sit prudentiæ indicium honesto viro non credere, quàm credere fraudulento. Nam homini fraudulento & nequam credere, multis rerum suarum ruinam importavit, eósq; in desperatam planéq; depositam conditionem adduxit. Honesto verò diffidere, quamvis vix honestum sit, minùs tamen periculosum est, citiúsq; potest revocari. Sed quid tandem de Torrensis vestri artificio & ingenio existimabimus? qui illâ latebrâ fretus, *Erasmum quosdam libros nõ esse S. Augustini*, qui sunt tamen, *censuisse*: (1) illos in S. Augustini libris enumerat, * quos S. Augustini non esse exploratum est & concessum.

HARTUS. Non tamen absq; [k] exceptione. Ait enim; *Si non sint omnes Augustini, ut non esse concedimus; at certè quidem æqualium Augustini sunt pleraq; Doctorum juxtà atq; piorum hominum planè omnia.*

RAINOLDUS. Sed ex ista exceptione rursum excipit; *quamvis ad sectatorum redarguendas opiniones non plurimùm conferant, non defuturos tamen esse pios simul & doctos viros, qui libros illos Augustinianos esse sinant, & judicent; eorundémq; lec-*

(3) Parũ putans illum sõniatorem vocasse & hæreticum: nisi etiã vocet hæreticorũ omnium pessimum.

[d] Marian. Victor. præfat. ad Pium 4 in editionibus suis Hieron. non castigatis à Molano, ut Paris. illa, 1579. & prioribus.

[e] Antidot. Erasm, annot. in ep. ad Nepotianum, ad Rusticum, ad Demetriadem &c. passim.

[f] Vict, pref. ad Pium 4. Eras. Roterod. Catholici hominis partes professus, antidoti nomine venenum fudit.

[g] In Aug. de civit. Dei cùm in præfat. Vivis, tùm per universos ejus commentar.

[h] In titulo appẽdicis tomi quinti operum Aug. Antuerp. Plãt.

* Nonnullis tamen omissis ex censura facult. Theologicæ Lovan.

(1) In confess. Aug. lib. 1. c 9 tit. 2. & passiim

* Vt nominatim Serm. de petri cathedra alióśq; ejusdẽ farinæ libellos.

[k] In præfat. confess. Aug. ad lector.

tione non modò non delectentur, verùm etiam adjuventur. Ex istis tamen libris, in quibus ita sudat ille ut Augustini habeantur, aliquot sunt, qui tradunt Augustini doctrinæ prorsus contraria. Verbi causâ; Libellus est de *visitatione infirmorum*, ubi [l] spurius Augustinus *cultum idolorum* ut pium laudat, quem [m] germanus Augustinus ut abusum quendam repudiat, refértq; *ab Ecclesia eum improbari.* At istam germani Augustini sententiam non poterat Torrensis dispicere: illam spurii (ut non ab [n] Erasmo modò, sed à vestris quoq; [o] Theologis Lovaniensibus judicatur) tanquam flosculum quendam *in Augustiniana sua confessione* [p] serit. Quare, si committamus inter se Jesuitam Torrensem & Erasmum, in recipiendis, rejiciendísve Augustini voluminibus: Erasmus, ut ex antiquis aliquis, miniméq; malus, qui certam Angelicorum summam accepturus, quum in iis multos vitiatos reperiret, alios leves, fractos alios, alios ferruminatos, alios adulterinos; paucos inde etiam melioris monetæ suspectos habet, neq; eos libenter accipit, quòd ne aliis quoq;, quibus ipsos sit soluturus, fraudem faceret, vereatur. Jesuita verò, tanquã dissolutus nepos, qui ex illis lucri aliquid facere posset, si posset omnes exponere, commiscet omnes, & ab aliis uti eos accipiant contendit: confirmans, *omnes Angelicos esse si non Anglicanos, at Flandros; saltem imagine Angeli percussos esse. Et quãvis curiosuli quidam & plùs æquo severi ægrè sibi illis nummis pecuniam solvi patiantur: sunt tamen boni viri qui sinent, & judicabunt eos Anglicanos esse, &* * *aleæ eos non sine delectatione atq; etiam commodo suo committent.* Mihi certè hac in re probatur magis Erasmus. Inprimis verò, quùm in *Censuris* suis rationes reddat quæ ipsum impulerint in eam de iis libris, quos repudiavit, opinionem: unde liceat Ecclesiæ de judicio ejus judicium ferre. Si tibi Jesuita Torrensis potiùs arridet, tuo utere judicio. Alios interim ego admonitos vellem, ut caveant quam tibi fidem habeãt, qui huic fidem tam facilè habuisti.

[l] De visitat. infirm. l.2. c.3.
[m] De moribus Eccles. Cathol. cap.34.
[n] Censura Erasmi: Sermo loquutulei nec docti nec diserti. Quid habuere vel frontis vel mentis, qui talia scripta nobis obtruserunt nomine Augustini?
[o] Censura Lovan. Non est Augustini.
[p] Torrens. cõfess. Aug. lib.4. c.9. tit.4.
* κυβεία. Ephes.4.14.

HARTUS. Erasmum verò tu perinde excusas nobis, ac si suspicio illa, quam *Censuræ* ejus de nonnullis rebus in S. Augustini operibus excitant, à sollicitudine quadam proficisceretur, ne vel falli posset, vel fallere. Quòd si ita quidem se habuisset, minori ille in culpâ esse videatur. Sed ostendit [q] Torrensis, *quùm duo sint tractatus S. Augustini de communi vitâ & moribus Clericorum, qui originem & instituta monasticæ vitæ fidelißimè docent: Erasmum eos malitiosè (ut videri potest) odio Monachorũ, proprio loco movisse, atq; inter eos Sermones qui ad Fratres in Eremo inscribũtur non sine fraude conjectos, unà cum plerisque eorum ignominiosè prænotasse: quùm tamen ipse eos ab Augustino compositos non neget.* Majus hoc quiddam est quàm de bono Angelico tanquam adulterino suspiciosum esse: volentem hoc est, scientémq; ut adulterinum eum rejicere, quem bonum esse dignoscit.

[q] Præf. cõfess. Aug. ad Lect.

RAINOLDUS. Si hoc commiserit Erasmus non imprudenter sed *malitiosè, Monachorum odio*, ut Torrensis suspicatur commisisse: grave certè crimen esset, dignúmq; quod typis ubiq; divulgaretur. Sin verò non odio & malitiosè fecerit, si non omnino fecerit, si contrarium planè præstiterit, si illum reprehenderit à quo factum est, & illud ipse correxerit: quo tandem modo Torrensis Erasmo satisfaciet, quẽ tam falsâ calumniâ infamavit? *Sermones illi ad Fratres in Eremo* inscripti, impudenter ab aliquo sub S. Augustini nomine sunt conficti, qui ipse fortasse ejusdem ordinis erat, libentérq; volebat existimationem suo ordini tanti patroni titulo comparare. Plerisq; illorum Sermonum infamiæ notam Erasmus inussit. In quo si quicquam peccârit, in hoc igitur, quòd non pluribus eorum, non quòd plerisq; eandem inusserit. Nam [r] *Lovanienses* vestri *Censores* hos omnes non meliori notâ emittunt: non id tantùm asserẽtes, *confictos esse, & satis constare scriptos esse*

[r] In censura Sermonum ad fratres in Eremo, Tom.10. in append.

sub Augustini nomine, à quodam semi-latino exclamatore Gallo-flandro, ut Lipsius ex vocibus quibusdā & dictionibus suspicatur; sed cùm fuse, tùm eruditè etiam à (1) Conservatore Apostolico ante centum & sexaginta annos damnatos fuisse & reprobatos, & contra eos scriptum esse à (2) Malburno de Brussellis. Hic igitur Flandro-gallus, ut *sermones* suos *Augustiniano* stylo scribere elaboravit, quò magis Augustini eos esse crederetur; duos iis genuinos S. Augustini *tractatus* intexuit, qui tamen apud suæ Ecclesię homines, non apud *Fratres in Eremo* habebantur. Erasmus quum primū ederet S. Augustini opera, sensit fraudem, & prodidit: neq; modò utrosq; illinc amovit, sed hanc etiam *censuram* ibidem defixit, qua inde perpetuò exularent; *Habentur inter Epistolas, & stultè inserti sunt Eremiticis.* Jam vellem ipse decernas, quid commereat Jesuita, qui Erasmum arguit id *malitiosè & odio fecisse*, quod non modò non fecerat, sed etiam pro virili parte suâ curârat, ne ab alio quoquam cōmitteretur.

(1) A Conservatore Apostolico Rhegii, ann. 1414. dānatos & reprobatos.

(2) Liber ita inscribitur; Venatorium Canonicorum regularium.

Hartus. Fortassis id Erasmus fecerat, si non in primâ S. Augustini editione, at in aliis tamen recentioribus. Nam sine dubio in nōnullis [f] Basileensium editionum quibus Erasmi censuræ inseruntur, ita *tractatus* illi excusi sunt, quemadmodum à Torrense observatum est, in *Sermonibus* nempe *Eremiticis*. Quos si sic Erasmus excudendos curârit, ut curasse est verisimile: non est piaculum, opinor, credere, non imprudenter illum, sed *malitiosè* & *odio Monachorum* hoc commisisse. Nā notissimum id quidem est, eos illi exosos fuisse: & variæ ejus *censuræ* istius affectionis labe inficiuntur.

[f] Anno Dom. 1556. & 1569.

Rainoldus. Quin potiùs verisimile est Erasmum non id commissurum fuisse, quod ipse priùs in alio reprehenderat. Sin autem tantopere sui oblitus fuerit, editionem saltem nobis Torrensis designasset, & asperiùs eum non de malitiâ tantùm, sed inscitia quoq; corripuisset. Sed id, credo, Torrensi accidit, quod olim *Gulielmo Sommero*; quem solitum esse aiunt ab *Olivero* percussum in *Rowlandum* involare. Nam in [t] Parisiensi editione S. Augustini (3) Hœmerus quidam (qui prelo per id temporis præerat) præfatur * *se duos Sermones, quos Erasmus eripuerat, suis ipsos Eremitis restituisse.* Antiquior ille Basileensis Typographus, cujus usus est Erasmus operâ, eos (ut appâret) *in Epistolis* omiserat, quibus erant inserendi. Quā culpam quùm Parisiensis Typographus statueret emendare, emendavit quidem, sed majori culpâ: quem recentiores [f] Basileenses editiones sequebantur, à Lipsio & aliis, non ab Erasmo, examinatæ. Quanquam ne in illis quidem *utriq; isti tractatus aliquâ infamiâ sunt notati*, quod Torrensis ait, sed is solus qui præcedit. Quod Typographi potiùs, quàm preli curatoris errore contigisse videtur: quùm certè probabile sit utrosq; eodem argumento & stylo conspirantes, eandem quoq; censuram subiisse. Quòd autem urges præterea, *Erasmi censuras affectionis ejus labe atq; odio adversus Monachos infectas esse*: affectio ejus quidem erga illos ita moderata fuit, temperatáq; amore justitiæ, & iniquitatis odio, ut induxerit eum potiùs ad aliorum labes eluendas, quàm ad censuras inficiendas suas. Nam quàm valde Erasmo pii *Monachi*, eorúmq; societates placuerint, ex eâ liquet sententiâ quam (quum in hac insula nostra commoraretur) de [u] Collegiis utriusq; Academiæ, Oxoniensis & Cantabrigiensis ferebat. Quorum quum ordines & leges perspiceret, quum finem & rationem studiorum, lectiones, disciplinam, communémq; victum consideraret: comparavit Academicorum nostrorum vivendi modum *illis priscorum Monachorum præscriptis & institutis*; & *ex omnibus Monasticis institutionibus nullam huic parem inventam esse* judicavit. Quæ quùm ab illo in laudem Collegiorum nostrorum dicta sint, quippe quæ exstructa essent Seminaria ad ministerium Ec-

[t] Anno Dom. 1531. in officina Claudii Chevallonii.

(3) Iacob. Hœmer. præf. ad Abb. D. Vict. in opera August.

* Tomus decimus recepit sermones duos, quos Erasmus, quia scilicet inter Epistolas essent, ex Tomo trūcaverat. Hos sollicitè quæsitos & non inventos suis ipsos Eremitis restituimus.

[f] Anno Dom. 1556. & 1569.

[u] Descript. Britanniæ. lib. 2. cap. 6.

clesiæ

clesiæ amplificandum, in quo rectè possint vel cum præclarissimis [x] *priscorum Monasteriorum* conferri: satis argumenti dant Erasmum optimâ erga antiquos Monachos affectione propensum fuisse. Sed vulgus Monachorum nostri temporis alius generis sunt animalia; & longè diversam speciem induerunt. Adeò ut [y] Polydorus Virgilius, homo Italus, qui & eorum conditionem vitæ satis perspectam habuit, nec ipsos religionis causâ oderat, de illis asseveret; *Incredibile dictu esse quantum à majoribus suis degeneraverint*. Quare, nihilo magis infectæ sunt *Erasmi censuræ* quòd hos degeneres Monachos oderit, malas belluas & ventres pigros: sed ille, quem profitetur erga ipsos Torrensis, amor abundè ejus *Augustinianam confessionem* infecit, & maculavit. Nam quò opportuniùs eorum laceris & vilibus ceremoniis hominum amorem & admirationem conciliaret: [z] narrat *Augustinum cucullâ nigrâ indutum fuisse, & cingulo coriaceo præcinctum*, nec ab aliquo mediocri homine, sed ab ipso Ambrosio, cujus [a] *Sermonem* citat, ut huic fabulæ fidem faciat, & tanquam rem longè dignissimam diligenter * observet. Quùm revera tam longè absit, ut is *Sermo Ambrosii* sit, ut doctissimi asserant, citra controversiam sub illius nomine confictum esse [b] ab aliquo impostore & blaterone, quippe qui nihil Ambrosianum in se contineat.

Hartus. Illa censura Erasmum redolet: qui pace tuâ, in Monachorum causis nihil apud me fidei, utcunq; tu causam ejus egeris, assequetur.

Rainol. Si illum rejicias: Costerium tamen & Molanum, duos Lovanienses Doctores, liceat tibi amplexari. Molanum, professorem Regium Theologiæ, qui * abjiciens fabulam de *nigrâ & monasticâ Augustini cucullâ, Sermonem* ait *non esse Ambrosii*. Costerium, D. Martini Abbatiæ Priorem, [c] qui mendacem illum magis censoriâ, quàm Erasmus, severitate notat. Non enim illum *impostorem* modò, sed *insulsum etiam, & audacem impostorem* vocat. Et quùm Erasmus nihilominus figmentum illud in ceteris Ambrosii operibus [d] ederet: ita fœdum visum est brutúmq; Costerio, ut prorsus omiserit. Adeò ut, in [e] novissimis jam Ambrosii editionibus nusquam compareat. Unicus hic tantùm locus de *cucullâ & cingulo Augustinianorum Monachorum*, (aut *Augustinianorum Fraterculorum*, ut vocantur) apud Torrensem est repositus, aptissimam talibus antiquitatibus apothecam.

Hartus. Si Ecclesiæ judicio illorum doctissimorum hominum censuræ approbantur.

Rainold. Non est quisquam, quod scio, Ecclesiæ vestræ eruditior à quo improbantur.

Hartus. Tum quidem existimandum est Torrensem, quum illum *Sermonem Ambrosii* citabat, censuisse (ut * priùs dixerat de S. Augustino) aut illius esse, aut alicujus illi quàm simillimi.

Rainoldus. Hoc neq; dicit ipse, nec discipuli ejus colligunt, nec assentitur veritas. Neq; enim scriptus fuit ab aliquo *Ambrosio quàm simillimo*, si *audax & insulsus impostor confinxerit*, quod ex eâ quam supposueras conditione efficitur: & cùm ille, tùm post illũ [f] alii proferunt tanquam ab Ambrosio ipso conscriptum; cujus esse ut credatur quidem, percupere illos *cucullæ* causâ est apertum. Adeò humani estis & proclives ad vosmet ipsos tolerandos, ut illud tanquam certò à Patribus scriptum, quod certò illorum non est, accipiatis. Adeò in nos acres & rigidi, si quicquam quod illorum est non esse suspicemur: etiam, quùm non suspicemur, sed falsò aliorum culpâ suspicionis arguamur. Atq; hoc modo trabem ex oculo nostro ejeci. Jam in vestro festucam dispiciamus. Vestræ in *corrumpendis Patrum scriptis* consuetudines diversi generis sunt: aliæ ante inventos typos, aliæ in

[x] Possidius de vita Augustin. cap. 11. Sever. Sulpit. de vita Martin. cap. 7. Hieron. Ep. 4. ad Rusticum Monachum.
[y] Historiæ Anglicanæ lib. 6.
[z] Confess. August. l. 4. cap. 8. tit. 6.
[a] Ambr. part. 3. serm. 94.
* His verbis affixis in margine: *Augustinus cucullâ nigrâ indutus, & cingulo coriaceo præcinctus.*
[b] Censura Erasmi.
* Annot. in Vsuardi Martyrologium Mai. 5. *Sermo non est Ambrosii nec in ejus operibus habetur.*
[c] Censura Costerii, Ipsa res clamat ab insulso & audaci impostore esse confictum.
[d] Anno Dom. 1527. & 1539.
[e] Anno Dom. 1555. & 1567.
* Præf. confess. Aug. ad Lect.
[f] Patronus censuræ cõtra Charcum. pag. 38.

illis postea exercitæ. Utrarumq; exempla in hac quam agitamus de supremati quæstione apponam. Primum idcirco genus valde familiare est principi Ecclesię vestræ Doctori,[g] Thomæ de Aquino. Qui dum *contra errores Græcorum* scribit, Cyrillum induxit dicentem; *Sicut Christus accepit à Patre super omnem principatum & potestatem, ut ei cuncta curventur, plenissimam potestatem; sic & Petro & ejus successoribus plenissimè commisit*; &, *nulli alii quàm Petro, Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit*: &, *Apostoli in Evangeliis & Epistolis affirmârunt in omni doctrinâ Petrum esse loco Dei, & ejus Ecclesiam*: &, *illi, scilicet Petro, omnes jure divino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt*: &, *nos ut membra manere debemus in Capite nostro Pontifice Romano, & Apostolico throno, à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debemus, quoniam solius Pontificis est arguere, corrigere, increpare, ratum facere, disponere, solvere, & ligare.* Hæc à Thoma Aquinate transcripta sunt, scilicet ex Cyrilli opere quod (1) *Thesaurus* inscribitur. In *Cyrilli* autem *Thesauro* nulli tam viles nummuli reperiuntur. Quare vel eos Thomas ipse in difficultate nummariâ cudebat, vel à cusore aliquo capiebat, periculū quoq; ipse facturus, an possit aliis eos pro bonis solvere.

HARTUS. Num intelligis quam injuriam beato illi homini Thomæ Aquinati facias, cui tam grave fraudis crimen objicis?

RAIN. Nullam ego omnino illi, cujus adulterinos nūmos prodo. Ille verò per quidem magnam miseris Christianis fecit, quos istiusmodi adulterinis in fraudem impulit.* Romanus vester Sanctorum Creator eum propter vitæ suæ sāctitatem & eruditionem in Canonem ascripsit. Quæ quidem perspecta maxime fuit in operâ tantâ, quam illi Sedi dabat. Et tu eam celari cupis?

HARTUS. Sed quid tu causæ habes, ut existimes aut illum adulteratorem esse, aut dicta esse adulterina: quùm (ut [h] Copus refert) non ab illo modò, sed & ab aliis recenseantur. Nominatim verò ab illo clarissimo *doctissimoq; Cardinale*,[i] *Johanne de Turrecremata, qui Basileensi Concilio interfuit: & ante eum, ab (2) Augustino Anconitano: etiam à Græcis ipsis qui aderant in Florentino Concilio, Andreâ Colossensi Episcopo, & Gennadio Scholario Patriarchâ Constantinopolitano. Et quùm Andreas Cyrillum in Thesauris, Romani Pontificis autoritatem plurimùm extulisse diceret (* in Cōcilio,) nemo omnium ei refragatus est. Gennadius verò, in opere quod contra Græcos pro Latinis scripsit de quinque capitibus, (è quibus unum est de primatu summi Pontificis) eadem, etiamsi forte non omnia quæ Aquinas adducit, ex Cyrillo citat testimonia.* Tu tamen de tam multis unum illum designas quem carpas: existimásq; verba ab illis omnibus citata esse adulterina.

RAINOLDUS. Adulterina tamen numerantur in adulterinis, etiamsi plurimorum manibus terantur. Omnes isti quos tu ex *Harpsfieldi Copo* nominas, multis post Thomam annis floruerunt: & illius fide confirmati videntur, ut & Copus ipse, Cyrillum adduxisse. Quare non poteram eos existimare cusores ejus fuisse, quod ante ipsos exstabat. Omnium verò antiquissimum Thomam video, apud quos hæc verba reperio; ideóq; majori cum ratione in illum faba hæc cudenda est, nisi autorem, quem sequutus sit, produxerit. Injuriam saltem (quùm sciam Cyrilli non esse verba, cujus esse Thomas affirmat) nullam illi me fecisse spero, quùm dicerem eum vel à cusore aliquo accepisse, vel ipsum sanè cudisse.

HART. Quamvis reperiri verba nequeant in iis partibus, quæ exstant *Thesauri Cyrilli*; non id satis tamen argumenti est, vel Thomam, vel alium quempiam ea confinxisse. Nam [l] Melchior Canus ait, *detruncasse hæreticos librū illum, & quæ in eo ad Romani Pontificis autoritatem pertinebant, hæc erasisse omnia. Quod idem in* com-

g In opusculo cōtra errores Græcorum, ad Vrbanū Quartū, Pōt. Max.

(1) Aut Thesauri, ut à Thoma, & aliis inscribitur.

* Johannes 22. Antonin. hist. part. 3. tit. 21. cap. 5.

h Dialog. 1. cap. 13.

i In Summa de Eccles. & in apparatu super decreto unionis Græcorum in Cōcilio Florentino.

(2) In lib. de potest. Eccles.

* Vid. Sess. 5. 7 & 8.

l Loc. Theol. l. 6. c. 5.

commentariis Theophylacti super Johannem hæreticos fecisse, à viris hodie Catholicis; et deprehensum, & patefactum est.

RAIN. Mihi verò tu & Canus adversùm nos, ut [k] *Dorylenses* olim contra Flaccum, agere videmini. Quem quum *tabulis publicis suis* accusarent, easque jussi essent, ut producerent, respondebant *se iis spoliatos fuisse à nescio quibus pastoribus in itinere.* Vos litem nobis intenditis, quòd suum Papæ jus suprematûs denegemus. Tabulæ, quibus ad Papam suprematum jure pertinere confirmatis, *verba Cyrilli* sunt: verba Cyrilli expetimus, ut producantur; dicitis non exstare, *iis spoliati estis à nescio quibus hæreticis.* Quod ut faciliùs ita esse credatur, dicitis porrò, *hæreticos alias in Theophylacto rapinas fecisse, ut à Catholicis arguuntur.* Atq; hoc dicitis vos, sed tantùm dicitis; nullum argumentum affertis, non testem citatis, non indicium ejus aliquod exhibetis. Si ejusmodi accusationes possint ad reorum subsellia aliquem detrudere, quis tandē innocens est futurus? Qui sic apud [l] Ethnicos rem tractasset, *maledicus* potiùs quàm *accusator* audivisset.

HARTUS. Ne fuerint verba erasa fortasse ex aliquo Cyrilli libro, qui ad nostras manus pervenit. In illis tamen esse poterant, qui [m] amissi sunt, [n] aut non Latini facti. Nobis enim tantùm quatuordecim ejus *Thesauri* libri supersunt, quum tricesimus secūdus à Patribus in [o] Synodo sexta citetur. Atq; hoc satis est ad Thomam, & alios, qui ea verba proferunt, liberandos fraudis suspicione.

RAIN. Atqui quāvis tricesimus secūdus à Patribus illic cōmemoretur; nō tamē illi de pluribus libris loquuti sunt, quàm quibus nos etiā fruimur. Nam qui Latinę nostrę editionis duodecimus habetur, is tricesimus secundus à Gręcis numeratur.

HARTUS. Inauditum est quod respondes; nulla est in eo species veritatis.

RAINOLD. Locum illum tu diligentiùs expende, qui Cyrilli illud attingit; verba ipsa majus quid, quàm speciem veritatis indicabunt.

HART. Synodus ita habet; *Hoc & Sanctus Cyrillus in trigesimo secundo libro Thesaurorum docet, epistolam ad profanos explanans; nec enim unam naturalem operationē dabimus esse Dei, et creaturæ, ut neq; id quod creatū est, ad divinā deducamus essētiā, neq; id quod est divinæ naturæ præcipuum, ad locum qui creatis convenit, deponamus.*

RAIN. Ista ex tricesimo secundo Græci Cyrilli citata sententia, in [p] duodecimo Latini nostri Cyrilli occurrit. Nisi quòd ab * alio ille Interprete versus, aliis eā verbis referat; illic verò sententia appâret, ea ipsa sententia, ad quam Synodus respexit.

HARTUS. Poterat illic primùm fortasse dici, & tamen postea denuo in tricesimo secundo repeti, ut multi sæpius eandem solent sententiam usurpare.

RAINOLDUS. At loci ipsius circumstantia potiùs indicat, planè eandem esse. Ait enim Synodus; *Hoc Cyrillus docet, explanans epistolam ad profanos.* Et quid demū voluerit Synodus per hanc *epistolam ad profanos*?

HARTUS. Quî mihi de eo constare poterit, quum liber ille Cyrilli (de quo loquuntur) perierit?

RAIN. Esset quidem *epistola ad Romanos*, voculâ [*Romanos*] typographi errore, in [*profanos*] versâ; nisi datâ operâ mutaret, ut qui nūc *Romani* sint doceret, aut aliquis corrector preli perverteret, ne hac circumstantiâ ducti, Cyrilli locum reperiremus. Istud enim [*explanans epistolam ad Romanos*] grave argumentum est, à Synodo locum illum duodecimi libri transcriptum esse; ubi Cyrillus ea ejus *epistolæ* capita tractat, quæ ad rem præsentem tum pertinebant. Quod ut rursus in eodem opere, eâdem sententiâ de re eâdem præstaret; nequaquam verisimile credent esse ii, qui Cyrillum non ignorant. Quùm præsertim Græcis famili-

[k] Cic. pro L. Flacco.

[l] Cic. pro M. Cælio, Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet.

[m] Alan. Cop. dial. 1. cap. 13.

[n] Melch. Canus l. 6. c. 5.

[o] Syn. 6. Act. 10.

[p] In Cyrilli Thesauro, lib. 12. c. 1.

* Georg. Trapezunt.

are sit, alia ratione ac Latini solent, libros dividere. Quemadmodum in Græco videlicet Testamento, *Evangelii Marci* plura quàm quadraginta sunt capita, cujus ne viginti quidem sunt in Latino: nihilo tamen minus perfectum Latinum est, quàm Græcum. Quam eò magis putandum est discrepantiam fuisse Cyrilli Græci, citati à Concilio, & Latini nostri Cyrilli è Græco versi; quòd in Latino nostro aliæ item sententiæ libro decimo legantur, quæ ex [q] vigesimo quarto à Concilio proferuntur: & juxta illorum sanè divisionem, [r] *caput libri*, idem prorsus erant, quum libri Latini in alia rursus capitula distribuantur. Nequicquam igitur ista plurium librorum *Cyrilliani Thesauri* commemoratio, quàm qui nobis supersunt, dicta illa à fraudis suspicione eximit, quæ inde Thomas arcessit Pontificii suprematûs gratiâ. Inprimis verò, quoniam Trapezuntius, qui illud Cyrilli opusculum Latino sermone donavit, magnopere inclinatione voluntatis suæ in Papam propendebat. Adeò ut, si quidquam Græci in editione sua omisisset, ut omisit fortassis, (nisi Cyrillum fideliùs quàm * Eusebium transtulerit,) non credendum tamen sit, tam multa illum loca omissurum fuisse, tam illustria rei gravissimæ argumenta, quę ejus tam valde intererant, quem is tam unicè diligebat. Nimis illustria profectò sunt, & ad propositum plenissima, & certè ejusmodi, ut [s] Canus vester prædicet, *multo evidentius quàm autores ceteros testimonium perhibere*. Ubi illud quoq; recordatione dignum est, quod in re simili à sapiente dictum est; *Nimia perfectio parit suspicionem*. Neq; verò Cyrillus eorum autor fuisse videri potest, [t] qui, quum Synodus Carthaginensis eum de *occupato à Papa dominatu* consuleret, ita alacriter paratéq; ad eos tabulas adversùs illum mittebat: neq; tam opportunus ipsis in *Thesauro* ejus dabatur locus, in quo universo res aliæ aguntur, videlicet *Filium & Spiritum sanctum unius esse cum Deo Patre substantia*. Sed ferri potuit fraus Cyrillo facta; unus tantùm hic fuit. Illud autem nullo modo ferendum est, plures sexcentis Episcopis, etiã ipsum Oecumenicum Conciliũ Chalcedonense eodẽ dolo depravatum esse. De quo [u] Thomas scribit, hoc scilicet decrevisse; *Si quis Episcopus prædicatur infamis, liberam habeat sententiam appellandi ad beatißimũ Episcopum antiquæ Romæ: quia habemus Petrum petram refugii, & ipsi soli libera potestate loco Dei sit jus discernendi, secundùm claves à Domino sibi datas*. Et rursus, *Omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Apostolici throni*. Et, quo probet *Pontificem in totam Ecclesiam Christi universalem prælationem habere*; *Legitur*, inquit Thomas, *in Chalcedonensi Concilio, quòd tota Synodus clamavit Leoni Papæ, Leo sanctißimus, Apostolicus, & (1) Icumeraycos Patriarcha multos vivat annos*. Atqui in Concilio Chalcedonensi nihil horum exsistit, non magis quàm illa priora in *Cyrilli Thesauro*. Quamobrem necesse est aut ea Thomam cudisse, aut ab aliquo cusore accepisse. Equidem opinor, illum qui cuderat, monetariorum Pontificis pręfectum fuisse. Et quis ille demum præter Thomam foret, omnino non video.

HARTUS. Neq; Thomas ille fuit, neq; quisquam alius. Nam ista in Chalcedonensi Concilio scripta fuerunt: sed ab hæreticis ex nostris exemplaribus erasa sunt, ut [x] Gregorius ad Narsem Comitem conqueritur.

RAINOLDUS. Aut potiùs, ut [y] Canus ex Gregorio refert, sed falsò refert. Nam neq; de *hæreticis*, neq; *istis de rebus* Gregorius verbum facit. [z] Affirmat tantùm *Chalcedonensem Synodum in uno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsatam esse*: quod videtur de vigesimo octavo *canone* ejus *Synodi* intellexisse (ut Græci computant,) ubi *Constantinopolis non minoribus quàm Roma, privilegiis augetur*. Semper enim huic *Canoni* Ecclesia Romana resti-

[q] Action. 10.

[r] *Vt, eodem in loco Cyrillus de Thesauris capitulo vigesimo quarto citatur: pro quo postea dicitur, libro vigesimo quarto.*

* De præparatione Evangelica, cujus Græcum exemplar multo plura continet quàm Latinũ, versum à Trapezuntio.

[s] Locor. Theolog. li. 6. c. 5.

[t] Epist. Cyrilli ad Synodum Carthag. in concil. Afric. c. 19.

[u] In eodem opusculo contra errores Græcorum.

(1) Ita apud Thomam legitur: intelligit autem οἰκουμενικός.

[x] Regist. lib. 5. epist. 14. ad Narsem Comitem.

[y] Loc. Theol. lib. 6. cap. 6. *Ea quæ D. Thomas refert, in hujus temporis exemplaribus non habentur: sed ab hæreticis erasa Gregorius queritur.*

[z] Regist. lib. 5. epist. 14.

tit, & præceteris [a] Leo Pontifex. Constantinopolitana tamen, Græcæq; Ecclesiæ inter reliquos eum descripserunt. Utrorumque discrimen ad hunc usq; diem in [b] Græcis [c] Latinisq; exemplaribus constat: altero *Canonem* retinente, desiderante altero. Unde non levi conjectura penditur, Gregorium quum diceret *Chalcedonensem Synodum in uno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsatam esse*, hunc nimirum locum spectasse, quo freta Constantinopolis non minores quàm Roma prærogativas sibi vendicabat, Ecclesiâ Romanâ huic reclamante. Cujus rei quoq; [d] Carranza in Summa Conciliorum, & in ipsis integris Conciliis [e] Surius, utrique indicium præbent illum *Canonem* rejicientes. Verùm neq; Surius, neq; Carranza simile aliquid illius Thomæ farinæ habent, aut in Concilio Chalcedonensi scriptum esse aiunt; hæreticos verò erasisse. Quin ipsi *Canones illius Synodi*, de quibus in utrisq; tùm Græcis, tùm Latinis exemplaribus convenit, speciem omnem tam falsis & frivolis Thomæ defensiunculis præcidunt. Credi enim non potest tam augustam *Synodum*, ex tam undiquaque sapientibus viris constitutam, res secum ipsis pugnantes decrevisse: decrevit [f] autem quæ prorsus cum iis, quæ Thomas de Papa citat, pugnant; [g] ut pòst liquebit. Sed Canus interim mirè & tibi fucum fecit, & seipsum fefellit: qui, ut probet ea jam desiderari in exemplaribus, quæ Thomæ temporibus non defuerunt, Gregorium testem producit, qui (1) multis seculis ante Thomam viguit: & ejus arguit *hæreticos*, cujus Gregorius *Catholicos* arguebat: aitq; ab *hæreticis erasa esse*, quum Gregorius *falsatam esse Synodum* dicat, quod adjicendo aliquid, poterat ab ipsis fieri: et hoc ille *de variis locis*, quod Gregorius de *uno*, & illo *uno* quidem (amicorum vestrorum judicio) illorum Thomæ dissimillimo. Quanto magis ingenuum se gessisset Canus, & tu pariter (qui eum in malis imitaris,) si culpam fassi fuissetis, ubi sit culpa; quàm multas committere, ut unam supprimatis; & ut Thomam vindicetis, Gregorium corrumpere; & nos injustis calumniis criminari, ut vosmet à justa reprehensione liberetis.

[a] Epist. 51. 52. 53. 59. & 60.
[b] Canones Concilii Chalced. can. 28.
[c] Conc. Chalced. Act. 15. ubi viginti &, septem tãtùm canones repe. riuntur.
[d] In summa Concil. Chalced. ex nova edit. act. 16.
[e] Conc. Chalced. in annot. ad lect. action. 15.
[f] Conc. Chalced. can. 1. 9. 17. & 19.
[g] Ca. 9. Sect 4
(1) Supra sexcentos annos.

HARTUS. Ego quidem apud Gregorium ipse locum non expendi. Sed doctissimis viris id fidei habui, apud quos inveni. A [h] Copo enim similiter ut à Cano profertur. Neq; verò mihi persuadeo eos scienter locum torsisse; sed memoriæ suæ de re universa fidentes in verbis describendis errasse.

[h] Alan. Copus Dialog. 1. c. 13.

RAINOLDUS. Neq; eos ego scienter torsisse locum criminor. Potest enim fieri, Canum in alio quopiam reperisse, & in Cano Copum, & te in Copo; atq; ita istis per manum traditis vicissim fallimini. Christi sententiam reminiscere; [i] *Si cæcus cæco præierit, ambo in foveam cadent*. Verùm ex istis satis percipere licet, quàm à vobis corrupta sint *Patrum scripta*, antequam prelo subjicerentur. Qua autem humanitate, ab illo tempore, quo typis excudi cœperant, à vobis excepta sint: editus à vobis Cyprianus, primò Romæ, deinde Antuerpiæ sit documento. Ecclesiam Christi Cypriani tempore suâ perturbârunt hæresi Novatiani, aut (ut ipsi se vocârunt) [k] Puritani: familia quædam hominum, qui quum omnes pollutos & impuros censerent, qui persequutione invalescente lapsi sunt, etiamsi ipsos sui lapsûs pòst pœniteret, recusârunt cum illis ad cœnam Domini convenire; ideóq; se statim à societate Catholicæ Ecclesiæ, & cœtu fidelium segregârunt; ac si illi etiam polluti essent, quòd in societatem suam communionémq; eos post exploratam eorum pœnitentiam reciperent, qui cecidissent. Adversus istos Novatianos, faces schismatum discordiarúmq; in Ecclesia, Cyprianus egregium limavit opus [l] *de unitate Ecclesiæ*: ubi instruit Christianos & ad-

[i] Matt. 15. 14.
[k] Καθαροί, Epiphan. hær. 59.; Cathari. August. de heres. ad Quodvult. hær. 38.
[l] Cyprian. de unitate Ecclesiæ.

hortatur, *ut servent unitatem Spiritus in vinculo pacis, & concordiâ mutuâ conjungantur.* Quod ut ab illis, rationibus argumentísq; ex sacra Scriptura erutis, impetraret; ut in ceteris varias figuras typósq; affert in quibus *unitas Ecclesiæ* repræsentatur, ut *arcam Noah, Christi tunicam, domum Rahab, agnum Paschatis:* sic in *figuris illis* primum Petrum collocat, cui Christus nempe dixerat, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* &c, *Tibi dabo claves regni cælorum:* & rursus, *Pasce oves meas. Quamvis* enim *Christus*, inquit, *omnibus Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum; si cui remiseritis peccata, remittentur illi, si cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia monstretur.* Iste verò Cypriani locus, qui in prioribus editionibus putabatur magis *pari omnium Apostolorum potestati*, quàm unius supremati favere, ut certè favet, iis verbis in *Romano Cypriano* infarcitur, ut specie sanè magis *Petri supremati* consulat, adeóq; cujusdam *potestatis supremati* qui Pontificio est finitimus,[m] quéadmodum alios sic inde colligendum esse docetis. Quum enim in Cypriano hæc verba diserta sint, *Erant ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur;* hæc *Romanus Cyprianus* infarcit, *Et primatus Petro datur.* Quum Cyprianus dicat, *unitatis ejusdem originem ab uno incipientem Christus suâ autoritate disposuit;* *Romanus Cyprianus* invexit, *unam Cathedram constituit.* Et rursum, quum Cyprianus, *ut una Christi Ecclesia monstretur;* inserit *Romanus Cyprianus, Et cathedra una.* Bellè hæc fuerunt jacta fundamenta, *Petro primatum dari, Christum unam cathedram constituisse*, &c, *ut Ecclesiam esse unam oportet, ita unam quoq; cathedram esse oportere.* Ceterùm, quoniam *una cathedra* [Cypriani dialecto] non magis pro Romani Pontificis, quàm pro Episcopi Carthaginensis cathedra faciat; Antuerpiensis Cyprianus (ut rem provehat magis) *Petri cathedram* inducit. Et quum Cyprianus, etiam *Romanus* ille, sic loquatur, *Qui Ecclesiæ renititur, & resistit, in Ecclesia se esse confidit?* Antuerpiensis interserit, *Qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse cõfidit?* Quum olim igitur demonstraret Cyprianus *unitatem Ecclesiæ* ex communi, *æqualiq;* Petri cum ceteris Apostolis *potestate;* nunc, tam bellè interpolatus, *Petri primatum* denotat, qui, si commodè interpretamur, est *suprematus Papæ.* Est enim divinandum nobis, per *Petri cathedram, Papæ cathedram* designari; quam cathedram *ille deserit*, qui non *obedientiam summo Pontifici præstat*, secundùm [o] Gratiani in jure Canonico sententiam. Omnis quæ superest difficultas, & scrupulus, unde suspitiosi cujusquam animus in hac causa dubius fieri possit, in illa clausula latet Cypriani; *Christum Apostolis omnibus parem potestatem tribuisse*, &c, *ceteros hoc fuisse, quod fuit Petrus, pari consortio præditos, & honoris et potestatis.* Quæ si possetis novâ aliquâ paratâ editione scitè detrahere; (& cur nõ perinde detrahere tam pauca, ac tam multa adjicere?) commodissimus vobis esset futurus hic locus, quo persuadeatis aliis, *unitatem Ecclesiæ*, vestram *unam cathedram* præfinire, cui omnes subjici oportet, qui Ecclesiæ membra esse volunt; & illos (quod consequitur) veros Christianos non esse, qui Papæ supremati renituntur.

HART. Quin tu multùm quidem offendis, qui corruptũ Cyprianũ nobis exprobras, in iis præsertim editionibus, quæ maximè inviolatæ sunt & integræ, Romanâ illa Manutii, & hac altera Antuerpiensi Pamelii. Nam Pius quartus, Papa maximè memorabilis, quum [p] cuperet *Patres quàm liceret emendatissimè edi, ex iisq; omnes*

m Stap. princ. doct. li. 6. c. 7.

o Dist. 93. Obedientiã, &c. Summo Pontifici; nec in Ecclesia esse poterit, qui cathedrã ejus deserit. Vnde Cyprianus, *Qui* cathedram Petri (supra quam fundata est Ecclesia) deserit, in Ecclesia se esse non cõfidat.

p Manu. epist. lib. 8. ad Pium quartum.

maculas elui, Venetiis Manutium insignissimum, illustrissimumq; typographum, ut id muneris exsequeretur Romam evocavit. Et quò commodiùs illum omnibus ad hoc negotium necessariis instrueret; quatuor spectatæ prudentiæ virtutisq; Cardinales operi præfecit. Ac ut præcipuè præ ceteris emendaretur, & ab omni labe integer fieret Cyprianus,[q] singularis quædam cura à Cardinale Borromæo suscepta est; exemplar miræ antiquitatis Veronâ accersitum, exquisitáq; est in eo adhibita eruditorum hominum diligentia. Quare mihi equidem persuadeo, quicquid illi Cypriano adjecerint, non id temerè, neq; ex ingeniis suis, sed magno cum consilio, scriptísq; exemplaribus confirmatos adjecisse. Quod etiamsi non nominatim significârint, ex [r] Pamelio tamen, Ecclesiæ Brugensis Canonico, & sacræ Theologiæ licentiato, hoc licet conjicere, à quo postea Antuerpiensis Cyprianus edebatur.[s] Adnotat enim ille, *singula illa verba* (de quibus tu querebare) a Manutio in *Romana impressione* addita [*unam Cathedram constituit*] & [*unam cathedram esse*] & [*primatus Petro datur*] *in manuscripto codice Cambronensis Abbatiæ scripta esse, qui omnium quos habebat optimus exstitit*. quin etiam illa de [*Petri primatu*] *non in illo tantùm codice, sed in alio etiã manuscripto, quo usus est Cardinalis Hosius*. Cetera verò quæ ab ipso in Antuerpiensi sunt adjecta [*Qui cathedram Petri, super quã fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse cõfidit?*] adnotat, *in Cãbronensi ea quoq; codice reperiri, & à* [u] *Gratiano quoq; cõfirmari, qui eadẽ verba citat, & Cypriano ascribit*. Ex quibus intelligas, nõ ea Cypriani loca nos corrupisse, vel in Romana, vel in Antuerpiensi editione; correximus potiùs, quod corruperũt alii. Sed video a Poeta verissimè dici, *Nihil tam rectum est, quin malè narrando possit depravari.*

RAINOLD. Nec minùs quidẽ illud verè ab Oratoribus, *Nihil tã malè fit, quod non dicẽdo possit defendi. Papa Manutiũ evocavit, ut Patres emẽdatos ederet; quatuor Cardinales Operi præfecit; Cardinali Borromæo singulari fuit curæ Cyprianus; exemplaria perantiqua, homines pereruditi, exquisita diligentia adhibita.* Hoc est quod mihi rem suspectam magis reddit: *diligentia* illa nimiũ fuit *exquisita*. * Quũ Centurio quidã quẽ Scipio tribu movebat, quòd in pugna non affuerat, diceret se custodię causâ in castris mansisse; *Non amo* (respondet Scipio) *nimiũ diligentes*. Supra modũ diligenter à Centurione castra sunt custodita. Potuit Cardinalis tanta de Cypriano cura in idem vitium incurrere. Manutius [x] ipse scribit, *totũ munus suũ in libris Romæ excudendis ad Sedis Apostolicæ dignitatẽ pertinere*. Vereor autem, ne istâ *dignitate* eorũ perstricta plurimũ fuerit oculorũ acies, qui scriptos codices ad *Patres emendandos* pervolutarunt. Hoc verò apud animum Papa suum (ut [y] narrat Manutius) propositũ, deliberatũq; habuit, *ut sic emẽdarentur, nequa superesset labes, quæ imperitorũ animos, objectâ falsæ doctrinæ specie posset inficere*. Unde, si perpẽdatur quid [*falsa doctrina*] in *curia Romana* sonet, facile erit cõjicere, quo ab illis modo sint *emendati*. Maximè verò quòd nõ ostenderint, unde verba illa eruerint, de [*una cathedra,*] & [*primatus Petro datur,*] quod in more [z] aliis suas in autores novas animadversiones, castigationésve edẽtibus poni solet. Quod tamẽ ego nõ ut cõscii animi indiciũ sum cõdẽnaturus. Nã potest fieri, ut in uno, aut alio depravato codice ea invenerint. In nõnullis enim ejusmodi sunt versati, ut liquet ex Pamelio; qui variis in locis, & jure sanè, Romanum Cyprianum castigat. Verùm *Pamelius ea reperit in manuscripto Cambronensis Abbatiæ codice, manuscriptorum suorum omnium*, inquit, *optimo*; *ubi illa quoq; reperit, quæ apud Gratianum sunt de Petri cathedra non deserenda*; * *atq; adeò non fuit veritus ille, in textum Cypriani eadem inserere*. Audaciæ sanè suæ ea in re, majus, quàm prudentiæ, specimen præbebat. Nam, (ut videamus quàm valde libidini ratio fasces summiserit,) primùm, ut fuerit perquàm sanus

[q] Præfat. in opera Cypriani, ad Carol. Borrom. Card.

[r] Iacob. Pamelius, sacræ Theologię Licentiatus, Ecclesiæ Brugẽsis Canonicus.

[s] Annot. in Cypr. de unit. Eccles.

[t] Codex MS. Abbat. Cambronens. omnium optimus Pamel. in Codicum indiculo.

[u] Dist. 93. c. Qui cathedram.

* Cic. de oratore, lib. 2.

[x] Epist. l. 9. ad Iacob. Gorscium

[y] Manut. præfat. ad Pium quart. in lib. Cardinal. Poli de Concilio.

[z] Lovanienses Theol. in edit. Augustin. Morelius, Cypriani; Costerius, Ambrosii; Erasmus in Patrum editione passim.

* *Atq; adeo non sumus veriti in textum inserere.* Pam. annot. in Cypr. de unitate Eccles.

Cambronensis codex ; adversus tam multos tamen uni adhærescere, quos ipse, quos Morelius, quos alii qui excuderunt Cyprianum, versârât, vos ipsi insigni cuidam temeritati ascriberetis, nisi quod Papæ cōpendii aliquid faceret. Deinde, verisimile est, Cambronensem illū, qui hunc *Abbatiæ codicē* exaravit, in eo impensè versando occupatū fuisse, ut inde aliquid excresceret.[a] Illā enim de Apostolis Cypriani clausulā omisit[*pari consortio prædìti & honoris, & potestatis*;] & in horū verborū locū, [*Sed exordium ab unitate proficiscitur*,] ista substituit, [*Sed primatus Petro datur*.] Præterea, si non consultò verba perverteret; tamen illud poterat per errorem in textum invehere, quod alii in margine annotârant; aut si non ipse, at alius forsan quem is sequutus est, invexerat. Quod sæpenumero quidem in manuscriptis codicibus usu solet venire. Quemadmodū [b] Erasmus testatur *multùm depravata per has ineptias Augustini opera* se comperisse; aut si quid Erasmi judicio detrahas, [c] *Parisienses animadversores* illi hac in re, aliàs quidem ab illo dissentientes, astipulâtur.

HARTUS. Quaslibet idcirco tabulas tibi licet rejicere, si talibus conjecturis, divinationibúsq; te oblectes. Nā si ex quocunq; Patre sententia citetur aliqua, ac ea tuas aures suboffendat; dicere confestim potes, in margine annotatam fuisse, & eā imperitos quosdam scribas, ut aliàs in Augustino, in contextum retulisse.

RAINOLD. Non in Augustino modò, sed & in Cypriano, ut vester [d] Pamelius observavit; etiā in hoc ipso tractatu ejus de *Ecclesiæ unitate*. Verùm, an ratione aliquâ fretus dixerim, verba illa (de quibus nos agimus) in Cypriano ex marginali nota in contextū irrepere potuisse; eā litē homines æqui & moderati, perspectis & exploratis circunstantiis, disceptent. Codex ille manuscriptus, à [e] Pamelio ipso citatus, quo Cardinalis Hosius utebatur, id planissimè in præcipuis eorū convincit. In illo enim post *verba Christi ad Petrū* ex Matthęo prolata, ista verba interserūtur, [*Hic Petro primatus datur*.] Quę ab aliquo in margine adnotata esse adeò perspicuū est, ut neq; *Romana editio*, neq; *Antuerpiensis* possint ea ullo modo in Cypriani textū inferre, nisi voculā [*Hic*] aut immutando, aut omittendo : [f] altera eam in copulā [*Et*] convertit; [g] altera omisit. Cetera verò, de [*una Cathedra*] eodē furto irrepsisse, valde probabile est, licet nō tā facili ratione id possit expediri. Ultima verò de [*Petri cathedra non deserenda*] adjecta à Pamelio, videntur subitò in textum insiluisse, priusquā à margine sint conspecta. Non enim in *Cambronensi* tantùm *codice* scribūtur, sed leguntur quoq; apud Gratianū. Eáq; re Pamelius *se non veritū esse* ait, *ea in Cypriani textū inserere*. Enimvero egregiè brevi *Patres* corrigentur, si eos secundū Gratianū emendaveritis; qui Papæ dignitatis gratiâ, scripta Patrum petulanter valde, & impudenter adulteravit. Num ignoras tu quàm insigniter S. Augustinū vitiârit, [h] quē fingit dicentē, *Decretales epistolas* (quas appellatis) *inter Canonicas Scripturas connumerari*? Quanquam si non sic inquinârit etiam Cyprianum; at recentium vestrarum editionum castigationes lędit magis, quàm juvat. Nam ubi [i] locum illum integrum Cypriani commemorat, qui ab illis tot mutationibus perturbatus est; neq; illa habet [*Primatus Petro datur*,] neq; [*Christus unam cathedram constituit*,] neq; [*ut cathedra una monstretur*.] Quamobrem, si autoritas ejus posset eorum certitudinem præstare, quæ ab illo ex Patribus afferuntur; fidei vestræ detrahit magis, quàm consulit, in iis quæ in Cypriano immutastis.

HART. Quā clausulā Cypriano adjecit Pamelius, eā nō Gratiani, sed *Cābronēsis codicis* fide nixus adjecit; cui consentientem Gratianū approbavit; nequaquā verò quum ab eo dissentiret. Neq; Pamelio quicquā officit, illud potiùs *exemplar*, quàm Gratianum sequutum fuisse; quum Gratianus errârit quandoq; (quod fatemur) in Patribus citandis, quòd non tam illorum verba fortasse, quàm suas ex iis colle-

ctas

[a] Vt ostendit Pamel. annot. in Cyprian. de unit. Ecclesiæ.

[b] Præf. ad Archiep. Tolet. in opera Aug. *Quod lector inepitiens annotârat in margine sui codicis, scribæ retulerant in contextum.*

[c] Præfat. ad Lector. de edit. operū Augustini, 1571. Paris. apud Merlin. & Nivellium.

[d] Annot. in epist. 60. in tract. de unitat. Eccles.

[e] Annot. in Cypr. de unit. Eccles.

[f] Roman. *Et primatus Petro datur.*

[g] Antuerp. *Primatus Petro datur.*

[h] Dist. 19. c. in Canonicis. Ex Aug. de doctr. Chr. lib. 2. c. 8.

[i] 24. q. 1. cap. Loquitur.

ctas conjecturas describeret. Sed parva sunt ista, quæ tu in Romano Cypriano, aut Antuerpiensi, de hac aut illa correctiuncula litigandi voluntate insequeris; ut aliquam videare saltem præ te ferre causam, quare consensui *Patrum* in controversiis religionum recuses acquiescere.

RAINOLDVS. Adolescenti cuidam, quem ludentem aleis * Plato increpârat, dicenti, *Num me in re tam parva reprehendis? Res ipsa quidem parva*, respondet Plato, *at consuetudo res parva non est*. Ita parva possunt esse quæ in vestra Cypriani emendatione reprehendo; sed consuetudo ejusmodi emendationis res parva non est. Nam Gratianus (fatemini) quandoq; Patrum verba non describit, sed quæ ipse ex iis colligit. Quid si malè collegerit? Et utcunq; illud; quid si hîc ad sensum Cypriani collineârit? Quod fortasse; [k] disertè enim, & ad verbum, cum *Cambronensi codice* nequaquam convenit. Cambronensis verò ille quis est? aut unde? ut ejus solius fide talium errorum Pater Cyprianus crederetur? Quid si ad oras libri ex ingenio suo ea quidam affigerent, ut solent studiosi? Quid si imprudenter alii in contextum reciperent? Quid si homines zelo Ecclesiæ Romanæ conflagrantes adjicerent? Et quamobrem tandem non similiter prætermisit Pamelius illa de [*pari Apostolorum consortio honoris & potestatis*,] quum in *Cambronensi codice* deficerent; atq; addidit ista de [*Petri primatu & cathedra*,] quòd in *Cambronensi codice* cōparerent? Non illi suggerebat conscientia sua, codicem minimè integrum fuisse, aut certè parùm valentem ad urgendam loci tanti momenti mutationem adversus tot tùm manuscripta, tùm excusa exemplaria? Si alii *Licentiati*, non minùs quā Pamelius eruditi, freti non minùs emendato, quàm *Cambronensi* codice, id in universis Patribus, quod ille in Cypriano, sint ausuri, ut tales glossulas inspergant ad cetera vestra dogmata firmanda, quales istæ sunt ad *Cathedram*, & *primatum Petri* erigendum; maturissimè à nobis providendum est, quàm tutò controversias fidei disceptandas Patrum consensioni committamus. Quare, ut ut res istæ leves parvæq; habeantur, iis tamen inniti potest animarum nostrarum salus. Neque eas ego litigandi voluntate insequor, quas ut contentionis causas præ me feram; sed ut argumenta defensionis meæ profero, ut ex autoris vestri sententia nobis vobiscum disserendum esse videas, non Patrum consensu, sed solis Scripturis. Ille enim in quo tuam fundabas causam, Vincentius Lirinensis, *solis Scripturis* prædicat, *dilatas, & inveteratas hæreses esse convincendas; eò quòd prolixo temporum tractu longa illis furandæ veritatis patuerit occasio; & (manante latiùs veneno) Majorum volumina vitiare conantur*. Vester de *Papatu* dilatatus est, inveteratúsq; error; conati estis vitiare Patrum volumina; fraudes apertæ sunt in Cypriano, in Cyrillo, in Chalcedonensi Concilio: graviaq; sunt argumēta, non majoris in aliis, quàm in istis, modestiæ vestræ vestigia vos reliquisse. Nam si in iis Aquinas non fuerit honestior; quid de magis ambitiosis hominibus est credendum? Et si Manutius ita Cyprianum infecerit, in [l] quo sibi plurimum existimationis & gratiæ quærendum statuebat; quid [m] ejus decennales labores in ceteris imprimendis præstiterunt? Et si hoc Papistæ in luce excusorum librorum ausi sint; quid eos in manuscriptorum codicum tenebris molitos esse possumus suspicari? Et si Romana Antuerpiæ, Antuerpiensis [n] Parisiis, Parisiensis editio aliàs fortasse sequenda proponatur, & quo recentior, eo corruptior; & corruptissima quæq; à [o] Stapletoni similibus viris habeatur emendatissima, & testimonia illinc ut authentica arcessantur: quanto magis credendum est, quum in Monasteriis, & Abbatiis exemplaria trāscriberent, ipsos se invicem minori modestiâ, majoriq; incuriâ imitatos esse; & perrexisse adeò à bonis ad mala, à malis ad deteriora; seculiq; ejus autoribus ea maximè pla-

* Diog. Laert. de vit. philosoph. l. 3.

[k] Gratian. *In Ecclesia se esse non confidat.* Cambr. *In Ecclesia se esse confidit?*

[l] Præf. in opera Cypriani, ad Carol. Borrom. Cardinal

[m] Manut. ep. l. 10. ad Cardinal. Sirlet.

[n] Anno Dom. 1574. apud Seb. Nivelliū.

[o] Princ. doctr. l. 6. c. 7. & 15.

cuisse exemplaria, ut quæq; ipsorum causæ maximè commodarunt, & ex iis testimonia illos decerpsisse. Quare, ut aliquando totam hujus generis rationem concludam, atq; definiam, vel ex ipsius judicio, quem tute appellasti, Vincentii Lirinēsis, *in illo aureo libro adversus profanas omniū hereseωn novationes*; lapis Lydius ille, ad quem omnes controversiæ nostræ sunt examinandæ, verbum Dei est, non hominum; non Patrum consensus, sed sacra Scriptura, & quidem Scriptura sola. Quod tamen asseverare mihi liceat, non me, quicquam reveritum, dicere, ac si vobiscum universi Patres nostras partes oppugnarent; sed eò me conscientiâ inducente, quò dignam Deo gloriam, dignam Dei verbo reverentiam præstem. Nam tollantur de medio, deleanturq; istæ, de quibus loquutus sum, fraudes, & pręstigię; & quid demum ex cunctis Patribus, immo, quid ex quoquam Patrum ad prætensum Petri suprematum probandum affers?

SECTIO TERTIA.

HARTUS. Ab illis ipsis Patribus quorum verba objeci [p] priùs, eáq; quæ ipsorum esse germana confitentur omnes, non adulterina, is, quem tu prætensum vocas, suprematus Petro defertur. De illo enim ait S. [q] Hieronymus, *Tantæ autoritatis fuit Petrus, ut Paulus scripserit, Deinde post annos tres, &c.* Et S. [r] Augustinus affirmat, *Primatum Apostolorum in ipso Petro excellenti gratia præeminere.* Et à S. [s] Chrysostomo, *os Apostolorum, princeps & vertex ipsius cœtûs appellatur*; itemq; à [t] Theodoreto, *princeps Apostolorum; princeps*, quod nomen ei ab omni antiquitate ascribitur: quibus [*] adjicere possum ab [u] Epiphanio dici ὁ κορυφαιότατον τῶν ἀποστόλων, ac si diceres, *Celsissimum Apostolorum*; & rursus à S. [x] Augustino, *Caput eorũ, & Præsidentem, & primum*; quam præstantiam quoq; ex S. [y] Cypriano probat, qui *Dominum primùm Petrum elegisse* asserit; & S. [z] Hieronymus docet, *Petrum inter duodecim unum electum esse, ut Capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Plena sunt talium sermonum scripta Patrum, sed omnes huc referuntur. Ideoq; pauculi isti de tam multis delibati, satis perspicuum nobis eorum judicium reddent, & illustrabunt.

RAINOLDUS. Isti, hisq; finitimi sermones, qui ex Patribus afferuntur, tres prærogativas subinnuunt, quas illi Petro assignant; primam *autoritatis*; secundam *primatûs*; *principatûs* tertiam. Nulli verò horum omnium eum suprematum docent, cui vos *Petri* nomen prætenditis, & ipsum defertis *Papæ*. Nam per illum suprematum significatur Ecclesiasticæ, seu potiùs Papalis potestatis plenitudo; summa scilicet potestas Ecclesiæ per universum orbem terrarum administrandæ, in rebus omnibus, causisque doctrinæ, & disciplinæ, sicut [a] explicasti. Nonne ita est?

HARTUS. Ita est. Quid inde conficis?

RAINOLDUS. At nulli eorum qui ex Patribus citantur sermones hanc Petro potestatem tribuunt; prætensum igitur ejus suprematum non confirmant.

HARTUS. Eam illi tribuunt universi.

RAINOLDUS. Demonstrabo contrarium. Et ut ordine de tribus prærogativis loquar, quæ illi ab ipsis tribuuntur; prima illa ex Hieronymo, *Petrum fuisse magnæ autoritatis*, nihil est ad tuum institutum. Nam liquidum est, quùm *suprematus* summam potestatem denotet, in quæstione *potestatem*, non *autoritatem* sitam esse.

HARTUS. Quasi verò *potestas* & *autoritas* inter se tam multùm discreparent.

RAINOLDUS. Multùm certè. Nam *potestas* jus quoddam imperii, regimi-

[p] Cap. 4. sect. 3. ex Stap. princ. doct. l. 6. c. 13
[q] Epist. 11. ad Aug. inter ep. Augustini.
[r] De Baptism, cont. Donat. l. 2. c. 1.
[s] In Joh. homil. 87.
[t] In epist. ad Galat. c. 1.
[*] Stapl. princ. doct. l 6. c. 7. & Torrens. Confess. Augustin. l 1. c. 9. tit. 1. & 2.
[u] In Anchorat.
[x] Quæst. ex Nov. Test. q. 75. tract. 124. in Joh.
[y] Ep. ad Quintum, apud Aug. de bapt. cont. Donat. l. 2. c. 1.
[z] Advers. Jovin. l. 1.
[a] Cap. 1. sect. 2.

nisq; significat, quo præditi sunt in inferiores suos superiores, ad humanam societatem ritè moderandam; ut [b] *Principes* in subditos, [c] *Pastores* in greges, in servos [d] *Domini*, [e] *Mariti* in uxores. *Autoritas* verò, existimatio quædam est, & fides, bona de hominibus opinio concepta propter ea, quæ nos digna esse, ut à nobis æstimentur, arbitramur. Quare quos virtutis suæ, aut prudentiæ, aut conditionis causa, aut aliis de dotibus tanti æstimamus, ut eos tanquam *autores* nobis in actionibus, judiciis, factis, dictisve imitandos proponamus; illi multùm fidei & *autoritatis* apud nos habere dicuntur. Hoc verò vel inferior etiam apud superiorem potest obtinere. Unde [f] Achitophel consiliarius, in ea fuit apud Principem autoritate, ut *consilium ejus tanquam oraculum Dei* sit æstimatum; & [g] Gamalieli Pharisæo ea fuit apud Judæos *autoritas*, ut *summus Pontifex*, & universus conventus, ei assēsi sint, & quasi *obsequuti*. *Autoritas* igitur, quâ verba Hieronymi Petrum ornant, *potestatem* non probat, nedum *suprematum*.

b Rom.13.1.
c 2.Cor.13.10.
d Matth.8.9.
e 1.Cor.11.10
f 2.Sam.16.23
g Act.5.40.

Hartus. Sæpenumero tamen [*autoritas*] idem denotat, quod [*potestas*;] quēadmodum quum geratur aliquid jussu, præscriptóq; Magistratûs, dicere solemus id *autoritate factum esse*.

Rainoldus. Planè; quoniam *potestas* in illorum numero est, quæ *autoritatem* pariunt; eo major est autoritas, quo potestas meliùs exercetur. Quare *potestatem* ego, & *autoritatem* conjunxi, *quum inciderem in eum de *clavibus* sermonem, quas Petro dedit Christus. Sed etiamsi verborum sensum (1) figuratus loquendi modus confundat, quòd rerum ipsarum cognatio quædam sit & affinitas: tamen, quà res differunt, & eas verba, propriè loquendo, distincta exprimunt; manifestum est, *autoritatem* absq; *potestate* posse consistere, & hominem *potestate* inferiorem, superiorem esse posse *autoritate*. Quo modo [h] Cicero, quum *Senatoribus Romanis* narraret, *Autoritatem ab iis tribuendam esse Cæsari, ceterisq; adversus Antonium*; per *autoritatem*, legitimam potestatem & jus contra illum, ut adversus hostem, agendi significabat. Quum [i] aliàs tamen de quatuor rebus disserat, quibus Imperatorem instrui oporteat, *scientiâ rei militaris, virtute, autoritate, felicitate*; non legitimam potestatem per *autoritatem* intelligit, sed existimationem, ut honorificè de Imperatore tùm socii, tùm hostes existiment. Utriusq; verò vocis discrimen ostenderat, quum [k] diceret, *Metellum privatum* (etsi Consul designatus esset) *ludos quosdam* fieri vetuisse, quum à Magistratu approbarentur, *atq; id quod nōdum potestate poterat, obtinuisse autoritate*.

* Cap.2. sect.1
(1 Συλληψία ut à Grammaticis dicitur.)
h Philip.3.
i Pro Leg. Manil.
k In Pisonem.

Hartus Res ipsas quidem discriminari fateor. Veruntamen quum nomen *autoritatis*, tàm *potestatis* sensu, quàm *existimationis* quandoq; accipiatur; cur potiùs in Hieronymi verbis *existimationem* significaret, ut tu interpretaris, quàm ut ego, *potestatem*?

Rainoldus. Quoniam res ipsa quam inde infert Hieronymus, nequeat in *potestatem*, sed in *existimationē* quadrare; etiam vox ipsa ab illo expressa est, hánceq; ejus esse sententiam luculenter indicat. Ait enim *Paulum venisse Jerosolymam*, ut conferret cum *eis Evangelium, qui (1) videbantur aliquid esse*, intelligit verò Petrū, & alios Apostolos, illos ipsos quos [l] Paulus nominat, quorúmq; (sicut ipse exponit) existimationem denotat, *Jacobum, Petrum, & Johannem, qui videbantur columnæ esse*. Quamobrem, etiamsi duriusculè de Paulo loquatur Hieronymus, *non habiturum fuisse ipsum securitatem prædicādi Evangelii, nisi horum sententiâ fuisset probatum*; *autoritatem* tamen quam Petro ascribit, *aliis* pariter *Apostolis, Jacobo & Johanni* concedit; ideóq; *existimationis*, non *potestatis* prærogativam; non *suprematûs*, sed fidei & *opinionis*. Si enim per [*autoritatem*] supremam potestatem voluisset

(1) Ex Gal.2.2. Græc. τοῖς δοκοῦσι.
l Gal.2.9. οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι.

luisset definire; Jacobus & Johannes, eandem in Apostolos æquè atq; Petrus fuissent consequuti. Sed illos dicis pares ceteris fuisse potestate, & inferiores Petro. Non igitur Hieronymus, quum [*autoritatem*] Petri assereret, de suprematu cogitavit.

Hartus. Id verò *primatus Petri* luculentiùs docet, quæ proxima est prærogativa; quæ non ab Augustino solùm, sed à Cypriano quoque, ut ostendi, concessa est.

Rainold. Quorsum tu mihi Augustinum, Cyprianumq; objiceres? Num unquam primatum ejus inficiabar?

Hartus. Quid? Non tu eum inficiaris?

Rainoldus. Si inficier; feriar ego non obtuso humanorum verborū telo (jure enim sic, comparando, licet appellare,) sed ancipiti divini verbi gladio. [m] Scriptum est enim in Evangelio secundùm Matt. *Duodecim Apostolorum nomina sunt hæc; Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Quod si *primus* fuerit, etiam *primatum* obtinuit. Nam etsi patrio nostro idiomate, non ita sit dilucida ratio, quòd nō tam aptum nobis sit vocabulum derivatum à nostro Anglicano [*First*,] sicut *primatus* à [*primo*] Latinè derivatur; qui tamen non expertes sunt rationis, non negabunt, eum, qui *primus* sit *primatum* obtinere. Sed ejusmodi hic *primatus* est, qualē primus ille Inquisitorum apud nos in * Duodenaria inquisitione solet habere; nō primatus *potestatis*, ut in inferiores, sed primatus *ordinis*, ut inter æquales.

Hartus. *Primatus* iste *ordinis* speciosa quædam latebra est, quâ possis Matthæum evitare. Sed Augustinus, & Cyprianus hac arte vitari nequeunt. Verba enim ipsorum attestantur, majorem *primatum* eos respexisse; & quis tandem foret ille, nisi primatus *potestatis*? Quem quoniam (ut verisimile est) à Mattheo sunt edocti, inde ego conjicio, Matthæum *potestatis primatum*, ac non *ordinis* tantùm innuisse.

Rainol. Et verò quoniam Matthæus (ut veri quidem est similius) non *primatum potestatis* uni illic designatum putavit, [n] ubi eandem docet Christum omnibus Apostolis potestatem delegasse: ex eo ego colligo, *ordinis tantùm*, non *potestatis primatum* eum innuisse. At *Augustinus*, inquis, *& Cyprianus* majorem *primatum respexerunt*. Fortassis. Ergo *potestatis primatum*? Quàm non sequitur? Quinetiam manifestum est de *potestate* nihil eos cogitasse. [o] Augustinus enim illud firmat fundamento Cypriani: & [p] Cyprianus docet *Christum parem potestatem Apostolis omnibus concessisse*. Sed, quod res est, *vocationis primatum* spectârunt: videlicet, *Dominum primùm Petrum elegisse*, ut [q] apertè Cyprianus loquitur. An etiam hunc Matthæus respiceret, quū *Petrum primum* enumeraret; nequeo quid certi statuere. Sed, utcunq; fuerit, major *primatus* non est, quàm quem ego, per *Primum Inquisitorum*, tibi concessi: qui primus dicitur, quia primus citatur, atque ita eum cùm *ordinis*, tùm *vocationis* primatum habet, quem non habet *potestatis*.

Hartus. *Vocationis primatum*? quin satius fuisset illi *ordinis primatui* adhæsisse. Nam quidem certè *ordine primus* exsistebat Petrus: quem eum esse potuisse fateor, tametsi par *potestate* suis fratribus exstitisset. Verùm non erat *vocatione primus*. Ait enim [r] Ambrosius; *Andreas primus sequutus est Servatorem nostrum, ante Petrum; & tamen non Andreas primatum accepit, sed Petrus.* Et [s] Augustini verba [*primatus Apostolorum in ipso Petro cum excellenti gratia præeminet*,] perspicuè indicant *primatum* ab eo intelligi non *vocationis*, sed *eminentiæ*.

Rainoldus. Ais *Petrum vocationis primatum non assequutum fuisse: nam ita dicit Ambrosius*. Quid autem si responderem, *vocationis primatum assequutum*

[m] Mat.10.2.

* De ista Duodenaria inquisitione, sive Duodecimviratu, consule Polydor. Virg. & Gul. Cambden. in sua Britann.

[n] Matth. 10.5.

[o] De baptismo cont. Don. l.2. cap.1.

[p] De unit. Ecclef.

[q] Epist.71. ad Quintum.

[r] Comment. in 2. epist. ad Corinthios, cap.12.

[s] De baptism. contr. Donat. l.2. c.1.

fuisse: nam ita dicit Cyprianus. Aut, ut Cypriano consulam, (si parum apud te fidei habeat,) *nam ita dicit* [t] *Gregorius; Petrus primus fuit in Apostolatum vocatus*. Sed nihil illi ab Ambrosio dissentiunt opinione, si singula eorum verba examinentur. Ambrosius enim ait, *Andream primùm sequutum esse Christum*: & aiunt illi, *Petrũ primùm à Christo vocatum fuisse*. Veritas utriusq; ex Scripturis constat. Nam [u] *Andreas Christum sequebatur*, priusquam à Petro cognosceretur: & *Petrum* ad Christum *adduxit*. At [x] Christus Petrum alloquebatur: *Tu vocaberis Cephas*, (quibus verbis Apostolatum illi designabat) priusquam de Apostolatu Andreę quicquam innuisset. Atq; hoc sensu [y] Ambrosius ipse alibi videtur sententiam suam explicare, de Petro prædicans, *eum primum inter Apostolos fuisse, cui Salvator delegaverat curam Ecclesiarum*. Quare *Petro primatum* hujus ad *Apostolatum* vocationis designat: etiamsi *primatum* discipulatûs (ut ita loquar,) *Christum* scilicet primùm *sequendi*, Andreæ ascribat. Ad Augustini autem verba, *quibus* ais *perspicuè indicari, primatum non vocationis, sed eminentiæ ab eo intelligi*: dixisses potiùs ea ad utriusq; vocationis juxtà, & eminentiæ, primatum ab Augustino esse relata. Nam extra controversiam in iis *vocationis primatum* spectabat. Verũ amici tui, qui discerpunt dicta Patrum, offundunt tibi tenebras, ut ea non possis agnoscere. Nam ut à [z] Stapletono exsecta sunt priora * verba Ambrosii, ut solus is Petrus putaretur, non *primus* modò, *cui Ecclesiarum cura sit delegata*: ita [a] Torrensis posteriora Augustini abscidit, ut *primatus Petri, potestatis primatus*, non *vocationis*; aut, si vocationis, potestatis etiam haberetur. *Primatus Apostolorum in ipso Petro cum excellenti gratia præeminet*: hæc Torrensis ex Augustino. Et hæc quidem verba sunt [b] Augustini. Sed affirmant illa porrò; *Petrum Apostolum in quo gratia illa & primatus adeò præeminent, à posteriore Apostolo Paulo esse correctum*. Ubi quum Paulum (*posteriorem Apostolum*) nominat, ut designatum Apostolum tempore Petro posteriorem: declarat satis ex parte alterà, se per [*primatum*] sensisse, Petrum priorem Paulo tempore Apostolum electum esse. Quemadmodum de *præcipuis Apostolis* fatur [c] Ambrosius; *Paulo illos non dignitate, sed tempore priores exstitisse*. Et [d] Cyprianus (quem citat, sequiturq; Augustinus) idẽ verbum [* *Primatus*] eodem sensu, de eo nempe qui *tempore prior* est, usurpat. Non igitur *suprematum* vestrum Patres roborant, dum *primatûs* quandam Petro cedunt prærogativam.

HARTUS. Non valet, opinor, nuda jejunáq; vox *Primatûs*, satis ad eum confirmandum. Verùm ea voce nonnulli *suprematum* significârunt. Et sanè, *cum excellenti gratia præeminere*, quod Augustinus Petro tribuit, majoris cujusdam *primatûs* indicium est, quàm aut *ordinis*, aut *vocationis*, aut *temporis*: quãquam ne ista quidem excludantur.

RAINOLDUS. Est fateor. Et id incluseram ego illa tertia prærogativa, qua à Patribus auctus est: nempe *principatu*. Nam quum *primatum*, & *eminentiam* ejus *cum excellenti gratia* [e] Augustinus conjunxisset, uno utcumq; nomine appellat, *principatum Apostolatûs*. Quem si qui per *Primatûs* nomen voluerint, sicut fortassis voluerunt: iis licebat id certè; quòd sępius à proprio & genuino significatu *primatûs ordinis*, ad significãdum *primatum conditionis* traducatur. Qùum igitur dicat [f] Augustinus; *Petrum naturâ fuisse unum hominem, gratiâ unum Christianum, abundantiori gratiâ unum Apostolum Christi, etiam primum Apostolum*: per *primum Apostolum* voluit *principem Apostolum*; & *principatum* per *primatum*. Sed iste *principatus Apostolatûs*, hæc *eminentia primatûs cum adeò excellenti et abundanti gratia*, non ad vestrum *suprematum* propiùs, quàm ille *ordinis primatus* accedit. Nam aliud est *gratiâ principem* esse, aliud *potestate*.

[t] In Ezekielem homil. 18.

[u] Ioh. 1. v. 40.

[x] Ioh. 1. v. 42.

[y] Ambros. comment. in epist. ad Gal. cap. 1.

[z] Princ. doctr. l 6. c. 13.

* *Quia primus erat inter Apostolos*. Atq; ita Ambrosio illa dicenda relinquit, *æquum fuisse ut Paulus cuperet videre Petrum, cui Salvator delegaverat curam Ecclesiarum*. Quasi illi soli, non autem reliquis Apostolis.

[a] Confess. August. l. 1. c. 9. tit. 1.

[b] De baptism. contr. Donat. l. 2. c. 1.

[c] Comment. in 2. epist. ad Cor. c. 12.

[d] Epist. 71. ad Quintum.

* *Ut diceret se primatum tenere; & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs oportere.*

[e] De baptism. cont. Donat. l. 2. c. 1.

[f] In Iohannẽ tractat. 124.

HARTVS. Et non tibi magna *gratia* videtur, *præcellere poteſtate?*

RAINOLDVS. Uti dicis: maxima, quam Papæ veſtri longo jam tempore quæſiverunt. Eſt tamen diſcrimen inter *gratiam*, & *poteſtatem*: quod [g] Juriſconſulti Pontificii optimè obſervârunt, ut decebat. Nam plurimi *Tractatorum pleniori gratiâ ſancti Spiritus nonnullis Pontificum præcelluerunt*, inquit Gratianus: *in cauſis tamen definiendis & negotiis, ſcripta Tractatorum poſt eos locum merentur*. Quamobrem? Quoniam *Papæ ſunt ipſis poteſtate ſuperiores*. Quid autem Doctores commemoro? quum vel infimi ordinis Chriſtiani Pontifici *gratiâ* poſſint antecellere, quod Cardinalis [h] Turrecremata confitetur. Qui, quum illam inter Papam & Eccleſiam quæſtionem ventilaret, *uter major eſſet*, poſtquam rationem adverſariorũ oppoſuiſſet, *Eccleſiam majorem eſſe, quoniam corpus eſt, Papa verò ejus membrum: & totum neceſſe eſt majus eſſe parte*: ei ſic occurrit; *non quæri, utrum Eccleſia major ſit Papâ ſimpliciter, videlicet, perfectione gratiæ, & amplitudine virtutum*; quoniam etiam una vetula poteſt eſſe hoc modo *perfectior ipſo Papâ*; *ſed poteſtate juriſdictionis*. Quare ſi ſuprematus Papæ in *juriſdictionis poteſtate* conſiſtat, & poſſit vetula eſſe *gratiâ* ipſo major: poterat *cum excellenti gratiâ* præeminere Petrus, ut affirmat Auguſtinus; nec tamen *poteſtatis ſuprematu* excellere, quod tu inde concludis. Eripiendus eſt alioquin *ſuprematus* Petro, & *beatæ virgini* concedendus: niſi negare velis eam Petro gratiâ anteiviſſe.

[g] Diſtinct. 20, c. Decretales.

[h] In ſumma de Eccleſ. lib. 2. cap. 82.

HARTVS. Non negabo. Neq; ego in animo habueram *ſuprematum* ex *eminentiâ* tantùm *gratiæ*, quæ Petro inerat, arguere: ſed ex tam *excellentis gratiæ eminentiâ* cum *primatu* concurrentis. Quibus, quoniam iſtis privilegiis (ab Auguſtino aſcriptis) id non probari putas, titulus ille *principis Apoſtolorum*, quem * omnis illi defert antiquitas, pondus viréſq; eſt additurus.

RAINOLDVS. *Quem omnis illi defert antiquitas?* In nimiam hyperbolen erupit hic ſermo. Præterea ex illis (1) quidam qui Petro deferunt, & Paulo etiam detulerunt. Sed finge detuliſſe *omnem*: & *illi* ſoli detuliſſe. Quid iſto titulo infertur amplius, quàm quod ego priùs dederam? Nónne enim illum *principem Apoſtolorum* eſſe neceſſe eſt, cui *principatus Apoſtolatûs* conceditur? Et verò, ſi *Apoſtolatûs principatus* ſuprematum veſtrum non inferat; num ſupremum Caput per *principem Apoſtolorum* poſſis invehere? Sed nomine fortaſſe *principis* ipſi decepti eſtis, aut alios ſanè decipitis. Nos enim vernaculâ linguâ illud ad ſupremam quandam regiminis poteſtatem declarandam uſurpamus; ut [i] *principes* Judæ, [k] *principes Iſraelis*, [l] *principes Gentium*, in Scripturis nominantur: quum Patres (Latinæ conſuetudini loquendi addicti) pro *præcipuo*, aut *maximè excellente* uterentur; ut Plato *princeps* vocatur *Philoſophorum*. Ut Plato, inquit [m] Hieronymus, *fuit princeps Philoſophorum: ita Petrus fuit Apoſtolorum*. Quare hoc ſolum potes ex eo efficere, Petrum inter Apoſtolos gratiâ, doníſq; gratiæ excelluiſſe: ut eminuit Plato inter Philoſophos ingenio, ingeniíq; dotibus. In quâ concluſione (quò videre meliùs queas quid Petro attribuam, idemq; rejicere ſi diſpliceat) ex *donis gratiæ*, omnes gratias intelligo, quibus eum Deus honoravit. Quòd autem *donis iis excelluiſſe* dixerim; excelluiſſe interpretor, non univerſos Apoſtolos in univerſis: ſed in uno aliquo, aut altero, Apoſtolorũ ſingulos. Johannes enim, *diſcipulus ille quem dilexit Dominus*, qui diviniſſimè ſcripſit *Evangelium, In principio erat verbum*, cui per Apocalypſin *futura innotuerunt*, quiq; ea per Spiritum prophetiæ exaravit: Johannes Petrum multis donis gratiæ, ut ſcribit [n] Hieronymus, excelluit. Paulus verò ampliùs eum præcipuis donis excellebat: adeò ut [o] Auguſtinus, qui Petro *excellentem gratiam* attribuit, *excellentiſſimam* [p] aſcribat Paulo; dicatq; *eum majorem*

* Vt Rhemenſes affirmant in argum. ep. Petri, ex eo concludentes, Chriſtum illũ vicarium ſuum conſtituiſſe.

(1) Prudentius περὶ στεφάν. hymn. 2, *Duo Apoſtolorum principes*. Quod Rhemenſes quoq; annotant in ſuis poſt Acta Apoſt. tabulis: minimè ſecum cogitantes ex illorum ſententia duos Chriſto eſſe oportere vicarios.

[i] Ier. 26. 10.
[k] Ezek: 45. 9.
[l] Matt. 20. 25.
[m] Adverſus Pelagianos. l. 1

[n] Adverſus Iovinian. l. 1.
[o] De baptiſm. contr. Donat. lib. 2. cap. 1.
[p] In Pſal. 130.

gratiam

gratiam accepisse, et plùs quàm omnes Apostolos laborasse, ideoq; [q] *Apostolum vocari per excellentiam.*Petrus autem contrà, Paulum excellebat *primatu*, quòd primus fuerit electus;& Johannem *ætate*,quòd fuerit *ætate senior*,quo nomine prælatus ei fuit ([r] Hieronymi sententiâ,) ut *princeps* esset *Apostolorum*.Hæc ea sunt, quæ Hieronymus,aliiq; *Patres*,per *principatum* Petri voluerunt: modò ipsis per te liceat seipsos interpretari. Noluerunt eum *principem Apostolorum* dicere,quomodo gestit Papa *princeps* esse *Episcoporum*.

HARTVS. Voluerunt illum *Os* dicere,& *Verticem*,*Celsissimum*,*Præsidentem*,& *Caput Apostolorum*.Ista enim,ut ostendi,ipsorum verba sunt,quibus eminentia *regiminis*,non *gratiæ* tantùm probatur.

RAINOLDVS. Ista certè ab eo quod in quæstione versatur propiùs absunt,quòd *regiminis* rationẽ attingant:saltẽ ex iis nonnulla.Quædã enim, ut [s] *Celsissimus*,forsitan etiam & *Vertex*, videntur potiùs de *eminentia gratiæ*, quàm *regiminis* dicta esse.Verùm si ad utrumq; referre volueris, nihil interest. Nihil enim amplius quàm cetera indicant. Et cetera quidem indicant,etsi eminentiam, quantulacũq; sit illa,regiminis:nullam tamen,si cum vestro suprematu conferatur.Quod constat planè ex eo de quo convenimus, [t] quũ de praxi autoritatis Petri in Actis Apostolorum contenderemus.Nam,quum illum concederem esse tanquam **Oratorem* in Imperii nostri Comitiis,aut Præsidentem curiæ in Comitiis Galliæ, magnumq; discrimen(ex [u] quodam vestro Jurisconsulto)exponerem, inter hanc eminentiã, & suprematum illum quem vendicatis:rejecisti Jurisconsultum, vel ut ignorantẽ, vel ut minimè fidelem;istámq; eminentiã,ut suprematum illum non designantem repudiasti: quòd non summa potestate munita sit,immo potestate,totius conventûs corpore sit inferior, quo tamen superior est quadam honoris prærogativâ. Hanc verò unicam eminentiam præstantiamq; assignant Petro tituli illi *Oris*,*Capitis*,*Præsidentis Apostolorum*. Quamobrem manifestum est, illis titulis Papalem vestrum ei suprematum non attribui.

HARTVS. Quas tu affers similitudines,faciunt illæ, ut probabiliter quis conjicere possit,ex ceteris quædam talem aliquã *eminentiã regiminis*(quâ de loqueris) absq; *potestatis excellentiâ* potuisse denotare.Verũ *Capitis* titulus multò fortior validiorq; est.Non enim apud nos *Orator* dicitur *Caput comitiorum*: illud nomẽ Principi soli reservatur.

RAINOLDVS. Atqui tamen [x] Præsidens curiæ in Comitiis Galliȩ,*Caput curiæ* vocatur:&Augustinus(seu potiùs [y] ille quem nomine Augustini objecisti)*per Præpositum*,*Caput* exponit:& *Capitis* nomen([z] ut ex Scripturis evici) ad quandã in aliis rebus,non potestatis tantùm,(multò minùs Regiæ potestatis)eminentiã significãdã usurpatur.quȩ igitur affertur ratio,quò minùs Hieronymus,quũ Petrũ *Caput esse præpositũ* dicat,eminentiã illã nõ Principis,sed Oratoris possit respicere?Nos Angli nõ nomẽ *Capitis Oratori* concedimus.Verũ.Neq;*Principi* quidẽ nomẽ *Oratoris*. At utroq; Petrus insignitur.*Os* enim,& *Caput Apostolorum* dicitur.Si non altero ad mediocritatem Oratoriȩ functionis dejiciatur,cur eveheretur altero ad fastigium Regii principatûs?

HARTVS. Ipsâ Hieronymi * ratione ostenditur, illum,Regium potiùs principatũ spectasse. Ait enim,*Petrum electum esse,unũ inter duodecim*, *ut*,*Capite constituto,schismatis tollatur occasio*.Et quo quæso modo occasio schismatis tolli poterit, nisi unus aliquis summâ potestate ad omnes regendos moderandosq; augeatur?

RAINOLD. Quid?Nõ tu putas Galliã in Curiis Parlamẽti *Præsidentes* cõstituisse, quò commodiùs omnia expedirentur,& litiũ occasio omnis tolleretur? Quid? In libe-

[q] *Apostolus*, Augustin cõtra duas Epist. Pelagianorũ. lib.3.cap.3.
[r] Hieron. adversus Iovinianum l.1. *Ærati delatum est quia Petrus ærat senior.*
[s] ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων.
[t] C.4.Sect.1.
* προήγορος. ut appellatur Petrus ab Eusebio hist. Eccle.lib.2.c.14.
[u] Franc.Duar. de sacris eccl. minist. ac benef.l.3.c.2.
[x] Quod priùs declaratũ est ex Duareno, qui de curia illa dicit; *Cujus curiæ caput esse præses dicitur.*
[y] Autor quȩst. ex Nov.Testa. quæst.75.
[z] C.1.Sect.2.
* Hæc est ratio illa Hieronymi,atq; locus, unde Sixtus Senensis colligit Petri regiam potestatem;de quâ ante dictum est,Cap.2. Sect.3.

liberis Rebuspublicis, quę communi potestate administrãtur, non ab (1) *uno Principe*, sed ab (2) *optimis viris*, aut ab (3) *universo populo*; Nónne ab ipsis edita monumẽta annaliũ referunt, unũ aliquẽ eminuisse, (ut Romę [a] *Consulem*; [b] *Præsidem* Athenis,) quãquã potestas summa multorũ fuerat, qui pari inter se autoritate potestatéq; fuerũt? Nõne verò hunc illi unũ præposuerũt, ut Principẽ & Caput suæ societatis, ut omnis cõtẽtionũ occasio tolleretur? Nõ secus Petro cõtigit inter Apostolos in Ecclesiâ administrandâ: cujus statũ si cũ Rerũpublicarũ statu cõparemus, *Aristocratiã*, nõ *Monarchiã* fuisse, ut appellant Philosophi, reperiemus, non à Petro ut *Principe*, sed ab *Apostolis* ut *optimis viris*, cõmunibus suffragiis administratã. Ceterùm, ut in omni conventu, in quo multi de rebus administrandis consulturi congregãtur, unũ necesse est, ordinis cõcordię́q; causâ exsistere, qui exordiatur, qui definiat, qui omniũ actionibus moderetur: ita ea inter Apostolos Petro prerogativa fuit delegata, ut omnia ordine, trãquilleq; conficerentur. Atq; de hoc Hieronymũ *primatu* loquutũ esse, luculẽtus sui ipse interpres est, [c] eodẽ ipso loco quo id attingit. Nã adversarii objectione propositâ; *At dicis super Petrũ fundatã Ecclesiã*: subjicit; *Licet id ipsũ alio loco super omnes Apostolos fiat, et cũcti claves regni cœlorũ accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamẽ propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite cõstituto schismatis tollatur occasio.* Cujus prior sentẽtię pars ostẽdit, per nomen *Capitis* in alterâ parte usurpatum, non potuisse Hieronymũ intelligere, Petro *summam* in Apostolos *potestatem* datam esse. Omnem enim Petri potestatẽ *claves*, quas ei promisit Christus, & illa super ipsum *Ecclesiæ structura* complectuntur. Sed *omnes Apostoli claves accipiunt*, Hieronymi judicio, & *super omnes ex æquo Ecclesia ædificatur*. Quare, Hieronymi judicio, non fuit Apostolis Petrus potestate superior. Si non potestate, & tamen in parte aliquâ regiminis; qua tandẽ, nisi eminentiâ illâ quam adjeci? Hieronymus igitur, quum diceret, *Petrum Caput præpositũ esse omnibus Apostolis*, eam eminentiam illi inter Apostolos datam significabat, non quendã supra illos summum principatum.

HARTUS. Verba Hieronymi, paulo largiùs, prolixiúsq; de Apostolis efferuntur, quũ affirmat, *Ecclesiã super eos ex æquo ædificari*. Et, queãdmodum à [d] Stapletono scitè observatur, distinctio de his *quæ à Patribus dogmaticè, et quæ cõtentiosè scribuntur*, in illis locũ habet. Istic enim, quũ adversus Jovinianũ disserat, qui objecit (contra cœlibatus honorem) *Christum Petrum, maritum ceteris prætulisse*; elevat, extenuátq; Petri autoritatẽ, (quantùm per veritatem licuit,) ceteros illi pares Apostolatu fingens, etsi planissimè tamen ceterorum Caput illum fuisse affirmet.

RAIN. Multa quidẽ Hieronymus adversus Jovinianũ contentiosè magis scripsit, quàm dogmaticè, ut conjugium dedecoraret. Adeóq;, [e] quũ ab aliis ea de causa est reprehensus, excusat se hoc modo; *contendisse se potius quàm docuisse*: & [f] Pammachius, multæ eruditionis generosus, ejus necessarius, revocabat exemplaria, eáq; celari cupiebat, donec ab ipso fuissent castigata. Verùm, neq; hic locus ita vel ab illis est reprehensus, vel ab ipso excusatus, quantũ quidem ex *Apologia* ejus possimus assequi: neq; quidem notandus est, quasi fervorem animi magis proderet, quàm saperet veritatem; cujus totius sententia à Scriptura non est aliena. Quin Stapletonus, qui istius distinctionis integumento rem omnem involvit, re quidem ipsâ hoc insciens confitetur. Nam ait *Hieronymum extenuare (quantùm per veritatem licuit) Petri autoritatem.* Ex quo efficitur, non à veritate absonum esse asserere (quod asserit Hieronymus,) *omnes Apostolos parem cum Petro potestatem habuisse.* Quare nomen *Capitis*, quod eodem quasi oris spiritu ei Hieronymus ascribit, supremam in Apostolos potestatem nequit ullâ ratione confirmare. Nisi ve-

(1) μοναρχία (2) ἀριστοκρατία. (3) δημοκρατία.

[a] *Utrique consules suo mense.* Suetonius in Iulio cap. 20.

[b] πρόεδροι, *sua quisque hebdomade: suo quisque die* ἐπιστάτης. Liban. argument. orat. Demost. in Androtion.

[c] Hieronym. adversus Iovinian. l. 1. c. 14.

[d] Princ. doctr. lib. 6. cap. 7.

[e] Hier. in apol ad Pammach. pro libris adversus Iovin.

[f] Hieron. in epist. ad Pamm.

lis eum fingere tam absurdum, & vertiginosum, ut diceret; *Etiamsi nulli Apostolorum aliis praeessent, sed omnes parem inter se potestatem haberent; tamen erat unus ceteris potestate superior, & principatum summum in ceteros est assequutus.*

HARTUS. Macte. Utcunq; tu Hieronymi verba interpretare; disertis verbis ille id affirmat quod tu negabas, ideóq; noster est, vobísq; adversatur.

RAINOLDUS. Qua in re? Aut qua ratione istud?

HARTUS. Negasti Petrum *Caput fuisse Apostolorum*; *fuisse* Hieronymus asseverat. P*etrus non fuit Caput*, &, *Petrus fuit Caput*. Nónne illius verbis tua ex diametro opponuntur?

RAINOLDUS. Non magis, quàm Johannis verbis verba Christi. Christus de Johanne Baptista dixit; [g] *Hic est Elias*: Johannes Baptista de seipso dixit; [h] *Non sum Elias*. Johannes Baptista *est Elias*, & Johannes Baptista *non est Elias*. Nónne verbis Johannis verba Christi ex diametro opponuntur?

[g] Mat.11.14.
[h] Ioh.1.21.

HARTUS. Minimè verò. Aliud enim Christus, aliud verò Johannes Baptista intellexit. Christus Eliam eum spiritu fuisse, ut qui [i] cum *spiritu & virtute Eliæ* veniret; Johannes Baptista autem, non fuisse se personâ Eliam, quod Pharisæi sciscitantes spectabant.

[i] Luc.1.17.

RAINOLDUS. Rectè respondisti. Similiter Hieronymus aliud, ego verò aliud intellexi. Hieronymus eum *Caput* fuisse quadam regiminis eminentiâ, ut qui actionibus in cōvētibus Apostolorū moderaretur; ego, nō fuisse *Caput* potestatis suprematu, quod Papistæ spectant. Atq; ita, ne plura consecter, perspicias licet, Patres, quos pro Petro affers, alios ei autoritatis, alios primatûs, alios principatûs, neminē verò vestri suprematûs prærogativā cōcedere. Suprematus enim vester in potestate positus est, & illi *parem* Petro cum ceteris potestatem ascribunt.

HARTUS *Parem potestatem*, fateor, respectu *Apostolatûs*; non autem *pastoralis functionis*. In ea enim perinde Petrus illis præfuerat, ut Papa præest Episcopis. Atq; hoc sensu [k] verba Cypriani, Hieronymi, Chrysostomi, aliorúmq; Patrum explicamus, qui *parem Apostolis cum* Petro *potestatem tribuunt*.

[k] Stapl. princ. li.6.c.7. & 14. &c.

RAINOL. Etiā adhuc crābem istā apponis? Argumentis [l] pridē effeci, *Petri pastoralem functionē*, & *Apostolatū* ejus, prorsus idem esse; ideóq; si pares ipsi fuerint *Apostolatu*, etiā *pastorali functione* pares fuisse. Verùm, si nulla tibi ratio alia os sit occlusura, Papæ te hîc autoritas elinguē reddat. Nā in Cypriano, ab ipso Romæ edito, considerandū esse [m] annotat, *ubi Cyprianus ait, reliquos Apostolos parem potestatē cū Petro habuisse, ut intelligatur de æqualitate Apostolatûs, qui cum Apostolis morientibus cessavit, nec ad Episcopos transiit*. Cujus scopus, institutúq; annotationis, differētiā *Episcoporum*, & *Apostolorum* nobis subministrat; non eosdem *Episcopos* respectu *Papæ* esse, qui fuerūt *Apostoli* respectu *Petri*. Quod quidem perstringit opinionem vestram, quæ *Apostolos* Petro subjicit, ut P*apæ Episcopos*.

[l] Cap.3.sect.1.
[m] Annot. in Cyprian. excusum Romæ à Paulo Manutio.

HART. Omnino te latet, cujus illa annotatio in *Romano Cypriano* fuerit; nullius enim nomen appâret. Verùm, si aut eam Papa excogitârit, aut judicio suo eam ab alio excogitatam comprobârit, cui illud negotium commiserat; suam ille (ut privatus Doctor) opinionem edidit, quam qui volent, sequantur. Ista verò mea est, quā exhibui, opinio, & isti consto.

RAINOLD. Placet mihi valde, à Papa te in re una saltē, discedere. Deus tibi etiā in ceteris annuat, ut nō in hac solâ, sed in multis etiā aliis ab illo discedas. Quanquā, sive is, sive alii annotationem illam adjecerint; majori eam cum autoritate & privilegio ediderunt, quàm cujusvis *privati Doctoris* cōmentū. Neq; verisimile est illos Apostolis id concessuros fuisse, nisi ex iis veritas ipsa expressisset. Tua verò, Har-

te, justitia, si non excedat, at adæquet, quæso, justitiam Scribarum & Pharisæorum; & huic cedas conclusioni, quæ ex disputatione nostra conflatur; *Petrum non fuisse*, eo quo vos sensu accipitis, *Caput Apostolorum*.

HARTUS. Tu ipse per me ita solus concluseris. Ego enim profiteor, me neq; credere illud, neq; illud tibi velle assentiri.

CAP. 6.

Duo præcipua fundamenta, quibus suprematus à Papa occupatus innititur. Prius, unum esse oportere in terris supra omnes Episcopum. 1. Quoniam Christus dixit; Unus erit grex, & unus Pastor. 2. *Et apud Judæos, unus erat* Judex, *& summus Sacerdos. Posterius, Papam esse illum unum Episcopum. 3. Quoniam Petrus erat Romanus Episcopus (ut quidam ferunt.) 4. Et Papa succedit Petro. Utrumq; examinatur, & in cõfirmatione Pontificii suprematus deficere convincitur.*

SECTIO PRIMA.



RAINOLD. [a] *A suis igitur filiis justificata* acquiescat oportet *sapientia*. Quanquam ita cor tuum convertere, & immutare valet Dominus, ut sicut in Evangelio, [b] ille qui negabat *se in vineam abiturum, pòst resipuit*, & abiit: perinde tu possis, re accuratiùs deliberata, huic assentiri, cui velle te assentiri negas. Et tamen, si daremus vobis vestram illam de Petri suprematu opinionem veram esse, jus Pontificii suprematûs, in quo causa vertitur, & quod inde vos assumitis, inde omnino non probatur. Fingamus enim Petrum Caput fuisse Apostolorum. Unde isthinc consequitur, *Pontificem Romanum* totius Christi Ecclesiæ Caput esse?

a Matt. 11. 19.
b Mat. 21. 29.

HARTUS. Ex * alterâ parte rationis meę id consequitur: *Petro Romanus Pontifex succedit eâdem potestate in Episcopos, qua fuit ille in Apostolos*. Nam si Petri in Apostolos potestas per universum ovium agnorúmq; gregem se propagabat; eadem igitur successoris ejus in Episcopos potestas simillimâ ratione per eundem gregem, itáq; per totam Christi Ecclesiam, propagetur est necesse.

* C. 1. Sect. 2. & c. 2. Sect. 1.

RAINOLDUS. At quo tu argumento doces *Romanum Episcopum* in Petri succedere potestatem?

HARTUS. Quoniam quæ Petro commissa est potestas, non erat cum Petro commoritura. Indignum enim hoc bonitate sapientiáq; Christi exstitisset, cujus intererat Ecclesiæ suæ in finem usq; seculi consulere; quod ipsum fecisse [c] S. Augustinus affirmat. *Non te putes*, inquit Ecclesiam alloquens, *desertam, quia non vides* Petrum, *quia non vides* Paulum, *quia non vides illos per quos nata es: de prole tuâ tibi crevit paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filii.*

c In Psal. 44.

RAINOLDUS. Ecclesiæ suę per Christi Servatoris nostri bonitatem & sapientiam, S. [d] Paulo testante, consultum est, *Pastores dando & Doctores: Pastores & Doctores*; non unum universæ; sed multos singulis Ecclesiæ suæ partibus. Illi enim, quos delegit Christus, ut in ordinario gregem ipsius pascendi munere ei inservirent, populum ejus erudientes, eundémq; ad finem usq; seculi in via vitæ dirigentes; nominantur in Scripturis quandoq; [e] *Presbyteri*, ab ætate; quandoq; [f] *Episcopi*, ab officio. Atq; ita per Spiritum suum & verbum

d Eph. 4. 11.
e πρεσβύτεροι Act. 20. 17. & 1. Pet. 5. 1.
f ἐπίσκοποι Act. 20. 28. ἐπισκοποῦντες 1. Pet. 5. 2.

edixit;

edixit; ut [g] isti in *singulis Ecclesiis*, per *singulas civitates* constituantur. Hoc scilicet voluerat B. Augustinus, quũ diceret, *non desertam esse Ecclesiã, licet ipsa nõ videat Apostolos: quũ et pro Apostolis cõstituti sint Episcopi*. Nã [* *Patrũ*] nomine intellexit Apostolos, & [*filiorũ*] Episcopos: *pro patribus tuis nati sunt tibi filii*. Quod tuo qui deserviat instituto, nõ video. Nisi velis fortasse (in illis *filiis*) Romanum Pontificẽ, ut natu maximum, heredẽ constitui; aliarúmq; civitatũ Episcopos, tanquam fratres ætate minores, excipi. Nequaquam verò hoc S. Augustinus.

Hartus. Confirmatum est ex Augustino, Servatorem Christum Ecclesiæ suæ consuluisse. Quod quidem fateor illum, singulos *Pastores* singulis gregibus præponendo, præstitisse; ita tamen, ut omnium curam uni supremo Pastori commiserit, qui Pontifex est Romanus.

Rainoldus. Hoc te dicentem audio. Mallem autem audire; *Hoc dicit Dominus*.

Hartus. Audies. [h] *Futurũ dicit Dominus, ut sit unus grex & unus Pastor*, vel (ut nos reddimus) *unũ ovile atq; unus Pastor*. * Unde hanc conficio rationem. *Pastor* significat ordinariũ rectorẽ ovium, & sine quo ovile non est: quare manente *ovili*, *Pastoris* officiũ manere necesse est; *unius* planè *Pastoris* officiũ, sicut est *ovile unũ*. In *Petro* illud resedit, quũ Pastor supremus fuit à Christo cõstitutus. Jã verò, defuncto *Petro*, in successore ejus resideat oportet. *Petri* autem successor *Romanus Episcopus* est. *Romanus Episcopus* igitur Ecclesiæ Christi supremus Pastor est.

Rainoldus. Video *Papã* vestrũ ne speciem quidem aliquã juris sui, quo supremũ Ecclesiæ principatũ arrogat, venditare posse, nisi *Christũ* de sua possessione deturbet. Nã Christus, quũ [*unũ Pastorẽ*] dicit, seipsũ dicit, quod ex scopo totius orationis ejus liqueat, ubi officium & autoritatem suã [i] adversus Pharisæorũ calumnias tutatur. [k] *Ego sum*, inquit, *Pastor ille bonus, et cognosco oves meas, et cognoscor à meis. Sicut novit me Pater, ita et ego novi Patrẽ, et animã meã pono pro ovibus. Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili: illas quoq; oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unus grex, unus Pastor*. [*Unus Pastor*] quis tandem præter illum de quo verba priora, consequentiaq; accipiuntur? Illũ, qui est *bonus ille Pastor*, qui *oves suas cognoscit*; qui *animã suã pro iis ponit*; qui *alias*, præter Judæos, *oves habet*, Gentes scilicet, *quas ad ovile suũ est adducturus*, atq; ita ex illis utrisq; fiet ecclesia, ut *unus grex*, *Christo*, ut *uni Pastori* subditus. Hic *unus ille Pastor* est, de quo Servator loquutus est. Quod si nolis mihi dicenti credere, aut illi potiùs qui loquutus est: credas id tamen [l] Bibliis vestris, quæ illud interpretantur collatâ cum Scripturis Scripturâ, *Johanne* cum *Ezekiele*; apud quem promittit [m] Deus *se facturum* (ex *Israele* & *Juda*) *unum populũ*; & [n] *servum suum Davidem*, (hoc est, *Christum*, filium *Davidis*) *Pastorem unicum omnibus ipsis* futurum; & [o] *ipse pascet eos*. Hoc pacto in divino jure, verba de *Christo* exponuntur. * In suo autem jure *Papa* seipsum in iis vult depingi. Nobis succensetis, si quando *Antichristum* eum appellamus. Nonne verò impendiò mollius nomen *Antichristi* est, quàm ut eum sicut par est, notet, qui id sibi arrogat, quod soli *Christo* defertur?

Hartus. In his se *Papa* non aliter designari vult, quàm quod *Christi Vicarius* est: quo sensu hæc ad illum pertinere certum est. Quamvis ad *Christum* quoq; pertineant; quod nos non negamus. Sic enim *Papa*: *Ecclesiæ unius, & unicæ, unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum; Christus videlicet, & Christi Vicarius*, Petrus, Petriq; *successor; dicente Domino ipsi* Petro, *Pasce oves meas; oves meas, inquit, & generaliter, non singulariter has vel illas; per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Græci, sive alii se dicant* Petro *ejusq; successoribus non esse commissos; fateantur necesse se de ovibus Christi non*

[g] Act. 14. 23. & 20. 18. Phil. 1. 1. Tit. 1. 5.
* *Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi*. August. in Psalm. 44.
[h] Ioh. 10. 16.
* Stapl. princ. doct. 1. 6. c. 15.
[i] Ioh. 9 v. 16. & 24. & 29.
[k] Ioh. 10. 14.
[l] Biblia castigata à Theologis Lovaniensibus excusa à Christophoro Plantin. Antuerpiæ.
[m] Ezek. 37. v. 22.
[n] Ver. 24.
[o] Ezek. 34. 23.
* Iure canonico, c. unam Sanctã, extra. de majorit. & obedient.

eſſe: dicente Domino in Iohanne, unum ovile, & unicum eſſe Paſtorem. Quibus verbis etiamſi *Papam* eſſe illum unicum Paſtorem conficitur: non perinde tamen ea interpretari debes, atq; ſi de ſe ſolo eadem Papa acciperet; ſed quę primùm Chriſtum, tum Petrum, poſtremò ipſum deſignent. Atq; hoc modo, *unus Paſtor* per continentem ſucceſſorum viciſſitudinem manet, quemadmodũ Eccleſia manet una.

RAINOLDVS. Num intelligis quæ dicis, quum dicis *unum Paſtorem per continentem ſucceſſorum viciſſitudinem manere, Petrum poſt Chriſtum, poſt Petrũ Papã?* Sed ſpero hoc te ignorantem facere,* ideóq; miſericordiam poſſe conſequi, etiamſi in eo ſis blaſphemus.

* 1.Tim.1.13.

HARTVS. *Blaſphemus?* Quorſum iſta?

RAINOLDVS. Quoniam inficiaris *Chriſtum* filium Dei, *unum* eſſe *illum Paſtorem*, itáq; ſuę Caput Eccleſię. Cujus enim in officium alter *ſuccedit*, ipſe ab eo officio muneréq; gerendo ceſſat. Ut deſiit præeſſe Judeæ [p] *Felix*, quum in *ejus* locum *Feſtus ſuccederet*. Quare, ſi unius illius Paſtoris officium per *ſucceſſorum viciſſitudinem* maneat; apud *ſucceſſorem* igitur omnino reſidet, hoc eſt, *Pontificem*; & eo *Chriſtus*, cui ſucceſſum eſt, abdicatur.

[p] Act.24.27.

HARTVS. Iſta à te perinde dicuntur, quaſi nos *Papam Chriſti ſucceſſorem* appellaremus: à quo verbo nos longè abſumus. Scimus enim *Sacerdotibus ſecundùm ordinem Aaronis* ideo *ſucceſſum* fuiſſe ab aliis, [q] *quòd morte prohiberentur permanere*. Verùm *Chriſtus in æternum manet, ut qui Sacerdos ſit ſecundùm ordinem Melchiſedeci*: ideóq; nulli ſubmittuntur ei ſucceſſores. *S. Petrum Chriſti* vocamus *vicarium*; *vicarium Chriſti, Papam*, & *ſucceſſorem Petri*: ſed neq; *Petrum*, neq; *Papam*, *ſucceſſorem Chriſti* dicimus.

[q] Heb.7.23.

RAINOLDVS. Si verè iſtud narras; quin eradicetis igitur profanam illã ſententiam è veſtris [r] *ſacris ceremoniis Romanæ Eccleſiæ: Chriſtus primum denominatione ſucceſſorem Petrum inſtituit, dicens Petro, Paſce oves meas; & ea ratione Petrus Clementem etiam nominavit.* Sed quoniã agnoſcis *Chriſtũ unũ* eſſe *Paſtorẽ*, nec tamẽ quenquam ei ſtatui *ſucceſſorẽ*: ceſſiſti de propugnaculo, in cujus poſſeſſionẽ inferre te decreveras, illis Chriſti verbis animatus; *unũ ovile fore, Paſtorẽ unũ*. Ubi enim priùs aſſerueras hunc ſupremũ *Paſtorẽ* permanere unum debere, adeóq; permanere unum in *Petro*, atq; *Pontifice*, per ſucceſſionẽ: jã fateris abſq; ſucceſſione, unũ illũ in eadem perſona manere, *Chriſtũ ipſum*, [s] *Paſtorẽ animarũ noſtrarũ*, [t] *magnũ illũ*, [u] *illum principẽ paſtorũ*, [x] *qui ambulat in medio ſeptẽ candelabrorũ aureorum*, hoc eſt, *ſeptẽ* (proindéq; omnium) *Eccleſiarum*.

[r] Sacr.cerem. Rom.eccl.l.1, Sect.1.

[s] 1.Pet.2.25. [t] Heb.13.20. [u] 1.Pet.5.4. [x] Rev.1.13.& 2.1.

HART. Fateor permanere *Chriſtũ*, *Paſtorẽ animarũ noſtrarũ*, ſummũ Paſtorẽ, nullúmq; ei ſubſtitui *ſucceſſorẽ*, ſi ad ſuum germanũ ſenſum *ſucceſſionẽ* revocemus. Verùm ipſe vicariũ conſtituit, hoc eſt, primarium ſecundùm ipſum Paſtorem, qui in terris perenni ſucceſſione permaneret: quem pariter illo *unius Paſtoris* nomine, ac non ſe ſolum deſignabat.

RAINOLD. Ipſa Scripturæ verba, contextúſq; circumſtantiæ contrarium evincunt. Quos enim affatus eſt Chriſtus quũ diceret; [y] *Alias oves habeo, quæ nõ ſunt ex hoc ovili: illas quoq; oportet me adducere, & vocem meam audient, et fiet unus grex, & unus Paſtor?* Nónne [z] Judæos?

[y] Joh.10.v.16. [z] Ver.7.& 19.

HARTVS. Judæos.

RAINOLDVS. Per *alias* ergo *oves* quæ *non ex illo ovili* erant, intellexit Gentes.

HARTVS. Gentes.

RAINOL. Et ad Chriſti officium pertinuit, ut *eas* quoq; *ad ovile ſuum adduceret*.

HAR-

HARTVS. Pertinuit.

RAINOLDVS. Adduceret verò *voce* suâ, quam essent *audituri*.

HARTVS. Quid tum demum?

RAINOLDVS. Nónne [a] *Pastor* is dicendus est, [b] cujus *vocem oves audiunt*? [a] Ver. 2. [b] Ver. 3.

HARTVS. Quis negat?

RAINOLDVS. Si Judæi igitur, & Gentes *vocem Christi audiunt*, atq; ita grex *unus* fiunt: quî alium poterat, præterquam se solum, per *unum* illum *Pastorem*, designare?

HARTVS Se solum directè, fateor, & primò: verùm secundo loco, & ex cōsequenti, vicarium quoq; suum *Petrum*, & *Petri* successorem. Nam Christus quamdiu in carne hîc in terris degebat, Gentes non adduxit: [c] *Non se missum esse*, aiebat, *nisi ad oves perditas domus Israelis*. Qua de causa eum S. Paulus appellat [d] *ministrum circumcisionis*, quòd officio suo & ministerio apud populum *circumcisionis* solummodo, hoc est, Judæos defungeretur. Gentes post ascensionem suam adduxit, per servorum suorum ministerium, imprimisq; S. *Petri*: [e] quem postquā per visionem cœlitus erudierat, legavit ad Cornelium, & [f] *elegit eum, ut per os ejus audirent Gentes verbum Evangelii, crederéntq;*. Quare, sicut *oportere* se aiebat *Christus Gentes adducere*, quas tamen adducere, non per prædicationem suam, sed per os *Petri* statuerat; adeóq; eas quoq; *Petrus* quodam modo adducebat: similiter nomen *unius Pastoris* sibi ascripsit, quum tamen non per seipsum corpore præsentem, sed vicarii sui intercedente operâ *gregem* suum pasceret; proindéq; vicarium quoq; suum eodem poterat nomine denotare. [c] Matt. 15. 24. [d] Rom. 15. 8. [e] Act. 10. 11. [f] Act. 15. 7.

RAINOLDVS. Atqui hoc magis est argumento, neq; *Petrum*, neq; *Petri* successorem, (ut appellas) *unius Pastoris* nomine, à Christo intelligi. Nam si seipsum intelligeret, non degentem in carne, sed [g] regnantem in gloriâ: illam ergò intellexit prærogativam, quæ ipsi soli, tanquam [h] *Capiti Ecclesiæ*, adjudicatur, neq; ullâ ratione carni sanguiniq; potest attribui. Quod, ut ita esse efficiatur, cogitandum nobis præterea est, dum dicit, [i] *eas me adducere oportet, & vocem meam audient*; illam efficacem *adducendi audiendiq;* rationem eum respicere, quâ ducente, [k] qui *oves ejus* sunt *eum sequuntur*, & [l] *ipse eis dat vitam æternam, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam è manu ejus*. Quos verò *Christus* isto modo *adducit*, duas illos adducendi vias init: prædicationem verbi sui, & sui Spiritus operationem. Quemadmodum autem per Spiritum suum operatur, ita nullus ei vicarius inservit: ipse [m] *aperit cor Lydiæ*, [n] *baptizat Spiritu sancto*, & cum [o] *Discipulis suis est usq; ad consummationem seculi*. It verò homines verbi sui præconio vocat: ita omnes verbi ministri ipsi sunt vicarii. Illos enim legat qui vices ejus gerant, & mortalibus per ipsos verbum annunciat. Hinc [p] duodecim Apostolos alloquitur; *Qui vos recipit, me recipit*: & [q] septuaginta Discipulos; *Qui vos audit, me audit*. Ita [r] de se Paulus testatur, de *Timotheo, Sylvanóq;*, & ceteris, qui communem navabant operam in labore Domini; *Nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo*. Primùm igitur, quum virtute Spiritûs efficax reddatur verbum, neq; *Christo* quisquam succedat vicarius, quatenus per Spiritum suum operetur: consequens est, illum, dum se *unum* illum *Pastorem* nominat, qui *adducit oves*, & *vocem ejus audiunt*, non potuisse vicarium aliquē subinnuere. Aurem enim verbum inaniter pulsat, nisi *Dominus* Spiritu suo fores cordis reseret: & [s] *neq; qui plantat aliquid est, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum, Deus*. Rursum verò, si eorum ministerium pariter innuisset, quorum operâ vocem [g] Eph. 1. v. 21. [h] Ver. 22. [i] Ioh. 10. 16. [k] Ver. 4. & 27 [l] Ver. 28. [m] Act. 16. 14. [n] Marc. 1. 8. [o] Matt. 28. 20. [p] Matt. 10. 40. [q] Luc. 10. 16. [r] 2. Cor. 5. 20. [s] 1. Cor. 3. 7.

ejus oves audiunt, atq; ita adducuntur: illud nihilominus ad multos vicarios pertinere necesse est, non ad unum, aut si ad unum, non ad *Petrum*. Nam qui illorum ministerio erant adducendi, Gentes sunt: & Gentes Christus multis [t] *Pastoribus Doctoribúsq;* usus adduxit, non solùm Apostolis: nec inter Apostolos *Petro* præcipuè, sed [u] *Paulo*, idq; tùm [x] Spiritu sancto vocante, tùm [y] ipsorum quoq; mutuo accedente consensu. Postremò, si Christus (quo modo tu distinguis) se primùm directéq; intellexisset, secundo autem loco, & ex consequenti, Petrum: hoc eâ re factum oportuit, quòd verbum gregi prædicaret. Quorsum verò istud ad Pontificem Petri successorem, qui non ut Petrus prædicat? Non enim [z] verbum prædicare solet, nisi ubi Missam celebret, ne tum quidem, nisi sic ipsi visum fuerit: [a] neque verò Missam celebrat, nisi statis aliquot maximè solennibus feriis, ne tum quidem, si impediatur; & sanè Italica politia, præsertim * *Papatus, tam prudenter tractatus*, infinitis abundet necesse est impedimentis. Regiæ suæ ipsum curæ satis sollicitum faciunt: Sacerdotales illas Fraterculis relinquit. Quare, duo sacrilegus ille *Romanus* Tyrannus flagitia adversus tùm Caput, tùm corpus Ecclesiæ patrat. Adversus Caput quidem, quòd illam *unius Pastoris* prærogativam, uni Christo propriam, Papis omnibus fingat communem. Adversus corpus autem: quòd *vicarii Christi* nomen sibi arroget, ut proprium, quod omnibus Pastoribus est commune.

t Eph 4.11.
u Rom. 11. 13.
x Act 13. 2.
y Gal. 2. 9.
z Sacr. Ceremon. Rom. Eccles. l. 3. sect. 4.
a Sect. 5.
* Ita Alanus de Papatu loquitur in Apologia sua pro Anglic. Seminariis cap. 6. *The papacy so discreetly managed.*

HARTVS. Quin tu potiùs, qui [b] *summo Sacerdoti Dei maledicis*, magnum patras flagitium; ille verò omnino nullum. Non enim prærogativam *unius Pastoris* ut Christus, sed sub Christo sibi assumit. Et per excellentiam quandam, *vicarii Christi* nomen sibi vendicat, quippe qui præcipuus & universalis sit: licèt etiam ceteri omnes Episcopi Christi quoq; sint vicarii.

b Act. 23. 4.

RAINOLDVS. Hoc est *Sisyphi saxum volvere*. Quod tu sursum versas; illud verò deorsum semper delabitur: nec tu cessas tamen anniti, sed frustrà. Nam quamquam sępius id revexeris, rursum tamen devolvetur. *Omnes*, inquis, *Episcopi Christi sunt vicarii: verùm illud Papa nomen per excellentiam quandam vendicat*. Verùm per excellentiam quandam omnes Episcopos honore illo spoliat, quo à Christo sunt decorati. Omnes enim ille in vicariis suis numerat, sicut Cardinalis [c] *Turrecremata* eos disertè nuncupat, *Papæ vicarios*: quos ita esse [d] Papæ ipsius decreto convincit. Quare, si *Christi* quoq; eos *vicarios* esse volueris, succurrendum est distinctione illâ tuâ, *primò & directè Papæ vicarios esse: & Christi, consequenter & secundariò*. Quem autem tu hominem *summum Dei Sacerdotem* vocas, eum ego non agnosco. Non enim *Judæorum*, opinor, summus est Sacerdos. Nec verò apud *Christianos* quisquam est summus Sacerdos, nisi Filius Altissimi; ille de quo scriptum est; [e] *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus*. Non *maledicta* igitur, sed veritatis, & modestiæ verba profero, qui illum sacrilegum Tyrannum voco, qui Regis Regum coronam arripit, & suo capiti imponit. Hoc homo ille peccati perpetrat: qui asseverat, * *esse de necessitate salutis omni humanæ creaturæ, subesse Romano Pontifici*: &, *illos, qui se dicunt non esse Papæ commissos, non esse de ovibus Christi, dicente Domino in* Johanne, *unum ovile, & unicum esse Pastorem*.

c In summ. de Eccles. l. 2. c. 62.
d 2. qu. 6. c. decreto. c. sequenti.
e Heb. 7. 26.
* C. unam sanctam, extravag de majorit. & obedient.

HARTVS. Non est, quod tanti flagitii esse ducas, istud ex iis Christi verbis dogma concludere; quum præsertim adeò rationi sit consentaneum, de Papa potiùs, quàm de se Christum ea loquutum esse. Etenim dicit; *Unum erit ovile & Pastor unus*: non *fuisse* dicit, sed *futurum*. Atqui ipse, quippe qui Deus sit, perpetuò Pastor exstitit Gentium juxtà atq; Judæorum. Unde ad illum si oculos referamus,

unum priùs exstiterat *ovile, & unus Pastor*. Quare, quum de eo quod eventurum est, non quod jam antè acciderat, verba faciat: rectè videatur non de se, sed de Papa potiùs hæc dixisse, qui (ejus loco) Judæis, Gentibúsq; Pastor præficitur.

RAINOLDVS. Num Deum perpetuò *Pastorem* suum Gentes habuerunt, perinde ac Judæi? Quorsum ergo ita Gentes Paulus alloquitur:[f] *Eratis sine Christo, abalienati à Republica Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, Deóq; carentes in mundo*.[g] Deus enim illorum *Pastor* dicitur, quos *regit* & *pabulo vitæ pascit*. Quamobrem, si Gentium perpetuò *Pastor* fuisset, quem fuisse tu affirmas; semper ergo illæ fideles erant, membráq; Ecclesiæ, & spem Dei in Christo habebāt. Sin autē antea essent *sine Christo, sine spe, sine Deo in mundo, & abalienati à Repub. Israelis*, hoc est, Ecclesia, & *extranei à testamentis promissionis* factis fidelibus, ut fuisse Paulus asserit: ergo neq; *unum* erant cum Judæis *ovile*, neque Deus illis erat *unus Pastor*. Quamcunq; igitur probabilitatis speciem videri posset Papa adeptus esse ad verba illa depravanda, quibus superbiæ suæ velificetur: ei tamen jure ascribuntur proprio,[h] qui *intergerini parietis septum solvit*, & *utraque fecit unum*, hoc est, *Christo* Jesu, & soli *Christo*.

HARTVS. Age. Si non uno aliquo sensu verba Papæ conveniant; at possunt alio. Varii enim sunt *sacrarum Scripturarum sensus*; sed generatim *duo*, ut docet Pater * *Robertus*: quorum unus *historicus* dicitur, sive *literalis*; alter *mysticus*, sive *spiritualis*. Hinc iste Christi de *Pastore uno* sermo poterat *Papam mystico* sensu denotare, etiamsi non literali: quemadmodum *summi Sacerdotis* nomen sensu historico Judaicum Pontificem, ipsum verò spirituali designat.

RAINOLDVS. Sensus ille Scripturarum germanus est, quem ipsorum autor Spiritus sanctus voluit. Spiritus autem sanctus eas sic edidit, ut non verba modò res significent juxta nativum sensum, sed & res ipsæ quoq; verbis expressæ res alias designent, juxta Domini institutum, qui illud figuris in Testamento vetere adumbravit, quod in novo impletum est. Exempli gratiâ:[i] In lege *Mosis* scribitur; *Nō confringetis ullum os ipsius*. Ista de agno Paschali dicuntur: & significant quod loquuntur, Judæis illum integrum apparandum fuisse, sine ullius ossis diminutione. Verùm res ista ex arcano sensu amplius quid designat; videlicet, quum[k] Christus, cujus erat imago figuráq;, agnus, mortem subiret ut nos à morte liberaret, *non os ullum ipsius confractum iri*. Unde unius loci duo sensus apparent. Prior *literalis*, quòd litera quasi, id est, verba ipsa ritè intellecta rem declarent: alter autem *mysticus*, quòd res per literam significata altius mysterium indicet. Ex his, sensus ille, qui literæ affinis est, Spiritus sancti sententia esse explorate dignoscitur. Excogitata enim verba sunt, ut cogitata mentis nostræ proferant: atq; ita à Spiritu sancto usurpantur, ut nobis voluntatem Dei commonstrent. Mysticum quoq; sensum sētentiam ejus exponere agnoscimus, quum ab ipso patefiat: quod ab eo factum est in illo *agni* arcano. Alioqui respuimus. Complures enim sensus mysticos ex Scripturæ loco aliquo homines effingant, eósq; pugnantes, quod sæpenumero faciunt. Qui tamen singuli Spiritus sancti mentem attingere nullo modo possent; & an aliqui attigerint, quis statuerit? Nulla igitur nobis datur mysticorum sensuū certitudo, qui hominum esse possunt commenta. Unicus ille genuinus literæ sensus, qui certò Spiritus sancti pectus nobis reserat, ad ratam veritatem arguendam valet, ideóq; necessariò in rebus fidei est audiendus. Quod tam liquidò constat, ut[l] vestri Doctores idem fateantur, & doceant: etiam * ille, quem mihi objicis. Ait enim; *Convenit inter nos & adversarios, ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia: & eum sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum est sensum esse Spi-*

ritus

[f] Ephes. 2. 12.
[g] Psalm. 23. 1. & 80. 1.
[h] Eph. 2. 14.
* Robert. Bellarm. in Lect. Rom. contr. 1. qu. 5.
[i] Exod. 12. 46
[k] Ioh. 19. 36.
[l] Thom. Aquin Summ. Theolog. part. 1. q. 1. art. 10. Alfons. à Castr. advers. hæres. lib. 1. c. 3. Sanderi Petra Ecclesiæ. cap. 3. Narrat. Seminar.
* Rob. Bellar. contr. 1. qu. 5.

ritus sancti. Sensus mystici non semper constat an sint à Spiritu sancto intenti, nisi sint in Scripturis explicati, ut illud Johannis 19: *Non confringetis os ex eo. His exceptis, stultum est ex mysticis sensibus velle efficaciter probare dogmata fidei.* Nisi igitur in Scripturis expositum reperiatur, verba Christi (de *Pastore uno*) accipi ut de seipso, ex sẽsu literali; ita etiam de Papa, ex mystico: audis Patrem *Robertum* dicere, stultum esse, Papæ primatum velle ex mysticis sensibus probare, si id efficaciter præstare coneris. Quod verò de *uno Pastore* dico, idem de *summo Sacerdote* dico: per quem [m] lex Mosis, juxta literæ sententiam Sacerdotem summum exprimit; [n] ad Hebręos autem Epistola docet mysticè Christum indicari. Verùm Papam per eum ullo sensu, sive literali, sive mystico intelligi; non usquam equidem in Scripturis reperio.

m Exod.28.4.
n Heb.8.5.

SECTIO SECUNDA.

HARTUS. Atqui ego in Scripturis reperio, Christianis perpetuò in terris *summum Sacerdotem* esse oportere, cui ut supremo suo Judici subjiciendi sunt.

RAINOLDUS. Ubi tandem illud reperis?

HARTUS. In decimo septimo capite *Deuteronomii*, in hæc verba. [o] *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse prospexeris; inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram; & Judicum inter portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniésq; ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore; quærésq; ab iis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcũq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus: sequerísque sententiam eorum; nec declinabis ad dextram, neq; ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Summus* hîc *Sacerdos* supremus *Judex* designatur ad audiendum, definiendúmq; difficiles, & ambiguas causas apud Dei populum. Et quis alius apud Christianos *Sacerdos* iste & *Judex*, præterquam Papa solus, dicendus est?

o Deut.17.8.

RAINOLDUS. Enimvero non minùs commodârit tibi primum *Geneseos* caput ad Papæ suprematum evincendum, si per penderetur locus. [p] Scribitur enim; *In principio creavit Deus cælum & terram.*

p Gen.1.1.

HARTUS. Quorsùm tandem ista?

RAINOLDUS. Quin [q] ab illo istuc quæras, qui ita locum exponit; inquiens, quicunq; ejus suprematui resistit, eum Dei ordinationi resistere; *nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum & hæreticum est: quia, testante Mose, Non in principiis, sed in principio Deus creavit cælum & terram.* Ecce, *in principio*, non, *in principiis*: ideóque non multi sunt summi Ecclesiæ Sacerdotes, sed Papa solus.

q Bonifac.8. c.unam sanctã extrav.de majoritat.& obedient.

HARTUS. Quem ego adduxi locum, de *Sacerdote summo* apertè loquitur: itáq; meo is instituto magis commodè inservit, quàm iste qui illũ non attingit. Verùm, ut docti solent, quum nervosioribus argumentis aliquid comprobârint, leviorum id postea ratiuncularum prolusionibus exornare; quò potiùs rem poliant quasi, quàm texant & fabricentur: ita Papa, productis jam testatioribus ad suprematum suum confirmandum tabulis, hoc tandem *Geneseos* loco eum excolit; per quandã, quasi diceres, *allusionem*.

RAINOLDUS. *Illusionem* diceres. Sed uterq; locus, tàm iste *Geneseos*, quàm alter ille *Deuteronomii* à vestris mysticè intelligitur: ita ut ad evincendũ illud, quod vi solidæ rationis est evincendum, uterq; æquè valeat, quòd neuter quicquam valeat. Nam, qui sensus literæ cognatus est in iis quæ in *Deuteronomio* leguntur,

Judæos

Judæos spectat; quibus ea per Mosem servũ suum Dominus loquebatur. Jam verò, quàm periculosum hoc & anceps sit, ea per Scripturas astruere, quæ literali earũdem sensu non stabiliuntur: licet ex mystico ejusdem loci sensu cognoscere, quem tradit Papa quidam, nec vulgaris ille quidem, sed *Innocentius* ille *tertius*, Pater *Lateranensis Concilii*; in quo Pontificia *Confessio* vestra, & *Transubstantiatio* primùm fingebantur. Ille in Decretali quadam (quæ in [r] Canonico jure recepta & rata est, tanquam norma ad quam Ecclesia perpetuò sit dirigenda,) ista Deuteronomii verba profert, quibus probet *Papam, non solùm in Ecclesiæ patrimonio, verùm etiam in aliis Regionibus, certis causis inspectis, posse temporalem jurisdictionem exercere. Et sanè, quum Deuteronomium lex secunda interpretetur: ex vi vocabuli*, inquit, *comprobatur; ut, quod ibi decernitur, in novo Testamento debeat observari.* Quo nixus * axiomate in hunc modum interpretatur: *Locum videlicet, quem elegit Dominus, Romam esse; Sacerdotes Leviticos, fratres suos esse, Cardinales; Judicem porrò, ipsum se esse, vicarium Christi. Tria* deinde *sunt judicia; primum, inter sanguinem & sanguinem; per quod criminale intelligitur & Civile: ultimum, inter lepram & lepram; per quod Ecclesiasticum & criminale notatur: medium, inter causam & causam; quod ad utrunq; refertur, tàm Ecclesiasticum, quàm Civile: in quibus quum aliquid fuerit difficile, vel ambiguum; ad judicium est Apostolicæ Sedis recurrendum* (hoc est, Romanæ:) *cuius sententiam qui superbiẽs contempserit observare, mori præcipitur, id est, per excommunicationis sententiam, velut mortuus, à communione fidelium separari.* Ecce verò: hic est arcanus mysticúsq; ejus loci sensus, quem tu ex Deuteronomio attulisti. Papæ quidem suprematui vehementer consonat. Verùm Christiani (ut spero) Principes literalem sensum contrà tuebuntur. Si enim hoc *Innocentianum* dogma pro Catholico habeant: supremum omnium Christianorum Caput, tàm in Ecclesiasticis causis, quàm in Civilibus, Papa futurus est. * Mysteriũ iniquitatis valde tum agebatur, quum præcipua Romanæ fidei mysteria istiusmodi mysticis sensibus innitebantur.

[r] C. per venerabilem. extra, qui sint filii legitimi.

* Dignum põtifice axioma.

* 2. Thess. 2, 7.

HARTUS. Non me fugit, mysticos Scripturæ sensus haud ullarum esse virium, quibus adversarius profligetur. Sed sensus literæ germanus, in iis quæ adduxi, causam, quæ in quæstione posita est, confirmat. Sæpenumero enim in literali sensu alius sensus delitescit involutus & reconditus, qui non directè apertísq; verbis effertur, sed colligitur, & argumentationis vi inducitur. Exempli causa: dixit [s] Deus, quò Mosem & Israëlitas animaret; *Ego Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Quæ verba, primario sensu, fœdus illud significant, quod Deus cum Abrahamo pepigit, & cum semine Abrahami: quos elegit, ut sibi ipsi servi essent; promisitq; Deum illorum se futurum. A [t] Christo tamen, adversus Sadducæos afferuntur; ut mortuorum resurrectionem persuadeat. Quod ille ex rationis consequentiâ concludit. *Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* Est autem *Deus Abrahami*; non est mortuus igitur Abrahamus. Abrahamus homo est, ex duabus partibus constans, animâ & corpore: si vivit igitur Abrahamus, & tamen corpus ejus demortuum est, resurgat oportet corpus ejus, ut jure Deus appelletur, Deus, non animæ Abrahami, sed Abrahami. Quamobrem, ex eo, quòd Deus *Abrahami Deus* appellatur; ratiocinando consequitur, à morte ad vitam, corpora hominum excitatum iri. Nónne hæc ratio literali Scripturæ sensu involvitur, à quo deducitur.

[s] Exod. 3. 6.

[t] Matt. 22, 32.

RAINOLDUS. Planè: et ad id de quo controvertitur probandum valet. Quicquid enim necessariò ex literæ sensu consequens est: illud non minus veritatis & firmitudinis obtinet, quàm sensus ipse, unde consequitur. Verùm, qui tu ex

illo Deuteronomii loco Papæ suprematum ita collegeris?

HARTUS. Quadam ratione fretus, quam ex similitudine illa & proportione stabilio, quâ Ecclesia Christi Israëlitis comparatur. Si enim Israëlitis summus Sacerdos Judex fuerit in causis difficilibus & anxiis; *inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter lepram & lepram*: quid est causæ, quare non nobis similiter in causis nostris, Sacerdos summus, Judex concederetur?

RAINOLDUS. Ista à similitudine deducta ratio est; quemadmodum scilicet apud Judæos fuit in Testamento vetere: ita in novo esse debere apud Christianos. Similitudines, Dialectici aiunt *altero pede claudicare*. Atqui hæc utroq;. Nam neq; summus iste apud Judæos Sacerdos, in omnibus illis causis dabatur *Judex*: neq; inde conficitur, ut, si fuerit, apud Christianos similiter summus Sacerdos aliquis in omnibus Judex præponeretur. Hoc enim pacto omnibus vestris Sacerdotibus licebit uxores ducere: [u] sic enim apud Judæos vivebatur. Neq; fas erit uspiam terrarum, præterquam Romæ, Missam celebrare. [x] Cautum nempe fuit, ne Judæi alibi *Holocausta sua offerrent*, quàm *in eo loco, quem elegerat Jehova*. [y] *Omni masculo* apud Judæos *illuc ter quotannis erat proficiscendum*. Quod omnibus vestris masculis supra modum facesseret molestiam, si Romam usq; proficiscerentur. Proficiscendum illis tamen, si tuam audiant rationem. In Deuteronomio enim scriptum est. Et, *quum* * *Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut, quod ibi decernitur, in novo Testamento debeat observari*, inquit Innocentius Papa.

[u] Levit.21.7.
[x] Deut.12.14.
[y] Deut.16.16.
* Deuteronomium ex Græcis compositũ δεύτερος νόμος.

HARTUS. Non similis ex omni parte Christianis conditio est cum Judæis; nec Romæ cum Jerosolymis. Et quare in iis, quæ tu commemoras, similis non sit, rationes possunt afferri.

RAINOLDUS. Afferrine rationes possunt? Possunt igitur rationes afferri, quare tua ratio sit inepta. Sed, ut perspicias, quàm valde claudicet; attende partes illas, quibus insistit. Primùm, *summus Sacerdos*, inquis, *Judex est, ad quem, ut difficiles & ambiguæ causæ decidantur, Judæos remittit Dominus*. Non hoc Scriptura: sed inter *Judicem* & *Sacerdotem* discrimen ponit. Capite enim sancit, *si quis recusâret auscultare* (1) *Sacerdoti, aut Judici*. Ubi quum à *Judice Sacerdotem* separat, manifestò docet, Sacerdotem & Judicem eundem non fuisse.

(1) אל הכהן או אל השפט

HARTUS. Apud vulgatam nostram Latinam editionem non ita legitur; sed hoc modo, *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Judicis morietur homo ille*. Vides verò hîc esse, *imperio Sacerdotis*; & ab hoc aliud est *decretum Judicis*. Non legitur, ut tu recitas, *Sacerdoti aut Judici*.

RAINOLDUS. Non ita Latina vestra editio legit, quam humanum vertit ingenium. Sed ita Hebraica legit, quam Dei Spiritus dictavit.

HARTUS. At nos à Concilio Tridentino decretum accepimus, [z] ut nostra *vetus & vulgata Latina editio in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & ut eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat*. Si nemo *illam quovis prætextu rejicere* poterit: non *prætextu* igitur *Hebraici* scripti. Et hoc gravi quidem de causa. Hebræa enim Biblia, quæ nunc exstant, impudenter corrupta sunt à Judæis; odio, quod habent, & malitiâ in Christianos: quod fusè & doctè [a] Lindanus in defensione decreti illius Tridentini Concilii demonstravit

[z] Concil. Trid Sess.4.
[a] Lind. de optim. gen. interpret. Script. lib.1. cap.2.

RAINOLDUS. Impudens omnino convicium hoc est, quod coxit Satanas, Lindanúsq; relevit; ne errores, qui vel Latini interpretis vitio, vel eorum lapsu qui secùs illum intellexerunt, in Papismo invaluerint, detegerentur tandem, & à luce

Hebrææ veritatis ignominiæ exponerentur. Quod ex argumentis ejus & scriptis comparebit, si ea tibi placeat sigillatim excutere. Sin animus est generatim tantùm, nudo nomine ejus objecto, veritati fidem detrahere; [b] quod à Doctore tuo factum est: remittam utrosq; ad tres doctissimos Ecclesiæ vestræ, aptissimósq; huic controversiæ judices; Isaacum scilicet Levitam, Ariam Montanum, Payvamq; Andradium; ut ab his responsum feratis. Quorum [c] primus, qui Lindani Magister erat, & Hebraicæ linguæ in Coloniensi Academiâ Professor, tres libros edidit veritatis Hebraicæ defendendæ causâ, adversus discipuli sui cavillas. [d] Proximo verò, propter haud vulgarem suam linguarum & artium peritiam, datum à rege Philippo negotium est Biblia Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, Latinéq; emittendi: ubi illud Lindani commentum redarguit, & inscitiam prodidit. [e] Ultimus, princeps ille fuit Theologorum, Doctorúmq; qui in Concilio Tridentino convenerunt. Cujus pro decretis etiamsi pugnârit, & nominatim pro eo ipso quod tu affers: non ita tamen, quin simul ipsos refutârit, à quibus dicitur, Hebraicum contextum à Judæis corruptum esse. Causa quidem, Harte, tua desperata esse incipit, quum nullam latebram reperire queat, nisi eam, cujus patronos ipsos vestros dispudeat.

HARTUS. Horum ego hominum commentationes non legi: sed certè quicquid pro ceteris loquantur; neq; illi, neq; tu unquam efficere valebitis, quin Hebraicos codices, in vicesimo primo psalmo, aut [f] vicesimo secundo, ut ipsi dinumerant, * Judæi corruperint. Ubi enim legeretur, (quod nostra lectio habet, & etiam Græca,) *foderunt manus meas, & pedes meos:* Hebræi legunt, non [*Caaru,*] hoc est, *foderunt*; sed [*Caari,*] hoc est, *quasi leo*; *quasi leo manus meas, & pedes meos*: Unde, clarissima & evidentissima de ipso passionis Salvatoris nostri modo & formâ prophetia, è manibus nostris Judæorum perfidiâ eriperetur, si Hebraico fonti, ut nunc est, mordicus adhæresceremus. Verùm ita manifestò scitur hujus loci corruptela: ut ne vos ipsi quidem, etiamsi Hebraicum scriptum ut authenticum, amplexemini; illud hîc sequamini in Bibliis vestris Anglicanis.

RAINOLDUS. Unicum hoc est argumentum [g] Lindanianum, quod videatur arguere, Judæos Hebraicum textum vitiasse. Verùm, si res æquâ lance libretur, meram cavillam esse comperies. Quid enim de vobis ipsis respondebis? Vitiabátne Romana Ecclesia Latinam editionem in tertio Geneseos; [h] ubi de muliere legitur, *Ipsa conteret caput tuum*: pro eo quod de semine mulieris legi oporteret, *Ipsum conteret caput tuum*?

HARTUS. Vestratium quidam hoc affirmant. Sed in eo gravem in Ecclesiam immittunt injuriam.

RAINOLDUS. Non minori saltem, si non etiam majori ratione adducti, hoc de Romanistis asserant, quàm illud vos de Judæis. Nam si comparamus prophetias; hæc insignior est quæ in Latina vestra versione depravatur, de victoria Christi in Satanam, & per Christum nostrâ. Si errores inter se committimus; hic illustrior est: adeò ut erroris ab ipso [i] Lindano etiam, non modò ab [k] aliis convincatur; etiam contextus Hebraicus unà cum Chaldæa paraphrasi, Græcáq; interpretatio, ut [l] Lovanienses Theologi fatentur, omnes reclament.

HARTUS. Verùm istud lapsu aliquo humano irrepere poterat, aut verò indiligentiâ librariorum: sicut varii ejusmodi errores irrep-

[b] Staplet. Princip. Doct. lib. 11. cap. 12.
[c] Iohan. Isaac. Lev. Germ. defensio veritatis Hebraicæ sacrarũ Scripturarũ adversus libros tres reverendi D. Wilhelmi Lindani quos de optimo Scripturas interpretandi genere inscripsit.
[d] Benedict. Arias Montanus de varia in Hebraicis libris lectione; & de exemplari Psalterii Anglicani. In sacro apparatu Regiorum Biblior. Tom. 6.
[e] Diegu. Payva d'Andrada defensio fidei Trident. lib. 4.
[f] Psal. 22. 17.
* Stap. princ. doct. l. 11. c. 12.
[g] De optim. gen. interpret. script. l. 1. cap. 6.
[h] Gen. 3. 15.
[i] De optim. gen. interpret. script. l. 3. c. 9.
[k] August. Steuchus in recognit. Gen. ad veritat. Heb. Andrad. defens. fid. Trid. lib. 4.
[l] In variis lection. Bibl. edit. vulgat. Regiorum Bibl. Tom. 6.

ferunt in manuscriptos codices omnis generis, etiam in purissimis exemplaribus. Vocabula autem illa [*ipsa*] & [*ipse*,] in quibus omnis sensus latet varietas, non tantopere discrepant, quin facilè potuerit quis in alterutro errare.

(1) באּרו (2) באּרי

Rainoldus. Nihilo magis dictiones illæ, [(1) *caaru*] & [(2) *caari*.] Simillima prorsus discrepantia. Quare si alterum esse lapsus poterat scribarum in editione Latina, ut dicis, & verè dicis, cur non item posset alterum esse in Hebraica, ut conjicitur ab [m] Andradio. Et fuisse quidem ab [n] Aria Montano pluribus ostenditur: qui propter singularem scientiam, & judicium tùm in artibus, tùm in linguis perspectum, delectus fuit (uti dixi) ut præesset illis clarissimis Bibliis, Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, & Latinè emittendis; quæ Antuerpiæ, non * sine Pontificum & Doctorum vestrorum approbatione excudebantur. Nam in ejus operis Tomo sexto docet; *quum Judæi, post Babylonicam illam suam septuaginta annorum servitutem, in patriam suam revertissent: accidisse ipsis, partim ex diuturnis molestiis & curis, quæ mentes eorum variè distraxerunt; partim ex depravatâ linguâ patriâ, quæ degeneraverat in Chaldaicum primùm sermonem, deinde in Syriacum: ut neque cognoscerent, neque ita rectè exprimerent verba Scripturarum scripta sine vocalibus, ut scribere consueverunt. Quo factum fuit, ut in illis scribendis, vel temporum injuriâ; vel tempestatum, in quas populus incidit, causâ; vel quorundam librariorum incuriâ aliquid vitii irrepserit. Quod postea per doctissimos viros, qualis Esdras, & postea Gamaliel, Joseus, Eleazar, aliique magni nominis fuere; diligenter ut sartum tectum redderetur, fuerit procuratum: quorum magno studio communiter prospectum fuerit, ut sacra lectio quàm integerrima incorruptissimaque constaret. Ex horum autem virorum vel collegio, vel institutione, per discipulos posterioribus seculis acceptâ & excultâ, illum utilissimum,* inquit, *thesaurum extitisse arbitramur, qui Masóreth, hoc est, traditio, vel traditionalis appellatus est, quòd tradat abundè & fideliter varias Hebraicorum librorum lectiones, quæcunque unquam fuere. Neque hoc manifesto divinæ providentiæ argumento carere arbitramur, quò integri & incorrupti conservarentur; quòd Masóreth conservata fuerit, & à multis annis ad nostra usque tempora tantâ curâ & diligentiâ, ut nullam vel minimam, in variis exemplaribus discrepantiam admisisse deprehensa unquam fuerit: quæ tamen in omnibus manuscriptis Bibliorum exemplaribus, quæ vel in Asia, vel in Africa, vel in Europa sunt, adscripta est, sibi omnino consentiens, eadem quæ in Venetis, magna cum legentium omnium admiratione.* In Masóreth autem istâ, tot ante secula contextâ, tam diligenter scriptâ, tanta cum fide, in tot regionibus, per tot ætates asservatâ, ut Arias Montanus testatur; Judæi ipsi testimonio suo agnoscunt, quum in vulgaribus codicibus reperiatur [*Caari*,] in certis tamen legi [*Caaru*.] Quamobrem si Judæi quidam librarii (qui libros transcripserunt) malitiâ & odio locum depravârint; quod potuit quidem fieri, quanquam qui eos insimulant, nec autorem, nec tempus, nec certum aliquod, quo id probent, argumentum proferunt: sed si quidam depravârint; quùm tamen Masóreth eorum varietatem lectionis observet, & ex aliqua parte illam approbet, quæ est verior: durum est corrupti Hebraici fontis ipsos, quod vos facitis, accusare. Longè durius, quàm si nos Latinæ versionis depravatæ Ecclesiam vestram argueremus; ubi [*ipsa*] in locum [*ipse*] substituitis: non *ipse*, sed, *ipsa conteret caput tuum.*

מסורת

Hartus. Minimè verò: retinuimus enim illam lectionem [*ipse*,] etiam in vulgata nostra Latina editione. [o] Lovanienses enim Theologi annotant

m Defen. fid. Trid. lib. 4.

n In præfat. ad lectorem de variâ in Hebraicis libris lectione: ac de Masóreth ratione atque usu.

* Pius Quintus in præfat. Regior. Bibliorum. & Gregorius decimus tertius, præfa. Ar. Mont. Elucid. in nov. Test.

o In Bibliis excusis Antuerp. à Plantino

tant in duobus manuscriptis codicibus reperiri: & fatemur nos magis consonum esse Hebraico scripto, & Chaldææ paraphrasi, Græcæq; interpretationi; etiam ita S. Hieronymum legisse; ut in Notationibus [p] Francisci Lucæ est videre, ad quas Latina Biblia nostra (à Lovaniensibus Theologis edita) vos remittunt.

Rainoldus. At in eo perpetuò tamen Franciscus Lucas altercatur, aitq; *omnia Latina exemplaria, quæ poterant inveniri*, habere [*ipsa*;] et ex duobus illis, quæ tu commemoras, dubitat, an alterum Latina, an Hebræa sit sequutum; & probare quidem velle videtur, Hebræa cum Latinis consentire posse, si paululùm incudi imponerentur. Quin, quod majus est, ut in omnibus, quæ unquam attigeram, Bibliis vestris, Latina [*ipsa*] habent, non [*ipse*;] quanquam [q] amicissimi vestri monuerint, ut (si quis pudor est) corrigatis: ita in Hebraico quodam textu celeberrimorum Regis Philippi [r] Bibliorum (quorum modò memineram) vocabulum [(1) *ipse*] immutatur juxta illud Latinorum [(2) *ipsa*;] idq;, non errore aliquo, sed consultò, quod [s] Franciscus Lucas testatur. Quæ major est in Hebraicis vitiandis audacia, quàm cujus vos Judæos jure possitis postulare. Ceterùm, si satis sit cùm ad Latinam editionem, tùm ad vos ipsos culpâ liberandos, quòd in unum, aut alterum codicem incidistis, in quo [*ipse*] legitur, ut Theologi vestri ferunt: quanto rectiùs nobis liceat cùm contextum Hebraicum, tùm Judæos liberare; qui (ut in Masóreth ipsorum observatum est,) varios libros invenerunt, in quibus [*Caaru*] scribebatur. Quum præsertim illos commendent codices, ut (1) rectè emendatos, qui istam tenent lectionem: vos vestros nullâ commendatione honestatis. Et ab illis annotatio quædam (2) reprehenditur, quam quidam temerè adscripserunt, quò alteram lectionem in ejus locum inveherent: vos ipsi verò annotationes tales affingitis. Illi (in locum istum, ubi [*caari*] legitur) annotant, (3) alium esse verbi illius sensum, quàm ubi [*quasi leo*] significet: quid vos simile de [*ipsâ?*] Vos istis multis jam seculis mendosam lectionem retinuistis, in Bibliis vestris, ne verbo quidem de verâ facto: contrà illi, in vetustis suis, & antiquis fecerunt. Deniq;, quum vos duo solùm exemplaria reperire possitis, in quibus Latina versio [*ipse,*] non [*ipsa*] legit; si tamen possitis duo, (de illis ipsis enim dubitatis:) illi, præter exemplaria illa, quæ eo exstabant tempore, quum Masóreth conscribebatur, variis abundârunt ad nostram usq; ętatem, in quibus nõ [*caari,*] sed [*caaru*] habetur. Assertum enim hoc est ex multis emendatissimis exemplaribus ab [t] Andradio. Et [u] Isaacus profitetur porrò se illiusmodi exemplar apud avum suum vidisse. Et [x] Petrus Galatinus, etiam in vetustissimis quibusdam exemplaribus ita scriptũ reperiri affirmat. Unde simul perspicias, quàm iniquè nobis exprobretis nostra Anglicana Biblia ab Hebraico textu hoc in loco discedere. Nam dic quæso: In Anglicana illa novi Testamenti versione, (in qua tute Rhemis aliquam posuisti operam) nullúmne vos verbum interpretati estis, quod in vulgato Latinæ editionis contextu non compertistis?

Hartus. Sanè; [y] *quum vel ex Græco fonte, vel ex Patribus manifestum errorem superiorum librariorum fuisse, qui pro alio aliud perperam legerunt, deprehenderemus.*

Rainoldus. Et verò quum hoc faceretis, [z] *fideliter tamen ex authentica Latina in Anglicanum sermonem convertistis.*

Hartus. Quid ni converterimus? Quoniam id *juxta editionis Latinæ maximè castigata exemplaria* præstitimus.

[p] Notationes in sacra Biblia, quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca discutiuntur: autore Francisco Luca Brugensi, S. Theologiæ Licentiato.

[q] Andrad. & Lindanus locis suprà citatis.

[r] Tom. 8. in Hebraicis Bibliis quibus Latina interpretatio inserta est.

(1) הוא

(2) היא

[s] Notation. in Gen. in cap. 3. vers. 15. *Guido Fabricius excudi curavit,* הרא *quanquam errore positũ sit,* הרת

(1) ספרים מדוייקי

(2) אמנ כסשהי גבלי

(3) בתרי לירש

[t] Defens. fidei Trident. lib. 4.

[u] In defens. veritat. Hebr. sacr. Script. lib. 2.

[x] De Arcanis catholicæ verit. lib 8. c. 17.

[y] Præfa. Rhemensis Testa.

[z] Inscriptio Rhemensis Testamenti.

RAINOLDUS. Quid ergo dicitis nos juxta Hebraicum scriptum non interpretari, quum secundùm maximè castigata Hebraica exemplaria interpretemur? Præsertim, quum nos, præter Masóreth ipsam; adeò multos manuscriptos codices consentientes sequamur: vos autem id * quandoq; interpretatione vestra ponatis, in quod in uno aliquo, cunctis licèt ceteris repugnantibus, incidistis. Verùm ita pedem suum ad saxa sunt allisuri, qui cæci quum sint, current.

HARTUS. Quin vos cæci potiùs, qui cæcitatis nomen nobis objicitis. Neq; nos non possumus tàm facilè de vobis talia, quàm vos de nobis, dicere.

RAINOLDUS. Tam facilè; sed non tam verè. Constat enim planissimè in opinione ista, quam ex Stapletono defensitas, & ille ex Lindano; tàm illos, quàm te excæcatos esse; quà per veritatis ignorantiam in textu Hebraico, quà per propensionem ad errorem in Latinâ versione. Per Hebraici ignorantiam, quũ à Judæis impudenter corruptum esse affirmetis: quod [a] Arias Montanus (haud iniquior in hac causa judex) ab iis exclamari (1) observat, *qui Masóreth sunt ignari*. Per propensionem verò ad Latinam editionem, quum eam pro authentica habeatis. Et qui fontem ipsum, originémq; rejicitis, hac specie, quòd unus aliquis ejus locus, in quibusdam exemplaribus, in una literula peccârit: versionem antefertis, quæ multis ejusmodi mendis, per omnes codices scatet, ut [b] Lovanienses Theologi ostendunt; quæ (ipso [c] Lindano vestro confitente) *monstra omnis generis corruptelarum* habet; quæ eo etiam apud vos ipsos modo editur, ut *vix unum reperire sit codicem, qui vel unicam sacri Scripturarum Canonis librum representet integrum atq; incontaminatum*; in qua [d] *complures sunt pericopæ, sive capitula, æquo obscuriùs & involutiùs reddita, immo quædam acyrologicôs, quædam catachresticôs, quædam minùs plenè, adeóq; minùs bene, ac verè transfusa*; quæ (ut concludam) [e] *loca non pauca continet à plano sensu ac genuino deturbata, præcipuè in Psalmis, * & novo Testamento*: quod Lindanus (parum putans id fide suâ asserere) testimoniis antiquorum Patrum, Augustini, Hieronymi, Hilarii, Victorini corroborat. Nónne illi cæci planè sunt, qui translationem, & illiusmodi translationem origini anteponunt? qui porrò [f] adigunt homines anathematis periculo, ut eam pro authentica, aut potiùs sancta, sacra, & canonica suscipiant? Sin ipsi se cæcos esse dum hoc faciunt, non cogitent: nónne tanto cæciores sunt ([g] Pharisæis simillimi) dum *dicunt, Videmus*?

HARTUS. Frustra tu tantopere sudas in isto de Hebraico scripto sermone. Apud me enim fixum est, ne latum unguem quidem à Concilii Tridentini decreto recedere. Quamobrem si ex nostra authentica Latina translatione probare valeas, *Sacerdotem Judicis* nomine non significari in eo loco Deuteronomii; audiam. Aliàs Hebraicum adversum Judæos urgere potes, nunquam enim me quicquam commoverit.

RAINOLDUS. Dolet sanè mihi, si te tam perverso more compares. Quin bene sit [h] Andradio, qui censet non Concilii Tridentini mentem

* Exépli causâ Hebr. 13. 2. latuerunt: quod verbum observant Theologi Lovanienses se in uno manuscripto codice invenisse. In Bibliis excusis Antuerp. à Plantino.

[a] Præfat. ad lectorem de varia in Hebr. Lib. lection. Regior. Bibli. Tom. 6.

(1) Hoc observasset Greg. Martinus, qui potiùs discere debuerat ab Aria Montano scrutari & revereri veritatem Hebraici textus, quàm ipsum calumniis exagitare, & falsitatis nequiter arguere. Detect. cap. 22.

[b] In var. Lection. Latin. Bibl. edit. vulgat. Reg. Bibl. Tom. 6.

[c] De optim. gen. interpr. Scrip. lib. 3. cap. 4. [d] Cap. 1. [e] Cap. 2. * Quod tamen nostri Anglo-Rhemenses verterunt; & ex malo Latino peius Anglicanum reddiderunt. [f] Concil. Trident. Sess. 4. *Siquis libros ipsos (veteris & novi testamenti) integros cum omnibus suis partibus prout in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit; anathema sit.* [g] Ioh. 9. 41. [h] Defens. fid. Trid. lib. 4.

fuisse, vel *Hebraicam veritatem* (quam appellat) evertere, vel vulgatam Latinam editionem ab omni errore tutam præstare, quum *authentioi* vocabulum ei accommodaret: sed tantùm nullo Latinum defœdatam errore exsistere, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, & moribus posset colligi. Verùm si te nihil Hebræi fontes commorint: quid ad (1) Chaldæam paraphrasin respondes? Aut si illa non pluris à te æstimetur, quòd tam fideliter veritatem Hebraicam in Mosis libris explicet: qualis tibi Græca illa Septuaginta Interpretum editio videtur? quam [i] prisci Patres, qui aut de Latina vestra nunquam audiverunt, aut eam non in tanto habuerunt pretio, mirum in modum sunt venerati. (2) Apud illos autem, uti in Hebraicis, habetur, *Sacerdoti aut Judici:* Unde clarum est illis Judicem alium, distinctúmq; à Sacerdote visum esse. Num illi te commoturi sunt? Aut Græcum etiam adversum Græcos mihi urgendum imponitur?

(1) מן כהנא או מן דינא

[i] Irenæus adversus hæres. l.3.c.25. Hilar. in Ps. 2. Epiph. de mensur. & pond. August. de civit. Dei. lib. 18. ca. 43. Cyprianus similiter, qui etiam hic vertit *Sacerdotem aut Iudicem*. ep. 40 & 55. & 62. & & 65. & 69.

(2) τῶ ἱερέως ἢ τῶ κριτῶ.

HARTUS. Veneror ego Græcam illam Septuaginta Interpretum editionem. Illam tamen corruptelis magis obnoxiam fuisse, quàm Latinam opinor; immo verò variis in locis fuisse depravatam. Quare perpetuò ad Latinam nostram provoco, neq; illam quovis prætextu rejiciam.

RAINOLD. Latinæ igitur vestræ (quoniam ita necessum est) verba examinemus. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Judicis morietur homo ille.* Nónne ex hoc ipso loquendi genere, *Sacerdotis* & *Judicis* differentia ponitur? *Sacerdotis*, ut Ecclesiastici; *Judicis*, ut civilis magistratus? *Illum Judex morte plectito, qui Sacerdoti non obtemperat.*

HARTUS. Gladium certè justitiæ civili magistratui datum esse non nego: atq; ita inter *Judicem* & *Sacerdotem* discrimen cernitur. In Judæorum tamen republica, utraq; officia in uno aliquo homine quandoq; conspirârunt, quod in [k] Eli est videre.

[k] 1. Sam. 4. 18

RAINOLDUS. Sed rarum hoc fuit, atq; extraordinarium. Lex autem illa quam per Mosem servum suum Deus in Deuteronomio sanxit, usitatam rerum formam & ordinariam Israëlitarum politiam respexit. Nam, & generalis est, nullis personarum temporúmve limitibus circumscripta, ut quæ perpetuò, non in diebus Eli modò, ad dirimendas controversias foret observanda: & scriptis consignatum est, quum Josaphat Rex res collapsas Israëlitarum restitueret, [l] *Jerosolymis constituisse ipsum è Levitis & Sacerdotibus; & ex primoribus paternarum familiarum Israelis, ad judicia Jehovæ, & ad lites.* Quod ab ipso ratione illius legis adhibitâ gestum esse, ex iis verbis liquet, quibus ipsos est alloquutus: [m] *Quæcunq; lis pervenerit ad vos à fratribus vestris residentibus in civitatibus suis, de discrimine inter cædem & cædem, inter legem & præceptum, statuta & judicia: admoneatis eos ne rei fiant Jehovæ:* Quum igitur lex illa Deuteronomii scita fuerit ad supremum quoddam judicii forum stabiliendum; in quo omnes difficiliores causæ Ecclesiasticæ civilésq; sine alia ulla provocatione definirentur: planè tùm ex ratione, tùm ex praxi legis ostenditur, propter duo causarum genera, hominum duo genera illis audiendis esse designata, Ecclesiasticum, & Civile; Civile *Judicis*, Ecclesiasticum *Sacerdotis* nomine significari. Quorum, quoniam, ut officia, sic personæ ex more & lege distinguebantur; inde consequens est *Sacerdotem Judicis* nomine non intelligi.

[l] 2. Chr. 19. 8

[m] Ver. 10.

HARTUS. Glossa tamen, illa Deuteronomii verba explanans, ait *Judicem* pro *summo Sacerdote* accipi, quod ego dixeram.

RAINOLDUS. At [n] Lyra & Caietanus (viri cum illis comparandi, qui Glossam contexuerunt, si homines audire aves) per *Judicem* aiunt *civile Magistratum*, quod ego dixeram, denotari. Qui sensus loci ita perspicuus & certus est; ut Carolus Sigonius, Papæ ipsi addictus Historicus, (in [o] libro quodam, quem * nuper Bononiæ emisit, Episcopi & sanctæ Inquisitionis concessu, & Gregorio Papæ decimo tertio dicavit) affirmet in illo Deuteronomii loco, per *Judicem*, *Regem* intelligi. Potest quidem fieri, Harte, ut ab illo tempore quo tu exteras nationes reliqueras, collegerint se; & quum Glossam senserint textui contradicere, nolint ampliùs eam tutari. Næ, si suprematus ad Judicem pertineat, Principi is majori jure, quam Papæ est deferendus. Nam certum est (quod ego ex Scripturæ circumstantiis exposui) *Sacerdotem* per *Judicem* non fuisse significatum.

[n] Commét. in 17. Deuteron.
[o] De repub. Heb. l. 6. ca. 7.
* Ann. Dom. 1582.

HARTUS. Meâ nihil interest, sive sic, sive secus fuerit. Mihi satis est, *illi, qui Sacerdoti recusat obedire, lege moriendum esse.* Quod item satis est, ad unius Sacerdotis principatum evincendum.

RAINOLDUS. Non est. Nomen enim *Sacerdotis* (in lege ista) *Sacerdotes* significat. Quod apertum est, quum nocentis pœna legem respiciat: & lege jubentur homines ut [p] *Sacerdotes* adeant: *Sacerdotes*, ait, tanquam de multis; non, ut de uno, *summum Sacerdotem*. Quare, in sententia *capitis* ferenda in illum *qui Sacerdoti non obsequitur*, Sacerdos lex intelligit, juxta quādam sermonis * figuram, qua per partē notatur totum. Quemadmodum deinceps similiter [q] *de officio, & jure Sacerdotum agens*, illos universim *Sacerdotis* nomine complectitur.

[p] Deut. 17. 9.
* Συνεκδοχῆ.
[q] Deu. 18. v. 3.

HARTUS. Hîc autem, post factam de *Sacerdote* mentionem, sequitur: *Qui ministrat Domino Deo tuo.* Quo titulo *summus Sacerdos* nominatim insignitus fuisse, & à reliquis sejunctus videri possit.

RAINOLDUS. Posset verò, nisi idem titulus [r] postea *Sacerdotibus* generatim ascriberetur: etiam ubi hoc [s] rursum consultò attingitur; *Sacerdotes filios Levi elegit Jehova Deus tuus ad ministrandum sibi, & ad benedicendum in nomine Jehovæ: & ex eorum præstituto agetur omnis controversia, & omnis plaga.*

[r] Ver. 5.
[s] Deut. 21. 5.

HARTUS. Dabis tamen, uti spero, inter Sacerdotes unum aliquem summum extitisse; etiam in hoc ipso summi judicii in causis dubiis negotio. Quod (in [t] eodem Scripturæ loco, quem ad hujus explanationem adduxisti) à Rege Josaphato ostenditur, ipsos alloquente quibus judicium illud commissum erat; *Amarias Sacerdos in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.*

[t] 2. Chr. 19. 11

RAINOLDUS. Istud ego dabo tibi. Verùm tu mihi etiam des oportet; ut qui honos illi inter Sacerdotes concessus fuerit *in rebus Domini*, hoc est, Ecclesiasticis: idem inter Judices Zebadiæ concessus sit *in Regis negotiis*, hoc est, in civilibus controversijs. Perinde enim hoc atq; illud à Rege Iosaphato dicitur. Quòd si igitur, (ut ad alteram tuæ claudæ similitudinis partem veniam,) Christianis unus sit futurus in omnes summus Episcopus, quia Judeis unus fuerit summus *Sacerdos*: Christianis itidem unus in omnes Princeps summus est futurus, quia unus Judæis fuerit summus *Judex*. Et, sicut difficiliores omnes causæ, religionis saltem illæ, ad Papam sunt deferendæ: ita cuncta civilia negotia deferenda sunt ad Imperatorem. Et, ut apud Judæos *Sacerdos* & *Judex, in loco quem elegerat Dominus*, residebant: ita Papæ pariter & Imperatori, Romæ est cōmorandū. Quod ne Carolus quintus Imperator faceret, [u] Paulus tertius metuebat. Verùm ille Gallos accivit, ut eum ab ingressione urbis arceret. Si Gregorius (qui nunc ad

[u] Onuphrius, in vit. Pont. Pauli tert. *Pontifex, ex quibusdam Cæsaris verbis veritus, ne Cæsar Romæ diu commoratus, eius occurrande illecebris caveretur clam Bellaium & Stephanum Columnum, ut in Italiam Gallos acciveret, emisit.*

Papatûs sedet gubernacula) meliori animo sit, velitque civili suo statu unà cum Palatio Vaticano, & Castello Divi Angeli Imperatori cedere: tum certè, quam tu rationem ex lege Deuteronomii firmas, ea ad institutum tuum videri possit magis opportuna. Quanquam tum quidem Imperatorem potiùs, quàm Papam juverit: quòd *Judicem*, ut unum; *Sacerdotes*, ut multos memoret.

HARTVS. Non est ad Rempublicam administrandam necessarium inter Principes, ut unus eorum aliquis omnibus Princeps dominetur. Verùm, ut Rex Iudæ in regno suo: ita Principum quisq; in ditione sua summus habetur.

RAINOLDVS. Neq; sanè ad Ecclesiam gubernandam est necessarium inter Episcopos, ut unus eorum aliquis omnibus Episcopus præficiatur. Verùm, ut Sacerdos summus Iudæis, ita quisq; Episcopus provinciæ suæ summus præsidet.

HARTVS. Quinimmo, Ecclesiæ Reiq; publicæ conditio in hoc dissimilis est, atq; dispar. Nam possunt fulciri Respublicæ, tametsi non modò à diversis Regibus, & civilibus Magistratibus; sed etiam diversis legibus & institutis regantur. Ecclesia verò, sicut unam fidem in universis Christianis complectitur: ita iisdem legibus institutisq; religionis in omnibus finibus & terris muniri debet.

RAINOLDVS. Discrepantia ista & dissimilitudo Ecclesiæ, & Reipublicæ, tenuior est quàm tu autumas, si rectè attendatur. Nam eodem esse loco deberet in Republicâ justitia & æquitas, suum cuiq; tribuendo, quem sibi in Ecclesia fides & religio vendicat. Quemadmodum autem in religione, quædam sunt quæ substantiam ejus attingunt, quædam quæ ceremonias; ita in justitia quoque, quædam sunt ei essentialia, quædam annexa & adventitia. Quæ essentiam justitiæ denotant, eadem in omnium Rerumpublicarum legibus existunt. Quid enim aliud * *lex* est, quàm *divina ratio, jubens ea quæ facienda sunt, prohibénsq; contraria?* Quæ autem adventitia sunt, pro circumstantiis locorum, temporum, & personarum, solent, possúntq; immutari. Ita religionis quoque leges essentiâ quidem suâ, eædem per omnes Christianas Ecclesias debent permanere: ceremoniis verò discrepare possunt, ut in * primæva Ecclesia discrepârunt. Nihilo magis igitur eâdem fide, & legibus religionis coguntur Ecclesiæ omnes uni Episcopo subjici; quàm eodem jure & institutis justitiæ, uni Principi omnium Rerumpublicarum summa permittitur. Verùm, in quamcunq; demum de hac re sententiam opinio tua te impulerit: Deuteronomii verba illa, quæ *mortem indicunt, si qui Sacerdoti non obedierint*, nequicquam opinioni tuæ prodesse valent; etiamsi de nullo alio quàm de summo Sacerdote concedantur scripta. Christus enim, quum Apostolos suos mittebat ad prædicandum Evangelium, dixit illis; *Quicunq; non receperit vos, neq; audierit sermones vestros; exeuntes domo, aut urbe illa, excutite pulverem pedum vestrorum. Amen dico vobis, tolerabilior erit conditio terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quàm urbis illius.* Quæ, quum omnibus Apostolis, non uni Petro dicta sint; perindéq; ad omnes eorum successores, atq; Petri pertineant: indicio sunt, cuiq; Episcopo non minorem autoritatem à Christo datam esse, quàm in lege illa Deuteronomii, Sacerdoti. Quare sæpius à * Cypriano commemoratur, (& hoc quidem non sine meliori à proportione deducta ratione, quàm eâ quam tu urges) quo Episcoporum probet autoritatem cuiq; sigillatim in greges suos concessam.

HARTVS. Et quid quæso, siqua difficilior religionis controversia oriatur, quàm ut valeat Episcoporum quisque sigillatim eam decidere? Quid si inter se dissentiant, nec velint alii aliorum judiciis acquiescere? Nónne à ratione, & prudētia docemur, summum aliquem esse deligendum Judicem, qui litem dirimat, ut cōservetur veritas fidei, & pax Ecclesiæ, ne hæresibus & schismatis obruatur?

*Cic. de legib. lib. 1. L. Nam & Demosthenes. D. de legibus.

* Euseb. histor Eccles. l. 5. cap 23. Socrat. histor. Eccles. l. 5. c. 21.

y Mat. 10. 14.

z Epist. 40. & 55. & 62. & 65 & 69.

RAINOLDVS. Illum divina prudentia principatum, ut ita loquar, judicii, nō unius supremæ potestati, sed multorum communi curæ commisit. Nam natā quondam seditione, ac disceptatione quadam in Ecclesia Antiochena de legis Mosaicæ observatione; Judæis quibusdam contraria Pauli & Barnabæ doctrinæ dogmata disseminantibus: [a] *statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex illis ad Apostolos ac Presbyteros Jerosolymam, percontaturi de quæstione.* Atq; hoc pacto communi eorum, unanimiq; consensu & decreto, dirempta lis fuit, custodita fidei veritas, & in Ecclesia pax conservata. Quo exemplo [b] Episcopi (qui illis successerunt) similes conventus, de causis similibus instituerunt; & communi congressu colloquióq; iis negotiis tùm doctrinæ, tùm disciplinæ providerunt, quæ communiter ad Ecclesiarum suarum statum pertinebant. His mediis ab Apostolis, Apostolicisq; viris schismatis & hæresibus occurrebatur. Illorum prudentia vestrum de uno summo Judice artificium nunquam est assequuta.

HARTVS. Magnas Concilia & Synodos Episcoporum utilitates afferre non renuimus. *Oculi enim plus vident quàm oculus.* Majores tamen sunt futuræ, si illi omnes uni moderatori assideant consiliarii, quàm si sua singuli, & cuncta communiter moderentur. Nam à ratione docemur, unius imperium, quod *Monarchiam* appellamus, multorum imperio melius esse, & dignius; quod Philosophi commētantur, qui de Rebuspublicis scripsere.

RAINOLDVS. Est sanè *ratio* egregium humanæ imbecillitati adjumentum: si ancilletur fidei, ut pedissequa; non dominetur, ut magistra. Et artes quidem humanæ, in quibus multas scintillas divinæ veritatis, rationis luce ducti *Philosophi* dispexerunt, instrumenta sunt ad veritatem illustrandam commoda; quoad inducias ipsis manserint cum Dei verbo, nec ei bellum indixerint. Sin autem hallucinati *sint Philosophi*, ut *homines* [c] *animales* qui *neq; capiunt ea quæ sunt Spiritûs Dei, nec possunt ea cognoscere*: si *rationi* oculorum acies quasi perstricta sit, quoniam [d] *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*: metuendum profectò est [e] *ne quo modo, sicut serpens ille Evam seduxit calliditate suâ, ita vos quoq; ratione fallat*; & vobis excidat è memoria, illa Spiritûs sancti monitio; [f] *Videte ne quis sit qui vos deprædetur per Philosophiam.* Quod ego non tam de hoc vestro Ecclesiasticæ politiæ placito, quàm de universa doctrina vestra affirmo: cujus ingens fundamentum apud Scholasticos vestros jacitur *Philosophia*; et [g] Jesuitæ vestri provocatio eam *naturali moraliq; ratione* stabilire recepit. Nam hîc, si liberet modò mihi hanc causam *Philosophorum* firmamentis præstare, nullo negotio ostenditur, Ecclesiæ politiam ab omni parte perfectam esse Monarchiam, ubi Christus Rex est, ejus leges, Scripturæ; administri, Episcopi; qui non eum in finem designati sunt, ut uni legato assideant, sed ut ipsi singuli legati sint, [h] Pastores planè gregis ejus, & [i] duces, & [k] Episcopi Ecclesiæ. Quanquàm si à Regiis mundanarum Rerumpublicarum formis discedat, de quibus Philosophi loquuntur, ut nonnihil discedit: nihil hoc miri debet esse Philosophis, quum denunciarit [l] Christus *regnum suum ex hoc mundo non esse.* Apostoli quidem certè ejusmodi quoddam regnum meditati sunt. Verùm [m] Christus edixit, *non ita futurum inter illos, ut apud Principes Gentium.* Quæ Christi verba, quum Papæ vestri minimè intelligerent, conjicerentque Apostolis nihil aliud quam Tyrannidem quandam Ethnicam interdici; nec non etiam Monarchiam amplecterentur, quòd ea Philosophorum laudata sit testimoniis: [n] *visibilem* à se excogitatam *Monarchiam*, pro Christi Monarchia excitârunt; & transmutârunt regnum ejus, quod *ex hoc mundo* nō fuit, in mundanum regnum, *regnum Romanorum*, ut à [o] Iesuita quodam venditatur. Neq; continent se ejusmodi

[a] Act.15.2.

[b] Euseb. hist. Eccles. lib.5. cap.14. & 21. & 22. lib.7. c. 26. & 28. Cyprian. ep. 6. & 14. & 31. & 53. & 72. & 75. Concil. Ancyr. Grangr. Antio. Laodic. &c.

[c] 1. Cor.2.14.

[d] Ioh.1.5.

[e] 2. Cor.11.3.

[f] Col.2.8.

[g] Camp. Epist. suę articulo.5.

[h] 1. Pet.5.2.

[i] Heb.13.17.

[k] Act.20.28.

[l] Ioh.18.36.

[m] Matt.20.26.

[n] Nicola. Sander. de visib. monarch.

[o] Francisc. Turrian. de Eccles. & ordin. minist. Eccles. lib.1. c.2.

regni finibus, cujusmodi *Principes Gentium* possederunt, sed se ipsos Principes cõstituunt * super *omnes Gentes & regna terrarum.* Quæ grandior est Monarchia, quàm ut Philosophis placeat. Quod ex iis docere possem, si Papæ causa in illorum Scholis esset agitanda. Sed quoniam non libet mihi nugando tempus conterere in otiosis de rebus politicis commentationibus; quod faciunt p Rabbini vestri, ut efficiant præstantissimum esse statum Monarchiam: ideo adversum tales rationes eam premo exceptionem, quam q Tertullianus olim contra hæreticos; *Quid Athenis, & Jerosolymis? Quid Academia & Ecclesiæ?* Christianis hoc officii incumbit, ut scrutentur, expendántq; in rebus fidei, non quid ratio, sed quid religio; non quid Philosophi, sed quid Prophetæ & Apostoli; non quid humanum cerebrum, sed quid Dei Spiritus loquatur. Atq; ita priores partes firmamenti defensionis tuæ pro Papæ suprematu, ad eum confirmandum sunt nimis imbecilles. Postrema illis utrisq; est debilior. Nam unum aliquem oportere summum, & supremũ Pastorem Ecclesiæ in terris præesse; ab aliqua è Philosophia petita ratione non abhorret. Unum etiam illum à Christo Petrum constitutum esse, à specie quadam Scripturæ non est alienum. At Petro Papam in eo succedere, nulla hoc quidem Scripturæ specie adumbratur; & tu, opinor, hoc aliqua è Philosophia petita ratione non docebis.

* *Super Gentes & regna*, inquit Iohannes Papa vicessimus secundus in extravag. commun.

p Sander. visib. monar. lib. 3. c. 3. Bellar. cõtrov. 4. qu. 1.

q De præscrip. advers. hæret.

SECTIO TERTIA.

HARTUS. Petro Papam in eo succedere, contestata res est. r Eusebius enim scribit; *Petrum, quum primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, (ubi septem annis sedit) Romam proficisci: ubi Evangelium prædicans viginti quinq; annis, ejusdem urbis Episcopus perseverat.* Iam verò Papa Romanus Episcopus est: quod fateris. Quare inde concludo, illum Petro succedere. Petrus enim illius civitatis Episcopus perseverabat, sicut Eusebius attestatur.

r In Chronico

RAINOLDUS. Cupiebam autem ego audire, *Sic dicit Dominus*: atq; id auditurum me tu promittebas. In prima quidem argumenti tui parte, ab eo lapsus es, ad, *Sic dicit Papa.* Quod in proxima quidẽ, hoc pharmaco sanasti, *Sic dicunt Philosophi.* Ultimam verò hac via aggrederis, *Sic dicit Eusebius.* Et est hoc quidem, quã sunt ea, quæ præmisisti, speciosius aliquanto. Sed nullum fidei adminiculum absq; verbo Dei.

HARTUS. Non est ita facilè rejiciendus Eusebius, tanquam fidei nullius homulus. Omnium enim ille optimus, antiquissimúsq; exsistit Historicorum, qui ullam in contexendis Ecclesiæ Christi annalibus operam posuere. Et sanè labor ille, illa diligentia, variáq; lectio illa, judiciúmque, quæ in Chronicis suis exhibuit; magna fuere, & admiranda. Adeò ut s Cano persuasum sit, non quenquam alium inter Ecclesiæ, sive Latinos, sive Græcos autores, prẹstantiora nobis potuisse temporum monumenta relinquere.

s Locor. Theolog. l. 11, c. 6.

RAINOLDUS. Ego certè Eusebium ut bonum Historicum complector; & quam ei laudem Canus attribuit, eam ego non detraho. Sed conclusionem pariter quandam laudatam habet Canus, tàm de illo, quàm de aliis rerum gestarum ventilatoribus; videlicet, t *præter autores sacros nullum Historicum certum esse posse, idest, idoneum ad faciendam certam in Theologia fidem.* Res ita cuiq; per se obvia & manifesta, ut *suis dicat argumentationibus eam non esse comprobandam.* Solummodo in eum finem, verum quoddam & salsum u Flavii Vopisci apophthegma commemorat, qui historias conscripturus dixit; *fidentiùs se illas aggredi, habiturum mendaciorum comites, quum neminem sciret Historicorum non aliquid esse mentitum.* Quo morbo si omnes Historici laborant (sacros illos Scriptores excipio, qui Spiritu Dei, non hominis, dictante scripserunt:) poterat etiam Eusebius, quã-

t Cap. 4.

u In vit. Aureliani.

vis bonus Historicus, eidem obnoxius esse. Quod tu eo libentiùs de illo credas oportet, quum historiam ejus [x] Gelasius Papa (in septuaginta Episcoporum Synodo) apocrypham pronunciaret. Quam censuram [y] Canus tuus æquam censet, ejusq; rationes reddit. Nempe [z] quòd *Epistolam Christi ad Abgarum* scriptam referret; & [a] *multa Clementis Alexandrini testimonio* confirmaret: quum & fabula illa, & hujus opuscula à [b] Concilio apocrypha judicentur.

[x] Dist. 15. c. sācta Roman. [y] Lib. 11. c. 6. [z] Eus histor. Eccles. l. 1. c. 14 [a] Lib. 1. cap. 13. & alibi passim [b] Dist. 15. c. sancta Romana.

HARTUS. Errores istos ceterósq;, quos Canus perstringit, in historia Eusebii offendimus: quam tamen non Canus modò, sed Synodus etiam laudat, tanquam non *usquequaq; renuendam*. Sed quod ego objeceram, in Eusebii Chronicis scribitur: quæ neque notata sunt censurâ Synodi, & mirè a Cano sunt dilaudata.

RAINOLDUS. Utrorumq; verò unus idémq; autor exstitit: nec non potuit in altero errare etiam, qui in altero errasset. Quin [b] Canus ipse qui laudat Chronica, non tamen absq; exceptione istâ; *ne illa quidem, quæ ibi Eusebius refert, vera esse omnia. Quin reperias aliqua, quæ jure ac verè reprehendas. Cujusmodi illud est, quòd eundem scribit fuisse Senacherib, qui Jerosolyma obsedit; & Salmanasar, qui Samariam ceperat. Id quod divinis literis esse contrarium* [c] *Hieronymus edocuit*. Quod autem me sollicitum habet in Eusebii Chronicis, simillimus lapsus est, & pari jure in reprehensionem incurrit cum illo Cani; quoniam perinde atque illud cum Scriptura pugnat. Ubi enim referat, *Petrum quum primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, (ubi* * *septem annis sedit) Romam proficisci; ubi Evangelium prædicans viginti quinq; annis, ejusdem urbis Episcopus perseverat*: Petrus, hoc modo subductis rationibus, Antiochiam, anno post Christi mortem quarto, contendisset, ibiq; septennium habitasset; usq; ad secundum Claudii Cæsaris annum, quo Romam concesserat. Atqui Scriptura narrat, Paulum (qui non [d] continuò post crucifixum Christum, ad Christum est cōversus,) tamen [e] post trium annorum decursum, Petrum Jerosolymis offendisse: à quo tempore quoque Petrus [f] intra oras Judææ se continebat; primùm [g] Lyddæ, tum [h] Joppæ, postea [i] Cæsareæ, deinde [k] Jerosolymis; ubi [l] ab Herode in carcerem conjectus est, secundo, aut tertio Claudii anno, ut verisimile est, (nam [m] quarto [n] mortuus est:) quum [o] Antiochena interea Ecclesia, ab aliis, non à Petro, & sata esset, & irrigata. Quamobrem prima ejus pars, quod Eusebius de Petro commemorat, *septem ipsum annis Antiochiæ sedisse, anno Claudii secundo*, sacris eloquiis è regione adversatur. Nec minùs altera, *ab illo tempore deinceps Romæ ipsum viginti quinq; annis sedisse*; hoc est, per universum vitæ reliquæ suæ spacium, quoad Neronis jussu in crucem actus sit. Nam (ut vel maximum, quod ullam probabilitatis speciem habeat, elargiamur) fac illum primo Claudii anno ab Herode in carcerem conjectum fuisse: priùs quidem non poterat. A * Claudio enim Judææ imperium Herodes accepit. Postquam verò illum Angelus è carcere eduxisset, [p] *profectus est in alium locum*. Romámne, an Antiochiam, an fortassis neutrum in locum discesserit, Scriptuta nihil certi reliquit; sed, ut Chronicis Eusebii placet, vel Antiochiam, vel Romam. Si Antiochiam se receperit, ibiq; ad annos paucos vixerit, priusquam Romam attingeret: secundus jam Claudii annus præteriit, nec potuit Romæ viginti & quinq; annis cōmorari. Atqui certum est vel eo ipso, vel alio aliquo tempore Antiochiam eum perrexisse. Etenim [q] Scriptura testis est, istic ei Paulum restitisse. Sin illud iter aliàs susceperit, & statim è custodia Jerosolymitana rectà Romam versus navigârit: ne hac quidē ratione ejus in illa civitate commoratio annorum viginti quinq; summam confecerit. Nam postquam eò appelleret; aliquod tempus investigandum est, quo Antiochiæ vixerat: aliud, quo [r] Babylone: aliud, quo [s] Jerosoly-

[b] Lib. 11. c. 6.

[c] Comment. in Esai. cap. 36 * In Chronico Eusebiano habetur [*viginti quinq;*] culpâ Typographorum, aut manuscriptorum codicū, quos sequuti sunt. Nam ex annorum ratione, & cōsensu Scriptorum qui illum sequi videntur, legendum esset septem tantùm. [d] Act. 9. 3. [e] Gal. 1. 18. Act. 9. ver. 28. [f] Ver. 32. [g] Ver. 38. [h] Ver. 43. [i] Act. 10. 48. [k] Act. 11. 2. [l] Act. 12. v. 3. [m] Ioseph. Antiquit. Iudaic. lib. 19. cap. 7. ubi Herodes iste nominatur *Agrippa*. Euseb. histor. Eccles. l. 2. c. 10 [n] Act. 12. v. 23. [o] Act. 11. 22. * Ioseph. antiquit. Iudaicar. lib. 19. cap. 5. [p] Act. 12. 17. [q] Gal. 2. 11. [r] 1. Pet. 5. 13. [s] Gal. 2. 1. & Act. 15. 7.

mis Synodo Apostolorum intererat: etiam hæc tempora nonnulli sequuti sunt anni,[t] quum Paulus ad Romanos scribens, in [u] præcipuis illis quos salutavit, non nominabat Petrum: & adhuc etiam nonnulli, quum Paulus [x] captivus Romam proficiscebatur, quum illic [y] ad annos aliquot diversabatur, quum [z] illinc multas Epistolas conscribebat, ubi nullum de Petro verbum; immo illis de rebus verba fiunt, quæ Petri dehonestassent Apostolatum, si Romæ tum temporis vixisset.[a] De aliis enim Paulus; *Hi soli adjutores in regno Dei fuere mihi solatio*: &,[b] *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: ne illis imputetur.* Quarum rationum, etiamsi quædam probabiles tantum videantur; quædam tamen certa sunt argumenta, non ita diuturnam Petri fuisse Romæ commorationem, atq; fuisse ab Eusebio referatur. Atq; hoc adeò perspicuum est; ut, (si de [c] antiquioribus taceā scriptoribus, qui quò concilient aptius aliquantò Scripturas huic ejus viginti & quinq; annorum commorationi in urbe Romana, eòdem illum serius conduxerūt, & vitam quoq; illi concesserunt longiorem) Onuphrius Panvinius, fraterculus quidam vestras, Papæ devotissimus homo, in monimentis vetustatis & sacris Ecclesiæ historiis scientissimus, hoc agnoscat, & argumentis confirmet. Nam in commentationibus *annotationum* suarum [e] *in Platinam*, primò Venetiis, deinde Coloniæ editis: *Ex novem*, inquit, *primis annis post Christi mortem, usq; ad initium secundi anni imperii Claudii, Petrum Judea nunquam excessisse, ex Actis Apostolorum, & Pauli Epistola ad Galatas apertissimè constat. Si igitur, ut inter omnes autores convenit, eo tempore Romam venit: illud certè necessarium videtur, eum, ante ad urbem adventum, Antiochiæ septem annis non sedisse; sed hanc ejus Antiochenam cathedram alio tempore fuisse. Quam rem ex vetustissimorum autorum testimonio sic constitui. Secundo imperii Claudii anno Romam venit. A quo tempore usq; ad illius obitum anni plus minus viginti quinq; intersunt: quibus etsi eum Romæ sedisse veteres scribant; non tamen propterea sequitur, ipsum semper in urbe commoratum esse. Nam quarto anno ejus ad urbem adventus, Jerosolyma reversus est: & ibi Concilio Apostolorum interfuit. Inde Antiochiam profectus, septem ibidem annis usq; ad Neronis imperium permansit. Cujus imperii initio Romam reversus, Romanam dilabentem reparavit Ecclesiam. Peregrinatione inde per universam fere Europam suscepta, Romam rediens novissimo Neronis imperii anno, martyrium crucis passus est.* Ista Onuphrii vestri confessio est, emissa fortassis ægriùs; sed huc eum lumen veritatis & Scripturæ adegit. Unde intelligas licet, quum Eusebius scriberet; *Petrum sedisse, primùm septem annis Antiochiæ; post viginti quinq; Romæ*: id ei contigisse, quod [d] Thucydides de priscis Græcorum historiis memorat; *Homines, rumores rerum præteritarum per manus quasi traditos, à se invicem, iis * nequaquam probatis aut exploratis, accipiunt.* Nonnulli accensi desiderio quodam, ut videtur, cathedras illas, Antiochenam & Romanam, honoribus prosequendi; quum accepissent Petrum in utrisq; verbum Dei prædicasse: commenti sunt illum, in altera septem annis; viginti & quinq; in altera consedisse. In hoc Eusebius inciderat, & sine ulla alia adhibita disquisitione, Chronicis suis consignavit. Sin verò illud ad Lydium sacrarum tabularum lapidem revocasset: tanquam adulterinum rejecisset. In qua sententia eo libentior sum; quòd in [e] Historia sua, Petri ad urbem Romanam quasi ex Judæa, non Antiochia proficiscentis adventum, ad primam ejus ad urbem Claudio imperante profectionem refetat: ad secundam autem quod attinet, Nerone imperante, profectionem; ex [f] Origene [g] edocet, *eam ipsum, quum jam propiùs à morte abesset, suscepisse: quum circumiens Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam, Evangelium Judeis prædicasset.* Quocirca, quū Eusebius in Historia sua à suis Chronicis, & in Chronicis à Scripturis

[t] Rom. 15. 25. Act. 19. 21. & 20. 22.
[u] Rom. 16. 3.
[x] Act. 28. v. 17.
[y] Ver. 30.
[z] Ad Galat. Ephes. Philip. Coloss. Tim. & Philem.
[a] Col. 4. 11.
[b] 2. Tim. 4. 16.
[c] Methodius in Chronic. Marian. Scot. Chron. lib. 2. Regino. Chro. lib. 2.
[e] De vitis Pōtif. Rom. Annotat. in vitā B. Petri, apost.
[d] Histor. lib. 1.
* ἀβασανίστως
[e] Hist. Eccles. lib. 2. cap. 14.
[f] Exposit. in Gen. Tomo. 3.
[g] Hist. Eccles. lib. 3. cap. 1.

turis discedat: non mihi vitio vertas oportet, si certius testimonium, quàm Eusebii verba, postulem; quo Petrum urbis Romanæ Episcopum constet exstitisse.

HARTVS. Non est animus de certis Petri ad urbem Romanam adventus, aut ejus in civitate commorationis annis, sermones tecum conferre. Illorum per me hoc negotium esto, quibus cordi est antiquitates ventilare. Verùm Romæ ipsum fuisse extra controversiam ponitur: idem Scriptura pro testimonio dicit. In prima enim ejus Epistola, quinto capite; [h] *Salutat vos*, inquit, *Ecclesia, quæ est in Babylone, coëlecta, & Marcus filius meus*. Ubi Protestantes vestri produnt se (ut in omnibus pariter locis, qui contra ipsos faciunt) inhonestissimos, & iniquissimos esse divini eloquii enarratores. Priscis Patribus [i] Hieronymo, [k] Eusebio, [l] Oecumenio, multisq; aliis de hoc convenit, *Romam* per *Babylonem* istic intelligi, quemadmodum in [m] Apocalypsi: qui disertè prædicant hanc Epistolam Petrum *Romæ* exarasse, quæ *Babylon* appellatur, propter illam, quam habuit cum *Babylone* illâ magnâ Chaldææ civitate (ubi Judæi captivitatem passi sunt,) similitudinem magnificentiæ, Monarchiæ, frequentiæ, confusionisq; omnium populorum & linguarum; & quòd tùm ante Christum natum, tùm etiam multis pòst annis, omnis Ethnicæ superstitionis & idololatriæ sedes exstiterit, & Apostolorum aliorúmq; servorum Christi, profanis Imperatoribus illic præcipuè commorantibus, laniena. Hoc quum ita planum sit, consonúmq; ei quod de Marco sequitur, quem omnes Ecclesiæ annales, Romæ discipulum Petri fuisse conclamant, ibíq; Evangelium suum conscripsisse: vos tamen * anxii hîc de Petri aut Papæ primatu Romano, qui hinc sequatur; eum illic unquam fuisse, aut hanc illic Epistolam exaratam fuisse, aut *Babylonem* hîc *Romam* significare, prorsus reclamatis: sed hanc Petrum Epistolam scripsisse dicitis *Babylone* Chaldeæ urbe, etsi nunquam vel in Scripturis, vel in aliis sacris profanísve historiis, eum in illa unquam urbe fuisse, traditum offenditis. Ecce autem vestram ab omni pudore derelictam judicii iniquitatem. Istîc, *Babylon* (dicitis vos) pro *Romana* urbe non accipitur: quòd inde consequens foret Petrum Romæ fuisse, & sic in ceteris. At in Apocalypsi, ubi cuncta de *Babylone* mala referuntur, illic nihil præterea vultis intelligi, quàm *Romam*, & verò Romanam Ecclesiam quoq;, non (ut Patres interpretantur) civilem Ethnici imperii statum illic constituti. Ita in singulis verbis, nihil aliud sequimini, quàm quod cum hæresis vestræ compendio teneatur. Quod hinc insigniter appâret, quum tueamini Petrum nunquam Romam attigisse. Ubi vos quidem ipsos impudentiâ superatis. Omnes enim Ecclesiæ annales, omnes Patres Græci Latiníq; aversantur, [n] Theodoretus, [o] Prosper, [p] Leo, [q] Augustinus, [r] Orosius, [s] Chrysostomus, [t] Epiphanius, [u] Prudentius, [x] Optatus, [y] Ambrosius, [z] Hieronymus, [a] Lactantius, [b] Eusebius, [c] Athanasius, [d] Cyprianus, [e] Tertullianus, [f] Origenes, [g] Irenæus, [h] Hegesippus, [i] Caius & Papias ipsorum Apostolorum discipuli, Dionysiúsq; Corinthiorum Episcopus, [k] Ignatius, [l] sancta Chalcedonensis Synodus, aliíque multi. Etiam Petrus ipse (Patrum judicio, ut ostendi) fuisse Romæ se confitetur, quam Babylonem vocat.

RAINOLDVS. Grave hoc quidem crimen quod *Protestantibus nostris* objicis, *ab omni pudore derelictæ judicii iniquitatis*. Sed utri magis se *iniquos, & inhonestos divini eloquii enarratores* præbeant, nostri *Protestantes*, an vestri *Papistæ*: es tu iniquior, Harte, quàm ut æquam sententiam feras. Est verò justus Judex, qui in illo die revelabit, & ob oculos omnium mortalium proponet: nec non interea indies patefacit iis, quos prudentiâ ille munit ad probandos spiritus, & ad veritatem ab errore dijudicandam. Ad hoc unum quod attinet, in quo vobis *inhonestis*-

[h] 1. Pet. 5. 13.
[i] In Catalog. de scriptoribus Ecclesiasticis, verbo, *Marcus*.
[k] Hist. Eccles. lib. 2. cap. 14.
[l] In 1. Pet. 5. 13.
[m] Cap. 16. & 17.
* Ut loquuntur Anglorhemenses, qui horum omniū insimulant Protestantes in suis annot. in 1. Pet. 5. 13. & Rom. 16. 16
[n] Comment. in ep. ad Rom. cap. 16.
[o] carmine de ingratis: in principio.
[p] De natali Petri.
[q] Tom. 6. cap. 4. contr. epist. fundamen.
[r] Lib. 7. cap. 6.
[s] In Psal. 48.
[t] Hæres. 27.
[u] In hym. 2. S. Laurent. & hym. 12.
[x] Lib. 2. cont. Donatistas.
[y] Lib. 5. epist. de Basilicis tradendis.
[z] In Catalogo
[a] Lib. 4. cap. 21 de vera sapientia.
[b] Hist. Eccles. l. 2. c. 13. & 15.
[c] De fuga sua
[d] Ep. 55. num. 6.
[e] De prescrip. num. 14. & contr. Marcion. lib. 4. n. 4.
[f] In Gen. apud Eus. lib. 3. c. 1.
[g] Lib. 3. cap. 3.
[h] Lib. 3. cap. 2. de excidio Ierosolym.
[i] citantur ab Euseb. l. 2. c. 14. & 24.
[k] Ep. ad Rom.
[l] Conc. Chalcedon, Act. 3.

simi, iniquissimiq; videmur, quoniam in epistola Petri verbum illud [*Babylonem*] propriè Chaldææ urbem illam esse interpretamur, & in Apocalypsi *Romam* idem figuratè significare dicimus: non hoc agimus ut hæresi nostræ compendium aliquod acquiramus, quod vos falsò obtruditis, sed coram Deo sincerè. Nam in Apocalypsi, *in qua* [m] *quot verba, tot sunt mysteria,* & verba quidem ad allegorias & figuras passim accommodata: *Romam* aptè *Babylonis* nomen poterat denotare. Quod verum esse ex circumstantiis dilucidè evincitur; si non ex illis [n] *montibus septem,* super quos Roma exstructa stabat, (& inde colligit[o] Hieronymus:) at saltē ex [p] *magna illa urbe, quæ habet regnum super reges terræ,* quæ Johannis temporibus *Roma* fuit. [q] Patres ita interpretantur; vos dicitis, & illorum sententiæ vosmet ascribitis. Verùm in omnibus aliis locis Testamenti novi, ubi de rebus perspicuus sermo est, maximè consentit cum ratione, vocem illam [*Babylonem*] sensu suo nativo accipi: quod textus ipse [r] aliis in locis evincit: & in illa Petri epistola est probabilius, quum [f] simillimi sermones, dum inscribunt epistolas, dum salutant, dum post extremam epistolarum clausulam locum & diem ascribunt, aliàs genuina sensa retineant. In [t] Apocalypsi *urbs magna vocatur spiritualiter Sodoma*. In [u] Petri verò epistola *Sodomorum* nomen suo germano sensu exponimus. Num ita nos exponere, iniquitatis nostræ est? An stultitiæ vestræ, vos id redarguere? Sed istud fortassis est quod vos mordet & vellicat, quòd in Apocalypsi, *ubi cuncta de Babylone mala referuntur, nihil præterea velimus intelligi quàm Romam; & verò Romanam Ecclesiam quoq;, non Civilem Ethnici imperii statum illic constituti, ut Patres interpretantur*. Patres ergo de Roma interpretari, fatemini. Si nos ob istam interpretationem condemnatis, idem de iis judicium oportet pronuntietis. Sin ideo nos dissimiliter facere contenditis, quòd nos de *Roma tantummodo* exponamus, non sic autem illi; calumnia est. Ex nostris enim [x] nonnulli exponunt de *Satanæ civitate*, id est, societate & cœtu omnium impiorum, quòd etiam nonnullis Patrum placet. Et quid, quæso, vos aut causam vestram juvat, si, ut [y] *Jerosolymis civitas Dei* denotatur, hoc est, societas cœtúsq; omnium fidelium: ita *Roma*, altera *Babylon, Satanæ civitatem* denotet, quippe quæ imago ejus scilicet & exemplar exsistat? Nam hoc etiam pacto, *Babylonis* nomine *Roma* perpetuò designabitur. Ubi ut nos parciùs calumniari discatis, [z] Jesuitam vestrum auditote: qui postquam præmiserat *meretricem quæ sedet super montes septem, esse (* [*] *quorumdam judicio) Diaboli civitatem, quæ in Scriptura vocatur sæpe Babylon; & opponitur civitati Dei, id est, Ecclesiæ, quæ dicitur Jerusalem: sed meo judicio,* inquit, *meliùs per meretricem intelligitur Roma, ut exponunt* [a] *Tertullianus* [b] *& Hieronymus*. Quibus [c] Græcorum nonnullos poterat adnumerasse; etiam ipsum [d] Augustinum. Sed illi (dicitis) de Civili statu, non Ecclesiastico interpretantur; de *Romano Imperio,* non de *Romana Ecclesia*; quod nos facimus. Minimè mirum videtur. Illorum enim temporibus *Ecclesia Imperio* fuit dissimillima; *Imperium* impium, *Ecclesia* pia: nostris non item. Nam Ecclesiasticus status in Civilem commutatus est: *Ecclesia* devoravit *Imperium*: & quo tum loco *Romanum Imperium*, eo nunc *Romanus Papatus* consistit. Quando igitur mysterium *Babylonis* ad *Ecclesiam Romanam* accommodamus: accommodamus perpetuò (ut Patres olim) ad Civilem statum; si non *Ethnici* illic constituti *Imperii*, at Christiani quidem ad *Ethnicum* degenerâtis. In illa civitate nos conspicamur [e] *purpuratam meretricem sedentem super aquas multas, ebriam sanguine Sanctorum, & sanguine Martyrum Christi; habentem poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus, & immunditia scortationis suæ*. [f] Sanderus maximus ille Papalis Monarchiæ patronus, ex Tertulliano demonstrat;

[m] Hieron. in Epist. ad Paulin. presbyt.
[n] Apoc. 17. 9.
[o] In epi. Paulæ & Eustoch. ad Marcel. epist. 17.
[p] Rev. 17. 18.
[q] Tertull. adversus Judæos & advers. Marcion. li. 3. Hieron. ad Algasiam quest. 11. & præfat. in l. Didymi de Spiritu sancto.
[r] Mat. 1. 11. Act. 7. 43.
[f] 1. Cor. 1. 2. Apoc. 1. 4. & 2. 12. & 3. 7. 1. Cor. 16. 19. Col. 4. 16.
[t] Apoc. 11. 8.
[u] 2. Pet. 2. 6.
[x] Babylonis nomine Satanæ congregationem significat: sed eam potissimùm quæ ab Ecclesia Romana pendet. In exposit. Eccles. Nov. Test. excerpt. ex probat. Theologis ab August. Marlorato.
[y] Apol. 21. 10.
[z] Bellarm. Cont. 4. qu. 6.
[*] Aug. Aret. Haim. Bed. Rupert.
[a] Adversus Judæos & Marcion lib. 3.
[b] Ad Algas. quæst. 11.
[c] Aret. in Apocal. cap. 17.
[d] De civitate Dei l. 18. c. 2.
[e] Apoc. 17. 4.
[f] De visib. Monar. lib. 8. cap. 8.

ubi eſt imperii ſuperbia, ubi magnitudo Regiæ urbis, ubi Chriſtianorum perſequutio viget: ibi certè Babylonem eſſe, ibi civitatem magnam eſſe, ibi mulierem illam ſuper populos, gentes, & linguas ſedere; cum qua Reges terræ fornicantur, & de vino proſtitutionis ejus ebrii fiunt. Hiſce verò nominibus *Roma* fuit *Babylon*, (ut ipſe explicat) *quàdiu illi profani Cæſares rerum civilium ſummam illic tenerent. Non autem, poſtquam in Paparum manus deveniret.* Verùm *Papatûs Imperiiq;* ſtatus inter ſe conferantur; [g] annaléſq; *Cæſarum*, qui ante Papas illic rerum ſunt potiti, & [h] *Paparum* juxtà hiſtoriæ (qui Cæſaribus ſucceſſerunt) perpendantur. Niſi compertum fuerit, Papalem ſtatum ſe Cæſarum Imperio, poteſtatis magnitudine, dominatûs ſuperbia, Chriſtianorúmq; perſequutione adæquaſſe: non recuſamus quin iſtud de nobis feratur judicium; nos à Patribus, *Babylonis* nomen dum *Romæ* attribuimus, diſſentire. Aliàs verò, Sanderi ſuffragio, ab illo, cujus à vobis inſimulamur, *Babylonem cum hæreſis noſtræ compendio exponendi crimine* eximimur: & vobis pronunciandum eſt, nos ſincerè *Babylonis* nomen in Apocalypſi tractare. De noſtra verò ejuſdem nominis in epiſtola Petri explicatione; quæ vos argumenta affertis, ut eam vitioſam probetis, hæc ipſa commodè fidem noſtram liberabunt. Dicitis *nunquam nos, vel in Scripturis, vel in aliis ſacris profaniſve hiſtoriis legiſſe, Petrum in illa unquam Chaldææ civitate fuiſſe, quæ Babylon vocatur.* Puſillum verò argumentum, ſi nunquam legiſſemus. Apoſtoli enim ad [i] omnes miſſi nationes, multas civitates obierunt, in quibus eos fuiſſe nunquam legimus. Legimus tamen apud Methodium, (antiquum Epiſcopum, & Hiſtoricum) quem [k] Marianus Scotus citat, *Petrum in* (1) *Babylonia Evangelium prædicaſſe*; hoc eſt, aut in urbe, aut ſaltem regione illa: & in quacunque demum regione prædicarent, id in ejus metropoli maximam partem ſolebant facere. At verò priſcis Patribus, Hieronymo, Euſebio, Oecumenio, multíſq; aliis, de hoc convenit; *Petrum Romam per Babylonis vocabulũ denotaſſe.* Hoc quidem tradunt Patres illi, fateor; ſed idem acceperunt à Papia, homine, etſi a vobis tanquam *Apoſtolorum ipſorum ſcholaſticus commendetur*, judicii tamen [l] *perexigui*: qui quum perperam ſermonum Apoſtolorum ſententiam in re (2) momenti majoris aſſequeretur, multis Patribus impoſuit, qui antiquitatis causâ, ejus veſtigiis inſtiterunt, quod tùm [m] Euſebius, tùm [n] Hieronymus de illo memoriæ prodiderunt. Quo minùs quidem mirum eſt, ſi ei fidem ipſi, & ipſis alii, in hac non tanti ponderis quæſtione adhibuerint. At *conſonum illi eſt, quod de Marco ſequitur: quem omnes Eccleſiæ commentarii Romæ diſcipulum Petri fuiſſe conclamant, ibiq; Evangelium ſuum conſcripſiſſe. Atque hoc etiam à Papia* [o] *derivatur*, per quendam ejuſdem notæ hominem, Clementem ſcilicet Alexandrinum. Quare, ſcio quam fidem habeat; quam veritatem neſcio. Nam ſi [p] Caſſiodorus, [q] Rhegino, [r] Ado, [s] omnéſq; Eccleſiæ annales à veri ſcopo deflexerint, quum Petrum affirmant Romæ viginti & quinque annis commoratum eſſe; in quem errorem inducti fuerunt [t] ab Euſebio, aut quiſquis demum ille fuerit, qui primus id literis mandavit: cur non illi etiã hac in re decipi poterant, Papiæ creduli, aut aliis, qui idem à Papia hauſerunt? Quãquam, ut verũ fuerit, *Marcum Petri diſcipulum Romæ fuiſſe*: non hinc efficitur tamẽ, Romam ipſum per Babylonis nomen ſignificaſſe. Hoc enim Petrus tantùm; *Eccleſia quæ eſt Babylone, & Marcus filius meus vos ſalutat.* Marcus autem (quod [u] à Papia quoque veſtro traditur) Petrũ in itinere ſequutus & comitatus eſt. Quare, perinde potuit Petro Babylone in Chaldæa adeſſe, atque Romę in Italia. Utrũ igitur Petrus Romę fuerit, an ſecus: quicquid in ullã partẽ argumenti eſt, ab humanis hiſto-

[g] In Sueton. Capitolin. Lãprid. &c. hiſt. Ethnicorum.
[h] Platina, Onuphrio, Guicciard. & hiſt. Eccleſ. Angl. Gal. Ger. &c.
[i] Matt. 28. 19.
[k] Chron. li. 2.
(1) Babyloniã alii regionẽ appellant univerſam, quæ tamen apud varios ſcriptores Eccleſiaſticos pro Babylonis urbe accipitur. Hiſtor. Eccleſ. Euſeb. Rufin. intepr. lib. 2. cap. 15. Auguſt. in pſal. 26. & 61. de civitate Dei l. 18 cap. 2. Ioſeph. Antiquit. Iudai lib. 20. ca. 18. Proſper in dimid. Temp. cap. 7. & lib. ſentent. ex Auguſt. ſentent. 221. Oth. Friſing. Chrõ. li. 7. c. 3.
[l] σφόδρα σμικρὸς τὸν νοῦν. Euſeb. l. 3. c. 36
(2) Commẽtũ intelligo *Millenariorum*, aut *Chiliaſtarũ*, ut appellabãtur.
[m] Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 36.
[n] De ſcriptor. Eccleſiaſt. in verbo, *Papias*.
[o] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 15. Hier. de ſcriptor. Eccleſ. verbo, *Marcus*.
[p] In Chronic.
[q] Chro lib. 2.
[r] Ado Vienn. brev. Chr. æt. 6.
[s] Beda in martyrol. Maria. Scot. Chron. lib. 2. Martinus Polon. ſupput. Pont. Rom. Platina de vit. Pont. & reliqui
[t] In Chronico.
[u] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 36.

riis deducitur. Hoc enim ex divinis chartis prolatū, quo id cōfirmare avidè enitimini, nequicquā juvat. Quod quū nostrarū partium [x] eruditus quidam perpendisset, & [y] animadvertisset scriptorum discordiam, dissensionémq; in tempore illo, quo Romam Petrus venisse dicitur, definiendo; & quum [z] ex Dei verbo, eorum de Petri in urbe commoratione, verba falsa esse deprehendisset; quum observasset etiam impudentem Romanensium consuetudinem, [a] in fabulis compendii sui causâ procudendis, ut in illa *Constantiniana donatione*; & quum sensisset fraudem aliquam ejusmodi in eorum monumentis quæ de Petro reliquerunt, [b] qualis est illa *Lini, de morte ejus fabula*; [c] quum denique martyrium ejus eo modo ab [d] Hieronymo & Lyra memoratum comperisset, ac si à *Scribis* & *Pharisæis* in crucem actus fuisset: inductus est istis similibúsq; rationibus, in hanc opinionem, ut Petrum nunquam Romæ fuisse cogitaret. Si judicium meum postulas: in eo errasse ipsum sentio. Quod idem complures alii arbitrantur. Nulli ex Protestantibus universis, [e] qui in contexendis historiis & Chronicis elaborârunt, quod sciam, ([f] unum si excipias) Petrum Romæ fuisse diffitentur. Qui parciùs loquuntur, aiunt, [g] *de eo dubitari posse, nullum esse fidei nostræ articulum*: &, [h] *vel nunquam illic eum fuisse, vel alio quodam tempore, quàm quo fuisse plurimi autores sentiunt; etiam paucio[...] illic viginti & quinque annis esse diversatum*. Quibus verbis quid illi, quæso lo-quuntur, quod non verissimum sit & manifestum? Quo magis injurii nobis estis, qui nos universim criminamini hoc asserere; *Petrum Romæ nunquam fuisse*. Et ut atrocitatem rei amplificetis, densam nominum priscorum Patrum catervam conglobatis, quasi nos adversus omnes Patres facta manu pugnaremus. Quum tamē, quod res est, [i] illi quos pro ducibus nostris habetis, ideo Petrum Romæ fuisse concedant, quoniam id omnes Patres uno ore conclamant. Ex ipsis [k] quidam, (hæc eadem Petri verba explanantes,) Babylonis nomine, quemadmodum vos, Romam interpretantur: [l] quidam, qui interpretationem illam respuunt, eum Romæ tamen fuisse fatentur. Calumnia illa igitur judicii iniquitatis ab omni pudore derelictæ, quam in nos conjecistis, in vos ipsos recidit. Nam nisi omnem modestiam, & æquitatem omnem ab animis vestris repulissetis, nunquam diceretis nos eo consilio negare *Romam* per *Babylonem* intelligi, *quòd inde consequens foret Petrum Romæ fuisse, & ita deinceps in ceteris*. Quum præsertim, neque omnes negemus: & multi qui negant, Petrum tamen Romæ fuisse fateantur. Verùm quòd adjicitis, hoc negare nos, *anxios* scilicet *de Petri aut Papæ primatu Romano, qui inde sequatur*: in eo quidem vos ipsos impudentia superatis. Nam confitemur, quod vos etiam, spero, Petrum [m] Joppæ fuisse. Ideóne verò nos sumus, (aut vos potiùs) anxii de Petri aut Papæ primatu Joppensi, qui hinc sequatur?

HARTVS. Minimè: non enim legimus eum Joppensem Episcopū fuisse, fuisse Romanum legimus.

RAINOLDVS. Hoc tamen ex iis Petri verbis, ex quibus id astruere cupis, stabilire nequis: non, si concedatur quidem illum per Babylonem Romam intellexisse. Nam quod maximum ex iis confici potest, hoc est; Romæ fuisse. Quod nihilo magis Romano Papæ, quàm Joppensi prodest. Quare perspicias licet quantas tragœdias de tantulis nugis excitetis, dum tam grave crimen nobis objicitis; quòd illud inficiēmur, quod ipsum etiamsi daremus vobis, nos inde aliquid neque lucramur, neque deperdimus.

HARTVS. Atqui si Romæ fuerit, verisimilius est futurum, Episcopum illum ibidem consedisse. Et hoc Eusebii Chronicis est consignatum.

[x] Vlricus Velenus in opusculo inscripto, *Petrum non venisse Romam, neq; illic passum*
[y] persuas. 1.
[z] persua. 34. 10 12. 13.
[a] Persuas. 18.
[b] Persuas. 16.
[c] persuas. 17.
[d] commentar. in Matth. c. 23.
[e] Carion et Melanchthon. in Chron. l. 3. Pantaleon in chronographia. Vadian. Epitome trium terræ partium, in Italia. Foxus in Eccelsiast. Histor.
[f] Baleus in Act. Rom. pōtif. l. 1. in præf.
[g] Fuccius cōment. in Chr. lib. 5.
[h] Hist. Eccles. Magd. cent. 1. lib. 2. c. 10.
[i] Calvin. Institut. lib. 4 ca. 6. sect. 15. Petrus Martyr in li. 1. Regum c. 12.
[k] Luth in 1. Pet. ca. 5. Bullingerus in Apoc. c. 14. concion. 64.
[l] Theod. Beza & Erasmus annot. in novū testā. 1. Pet. 5.
[m] Act. 9. 43.

RAINOLDVS. Video tandem Papæ ſuum à terra, non à cœlo ſup(re)matũ eſſe arceſſendũ. A Scriptura rurſũ, ad Euſebiũ relaberis. Quem ego teſtẽ rejicere poſſem, quoniã affirmat *Petrũ Romæ Epiſcopũ conſediſſe, prædicantẽ illic Evangeliũ quinque & viginti annis*: quod ego falſi cõvici. Quanquã (ſi quã de hac re cõjecturã facio, eã mihi proferre liceat,) Chronicorũ illa & Hiſtoriæ Euſebii in hac cauſa diſcrepãtia, facit ut exiſtimẽ nõ ab Euſebio, ſed ab Hieronymo hoc adſcriptũ eſſe. [n] Ille enim quũ Euſebii Chronica cõverteret, quædã intertexuit quæ omiſſa videbantur, *maximè in Romana Hiſtoria*. Hoc autẽ Hieronymus poterat à [o] Damaſo Epiſcopo Romano accipere: [p] quẽ in Eccleſiaſticis chartis juvabat. Neque verò Damaſus ab omni affectuũ ſtudio & inclinatione erat ita alienus, quin non [q] invitus potuerit dignitatem ſedis ſuæ evehere, datâ operâ ſuâ ut Epiſcopalis Petri ſedes putaretur. Sed ſive Euſebius, ſive Hieronymus, ſive Damaſus, ſive quiſquã alius Petrũ *Epiſcopũ* fuiſſe aſſeruerit: aut nomen illi [*Epiſcopi*] generali ſenſu uſurpârunt, & ita quidem tuum nequaquam probat inſtitutum; aut ſi, ut nos vulgò, intellexerint, à veritatis via aberrârunt. Nam generatim, (*1*) *Epiſcopus*, inſpector eſt quidam. Quo ſenſu quidem ad omnes illos pertingit, quorum cuſtodiæ & curæ aliquid demandatur. Sic [r] Eleazar *Epiſcopus* dicitur *tabernaculi*; & [ſ] Chriſtus *animarum noſtrarum Epiſcopus*. Noſtro autem vulgari ſenſu eum denotat, cujus curæ & fidei particularis aliqua Eccleſia committitur: quales exſtiterunt [t] Epheſini, & [u] Philippenſes Epiſcopi; & illi, quos Chriſtus [x] *Angelos* appellat *Eccleſiarum*. Non autem hoc poſteriori ſenſu, Epiſcopus dicendus Petrus. Erat enim Apoſtolus; & (1) *Apoſtoli* ad annunciandum omnibus gentibus, orbiſq; terræ nationibus Evangelium legabãtur. Quare, quum *eum* Patres *Epiſcopum eſſe* dicebant: aut illo priori ſenſu dixerunt; aut dixiſſe quidem debuerunt. Eſt hoc aliquanto difficilius ex Hieronymo colligere: ſed alii rem dilucidè magis explanant. [y] Ille enim Petrum enumerat primum Epiſcopum Romanum; ſecundum, Linum; Cletum, tertium; Clementem, quartum; atque ita ex ordine reliquos: quemadmodum etiam [z] Antiochiæ, Ignatium, tertiũ; unde Evodius, ſecundus eſt, & [a] Petrus primus. Sed ab [b] Euſebio Evodius, primus in Epiſcopis Antiochenis numeratur; Ignatius, ſecundus: & [c] Irenæo, primus Epiſcopus Romanus, Linus eſt; * Cletus, ſecundus; & ita deinceps. Unde illi edocent, ipſorum judicio, etiamſi cûm Antiochiæ, tûm Romæ Petrus verbum Dei prædicaret; neque tamen Antiochenum illum, neque Romanum Epiſcopũ fuiſſe, eo ſenſu, quo plerũque nomen illud uſurpatur. Quin *Epiſcopos* & *Apoſtolos* illi hîc conſultò diſcriminant. Nam [d] Irenæus ait, *duos Apoſtolos*, Petrum ſcilicet & Paulũ, *poſtquam fundaſſent & inſtruxiſſent Romanam Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradidiſſe*. Et Epiſcopos enumerando ſæpe recitat, (ſicut etiã [e] Euſebius,) nominatim eos qui viciſſim ſucceſſerunt, ex ordine, & certo numero, *ab Apoſtolis*. Refert quoque [f] Rufinus, *Linum & Cletum Epiſcopos fuiſſe ſuperſtite Petro: videlicet ut illi Epiſcopatûs curam gererent, ipſe verò Apoſtolatûs impleret officiũ*. Quod ampliùs ab [g] Epiphanio confirmatur. Qui etiamſi dicat Petrũ & Paulũ *in Roma fuiſſe Apoſtolos eoſdẽ et Epiſcopos*: hoc tamen adjicit, *alios quoque Epiſcopos Romæ ipſis ſuperſtitibus cõſtitutos fuiſſe, propterea quòd* (*1*) *Apoſtoli ſæpe ad alias terras ablegabãtur, propter Chriſti prædicationẽ; nõ potuit autẽ urbs Roma ſine* (2) *Epiſcopo eſſe*. quod perinde eſt, ac ſi diceret, ad Epiſcopi officiũ ſpectare neceſſariò, ut attẽtè proſpiciat Eccleſiæ, cujus eũ inſpectorẽ & ſpeculatorẽ Spiritus ſãctus cõſtituit. quãvis autẽ Apoſtoli Petrus & Paulus, id officii perſolverẽt Eccleſiæ Romanæ, dũ illic diverſabãtur: quũ tamẽ ad Apoſtolicum ipſorum munus pertineret, ut aliis quoque Chriſtum prædicarent; ideo illinc ad alias oras, & nationes diſceſſerunt, & Romanam provinciã

Epiſcopo

Sect. 3.
[n] Hier. præf. in Euſeb. Chron.
[o] In Põtificali.
[p] Hieron. epiſt. 11. ad Ager. & lib. 2. contra Rufinũ.
[q] Theodoret. Hiſtor. Eccl. lib. 5. cap. 9. Sozom. lib. 6. cap. 23. Ammian. Marcellin. lib 27.
(1) ἐπίσκοπος unde Latinè (*Epiſcopus*) & Anglicè (*Biſhop*) deducitur
[r] In Græca Septuaginta interpretum verſione, Num 4, 16.
[ſ] 1. Pet, 2. 25.
[t] Act. 20. 28.
[u] Philip. 1. 1.
[x] Apoc. 1. 20.
(1) ἀπόστολοι, ſic appellati quia electi, *ut mitterentur ad prædicandũ Evangelium omni creaturæ*. Marc. 3. 14. & 16. 15.
[y] Hier. de ſcript. Eccleſiaſt. verbo, *Clemens*.
[z] Verbo, *Ignatius*.
[a] Verbo, *Simõ Petrus*.
[b] In Chron. & Hiſt. l. 3. c. 19.
[c] Adverſ. Hæret. l. 3. c. 3.
* Qui dicitur Anacletus, ab Irenæo & Euſebio.
[d] Adver. hær. lib. 3. c. 3.
[e] Hiſt. Eccl. l. 3 c. 2. & 19. l. 4. c. 1. & 5. l. 5. c. 1. &c.
[f] Præf. recognitionũ Clementis ad Gaudentium.
[g] Hæreſ. 27.
(1) τοὺς ἀποστόλους.
(2) ἐπισκόπου.

Episcopo Romano reliquerunt. Quod etiam ex ipsis Patribus discas, quum Apostolum aliquem hujus aut illius urbis Episcopum nominarent; ut verbi causâ, Petrũ Episcopũ Antiochenũ, aut Romanũ: id eos generali quodã loquendi modo, et sensu dixisse; quòd eidẽ Ecclesiæ ad tẽporis aliquod spatiũ cõsuleret, & id muneris prestaret in Evãgelio predicãdo, quo postea Episcopi defungebãtur. Verũ quà nomẽ [*Episcopi*] inspectorẽ, & custodẽ particularis Ecclesię, & Pastorẽ peculiaris gregis vulgò denotat; ita nullius urbis Episcopus Petrus fuit, ideóq; non Romanus.

SECTIO QVARTA.

HARTVS. At Petro Episcopi Romani successerunt tamen: iis ipsis autoribus testimoniũ huic dantibus, quos objecisti; Irenæo scilicet, Eusebio, & Epiphanio, in iisdem, quæ tu produxisti, locis.

RAINOLDVS. Petro quidem successerunt, ut Episcopi Apostolo: etiam Romæ, ut in aliis civitatibus Episcopi alii successerunt. Quare si Episcopus Romanus hujus successionis vi, sibi jus suprematûs vendicet: quid ergo Episcopus Antiochenus? Nam & hic quoque Petro successit.

HARTVS. Antiochenus Episcopus successit Petro, adhuc superstite Petro, nec de jure suo, cuiquam cedente. Romanus autẽ Episcopus successit mortuo: unde ad primatũ eũ evectus fuit, quem Petrus non priùs, quàm vitam deseruit.

RAINOL. Solebant respondere vestrates; [h] *Antiochiã primùm jus primatûs per sedem Petri obtinuisse: sed Petrus sedem suam illinc, Romã transtulit.* Istuc verò responsum aliquantulum obsoleverat. Quod [i] Patri Roberto forsan suboluit, atq; ita satius ducebat dicere; *jus suũ retinuisse Petrũ quoad viveret: sed quũ moreretur, Romanus Episcopus ei successor fuit*, & illud, credo, testamẽto sibi legatũ possedit. Elegãtulũ sanẽ perfugiũ, si cõsistere poterit: sed exsangue est. Linus enim Episcopus Romanus, qui Petro successit, vivo successit: quo modo & Episcopus Antiochenus.

HARTVS. Contrà est, ac dicis. Quin Clemens potiùs Petro successit: & quidem mortuo. Nam, quum vitæ finem sibi imminere præsentiret, apprehendit Clementis manum; & in auribus totius Ecclesiæ hæc verba protulit: *Audite me, fratres, & conservi mei. Quoniam (ut edoctus sum ab eo qui misit me, Domino & Magistro meo Jesu Christo,) dies mortis meæ instat; Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli, meæ prædicationis & doctrinæ cathedram credo; & ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi & solvendi, ut de omnibus quibuscunque decreverit in terris, hoc decretum sit & in cælis.*

RAINOLDVS. Quis hanc tibi narravit fabulam?

HARTVS. Fabulam? In antiquo monumento scribitur.

RAINOLDVS. Unde verò *antiquum* illud *monumentum*?

HARTVS. A Clemente ipso, qui Apostolorũ temporibus floruit: & à [k] Divo Paulo memoratur.

RAINOLDVS. At ubi quæso, hoc scribit ille?

HARTVS. In *epistola* sua *prima ad Jacobum fratrem Domini.*

RAINOLDVS. Profectò *antiquum monumentum.* Adeò *antiquum* est, ut etiam putridum sit. Temulentum planè commentum, in quo traditur; *Petrum deprecatum esse Clementem, ut hanc (post mortem suam) ad Jacobum fratrem Domini epistolã scriberet, quã eum solaretur:* quod etiam factum à Clemente; quum jam longè ante Petrum, circiter annos, ut minimum, octo [l] Jacobus interiisset.

HARTVS. Istud est ex illis argumentis unum, quæ adversus hanc epistolam [m] *Magdeburgenses* vestræ *centuriæ* congerunt: quæ ego nihili facio, non si cuncta quidẽ produxeris. Illa enim [n] Turrianus in *defẽsione* suã *pro epistolis Põtificũ*, excussit & refutavit: ubi ab illo rationes allatæ sunt, quare potuerit Clemens commodè

[h] Vt Marcellus Papa loquitur. c. Rogamus. 24. q. 1 Turrecrem. Sum. de Eccl. lib. 2. c. 36. Canus Locor. Theolog. lib. 6 cap. 8.

[i] Robert. Bellarm. controv. 4. quæst. 5.

[k] Phil. 4. 3.

[l] Ioseph. antiquit. Iudaicar. l. 20. c. 16. Euseb. histor. Eccles. lib. 2. cap. 23.

[m] Hist. Eccles. Magdeburg. Centur. 2 c. 7.

[n] Francis. Turrianus pro epistolis pontif. lib. 2. cap. 13.

ad Jacobum mortuum ſcribere, & Petrus, id ut faceret, deprecari.

RAINOLDUS. *Turrianus*, Jeſuita. Patella tali dignum operculum. Cujus *de-fenſio pro illis ſpuriis, ſub antiquorum Romanorum Pontificum nominibus falſò emiſſis,* illam º *Vivis* de veſtra *aurea Legenda* cenſuram jure ſubire poterit; *Scripta eſt ab ho-mine ferrei oris, plumbei cordis*. Nihil enim tã ineptè & abſurdè dici poteſt, cujus nõ rationem aliquam reddat: quaſi cum animo haberet conſtitutum ſuo, cum ratio-ne inſanire. Ceterũ, quoniam ita informatum eſt, anticipatúmq; menti tuę ex prę-judicio quodam, quod feciſti de ejus adverſus *Centurias defenſione*: ego illa, quibus inſiſtunt ipſi, argumenta non attingã. Quanquã ad illa reſponſa ejus, ſi in librâ pa-riter cũ adverſariis argumentis imponerentur, vanitate ipſâ cuiquam æquo lectori viderentur leviora. Cujus ſpecimen aliquod nobis apparebit, ſi quem hac una in re ſe gerat, intueamur. Nam etiamſi ad mortuum literas ſcribere, res ſit tam à ſenſu abhorrens, ut hæc epiſtola eo nomine, tanquã improbabilis perſtricta ſit à ᵖ Car-dinale Turrecremata, & à ᑫ Cardinale Cuſano rejecta tanquam adulterina: illud tamen ut prudenter factũ defendit Turrianus; nihilq; omittit, quo oſtendat quã-ta cum ratione à Clemente literæ potuerint ad Jacobum mortuum ſcribi, vel eti-am ut eum ipſe mortuum eſſe cognoverit; niſi quòd (ut eum ʳ vir doctus feſtivè commonefecit) *quibusnam tabellariis Clemens uſus fuerit, non exponat*. Verùm, ut Turrianum & Centurias dimittamus: inſtitutum & ſcopus epiſtolæ, quum eò ſcilicet feratur, ut probet *Petrum ſibi ſucceſſorem Clementem decreviſſe*, omnem ſibi ipſi fidem adimit (quod ˢ Cuſanus etiam obſervavit) judicio Patrum, ᵗ Auguſtini, ᵘ Hieronymi, ˣ Optati, ʸ & reliquorũ; etiam ᶻ veſtris Chronicis, hiſtoriiſq; Eccle-ſiaſticis judicibus, quorum omnium conſenſu *Linus Petro ſucceſſit*. Atque ita illi hanc Clementis fabulam ſubvertunt.

HARTUS. Facis omnino malè, quòd *fabulam* eam appelles, & *temulentum planè commentum*: plena contumeliæ verba.

RAINOLDUS. Simplicitati meæ ignoſcas oportet: ficum, ficum appello; & ligonem, ligonem.

HARTUS. Atqui neque commentum eſt, neque fabula. Eſt enim antiquita-tis magnæ epiſtola è Græco in Latinum operâ Rufini cõverſa, qui intra quadrin-gentos poſt Chriſtum annos vixit. Atque de Lino iſtud, cujus ſucceſſionis hiſto-ria (opinione tua) hanc epiſtolam refellit, tum meditatum habuit ᵃ Rufinus, atque ad illud reſpondit. Nam in *præfatione* ſua, ei pręfixa libro qui inſcriptus eſt, *Recogni-tiones Clementis*, quem etiam ipſe convertit; *Quidam requirunt* (inquit) *quomodo, quũ Linus & Cletus in urbe Roma ante Clementem fuerint Epiſcopi, ipſe Clemens* ad Jacobũ *ſcribens, ſibi dicat à Petro docendi cathedram traditam. Cujus rei hanc accepimus eſſe ra-tionem: quòd Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem Epiſcopi in urbe Roma, ſed ſuperſtite Petro; videlicet ut illi Epiſcopatûs curã gererent, ipſe verò Apoſtolatûs im-pleret officium: ſicut invenitur etiã apud Cæſareã feciſſe; ubi quũ ipſe eſſet præſens, Za-chæũ tamẽ à ſe ordinatũ habebat Epiſcopũ. Et hoc modo utrũque verũ videbitur: ut et illi ante Clementem numerentur Epiſcopi; & Clemens tamen poſt obitum Petri, docendi ſedẽ ſuſceperit.*

RAINOLDUS. Nihil argumenti pro epiſtola antiquitas ejus dicit, quin falſa po-tuerit eſſe & commentitia. ᵇ Epiſtolæ illæ Senecæ ad Paulum, & Pauli viciſſim ad Senecam, non minoris ſunt antiquitatis: quę nihil tamen, vel Paulo, vel Seneca dignum continent. Multa quidem extiterunt, nata neſcio quibus parentibus, opuſcula & epiſtolia paſſim diſſeminata, ᶜ ab ipſis Apoſtolorum temporibus, etiam Apoſtolorum ipſorum nominibus inſignita. Quo minus tibi mirum vi-

o De cauſis corrupt. art. lib. 2.

p De ſum. Eccleſ. 2. c. 101.

q De concordant. cathol. lib. 2. c. 17. & lib. 3. c. 2.

r Antonius Sadeel in reſponſ. ad repetita Turriani Sophiſmata part. 1.

ſ De cõcord. Cath. l. 3. c. 2.

t Epiſt. 165.

u De ſcriptor. Eccleſ. in verbo, Clemens.

x De ſchiſmat. Donat. hiſt. l. 2.

y Irenæus lib. 3. cap. 3. Euſebius in Chronic. & Hiſt. eccl. lib. 3. cap. 2. Epiphanius hær. 27. Dorotheus in Synopſi. Beda in Martyrologio.

z Platina, Onuphrius, Põtacus, Genebrardus, & antiquiores quos ſequuntur.

a Præfat. Recognit. Clement. ad Gaudent.

b Linus de paſſion. Petr. et Paul. lib. 2. Hieron. de Scrip. Eccleſ. verbo, Seneca.

c Hieron. de Scrip. Eccleſ. verbo, Paul. et Lucas. et Clemens. c. ſancta Romana diſtinct. 15.

deatur, si homo aliquis nequam proreperet, & sub Clementis nomine ad Jacobum scriberet: Rufinus autem, qui id vertebat (si tamen vertebat, ac non (1)ipsius quoque non nemo nomen, ut Clementis, suis scriptis prætenderit,) non tanti judicii erat, quin in rebus gravioribus potuisset falli. Quod ipsum tibi si [d] Hieronymi autoritas non persuadeat, quippe qui adversarius ejus fuerit: hæc eadem modò dispicias quæ convertit, & hoc tibi comparebit. Nam quæ scripta sunt in illis *Recognitionibus Clementis*, (de quibus tu mentionem facis,) & ad Jacobum etiã data, sunt certè *pleraque incerta*; *multa fabulosa*; *& quædam etiam hæretica*, ut [e] vos ipsi contestamini. [f] Rufinus tamen censuit reconditum fuisse thesaurum sapientię, & prædam quandam se nactum putavit. Rursus in [g] eadem epistola ubi Clemens se successorem Petri constituit, Jacobo significat, *illi transmisisse se autè, jubente Petro, altum libellum, hoc titulo; Clementis Itinerarium*. Hoc verò *Itinerarium* his tam multis annis, adeóq; insignitè erronem & vagum esse omnibus exploratum fuit; ut non solùm à [h] multis Patribus olim & Episcopis in Concilio compunctum fuerit notis Threiciis: sed nuper etiam idem [i] *Romanæ Inquisitionis senatus* in Indice *damnatorum ab Ecclesia voluminum* adscribi jusserit. Quare, impostor is erat, qui spurios istos sub nomine Clementis exclusit: utcunque eos Rufinus, minimè suspiciosus, ejus esse crediderat, cujus esse dicebantur. Atque hac credulitate inductus est, ut probabilem aliquam rationem excogitaret, unde verum esset, quod falsum videbatur; de *Petro Clementem successorem suum constituente, quum ante ipsum Linus & Cletus Episcopi fuerint*. Cujus probabilitatis quum species omnis * in rumore quodam consisteret, quem ab aliis traditum accepit: hunc tamen accipere ei necessum fuit, meliori planè destituto. Sed erravit, vel ex ignorantia, vel ex neglecta temporum & historiarum consideratione. Ejus enim responsio eundem Lini Cletíq; Episcopatui, atq; Petri vitæ finem statuit; & mortuo, Clementem continuò succedere decernit. Quum ex [k] monumentis annalium apertum sit, Linum vndecim post Petri obitum annos Episcopatu defunctum esse, & Cletum duodecim post Linum, antequam ad sedem illam Clemens eveheretur. Quod etiamsi [l] Turrianus corrodat, (ut mos est hominis) quò tandem de medio tollat: res tamen tam dilucida est & certa, ut [m] Genebrardus, recentissimus ex Chronographis vestris Pontificiis, ceterósq; omnes ut scientiâ, ita zelò in Pontificis negotiis longè post se relinquens, non posset non pro vero scriptis consignare.

HARTUS. At affirmat pariter, *Petrum Clementem nominasse qui ipsi succederet. Verùm Clemens locum detulit primò Lino, deinde Cleto, non tam modestiâ, quàm Domini consilio, ne hujus nominationis exemplum transiret ad posteros, & libera Ecclesia providentiæ in deligendo sibi præsule decerperet.*

RAINOLDUS. Hoc affirmat sanè. Sed quis non videt excogitatum hoc fuisse, ut historiæ cum Clementis fabulâ redirent in gratiam: & (obiter) ut Paparũ electioni, quæ nunc penes Cardinales est, autoritas aliqua conquireretur? Nam [n] libellus ille *ceremoniarum Romanæ Ecclesiæ*, de electione istâ tractãs asserit, *Petrum Clementem nominasse, qui ipsi succederet: quod tamen ita creditur, si à Cardinalibus admitteretur. Sed illi cognoscentes hujusmodi denominationis formam graviter in futurum Ecclesiæ posse nocere, non Clementem acceperunt, sed Linum elegerunt, & illum post Petrum Pontificatui Romano præesse voluerunt: quamvis deinde Clemens decedentibus Lino & Cleto, à Cardinalibus electus fuerit.* Quanquam Genebrardus, ut figmẽtum hoc ad institutum suum componat, non tam ceremoniarum libellum, quàm Glossam [o] juris Canonici sequatur: quæ (majori curâ dignitatis Papalis adhibita) ait, *ipsum Clementem Papam renunciasse Papatui, videntem quòd esset perniciosum ex-*

(1) *Clementis Recognitionis posterioris opus, Rufini præfatione, aut conficta, aut aliũde petita trãsformatũ.* Sixt. Senen. Biblioth. sanct. lib. 2.

[d] Apologia contra Rufinum.

[e] Sixt. Senen. Biblioth. sanct. lib. 2.

[f] Præf. Recog. Clement. ad Gaud.

[g] Clement. ep. 1. ad Iacobum fratrem Domini.

[h] Athanas. in Synop. Gelas. in Concilio 70. Episcoporum, dist. 15. c. Sancta Romana.

[i] Sixt. Senen. Biblioth. sanct lib. 2.

* *Cujus rei hanc accepimus esse rationem.* Præfat. Recognit. Clement. ad Gaudent

[k] Euseb. in Chron.

[l] Pro decretal. epist. Pontif. lib. 3. cap. 10.

[m] Chronograph. lib. 3. in Lino.

[n] Sacr. cerem. Rom. Eccles. lib. 1. Sect. 1.

[o] c. Si Petrus 8. quæst. 1. in Glossa.

emplo, quòd aliquis sibi eligeret successorem. In eas ineptias vos ipsos præcipitatis, ut dicatis beatum Christi Apostolum Petrum illud constituisse, quod fuit perniciosum exemplo, à Papa rejectum, reprehensum à Cardinalibus, & Ecclesiæ periculosum: & hęc omnia eò scilicet, ut epistolam Clementis tueamini, unà cum fabella illa, quam narrat, Petrum ipsum successorem sibi reliquisse. Quod adeò absurdum delirium est, ut, quo loco in [p] decretis Canonicis commemoratur, ibidem *Palea* notâ sit inustum: & [q] Contius, doctus quidam Jurisconsultus vester, illi notæ adscribat, meritò quidem ut *Paleam* rejici; *nam tota est commentitia*; [r] Comestórque, *scholasticæ historiæ* autor, qui in crassissimis Papismi tenebris vixit, ut merum commentum refellat rejiciatq;. Sed quicquid demum fuerit, & utcunq; antiquũ; illud ipsum quidem (fortasse,) quod [s] Hieronymus ait, *nomen Clementis habuisse, sed à veteribus scriptoribus fuisse improbatum*; sed fuerit, quicquid demum tibi adlubuerit: tute fateris id falsum esse, cujus causâ illud citavisti, *Clementem nempe, nõ Linum, Petro successisse*. Quare quum Linus Petro successerit, etiam Petro viventi, quomodo Zachæum ais Cæsareæ, & Antiochiæ Evodium successisse: Papatũ juxtà Antiocheni & Cæsarienses Episcopi possunt, atq; Romanus Pontifex per suam Petri successionem vendicare.

[p] c. unde. 8. quæst. 1.
[q] In annotat. ad c. unde. 8. quæst. 1.
[r] Pet. Comest histor. schol. in Act. Apost. cap. 101.
[s] De Scriptor. Eccles. verbo, *Clemens*.

HARTVS. Tu tamen ipse concedis, conspirantq; historiæ, Linum qui Petro Romæ successit, ei superstitem vixisse. Ille igitur Petri fuit non viventis modò, sed defuncti etiam successor.

RAINOLDVS. Fuit. Quid tu inde?

HARTVS. Inde ego concludo Romani Pontificis primatum, & te erroris convinco. Nam Petro vniversæ Christi Ecclesiæ cura mandata est. At Romanus Episcopus Petri successor est. Romano Episcopo igitur universæ Christi Ecclesię cura est mandata.

RAINOLDVS. Perinde dixeris: [t] *Salomon super omnem regnavit Israelem.* Sed [u] *Roboam filius Salomonis*, Salomonis successor fuit. Roboam igitur super omnem regnavit Israelem. Unde posses Scripturam erroris convincere, quòd [x] dicat *Jeroboamum Regem fuisse super universum Israelem, nec ullam tribum fuisse, quæ Roboamum sequeretur, præter tribum Judæ solam.*

[t] 1. Reg. 11. ver. 42.
[u] 1. Reg. 11. ver. 43.
[x] 1. Reg. 12. 20.

HARTVS. Reciderunt à Roboamo. Sed ad illum jus regni pertinuit, quippe qui heres esset Salomonis.

RAINOLDVS. Sed quid hoc ad rationem meam? Nam similitudinis partes eò usq; tantùm extendi debent, quò illud ipsum, in quo conferuntur. Posses enim tu aliàs quoq; adjicere, Papam Jeroboamo similiorem, quam Roboamo esse, propter [y] *Deos* suos *aureos*: ideoq; totius orbis Christiani potiùs Regem fore debere, quàm unius Romanæ provinciæ. Verùm si tua te delectet adversus rationẽ istam captiuncula: aliam quoq; accipe. Apostolis Christi omnium nationum cura delegata fuit. Omnes Episcopi Apostolorum sunt successores. Omnibus Episcopis igitur nationum omnium cura est delegata. Num occurres hîc rursus ab Episcopis homines recidere: sed ad illos jus Papatûs pertinere, quippe qui heredes sint Apostolorum?

[y] Ver. 28.

HARTVS. Minime: Nam etiamsi *omnes Episcopi Apostolis succedant*, ut optimè [z] Hieronymus, & verum est: in omne tamen jus illorum illis non succedunt. Illis quidem in functionis genere succedunt [a] *ad prædicandum Evangelium*: sed non in amplitudine illa ad *prædicandum omni creaturæ*. Succedunt quidem Apostolis, sed in Apostolatu non succedunt. *Apostolatûs* enim *non est successio*, ut [b] Stapletonus ostendit.

[z] Epist. ad Evag.
[a] Marc. 16. 15.
[b] Princ. doct. lib. 6. cap. 7.

RAINOLDUS. Stapletonus igitur ostendit, ne Romanum quidem Pontificẽ Petro in *Apostolatu* succedere.

HARTUS. Quid tum postea, si non succedat?

RAINOLDUS. Non igitur in omne jus Petri succedit. Quomodo igitur supprematus Pontificius, hac successione evincitur? Ergo Papa tyrannidem occupat, qui Apostolorum successorem haberi se in Apostolatu contendit. Suum enim ille officium appellat [c] *officium Apostolatûs*; & quæ ad illum deferuntur, [d] ad *Apostolatûs sui auditum perveniunt*; & in interdictis suis jubet, [e] *ut de rebus gravioribus Apostolatui suo referatur*: & familiari stylo suo, stylo Curiæ Romanæ, [f] *literæ*, [g] *decreta*, [h] *mandata*, & præcepta ejus *Apostolica* dicuntur; & quicquid demum vel attigerit illum, id *Apostolicum*; *Apostolica* [i] *Bulla*, *Apostolicum* [k] *sigillum*, [l] *nuncius Apostolicus*, *Apostolicum* [m] *palatium*, [n] *Camera*, [o] *Cancellaria*, *Apostolicus* [p] *legatus*, [q] *indulgentia Apostolica*, *Apostolica* [r] *autoritas*, *Apostolica* [s] *dispensatio*; & quid non? Ubi aliam spiritualium fraudum vestrarum tenemus, non minus vafram istã, * quàm priores, per quas nomine Petri Papam convestitis. Quin ista illas facilè vincit. Nam in illa egreditur auctus spoliis Petri, unius Apostoli: in istâ verò plurium. Nam Episcopi, in [t] juramento illo suo, quo obedientiam suam astringunt Papæ, jurati spondent (1) *visitaturos se quotannis limina Apostolorum*, hoc est, Papæ; [2] *nisi Apostolorum*, hoc est, Papæ *licentiâ absolvantur*.

HARTUS. Non est quòd hæc loquendi genera censeas esse intemperata. Nã vel iisdem, vel eorum quidem simillimis B. Bernardus utitur. Etiam [u] titulus ipse *Apostolatûs* ab eo Papæ ascribitur.

RAINOLDUS. Memorabilis vir planè S. Bernardus erat in * illo, quo vixit, corrupto seculo. Sed vobis familiare proverbium est, *Bernardus non vidit omnia*. Multo plura tamen ille videbat, quàm vos cõcoquere probè valeatis: & [x] quędam, in quibus Constantino, non Petro Papa succedit; [y] quædam, in quibus neutri. Quòd ex parte tantùm aliquâ turpitudinem Papatûs dispexerit: vitio vertendum est tenebris caliginis illius, quâ tum offusa est Ecclesia. Quòd *potestatem Apostolicã* Papæ ascripserit: Magister ejus in culpa fuit; intelligo, Papæ canones unde hoc edidicit. * *Juxta canones tuos* (Eugenium Papam alloquitur) *alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es*. His Canonibus autoribus didicerat compellare illum; *Tu princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedec, dignitate Aaron, autoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus*. In summo [z] apud vestrates hic Bernardi locus honore habetur, eóq; tanquam opiparè apparato convivio se oblectant. Miror verò non pudere ipsos locum proferre. Nam Papam *heredem Petri* appellare, magna quidem fuerit sermonis hyperbole. Multo major autem, *heredem* dicere *Apostolorum*. At verò *Christum* eum nominare, tanti est, ut quivis modestus vir, qui Bernardo consuleret, potiùs pallium ei injicere studeret, quàm ullo modo detegere, nedum venditare.

HARTUS. At ego tibi [a] antea semel causam dixeram, quare multi, illiusmodi & probent sermones & loquantur, non perinde, ac si omni ex parte veros esse crederent, sed ut reverentiam Papæ exhibendam adaugeant.

RAINOLDUS. Et ego tibi simul dixeram, quid incommodi inde consequatur: quum, istam reverentiam adaugendi cupiditatem dum prætexunt, potestatẽ vel potiùs tyrannidem Papæ amplificent. Cujus luculentum nobis exemplum suppeditat hoc ipsum de *Apostolatu*. Nam etiamsi [b] Stapletonus tuus doceat eum defunctis Apostolis esse desiisse, & tanquam principium hoc defigat, *Apostolatûs*

[c] In præfat. clementinarũ.
[d] c. ad Apostolatus. extravag. Ioh. 22 de concession. præbend. de privileg.
[e] c. petro, distinct. 63.
[f] c. ad audientiam. 1. de rescriptis.
[g] c. nulli. dist. 19.
[h] Sacr. cerem. Rom. Eccles. lib. 1 sect. 8.
[i] Sect. 6.
[k] Sect. 14.
[l] Sect. 5.
[m] Sect. 1.
[n] Sect. 8.
[o] Reg. Cancel. Apost.
[p] Sacr. cerem. Rom. Eccles. lib. 1. sect. 5.
[q] c. In his. de privilegiis & excessibus privilegiat.
[r] c. Ideo. 25. quæst. 1.
[s] Alber. Krãtz. Saxon. l. 5. c. 8.
* Cap. 1. sec. 2.
[t] c. Ego N. extra. de jurejurando.
(1) *Limina Apostolorum visitabo.*
(2) *Nisi eorum absolvar licentiâ.*
[u] De consider. ad Eugenium lib. 1.
* Circiter annum Dom. 1140.
[x] Bernard. de consid. ad Eugen. lib. 4.
[y] Lib. 1. 2. & 3.
* Lib. 2.
[z] Harding. in confut. Apolog. part. 4. Canis. in opere catechist. de præceptis Eccles. art. 9.
[a] Cap. 1. sect. 2.
[b] Principior. doctr. l. 6. c. 7. & 15.

nullam esse successionem : & ante viginti annos esse sanum hoc dogma,[c] etiam Romæ quoq; sit judicatum : nunc tamen [d] ille publicus in urbe Romana controversiarum Professor in eo nonnihil titubat, quòd nonnulli nomen Apostolatûs Papæ officio attribuerint ; unde astruit ille, *Papā aliquo modo in Apostolatu succedere, videlicet, in totius mundi cura.* Si perrexeritis, ut incepistis, à malo in pejus proficiendo: potest quidem fieri, ut brevi, quod Romanus Lector iste *aliquo modo* affirmat, id Romanistæ omni modo sint affirmaturi ; & deniq; [e] pronunciaturi, *certè locum & dignitatem Papæ verè perpetuum Apostolatum esse.* Verùm si illorum ita se proripiat projiciatq; impudentia : excitabit, spero, Dominus tales in Ecclesia nostra *Angelos,*[f] qualis ille in Ecclesia Ephesina enituit, de quo scriptum est, *exploravisse ipsum eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & comperisse eos mendaces.* Tu autem qui concedis *Episcopum Romanum Petro in Apostolatu non succedere* : consequens est ut concedas, jus Papæ, quo per Petri successionem suprematum vendicat, divina lege rescissum esse atq; irritum. Quare si nullas alias potes divini juris tabulas proferre, quàm quæ jam productæ fuerint de *grege uno*, et *Pastore uno*, de *Sacerdotibus* & *Judice*, de *Ecclesia quæ est Babylone* : sine dubio *Papatus* iste, quem [g] Papa quidam definit *principatum esse tam in temporalibus, quàm in spiritualibus*, principis tenebrarum proles est. Proindéq; [h] ille qui affirmat *Deum ipsum commisisse jus, tùm terreni, tùm cœlestis regni Papæ, in Petri persona* ; imago est illius (in * Apocalypsi) *Bestiæ, quæ duo habebat cornua similia Agni, sed loquebatur ut Draco.*

[c] Annotat. in Cyprianum excusum Romæ, 1563.
[d] Rob. Bellar. controv. 4. quæst. 5.
[e] Vt Anglo-Rhemenses in Anglican. suis annotat. in Ephes. 4. 11.
[f] Apocal. 2. 2.
[g] *Innocentius quartus* in c. ego N. extra. de jurejurando.
[h] *Johannes vicesimus secũdus* c. si fratrum. Ne sede vacãte.
* Apoc. 13. 11.

Cap. 7.

Scripturæ falsò dicuntur citari à Patribus pro suprematu Pontificis, ut successoris Petri. 1. Pasce oves meas, confirma fratres tuos, *&*, ut fides tua non deficiat : *non magis ad Papas, quàm ad alios Episcopos spectant. 2. Papa errare potest in fide. 3. Non solùm ut privatus, sed ut Papa. 4. Etiam prædicare potest falsa dogmata. Nam 5. potest esse fur, latro, lupus. 6. Et errare non modò ut particularis persona, sed etiam in officio ; ut per omnes officii ejus partes probatur. 7. Unà cum responsione ad ea, quæ contrà pro ejus defensione afferũtur. 8. Adversus successionem Paparum* portæ inferorum prævaluerunt. *9. Et quum* portæ inferorum non prævaluerunt ; Petra, *illorum integritatem fidei, non suprematum indicabat.*

SECTIO PRIMA.



HARTVS. Aliæ verò *Scripturæ* supersunt, quas prisci quidã *Patres* ad supremam Papæ potestatem arguendam afferunt: idq; jure illo, quo succedit Petro.

RAINOLDVS. Non illo jure ; quod tibi affirmare possum. Nam [a] *nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.* Et Petrus quidem ipse nunquam illum Pontificium suprematum tenebat, *jus illud cœlestis terreniq; regni, illum tam in temporalibus, quàm in spiritualibus principatum.* Talem verò potestatem neq; *Scriptura*, neq; *Patres* Petro deferunt. Sed quas tu mihi Scripturas narras afferre Patres?

[a] De regulis juris in Sext.

HARTVS. Equidem quàm latè primatus Petri patuerit, quósq; fines habuerit in rerum terrenarum & cœlestium, spiritualium & temporalium administratione, hoc temporis non contendam.* Sed antiqui Patres ex eisdem Scripturis demonstrant, primatum ei datum, ad successores ejus in Romana Ecclesia pervenisse; ex quibus ego priùs jus ejus primatûs edocui. Illud Matthæi decimo sexto promissum; *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c:* in sede Romana locū habere S. [b] Augustinus docet. *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, cui quis successit videte. Ipsa est Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Etiam, verba illa, quibus persolvitur promissum illud Johannis ultimo; *Pasce oves meas*, ad Papam quoq; pertinere: testis [c] Chrysostomus est, disertè scribens, *Christum oves pascendas commisisse tùm Petro, tùm Petri successoribus.* Quod etiam in illis vicesimi secundi Lucæ intelligi; *Oravi pro te, ne deficiat fides tua: & tu conversus confirma fratres tuos:* [d] Marcus Papa in decretali epistola ad Athanasium, Lucius Papa in decretali epistola ad consulta Episcoporum Gallorum & Hispanorum, Felix Papa in decretali epistola ad Benignum, disertè docuerunt.

* Stap. princ. doct. l. 6. c. 15

[b] In Psalm. contra partē Donat.

[c] De sacerdot. lib. 2.

[d] In decretal. epist. Concil. Tom. 1.

RAINOLDVS. Rosas cum anemona confers, qui antiquos Patres cum istis supposititiis decretalium autoribus conjungis. Sed bonâ fide dic mihi; putásne cuiq; Papæ Christū esse abnegandum?

HARTVS. Christum abnegandum? Quorsum verò ex me illud sciscitare?

RAINOLDVS. Quoniam dicere videris, [e] Christi ad Petrum verba; *Tu conversus confirma fratres tuos*, de omnibus Pontificibus accipi.

[e] Luc. 22, v. 32

HARTVS. Quid? Et illis igitur Christum abnegandum dico?

RAINOLDVS. Vel planè nihil dicis. Nam quare, quæso, ad Petrum Christus; *& tu conversus?* Nónne [f] quòd Petrus se ab illo aversurus esset, quum *ter illum abnegaret?*

[f] Ver. 34.

HARTVS. Esto. Quid tum postea?

RAINOLDVS. Unicuiq; igitur Papæ, si quidem verba eadem de Papis omnibus accipiantur, hoc incumbit, ut primùm à Christo avertatur, unde deinceps *converti* possit: ideoq; unicuiq; Papæ *Christus* est *abnegandus*. Si id ego dicerem; futuri sunt nonnulli mihi iratiores. Sed tibi ut libet, fari licet.

HARTVS. Tale tu argumentum conficis, quale illud fuit (quod aliquando tamen contextū fuit:) *Si verba nempe illa;* [g] *Tu es Petrus, ad Petri successorem pertineant: tum & illa quoq;* [h] *Satana, scandalum es mihi, ad illum similiter necessariò pertinere, quòd utraq; Christus Petro loqueretur.* Sed, ut ad illud [i] Pater Robertus respondet, ita ad istud ego; *argumentum nullo modo consequi. Quædam enim*, inquit ille, *dicuntur Petro pro se tantùm; quædam pro se, & omnibus Christianis; quædam pro se, & successoribus. Id quod evidenter colligitur ex ratione diversa qua ei dicuntur. Nam quæ dicuntur ei, ut uni ex fidelibus, certè omnibus fidelibus dicta intelliguntur: ut,* [k] *Si peccaverit in te frater tuus. Quæ dicuntur ei ratione aliquâ propriâ personæ ipsius, ei soli dicuntur: ut,* [l] *Ter me abnegabis. Quæ dicuntur ei ratione officii Pastoralis, perinde dicta intelliguntur omnibus Pastoribus: ut,* [m] *Pasce oves meas, &, Confirma fratres tuos.* Unde cernas licet, verba Christi, *Ego oravi pro te, ut fides tua non deficiat, &, Confirma fratres tuos*, ita Petro dici potuisse; ut pariter ad Papas singulos possent referri: etsi altera verba, *abnegare Christum, & converti*, nihil ad ipsos spectent. Nunquam ipse affirmabis, opinor, de fidelibus Christianis, iis omnibus Christum esse abnegandum. [n] Affirmâras tamen si memineris, orationem hanc & præceptum Christi ad omnes pertinere.

[g] Mat. 16. v. 18
[h] Ver. 23.
[i] Rob. Bellar. controv. 4. quæst. 5.

[k] Mat. 18. 22.

[l] Luc. 22. 34.

[m] Ioh. 21, 15.

[n] Cap. 3. sect. 2

RAINOLDVS. Rectè memini: & esse verissimum arbitror. Sed tamen hoc mortiferam plagam argumento illi infligit, cui tu Patrum nomina prętenderas. Si enim verba Christi, *Pasce oves meas*, &, *Confirma fratres tuos*, eo sensu nos interpretari oporteat, ac si ad *Pastores omnes* sint dicta, quod tua dat responsio: quî igitur *unius Pastoris* supremam autoritatem evincere queant, quod tuum infert argumentum?

HARTVS. Non ego, quum [*omnes Pastores*] nominabam, Ecclesiarum omnium Pastores intellexi: sed omnes unius Ecclesiæ Pastores, Ecclesiæ scilicet Romanæ.

RAINOLDVS. At Roberti, Patris illius, cujus verba citabas, de *omnium Ecclesiarum Pastoribus* hæc sententia est. Et verò mandatum illud Christi, *Pasce oves meas*, illos quoq; respicit: nisi [o] Concilium Tridentinum hallucinetur.

HARTVS. Illos quidem respicit: sed imprimis Romanum Pontificem. Nam S. [p] Chrysostomus disertè dicit (ut commemoravi) *Christum oves pascendas tùm Petro, tùm Petri successoribus commisisse.*

RAINOLDVS. An tu autem certum habes, per [*Petri successores*] ipsum Pontifices Romanos significasse?

HARTVS. Quos quæso præterea?

RAINOLDVS. Omnes Episcopos: nō omnes unius Ecclesię, sed omniū Ecclesiarum Episcopos. Quod verba ejus perspicuum faciunt, & finis ille in quem ab ipso scripta sunt. Nam, ut excitaret Basilium, & alacritatem illi animumq; adderet, ad Episcopi officium exsequendū, quod susceperat: narrat illi, *Christum quū diceret Petro, Amas me? Pasce oves meas, eò dixisse; ut nos doceret, quantæ sibi curæ sit gregis sui præfectura, ideoq; copiosam atq; adeò immensam mercedem illos exspectare debere, qui ejus Pastores, ac rectores exsistunt. Quanam enim de causa*, inquit Chrysostomus, *ille sāguinem effudit suum? Certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tùm Petro, tùm Petri successoribus committebat.* Unde pergit porrò, declaratq; quænam illa tandem cura sit, quam Christus Petro & *omnibus Pastoribus* in legatione ista mandavit, *Pasce oves meas.* Quare series ipsa orationis Chrysostomi, rationísque finis, personaque quæ denotatur, Divus Basilius, Episcopus, non Romanus, sed Cæsareensis, manifestò arguunt illum, quum [*successores Petri*] nominaret, omnes gregis Pastores, omnes Ecclesiæ Christi Episcopos designasse. Atq; hoc adeò liquidum est, ut [q] ipse Pater Robertus (in prælectionibus suis Romanis) id non concedat modò, sed etiam duplici confirmet argumento: altero, ex [r] Augustino, *Petrum figuram fuisse Ecclesiæ*, hoc est, omnes Pastores representasse; *quum ei Christus præciperet, Pasce oves meas:* altero, ex [s] Leone, *cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri formam proponi.* Quo quidem magis pudenda est Doctorum vestrorum si non cognôrint, ignorantia; impotentia, si cognôrint: qui imponunt aliis, Chrysostomum per *successores* illos, dominatum Papæ comprobare. In quo * Rhemenses quoq; vestri turpiter lapsi sunt: sed par quoddam Jesuitarum, Canisius & Busæus, facilè commilitones suos superant. [t] Illi enim boni viri, inter multas Patrum sētentias, quarum quæ alienissima, non minùs quàm ista ad Papatûs confirmationē apta est, istam tamē ut maximè luculentam efferunt: de eaq; tanquam longe optimo argumento, tripudiant, hac singulari notâ in oris paginæ adscriptâ: *Nota*, inquiunt, *tùm Petro, tùm successoribus curam ovium commissam. Nota*, inquiunt Jesuitæ. Res quidem certè notatu dignissima, tam insignem Ecclesię Christi vos fraudem facere. Nam persuadetis simplicibus, imprimisq; tironibus, qui locis communibus vestris fidem habent, Chrysostomum scilicet de Petro & successoribus

[o] Sess. 23. de reform. c. 1.

[p] De sacerdotio, lib. 2.

[q] Rob. Bellar. controv. 4. q. 3.

[r] De agone Christian. c. 30

[s] Serm. 3. in anniversi. assūptionis suæ.

* Qui hoc citant & urgent quasi magnarum sit ad illud propositū virium. In Annot. Joh. 21. 17.

[t] In opere Catechistico Petri Canisii edito à Busæo. de præcept. Eccl. art. 9.

Petri

Petri eo sensu loquutũ esse, quo Papa loquitur, quũ [u] dicit, *Petrum & Petri successorẽ esse Caput Ecclesiæ;* [x] solennîq; sacramento astringit homines, *ut obediant Pontifici Romano, successori Petri*: ubi tamen Chrysostomus *Petri successores* illos omnes esse intelligat, quibus *Christus oves pascendi curam commẽdat*: quomodo [y] Magister sententiarũ, [z] Thomâsq; Aquinas *nomẽ Petri successorũ*, omnibus *sacerdotibus* & *Prælatis* (quos appellant illi) attribuunt, hoc est, omnibus Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ: queadmodũ S. [a] Augustinus docet, *omnibus dictũ esse, quũ sit dictũ Petro; Diligis me? Pasce oves meas*: ut S. [b] Ambrosius scribit, *se & omnes Episcopos recepisse curã oviũ cũ Petro*: ut [c] Romanus Clerus accõmodat *ad reliquos Christi discipulos* & *Clerũ Carthaginiensem*. Adeò invictas vos rationes *ex Patribus* eruitis, quæ præsidio sint Romano Papatui; quarũ robore Episcopus quisq; tantum supra Romanum valeat, quantum valet supra quenquam Romanus sibi assumere.

Hartvs. Est quidẽ certè quodãmodo omnium Ecclesiarum Pastoribus cõmune, *ut oves pascant*. Sed in multis Ecclesiis Pastorum *fides* defecit. Quare Christi precatio pro Petri fide, *ne deficeret*, non est illis omnibus communis. Soli Episcopi Ecclesiæ Romanæ nũquã in fide defecerũt. Qui rerũ exitus, evẽtusq; plane probat, Christũ orationẽ illã pro successoribus Petri in sede Romana fudisse: atq; ita constituisse illos supra omnes, dum imperat ipsis, ut *fratres* suos *confirment*.

Rainoldvs. An tu arbitraris igitur omnes Romanos Pontifices eodẽ privilegio septos fuisse, quod pro Petro Christus obtinuit, quòd *fides ejus non defecerit?*

Hartvs. Eodem prorsus.

Rainoldvs. Etiámne *fidem* suam ostenderunt illi [d] *operibus suis*, [e] *observantes mandata Christi; & se ipsos mutua caritate complectentes?*

Hartvs. Fortasse.

Rainoldvs. Quin tollatur de medio illud [*fortasse*:] omnes enim mortales, nõ ostendisse norũt. Etiã ante septingentos annos, (ut de recentioribus taceam tẽporibus, in quibus potentia & opes eorũ majoris licentiæ scintillas accenderũt, & habenas libidinibus ipsorũ remiserunt;) sed ante septingentos annos, quũ essent adhuc res eorum mediocres, documentũ hujus illustre enituit ex multorũ vitis, qui sibi vicissim successerunt. Formosus, Bonifacius, Stephanus, Romanus, Theodorus, Johãnes nonus, & aliquantò pòst Christophorus, & Sergius egregia exempla exstiterunt. De quibus amici sui, & benevoli tradunt, [f] *discessisse ipsos à Petri vestigiis;* [g] *sedem ejus ambitione & largitione occupasse*, [h] *prodigiosos* fuisse, aut potiùs [i] *portenta & monstra*. Quorum *(1)* primus Papæ anathemate notatus fuit, & in Papatum perjurio invasit. Quo modo *(2)* secundus etiam invasurus fuisset, nisi conatum ejus mors prævertisset. *(3)* Tertius decreta primi abrogavit, & res gestas ejus rescidit. Tertii scita refixit *(4)* quartus, & primi stabilivit. *(5)* Quintus iisdem progresus est itineribus. *(6)* Sextus Concilio eadem confirmavit. *(7)* Ultimus verò parvi pendẽs à Concilio Papáq; comprobata hęc fuisse, tertium restituit in antiquũ statũ, & primũ denuo condemnavit. *Ita* * *vertigo rotabat Petri successores*, ut [k] Krantzius de illis loquitur: & Ecclesiæ Caput diu sine cerebro regnavit. Novum omnino facinus, & cujusmodi putem vix apud immanes & barbaras gentes fuisse auditum: [l] unum ex istis successoribus [m] superioris Pontificis cadaver de tumulo extraxisse, in judicium in Concilio Episcoporum produxisse, Pontificali habitu spoliasse, induisse seculari veste, nomen detulisse, reum egisse, condemnasse, [n] tribusq; abscissis digitis in Tyberim projecisse. At poterat tamen hic Papa

[u] Bonifacius Pontifex 8. c. Vnam sanctã. extra. de majoritat. & obedientia.
[x] Pius Papa quartus. In bulla super forma juramẽti professionis fidei.
[y] Li. 4. dist. 18.
[z] In 4. Sent. distinct. 18. quæst. 1. art. 1.
[a] De agone Christi. cap. 30.
[b] De dignitate Sacerd. cap. 2.
[c] In epist. ad clerum Carthag. apud Cyprian. ep. 3.
[d] Iac. 2. 18.
[e] 1. Iohn. 2. 4. & 3. 23.
[f] Platin. de vit. Pont. in Iohãne decimo.
[g] In Benedict. quarto & Sergio tertio.
[h] Genebrard. Chronograp. lib. 4.
[i] Platin. in Benedict. quarto & Christoph. primo.
(1) Platin. in vita Formosi.
(2) Sigon. de regno Ital. l. 6.
(3) Plat. in vit. Stephani sexti.
(4) Romani.
(5) Theodori secundi.
(6) Iohãnis decimi.
(7) Sergii tertii.
* *Ita vertigo rotabat Petri successores, Iesu Christi vicarios in terris.*
[k] Metropolis lib. 2. cap. 22.
[l] Step. sextus.
[m] Formosus.
Sigonius, de regn. Ital. li. 6.
[n] Luitprãdus Ticin. lib. 1. cap. 8. ubi hoc ascribit Sergio, quoniam erant illi Sergianæ factionis, quorum operã in hoc facinore usus est Stephanus. Sigon. lib. 6. Sergiani.

pro Divo aliquo Pōtificio haberi, si cum [o] Johanne duodecimo comparetur. Majori enim crudelitate hic in multorū viventiū corpora desævit, quàm ille in unius mortui cadaver: nec ille tā fuit uno scelere insignis, quàm Johānes duodecimus universis, impietate, injustitiâ, intēperātiâ, superbiâ, stupris, adulteriis, incestis, homicidiis, perjuriis, simoniâ, sacrilegiis, blasphemiis, iisq; exsecrandis flagitiis quæ horreo meminisse. Nō Catilina, nō Nero, nō Heliogabalus, nō mōstrosissimę Romanę urbis belluæ istum ullo modo assequebantur aut exæquabant. Planè credere non liceret in uno putrido cadavere, tantam, tam horribilem fœditatem compertam fuisse, nisi Ecclesia ejus Italię Episcopi, (in Concilio ab Othone Imperatore indicto) eadem ei objectarent, eáq; quæ istis multo magis flagitiosa sunt & immania. Quin ipse quoq;, quum ad illum Imperator & Concilium scriberent, ut veniret & causam suam diceret, hoc illis responsum dedit, nullū daturus aliud; se illos ad inferos usq; anathemate amandare, si eum de sede sua dejicere molirentur, quod moliri ipsos inaudierat. Luitprandus Ecclesię cujusdam in Italia Diaconus, [p] vir ob sanctitatem laudatus, qui eodem tempore vixit, [q] hanc de Johanne Papa scribit historiam, & ea fide quidem, ut, præter [r] Martinum, [s] Tritemium, [t] Platinā, [u] Krantzium, & [x] alios vestræ religionis sectatores, qui ejusdem summam post ipsum tradiderunt; Sigonius (homo Italus, [y] cui à Pontifice vestro mille ferè aurei quotānis numerantur, ut Lectoris officio in Academiarū ejus aliquâ fungatur,) etsi multū in historia sua Italica ea dissimulet, quæ Papæ imminuant dignitatem: [z] hoc tamen agnoscat, & satis plenè describat. Non autem, spero, de isto Papa dices, Johanne Papa duodecimo; *Fortasse illum operibus suis fidem suam ostendisse*: aut si diceres ostendisse *fidem suam* (quod fortassis,) non eam tamen, illam fidem fuisse asseres, quæ fuit Petri, pro qua Servator orabat. Nam si tu hîc opinaris illum postea forsan ex vitiorum istorum vadis emergere potuisse, & ad bonam frugem reverti, sicut resipuit Petrus quum abnegasset Christum, atq; ita labasse quidem fidem ejus, sed *non defecisse*: narro tibi porrò, Johānem Papam in cursu illo perrexisse in quo inceperat, & mortem vitæ suæ simillimam obiisse. [a] Dum committit adulterium, occiditur: [b] sive ab aliquo confossus, qui eum in stupro deprehenderat, [c] sive à Dæmone percussus; historicis non convenit. [d] Cardinalis autem Turrecremata illud, ut vero similius amplectitur, quod maximè tremēdum erat. *Quoniam vita* (inquit) *Johannis erat detestabilis, & Christiano populo plurimùm scandalosa; Christus, non passus ampliùs Ecclesiam suam scandalizari, in eum damnationis sententiam intulit. Nam, ubi cum uxore cujusdam oblectaretur, subitò à Diabolo in tempora percutitur, & ita sine pœnitentia moritur.*

HARTUS. Quid tandem si Johānes Papa, aliiq; eorum nōnulli vitæ suæ delictis fuerint inquinati? *Fides* tamē eorū nō defecit, nō illa *fides*, de qua Christus verba fecit. Nā per nomē [*fidei*] doctrinā fidei intellexit, quā, oravit pro Petro & successorib' ejus ut firmā & sanā cōservarēt, nec ab illa unquā ad hæresin ullā seducerentur. Nec unquam ita seductus fuit Johannes, aut quisquam alius Pontificum, etsi, quod ad mores & vitas attinet, non fuerint tam valde boni.

RAINOLD Equidem putâram Christum per [*fidei*] nomen, vivam Christianā fidem significasse: [e] quæ promissionem misericordiæ Dei complectitur, [f] *quæ per caritatem operatur*, fideiq; fructus producit; [g] quam quicunq; habuerint, *vitam* habent *æternam* sibi confirmatam. Sed tu fortasse de mortuâ fide Christum loquutum esse opinaris: fide illa, quam illi habent de quibus [h] scriptum est; *Dæmonia credunt & horrescunt*: quam fidem Papa Johānes habere potuit, ac reprobus esse, & absq; pœnitentia emori, & mortis æternæ heres esse.

[o] Quem Platina Iohannē decimum tertium appellat.
[p] Platina in vit. Stephani quinti.
[q] Histor. rerū per Europam gest. lib. 6. c. 6. & 7. & 8. & 10.
[r] Martin. Polon. in Supput. Pontif.
[s] In Chronic. Monast. Hirsau.
[t] In Iohanne decimo tertio.
[u] Saxon. lib. 4. c. 9. & Metrop. lib. 3. c. 1.
[x] Sigibert. in Chron. Blond. decad. 2. lib. 3.
[y] Detectio Nicolai (Anglicè, *The discoverie of Nicols*:) part. 2.
[z] Sigon. de regno Italiæ lib. 7.
[a] Albert. Krantz. Metrop. lib. 5. c. 1.
[b] Platina in vita Iohan. decimi tert. Blōdus decad. 2. lib. 3.
[c] Luitprandus Ticin. lib. 6. c. 11. Sigibert. in Chr. Tritem. in Chro. Monast. Hirsaug.
[d] Summa de Eccles. lib. 2. cap. 103.
[e] Rom. 3. 25.
[f] Gal. 5. 6.
[g] Ioh. 6. 47.
[h] Iacob. 2. 19.

HARTVS. Non aio Christum mortuã fidẽ,sed rectã illã fidẽ denotasse: hoc est,ut dixi, verã & Catholicã fidei Christianæ doctrinã.Quo sensu Scriptura eãdẽ voce utitur:ubi scribitur,[i] *Fore ut posterioribus temporibus quidã desciscant à fide,spiritibus deceptoribus attendentes ac doctrinis Dæmoniorũ.* Dæmoniorum hîc doctrinæ,hæreses quęcunq; demum censendæ sunt. *Fides* autẽ,doctrina vera est adversus hæreses opposita.Petro quidẽ hæc fides inerat, quũ diceret, [k] *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Ab hac fide dimovere illũ conabatur Dæmon. Sed pro illo Christus oravit,ut illa non deficeret. Atq; similiter Christum aio pro Romanis Pontificibus orasse,ut in nemine eorum hæc deficeret.

[i] 1. Tim. 4. 1. [k] Mat. 16. 16.

RAINOLDVS. At verò hæc *fides* ipsa est,quam [l] *Dæmones* habeant, & interea tamen horrescant:fides ea,quam potuit Papa Johãnes habere, & tamen reprobus esse,& absq; pœnitentia emori,& æternæ mortis heres esse.

[l] Luc. 4. 41.

HARTVS. Esto. Quid tum demum?

RAINOLDVS. Christus igitur pro Petro orabat,ut nunquam *illam fidem* deperderet,quã fidem servare poterat,ut ipse interea perderetur, corpore animáq; ejus æternâ perditione absumptis.

HARTVS. Si id ego tibi concederem?

RAIN. Immo necessum est ut concedas: Johãnis enim Papæ exemplo est cõfirmatũ.Sed cur tandẽ Petro aiebat Christus,[m] *Satanas expetivit vos, quos ventilaret sicut triticum?* Quid hoc est,Discipulos *sicut triticum ventilare?*

[m] Luc. 22. 31.

HARTVS. Illos tanquam far triticeum ventilare: hoc est, omnem ipsis veritatem & fidem,tanquam far de cribro excutere, nihilq; in illis præter meram apludam quasi relinquere.

RAINOLDVS. Satanas igitur ipsis omnem suum amorem in Christum excutere cupiebat,ut illum desererent,ab illóq; reciderent.

HARTVS. Omnino.

RAINOLD. In quẽ finẽ hoc tandẽ,nisi ut ipsos perderet; [n] queãdmodũ Jobũ ventilare cupiebat? Quemadmodum à Petro monemur; [o] *Diabolus tanquam leo rugiens,obambulat,quærens quem devoret.*

[n] Iob. 1. 11. et 2. 5. [o] 1. Pet. 5. 8.

HARTVS. Verum est.

RAINOL. Et sicut nos Petrus instruit adversus Dæmonis conatus hoc præcepto, [p] *Cui resistite firmi per fidẽ:* ita Christus illũ armavit,orationẽ ad Deum faciens, hocq; pro illo impetrans,ut *fides ejus non deficeret.*

[p] V. 9.

HARTVS. Verissimum ais. Armavit quidem Petrum, omniq; ex parte munivit,[q] *ut ille conversus fratres suos confirmaret.*

[q] Luc. 22. 32.

RAI. Nónne animadvertis igitur per [*fidem*,] Christum vivam fidem necessariò intelligere,quæ cum amore Christi,& pietatis constantiâ sit cõjuncta,quâ Dæmõ prosternitur,evitantur inferi,& certò cœlum exspectatur? Nam si doctrinã illã significasset,ut tu exponis,veram catholicãq; fidei Christi doctrinam: qui Petrum in ignita illa Satanæ spicula armasset,quæ sana in fidei dogmatis opinio restinguere nõ valebat? Ubi attẽde,quæso,quã tu labeculã aspergas Christi sapientiæ, quẽ fingis hæc cũ Petro verba habuisse: *Vos tentabit Satanas,ut ab amore mei abducat,corporáq; vestra juxtà & animas interimat: sed ego oravi pro te,ut rectè in rebus fidei sentias.* Quod perinde est,ac si Dux quispiam,ut militum suorum unum aliquem (de cujus salute inprimis sollicitus est) ad prelium animaret,illum alloqueretur: *Adorietur vos hostis venenatis tormentis,ut conficiat: sed ego tibi scutum papyraceum comparavi, ut ab illorum periculo tutus servere.* Quo quid ridiculum magis aut absonum dici potest?

HARTUS. Quasi vero *sana fides* non sit adversus machinas Diaboli munitius præsidium, quàm est *scutum papyraceum* adversus venenata tormenta? Non in ea fuit Paulus opinione, [r] qui in *armaturâ* Christianâ adhortatur nos, ut *ante omnia scutum fidei assumamus.*

RAINOLDUS. Non idem Paulo, quod tibi [*fides*] est. Ille enim de *scuto* illo adjungit, posse nos hoc scuto *omnia* jacula * *mali illius* (hoc est Diaboli) *ignita exstinguere.* At sana in rebus fidei opinio nequit omnia exstinguere: quod [s] Judas, sive Johannes Papa docent. Quare Paulus [*scutū fidei*] appellat vivam Christi fidem, quā Deus electis suis, & solis electis donat: per [t] quam Dæmonem, omnésq; ejus copias profligamus, & in cœlum ingredimur. Quanquam ego non negem rectam integrámq; in rebus fidei opinionē adversus quędā Satanę jacula, putà, errores, fortius in se præsidiū papyraceo cōtinere. Sed ab istorū jaculorū discrimine tutos servari, ad vitā ipsā satis nō est: neq; ab illis omnib[9] capitalia vulnera imponūtur. Quę cōmemorabā jacula, magis acerba sunt & lethalia. Nā perimunt quos vulnerāt. Adversus hoc genus si Christus Petrū eâ fide armasset, quā tu apud mentem efformas tuā, quū *Satanas eū expeteret sicut triticum ventilare*: est profanum nimis cogitare, quanquam ex opinione tua id cōsequatur, munivisse eū Christū quasi papyraceo scuto cōtra tormēta venenata. Nā, ut cōtra hæc tormēta, scutū ex papyro fabricatū hāc caducā terrenāq; vitā nostrā sartā tectā nequit cōservare: ita in causis fidei sana opinio nō poterat Petrū ab illorū jaculorū veneno intactum ad æternam vitam perducere.

HART. Quid postea, si de viva fide Servator in sua pro Petro oratione cogitaret?

RAINOLDUS. Illud igitur oravit Christus pro Petro, quod pro Pontificibus vestris nō oravit: *Nā* [u] *perpetuò* ille id assequitur quod à Patre suo petit. At vivā pro omnibus Pontificibus Romanis fidē nō est assequutus, quod edocui. Illam igitur à Patre nō petebat. Atq; ita thesis illa falsa est, in qua defigis Papatū, eandem Christum orationem pro *Petri* in Romana sede *successoribus* adhibuisse, quam pro Petro adhibuit, ut *fides ejus non deficeret.*

SECTIO SECUNDA.

HARTUS. Ceterùm eam illi Christus *fidem* dedit, qua de loquimur: judicium rectè conformatū intelligo in causis fidei, gratiâ dotatum istâ, ut nō deficeret. Et in hoc quidem privilegio, quamvis nō in altero, ei Papa succedit.

RAINOL. Quin tu confirmes primùm oportet, hoc privilegio Christū illū auxisse, quū istic *fidē* nominabat: alioquin, hoc à me respōsum feres, [x] Petro, ut reliquis Apostolis hoc Christū dedisse. Quāobrē id pari jure illorum successores, æquè ac Petri successores, poterunt vēdicare. Sed fac Christū eo auxisse Petrum: ne in hoc quidem privilegio ei Papa *succedit.* Papa enim non modò à doctrinę veritate deflectere, sed etiam hęreticus esse potest. Quod tu de Petro, opinor, non affirmabis.

HARTUS. Neq; lubens hoc quidem ego de Papa affirmarem.

RAINOLDUS. At necessum tibi est: nullum datur effugiū. Contestata res est. Scholastici vestri, & Canonistæ, [y] Ockamus, [z] Hostiensis, [a] Turrecremata, [b] Zabarella, [c] Cusanus, [d] Antoninus, [e] Alfonsus, [f] Canus, [g] Sanderus, [h] Bellarminus, & [i] alii, etiam [k] Canones ipsi vestri, etiam [l] Concilium, Romanum Conciliū, à Pontifice confirmatum, concedunt.

HARTUS. Concedunt fortasse, *posse Papā hereticū esse*, per suppositionē: quo modo multa quidē esse possunt, quæ nunquam erant, neq; sunt, neq; sunt futura. Nequis enim probare ullum unquam Papam exstitisse *hæreticum*; etsi fieri quidem potest, ut sint. De quo non pugnabo.

RAINOLDUS. Si fieri potest ut sint, quod necesse habes concedere: certum est igitur

[r] Eph.6.16.
* τοῦ πονηροῦ.
[s] Ioh.13.2. Matth.27.4. Act.1.18.
[t] Apoc.12.11. Hebr.10.19. 22, & 38.
[u] Ioh.11.42.
[x] Luc.24.49. Act.2.4.
[y] In dialog. part.1.l.6.c.1.
[z] In summam lib.5. tit. de hæret.
[a] Summa de eccl.li.2.c.93. & 112.
[b] De schismat. Pontificum.
[c] De concord. cathol. lib.2. c.17.
[d] Summ. part. 3.tit.22.c.7.
[e] Adv. heres. l.1.c.2.& 4.
[f] Locor. Theolog. l.6. ca.8.
[g] De visib. monarch. lib.7.
[h] Controv.4. part.2. quę.1.
[i] Canonistæ in distin.40.c. Si Papa. arch. & Iohan. Andr. c. In fidei. de hæreticis in Sext. Caietan. de autoritat. Papæ R. & Concil. ca.20. & 23.
[k] Distinct.40. c. Si Papa.
[l] Synod. Romana quint. sub Symmach.

igitur verborum Christi eam sententiam non fuisse, ipsos in doctrina fidei non erraturos. Quod enim affirmat ille non futurum; id esse quidem nullo modo poterit. Verùm nihilo certius est, posse illos hæreticos esse; quàm fuisse ex iis quosdam, est manifestum. Quo enim tempore conflictabatur Ecclesia hæresi illâ *Monothelitarum*, qui (quum Christus nobis inde servator redemptórq; factus sit, quòd ex [m] duabus naturis, Deus & homo, utq; ex naturis duabus, ita [n] ex voluntatibus duabus naturis illis convenienter constet,) aiunt Christo * unicam tantùm voluntatem esse, unde etiam consequitur unicam tantùm illi esse naturam; quæ prodigiosa opinio, salutis nostræ fundamentum subvertit: Honorius Papa hanc hæresin tenebat docebátq;. Illum [o] sexta Synodus generalis reum deprehendit, damnavit, & anathemate perculit.

[m] 1.Tim.3.16
[n] Luc.22.42.
* Vnde Græcè appellantur Monothelitæ.
[o] Sext.Synod Cōstantinop. act.12.&.13.

HARTVS. Utrùm huic hæresi addictus fuerit necne Honorius, Catholicorū discordant judicia; alii in hanc partem, in illam alii propensiores. Pater Robertus, qui cōtroversias Romæ legit, opinionem [p] Pighii, [q] Hosii, & [r] Onuphrii, illis omnibus anteponit, qui secus sentiunt: atq; ita illorum consensu Honorium absolvit.

RAINOLDVS. Quo modo? Num ex indulgentiâ; ut olim absolutus est [f] Barabbas? An convocatâ clericorum juratorum Inquisitione eum nequaquam reum deprehenderunt?

HARTVS. Certis demonstrant rationibus falsum illi crimen objectari. Nā à Pighio quidē & Hosio producuntur testimonia Historicorum, Platinę, Sabellici, Naucleri, Blondi, & Æneæ Silvii: qui scribunt *Honorium hæresin Monothelitarum condemnasse*. Quibus Onuphrius autoritatem adjungit Emmanuelis Callecæ, hominis Græci, & Johannis de Turrecremata, Sancti Sixti Cardinalis, qui scriptis suis illum Catholicum Episcopum fuisse probaverunt.

[p] De hierarc. Eccles.l.4.c.8.
[q] Cont.Brentium, lib.2.
[r] Annotat. in Platin. vit. Honor.1.
[f] Ioh.18.40.

RAINOLDVS. *Probaverunt*? Immo probasse quidē voluerunt, nisi sua ipsos argumēta defecissent. Nōne istæc verò mira responsio est? De Honorio Papa quęritur, qui ante mille fere annos vixit, quid ille in quodam fidei dogmate docuerit. Qui eo tempore floruerunt Episcopi, [t] non multo pauciores quàm ducenti, aut (ut [u] quidam) trecenti, dicunt, quod etiam ex ipsius scriptis docent, *illum hæreticè docuisse cū Monothelitis*. Platina, Sabellicus, Nauclerus, Blondus, Silvius, Calleca, & Turrecremata, septē ex Papæ amicissimis, quorū qui antiquissimus erat, annis plus sexcentis post Honoriū viguit, contrà affirmant. Utri tandem horum in hac causa veritatem scire potiùs, & dicere videantur?

[t] Synod. sext. subscript. act. 18.
[u] Histor. miscell. Paul. Diac. lib. 19.

HARTVS. At exstant etiā in Romani Pōtificis Bibliotheca scripta Maximi, qui circiter idem tempus floruit. Et ex illo quidem perspicuum est, Honorium nō se hæresi illi ascripsisse, immo eam certò condemnasse.

RAINOLDVS. Ita poterat certè Onuphrius fari, et (opinione sua) tutò; quoniam non erat verisimile, nos visuros esse aliquando Maximum in Bibliotheca Pontificia, quò verba ejus refelleremus. Sed ab [x] Andradio vestro refelluntur. Qui, differens de hac ipsa causa, ut ostendat rem *minùs certam esse, ab Honorio Monothelitarum hæresin primò damnatam fuisse, etsi id Platina, & Sabellicus, & Blondus, & Æneas Silvius tradant; Theophanes*, inquit, *& Anastasius, Historici multo, quàm illi, vetustiores, Johanni quarto idipsum tribuūt, qui quartus fuit ab Honorio Pontifex. Maximus etiam (ut aptissimè Franciscus Torrensis vir doctissimus adnotavit) quum Honoriū ab hac calumnia vindicandum suscepisset, hujus nequaquā dānationis mētionē fecit; quod neq; virū tantū latère neq; prætermitti ab eo potuisset.* [y] Torrensis verò iste, quē laudat Andradius, totū illū Maximi de Honorio locū citavit: cujus hæc sūma; *Secretariū Honorii, qui illā ipsā epistolam, ex qua ille accusabatur, scripserat, & senten-*

[x] Defens. fidei Trid. lib. 2.
[y] Lib. de sexta septima, & octava Synodo,

tiam ejus forſan optimè calluerat, partem epiſtolæ interpretatum eſſe ex ſenſu meliori, ut ſanior videretur: Atq; hic eſt ille Maximus in *Bibliotheca Pontificia*, ex quo Onuphrius veſter *ſatis manifeſtum eſſe* accipit, (aut ſaltem à nobis ita acceptum vellet,) *Honorium nunquam ſe hæreſi illi adjunxiſſe, immo eam certò damnaſſe*. Sed vide quæ hominum diſcordia: Andradius qui Amanuenſis interpretationem probat, quam citabat Maximus ad Honoriū ab hæreſi vindicandum, ex illo tamen Maximi loco manifeſtum eſſe colligit, eam Honorium non damnaſſe. Torrenſis, & hic quoq; Papæ amiculus, narrat alteram partem epiſtolæ Honorii ab expoſitione Secretarii commodè ſanatam eſſe: ſed alteram quidem ejus partem nihil ipſa juvat, ubi ex verbis ejus conſtat, eum Monothelitam fuiſſe. Torrenſis ergo, cui non magis interclusus erat ad Pontificiā Bibliothecā aditus, quā Onuphrio, oſtendit, Onuphrio propoſitū fuiſſe furtivo nos mēdacio fallere, quos ad Maximū in Bibliotheca Palatina ablegavit. Maximus autē ipſe noluit, ſtudio tùm Honorii, tùm veritatis inductus, ut hæretici ſe, ([z] quod fecerūt) tanto freti patrono jactarent: ideóq; eniſus eſt, ut ab iis illum retraheret. Ceterū [a] Synodus generalis (quę, poſt hęc ab ipſo ſcripta, habita eſt) deprehēdit poſtea, re meliùs excuſſâ & agitatâ, Honoriū in eorū conſuetudinē ſe dediſſe, & illorū placita diſſeminaſſe. Quāobrē, quicquid demū de hoc Maximus ſcripſerit, aut optârit potiùs: majoris fidei Synodus eſt, quàm Maximus; multò majoris, quā Calleca aut Turrecremata, qui in eo nō poterant, quantū Maximus, affirmare, & quod illi optimum affirmant, à [b] Maximo derivârunt.

[z] In Concil. Rom. Martin. Secret. 4.
[a] Sex. Synod. conſtantinop. act. 11.
[b] Ioan. de Turrecrem. in ſumm. de Eccleſ. l. 2. ca. 93.

HARTUS. Quod tu de Synodo affers aliquid eſſet, ſi hujus hæreſis damnaſſet Honorium. At hoc non fecit, utcunq; nunc in illa Synodo ita ſcribatur. Nā Anaſtaſius, Bibliothecę Palatinę Magiſter, qui intra ducentos poſt Honorium annos vixerat, in hiſtoria ſua Latina ex Theophane Græco ſcriptore docet, *vulgata exemplaria ſextæ Synodi à Græcis corrupta fuiſſe, ejúſq; canones, in quibus Honorius cōdemnatur, ſuppoſititios eſſe.*

RAINOLD. *Canones?* Quos tu mihi Canones? Nulli ſunt ſextæ Synodi Canones, in quibus Honorius cōdēnatur. Neq; id Anaſtaſius, vel Theophanes ſcribunt.

HARTUS. Itane? [c] Onuphrius ſanè idem mecū aſſerit, & quod ipſe aſſerit, ait Sirletum, tum Apoſtolicę ſedis protonotarium, nunc Cardinalem Romanum, doctiſſimum virum animadvertiſſe.

[c] Annot. in Plat. vit. Hon.

RAINOLDUS. Turpe verò & craſſum, vel Sirleti, vel Onuphrii, vel utriuſq; delictum. Duo enim Epiſcoporum habiti ſunt Conſtantinopoli cōventus, qui utriq; ſextæ Synodi nomine inſigniuntur: (1) prior ſub Imperatore Conſtantino quarto, circiter ſexcenteſimū & octogeſimū à Chriſto nato annū; (2) alter, ſub filio ejus Juſtiniano, triginta propè poſt annos. Prior adverſus hereſin Monothelitarū cōvēnit: Epiſcopi tā occidētis Eccleſiæ, quā orientis adfuerūt, illiq; cōmunib⁹ ſuffragiis Honoriū dānârunt. In altero orientis tātū Pręſules coierunt, qui regulas & decreta Eccleſiaſticę diſciplinę ſanxerūt, quę *Canones* iſti ſunt, quos tu cōmemoras. Iſtis *Canonibus* ſumma ſanctionū quas ſtatuit Græca Eccleſia, cōtinetur: ubi Romana vellicatur Eccleſia, cū [d] aliis de rebus, tū pręcipuè [e] de Pōtificio dominatu. Græci igitur Epiſcopi, ut majorē fidē Canonibus ſuis acquirerent, eos à ſexta Oecumenica Synodo factos eſſe aiebāt. De qua Synodo [f] tradiderūt, poſtquā dimiſſa eſſet, eoſdē ipſos Patres, quos Imperator Cōſtātinus antea coegerat, rurſus, filio ejus Juſtiniano poſt quatuor aut quinq; annos cōvocāte, conveniſſe, & Canones illos promulgaſſe. Verū iſtud Theophanes & Anaſtaſi⁹ fabulā eſſe, ut certè eſt, prodiderūt: & de illis cōmētātes Canonib⁹ pronūciârūt, *falſò Canones appellari ſextæ Synodi*. Jā Sirletus, in hæc verba, credo, incidens, ſecúmq; repetens memoriā Sextæ Synodo

(1) Sexta Synodus Conſtant.
(2) Canones Patrum conſtantinop. in Trull.

[d] Can. 3. & 13. & 55. & 69.
[e] Can. 36. & 39.
[f] Syno. Nicé. ſecund. act. 4. c. Habeo librum, diſt. 16.

aſcrip-

ascriptam esse Honorii damnationem: hoc aut verum esse, aut salutariter posse pro vero doceri censuit, damnatum fuisse Honorium ab obscuris & surreptitiis Canonibus, non à Synodo editis, sed sub Synodi nomine excusis. Quam opinionem suam fortassis familiari suo Onuphrio communicârat: & Onuphrius præ gaudio gestivit id typis divulgare. Ita istum ad modum rebus ab Onuphrio & Sirleto compositis, qui pretexunt autoritatem, & nomina Anastasii, & Theophanis, iisq; abutuntur: sextæ Oecumenicæ Synodo os quasi occluditur, ne quicquā contra Honorium pro testimonio dicat. At hinc infortunium tamen, quod [g] Torrensis denuò omnia interturbet. Nam ex illis Theophanis & Anastasii historiis, (quæ rarissimæ sunt) hunc etiam locum de *Canonibus* istis producit. Unde constat planè, non illis in animo fuisse sextę Synodi sanctionum fidem elevare, quæ Honorium damnavit Constantini temporibus, quod vos nobis persuasum fieri cupitis. Illud tantùm ostendere voluerunt, *Canones istos, qui sextæ Synodi Canones appellantur, ab aliis Episcopis, Justiniano imperante, traditos esse, longè illâ Synodo recentiores, ideóq; falsò sub ejus nomine emitti.*

[g] Lib. de sexta septima & octava synodo.

HARTUS. Nónne verò iis Canonibus, quisquis tandem eos confecerit, Honorius condemnatur?

RAINOLDUS. Ne nomen quidem ejus in ullo illorum, [h] præterquam in primo solo legitur: ubi, qui eum nominârunt, ita nominârunt, ut & semoverint seipsos à sexta Synodo, à qua damnatus est, & fidem existimationémq; ejusdem adauxerint. Nam Honorium in Coryphæis Monothelitarum numerant, deq; cunctis illis affirmant, *eos à sexta Synodo justè damnatos esse.*

[h] Canon. Patrum. Constātinop. in Trullo. can. 1.

HARTUS. Canon ille corruptelam redolet, qui sic de Honorio Pontifice loquitur.

RAINOLDUS. Age. Quid ergo tibi [i] de ipsa sexta Oecumenica Synodo videtur? Acerbiùs multo de illo hujus Concilii Antistites loquuntur, doctrinam ejus redarguentes tanquam *hæreticorum doctrinam, falsam, impiam, pestilentem.* Neq; eo contenti sunt, ut doctrinam ejus damnent; nomen ejus personámq; etiam, anathemate sunt exsecrati.

[i] Sexta synod. Constantinop Act. 13.

HARTUS. Aio exemplaria sextæ Synodi corrupta esse.

RAINOLDUS. Hæreticorum Monothelitarum causam sexta Synodus generalis, octodecim actionibus, ut appellantur, tractavit. In actione verò prima, octava, & undecima, hæretici pro se afferunt, *Honorii eadem, quæ ipsorum, dogmata fuisse.* In duodecima porrò, & decima tertia, scripta ejus excutiuntur, hæresis ipsius proditur, ipse damnatur, & anathemate percutitur: decimâ sextâ, decimâ septimâ, decimâq; octavâ, quod contra illum judicium & * anathema proferebatur, crebrò repetitur, iterum atq; iterum, maxima Synodi cum acclamatione. Ecquid arbitraris exemplaria actionum Synodi in omnibus illis locis corrupta?

* *Honorio hæretico anathema.*

HARTUS. In omnibus utiq;, in quibus Honorius aut damnatur, aut anathematis plagâ vulneratur.

RAINOLDUS. Quid? Etiámne loca illa in omnibus exemplaribus esse corrupta, etiam absq; ullo discrimine, omnia eodem modo, eisdem verbis omnia?

HARTUS. Omnia? Cur non? Num illud non potest fieri?

RAINOLDUS. Potest fieri: sed non facilè credi potest. At [k] septima Synodus Oecumenica, quæ à vobis ob iconolatriæ defensionem tanti putatur, septima ista Honorium non melioris æstimat.

[k] Synod. Nicæn. 2. act 7. in definit. synod.

HARTUS. Etiam septima Oecumenica Synodus depravata est.

RAINOLDUS. At in [l] octava generali Synodo sermo quidam Adriani Pon-

[l] Synodus octava Constantinop. sub Adrian. secund. Act. 7.

tificis commemoratur, quem ille in Concilio quodam à se indicto protulerat. In eo verò affirmat, *Orientis Episcopos, cum consensu Romani Pontificis, Honorium damnasse.*

HARTUS. Depravata quoq; Synodus octava.

RAINOLDUS. At [m] Leo secundus, qui tum in Papali cathedra sedebat, quum sexta Synodus dimissa est, hoc nominatim confirmat his verbis; *Anathematizamus Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit, sed profana ratione immaculatam fidem subvertere conatus est.*

HARTUS. Illa quoq; Leonis epistola depravata est.

RAINOLDUS. Atqui multi alii doctissimi Græci Latinique scriptores, [n] Beda, [o] Psellus, [p] Umbertus, [q] Balsamon, [r] Marianus Scotus, [f] Tharasius, & [*] Orientales Episcopi, etiam [t] vestrum Pontificale de vitis Paparum, ejus mentionem faciunt.

HARTUS. Quorsùm verò hæc tam multa? Omnia uno verbo [u] Pater Robertus diluit. Nam aut scriptores isti depravati ipsi fuere, aut à depravatis sextæ Synodi exemplaribus in errorem inducti.

RAINOLDUS. Verissima esse video Ciceronis illa; [x] *Qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene & naviter oportet esse impudentem.* [y] Albertus Pighius, Archipapista, id agens ut probet (in libris ejus *de Hierarchia Ecclesiastica*) in causis omnibus fidei & religionis, Papam supremum esse omnium Christianorum judicem, cui dicto audientes esse, & quem sequi omnes debeant: quoniam absurdū esse putarat, plenúmq; periculi, tanta unum hominem potestate amplificare, nisi is ejusmodi esset, ut qui in fide non posset errare; [z] ideo aggressus est hoc dogma invehere, *orationem Christi pro Petri fide, ut non deficeret, hoc privilegio Papam munire, ne in ullam hæresin prolabatur.* Quibus ita ab illo stratis, ut generatim negavit Papam hæreticum esse posse, etsi [a] omnes Theologi & Canonistæ (ipso fatente) id concedant: ita, quò Honorium nominatim de hæresi purgaret, aiebat *sextæ Synodi exemplaria, quæ contra illum fecerunt, corrupta fuisse.* Istud quidem factum Pighii magnopere suarum partium doctis viris displicuit; [b] adeò ut eorum unus illum in conventu publico reprehenderet, & id ut revocaret admoneret. Adversus illum objecerunt damnatum fuisse Honorium, & hæreticum pronunciatum à duabus Oecumenicis Synodis, sextâ, & septimâ, quarum autoritatem sacram haberi oportuit. Verùm tam longè abfuit ut eo Pighius inflexus sit, ut novum [c] libellum emiserit adversus illas duas Synodos, corruptas eas esse asseverans; & fervore quodam zeli in Papæ causa abreptus, sextam Synodum *ter exsecrandum Concilium nūcupavit.* Hîc verò Conciliorum casus discriménq;, quod omnium scriptorum cervicibus imminebat, si tam temerariis ingeniis fas esset futurum tam desperata responsa effutire, excitavit spiritum [d] Francisci Torrensis, ut adversus Pighium scriptis contenderet: quem confutavit, evicítq;, *Honorium verè hæreticum fuisse, justè à Concilio condemnatum.* Ab illo tempore quamvis [e] Hosius Cardinalis, & [f] Onuphrius Fraterculus, oris durissimi homines, Pighii causam susceperint: neq; tamen illi corroborârunt rationes Pighii, quassatas à Torrense; & alii ex Doctoribus vestris magis ingenui & sani, [g] Joverius, [h] Canus, [i] Andradius, & [k] Alfonsus à Castro, quàm non probent Pighium nec Honorium, ostenderunt. Quin popularis noster [l] Hardingus, qui de nullo præterea Papa id vellet concedere, concessit de Honorio, *jure posse illum hæresis insimulari, & in eam revera incidisse.* Sed è vestigio, ecce, novus prævaricator, Jesuita, Pater Robertus, rem de integro aggreditur, & in solennibus suis lectionibus Romæ docet, *opinionem veram esse, posse*

[m] In epist. ad Constantin. August. Synod sext. Act. 18.
[n] De ration temp. & in martyrologio.
[o] De sept. sacris synod. Græcorum.
[p] Contra Nicetam.
[q] In præf. ad sextam synod.
[r] Chronic. l. 2.
[f] Septim. synod. act. 3. in epist. ad Episc.
[*] Et Episcop. ad Tharas.
[t] Pontif. in vit. Leon. secund.
[u] Bellar. controv. 4. part. 2. quæst. 1.
[x] Cic. ad Luc. epist. l. 5.
[y] De Hierarc. Ecclesiast. l. 4.
[z] Cap. 6. & 7.
[a] Cap. 8.
[b] Pighius. præf. in diatrib. de actis sext. & sept. Synod.
[c] De actis sextæ & septimæ Synodi, quòd sint parengrapha & minimè germana. Albert. Pighii Diatribe.
[d] Lib. de sext. sept. & octava Synod.
[e] Cont. Brent. lib. 2.
[f] Annot. in Platin. vitâ Honorii.
[g] Sanction. Ecclesiast. class. 1. in propugnaculo sext. Synod.
[h] Locor. theolog. lib. 6. cap. 8.
[i] Defens. fidei Trident. lib. 2.
[k] De just. hæret. punit. l. 2. cap. 23.
[l] In detectione sua. lib. 4.

esse Papā hæreticū: verū probabile est, & piè credi potest, hæreticū esse nō posse. Mira hominis cōclusio, & Jesuitâ dignissima. Verumtamē, ut videamus quā facere id possis *probabile*, quod falsū esse cōfitetur, quū contrariū *verū* esse affirmet: aliquid pro singulis illis Pōtificibus dicit, qui hæresis arguūtur: & Honorii quidē impudētiùs, quā Pighius ipse causam agit. Non enim solùm sextæ aut septimæ Synodi fidem perstringit; sed quæ demum cumq; sint illi obviam: Concilia, Papæ, Græci, Latini, Historici, Theologi, vel corrupti sunt, vel corruptelis depravati. Poterit fortassis opinio, pro quā Pater Robertus dicit, & *probabilis* simul esse, & falsa. At istud de Honorio, quo eam confirmare nititur, est procul dubio, etsi falsum, tamen non *probabile*.

HARTUS. Satis sanè probabile est, ut à Patre Roberto tractatur. Possunt enim non majori negotio rivuli, quàm fons corrumpi, aut infici saltem permanante ex corrupto fonte contagione. Jam ille quasi fons, unde istud ceteri derivârunt, sexta Synodus est. Ille verò asserit, nomen Honorii istîc inter eos qui hæresis damnantur, insertum esse ab æmulis Romanæ Ecclesiæ. Cujus duo affert argumenta. Unum, Anastasium idem ex Theophane testari. Alterum, quia erat consuetudo Græcorum fere ordinaria corrumpendi libros; [n] quod ab eadem Synodo ex factis eorum demonstratur.

RAINOLDUS. A Synodo demonstratur fuisse quædam prioris Concilii exemplaria, quæ quidam apud Græcos hæretici corruperant. Sed, quod fraudulentis actionibus fatale est, ut semper à tergo vestigia relinquant, quibus eas investigando consequamur; [o] detectæ sunt illorum corruptelæ, tùm ex ipsius rei circūstantiis, tùm ex scribendi modo, tùm denique ex aliorum codicum collatione. In istis autem sextæ Synodi locis, ubi Honorius perstringitur, nullam poteris ejusmodi suspicionis notam indicare. Immo omnes notæ, & indicia contrà planè loquuntur: etiā illud quod tu de *Græcis* profers, qui *corrupisse libros convincebantur*. Nam, si tam multa illius Synodi in tam multis locis corrupissent: profectò illa quoq; loca verisimile est eos vitiaturos fuisse, in quibus notantur de talibus corruptelis, & infamiâ premuntur. Neq; verò id de Græcis ex Theophane refert Anastasius. Id retulisse illum fortassis ex Onuphrio Pater Robertus somniabat. Ceterùm, etiamsi Onuphrius in ea re plura loquatur, quàm pateretur veritas; istud tamen non loquitur. Anastasius tam longè ab hoc verbo abest, ut potiùs ei contradicat. Nam [p] in historia sua de vitis Pontificum, Honorium in hæreticorum numero reponit, qui sunt à sexta Synodo damnati. Idem [q] in veteri septimæ Synodi exemplari confirmatum est, quod ille è Græco convertit, & in bibliotheca reliquit Palatina. Et octavo quidem Concilio ipse interfuit, idémq; singulari cū diligentia & fide in Latinum convertit: ibidem hoc à Papa contestatum est. Deniq; Torrensis addit porrò de Anastasio, eum, si existimasset quicquam à Græcis suppositum fuisse, in ullis locorum eorum, quæ ad rem istam attinent; illud suo more non dissimulaturum fuisse. Quare, etsi Græcorum quidam, malè instituti homines, libros nonnunquam corruptelis inficerent; tamen consensus codicū, imprimisq; Latinorum, * non longè post Concilii ipsius tempora scriptorum, & Romæ reconditorum, rerum cohærentia, conspiratio autorum, & historiæ circūstantiæ faciunt, ut minimè credamus eâ fraude sextam Synodum in Honorii causa tractatam esse. Miserum esset omnibus hominum instrumentis & testimoniis fidem detractam fore, quòd quædam sint à malitiosis hominibus conficta. Sed perinde Pater Robertus, ut Alexander Magnus agit, qui quum nodum Gordii dissolvere non poterat, eum gladio discidit.

[n] Sext. Synod. Cōstantinop. act. 3.

[o] Act. 3. & 14.

[p] Anastas. bibliothecar. in vit. Leon. 2.

[q] Franc. Torrens. de sext. sept. & octav. Synodo.

* Scriptus est hic codex temporibus Sergii primi, Papæ: recōditus in Patriarchio Ecclesiæ Romanæ. Concilior. Tom. 2. in calce sextæ Synodi.

m Bellar. controv 4. part. 2. quæst. 1. (1) Nullum cõtinens errorem.

r Turrecrem. in summ. de Ecclesia lib. 2. c. 93.

s Alloquuti. 3. Papæ Adriani in Concilio Romano, lecta in Synod. act. 7

t Sexta synod. Constantin. act. 12. & 13.

u act. 17. & 18.

(2) Fortassis epistolæ sūs conficte.

x Sext. synod. Constantin. act. 12.

y Maximus in disputat. cont. Pyrrhum.

z Sext. Synod. Cõstantinop. Act. 13.

a Hierarch. Eccles. l. 4. c. 8.

HARTUS. Tuus quidem de Honorio nodus non tam difficilis est, quin possit eum ille sine gladio isto expedire: & verè expedit. Nam [m] ostendit epistolas Honorii ad Sergium, ex quibus illum sexta Synodus hæresis coarguebat, cùm prudenter scriptas esse, tùm (1) sanas fuisse, nullum errorem continentes. Ut igitur daremus tibi, damnatum fuisse illum Synodi sententiis; non tamen ex eo consequens est, hæreticum fuisse. Damnare illum injustè poterant.

RAINOLDUS. Cave dicas. Præstaret tibi nodum intactum relinquere, quã ita expedire. Istud medicamentum magis, quàm morbus ipse nocebit. Magnus sanè [r] Cardinalis, cui vos multum attribuitis, has in eo præstigias agit, Adriani Pontificis verbis fretus; qui ait, *Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum esse, quia de hæresi accusatus fuerat.* Nam hinc colligit ille, non fuisse Honoriũ dum viveret, hæreticum; nec ei anathema dictum fuisse, vel à Papa, vel ab Occidẽtis Episcopis. Verùm continuò in [s] Adriani verbis subsequitur (quod præciderat Cardinalis;) *non damnaturos fuisse Honorium Orientales Antistites, nisi Romani Pontificis consensus præcessisset.* Conciliorum insuper acta declarant, Occidentis Episcopos illic & [t] adfuisse, & [u] subscripsisse. Quare non Orientis Præsules modò, sed etiam universa Synodus, & Papa ipse sententiam contra Honorium protulerunt. Si epistolæ igitur Honorii sanæ fuerint, ex quibus ut insanis, hæresis damnatus est: tum Concilium generale à Papa confirmatum, in sententia hæresis adversus illum pronuncianda erravit. Hoc si das, quod quidem necessariò consequitur, munitissimum Papismi propugnaculum prodis, ut unius ducis nomen tueare. Nam prudentes viri hoc apud se statuent, & cogitabunt; posse doctrinam à reformatis Ecclesiis traditam sanam esse, de qua ut minimè sana Tridentinum Concilium, à Papa confirmatum nos damnavit. Damnare nos injustè poterant.

HARTUS. Minimè verò. Nam examinârunt, & exploratissimè cognôrunt illam à reformatis Ecclesiis, ut appellatis, doctrinam disseminatam.

RAINOLDUS. Quid? An verò alterius illius Synodi Patres damnârunt, exsecratiq; sunt Honorii Papæ doctrinam: nec examinârunt tamen eam, & exploratissimè cognôrunt?

HARTUS. Si hoc existimationem Synodi quicquam lædit; aliam responsionem Pater Robertus elimat, quæ magis placeat: scilicet epistolas (2) fortasse cõfictas esse; non ab Honorio scriptas, sed ab aliquo hæretico sub illius nomine emissas. Atq; ita potuit doctrinam justè damnare Synodus, in persona tamen errare.

RAINOLDUS. Quin hoc etiam labeculam aliquam Synodo aspergeret, Papam hæretici loco si condemnaret. Sed non commeriti sunt Patres illi, ut iis hæc aspergeretur. Nam [x] priorem epistolam, cujus testimonio nixi ad sententiam dicendam perrexere, inspexerunt, collatam cum authentico codice Latino, & consensum utriusq; deprehenderunt. Præterea, [y] autor ille, quem vos ipsi producitis ad Honorium purgandum, ipsius Honorii epistolam esse confessus est: & eo quidem tempore confessus est, quum Secretarius Honorii, qui manu sua eam descripserat, in vivis erat, qui aliquo numero fuit, & ei testimonium detulit. [z] Posterior autem non minoribus argumentis Synodo constitit, quàm prima: etiamsi minus in ea hærerent, in qua scilicet minùs necesse fuerit laborare, quum jam ante de illo judicium factum esset. Verùm omnibus conjecturis, iisq; tam probabilibus penditur, ut ne [a] Pighio quidem hæc ullum in animo scrupulum relinqueret, etsi de priori illa subesset suspicio. Neq; Patris Roberti eam sententiam fuisse arbitror, ut eas verè confictas esse cogitaret. Verùm, ut qui immersus in aquas, quum in-

dis-

discrimen vitæ conjicitur, quemvis scirpum arripit, quò vitam, si possit, servet: ita ille, quum Papam sentiat hæresi obnoxium à sexta generali Synodo judicari, quãque conjecturam arripit, unde aliqua spes, posse Honorio opem ferri. Commentum Pighii est, Honorium à Concilio non fuisse damnatum: corrupta sunt exemplaria. [b] Andradius illud increpat, & damnatum fuisse affirmat: at erravit in eo condemnando Synodus, quippe quæ errasse illum judicasset, qui non errârat. Ab utrisq; [c] Torrensis discedit, & magis argutam captiunculam adhibet; scilicet, hæreticis assensum esse Honorium, sed ut privatum, non ut Papam. In hoc [d] Canus, & Alfonsus, & Hardingus acquiescunt, & post illos [e] Genebrardus, qui tamen adjungit simul (ne quid mali sequeretur;) hæreticas Honorii epistolas confictas fuisse fortasse. Omnibus hisce Pater Robertus circumdatus est, & ultro citróq; fluitat, nunc ad hoc, nunc ad illud se conferens, & modò in medio illorum fluctuans. Tandem tanquam semianimis aliquis, & orbus sensu, in illud quod infirmissimum fuit, manum injicit, in scirpum scilicet Pighianum. Jam si Pighii illud inventum adeò sit incommodum, ut veritatis vis ab eodem te repellat: ab illo etiam te recipias oportet, ut incommodo, unde idem consequitur. Hoc est falsum illud principium, in quo ei te adjungis, & [f] ille hanc inde rationem fabricat; *Christus pro Papa oravit, quum pro Petro orabat, ut fides ejus non deficeret: Papa igitur errare nequit. Papa nequit errare: non igitur Honorius Papa, fuit hæreticus. Non hæreticus Honorius: non igitur eum sexta generalis Synodus damnavit.* Nam conclusio hujus rationis, quum falsa sit, id falsitatis coarguit, à quo infertur, hoc est, propositionem primam: quam corrigas oportet, & hoc modo contrà ratiocinari; Sexta Synodus generalis damnavit Honorium: fuit igitur hæreticus. Papa Honorius hæreticus fuit: Papa igitur errare potest. Papa errare potest: non igitur pro Papa orabat Christus, quum pro Petro orabat. Nam, orasset modò pro Papa, fides Honorii Papæ non defecisset. Sed fides ejus defecit: Christus igitur pro illo non orabat.

[b] Defens. fid. Trident. lib. 2.
[c] Lib. de sext. sept. & octava Synod.
[d] In locis suprà citatis.
[e] Chronogr. lib. 3.
[f] Pighius pref. in diatrib. & in diatribe de actis sext. & septim. Synod

SECTIO TERTIA.

HARTUS. Non tu mihi ratiocinandi viam præscribes. Prima Pighii propositio bona est, etiamsi conclusionem ejus vitiosam esse tibi largiamur. Nam eruditi Catholici, etsi fateantur Honorium hæreticum fuisse, & justè damnatum à sexta Synodo: affirmant tamen, pro Papa *Christum orasse*, ideóq; errare Papam non posse. Sed quomodo? Non personam Petri Christus, sed officium respexit, quum oraret pro illo, ut *fides ejus non deficeret*: hoc enim Christo propositum, ut *ille conversus, fratres suos confirmaret*. Quoniam autem futurum esset ut Ecclesia, cujus causâ privilegium illud Petro datum est, postea non minùs, quàm Petro superstite, opus haberet ut confirmaretur, idcirco illi datum est, non ut illi soli pro seipso, sed pro illius etiam in Romana Ecclesia successoribus. Ita Papa privilegio septus est, ne in errorem incidat, ex officii sui prærogativa, per Christi institutionem, quę omnes statuit orbis terræ Episcopos, & Pastores, ex illo in confirmatione fidei suę & Ecclesiastico regimine pendere. Ex quibus efficitur, ratione officii errare illum non posse, etiamsi personæ ratione possit: aut (ut more (1) Scholasticorum loquar) personaliter errare potest, non judicialiter. Nam errorem duplicem esse dicimus: personalem, & judicialem. Personalis, error hominis privatus est: judicialis, publicus. In errores publicos Papæ prolabi non possunt: in privatos possunt. Intelligo scilicet (2) errare posse ipsos, quod ad personam, intelligentiam, privatam doctrinam, aut scripta spectat: sed neq; possunt, neq; unquam futurum est, ut judicium pronuncient, aut definitivam aliquam dicant sententiam, pro errore aut hæresi, contra fidem Catholicam, in consistoriis suis, Curiis, Conciliis, De-

(1) Errorem esse duplicem: alterum *personalem*, alterum *judicialem*. Melchior Canus locorum Theolog. lib. 6. cap. 8.
(2) Ut Anglo-Rhemenses illam Cani distinctionem exponunt in annotat. suis in Luc. 22. 31.

cretis, deliberationibus, aut consultationibus initis pro decidendis & definiendis iis controversiis, dubiis, aut quæstionibus fidei, quæ illis proponentur: quoniam Christi oratione, promissioneq; proteguntur, ut fratres suos confirment. Atque hinc est, quòd dicimus, errare posse Papam, quà privatus est, sed non quà Papa est. Quod etsi tu *captiunculam* & *commentum* voces, momentum tamen & pondus habet. Nam [*Papa*] officium denotat, [*Privatus*] personam. Et nemo est non sensûs expers, qui non discrimen inter personam & officium, tam in doctrina, quàm in vita possit cernere. Potuit afflictus persequutione Liberius cedere; potuit Marcellinus timore perculsus idola colere; potuit Honorius in hæresin prolabi; etiã, quod majus est, potuit Judas aliquis in officium irrepere: Et hæc omnia tamen sine detrimento officii & sedis illius, *in qua Dominus noster* (inquit [g] Augustinus) *posuit doctrinam veritatis.* [h] Caiaphas, officii sui privilegio munitus, verum edidit de Christo vaticinium; qui tamen, secundùm privatam fidem suam & scientiam, Christum non agnovit. Evangelistæ, aliiq; sacri verbi scriptores, in illa functione exsequenda divinis auxiliis vallati fuerunt, & hactenus errare nullo modo potuerunt: verùm Lucam, Marcum, Salomonem, aut ceteros, in aliis privatis suis scriptis labi non potuisse, id verò nos non dicimus. Non personalis fuit.

[g] Epist. 166. in fine.
[h] Ioh. 11. 50.

RAINOLDUS. Non est opus rem confessam probare. Id communi sensu docemur. Potest præfectus alicujus societatis vir quidem bonus esse, ut interea tamen malus sit magistratus. Alexandro regi erant amici duo, quorum (1) alterum ille *Regis amicum*, (2) alterum *Alexandri amicum* appellabat. *Magistratûs* & *viri*, *Regis* & *Alexandri*, *officii* & *personæ* discrimen esse non negamus. Neq; omne ejusmodi responsum ego *captiunculam* aut *commentum* esse sensi. [i] Johannes Papa vicesimus secundus, quum (ortâ quadam controversiâ de mendicitate Fraterculorum) quædam Innocentii quinti sententia ei objiceretur, respondit, *Innocentium eam dixisse, non ut Papam, sed ut Fratrem Petrum de Tarantasia*, (hoc nempe ei privato nomẽ,) *in quadã postilla sua*. Et hoc à Johanne rectè responsũ fuit. Nam, postquam creatus est Papa Innocentius, non id ei otii fuit, opinor, ut *postillis* scribendis vacaret; verisimile est antea scripsisse, quàm in Papæ cathedram ascenderat, quum adhuc *Frater Petrus* esset *de Tarantasia*. Sed ut distinctio illa, *Papæ*, & *privati*, à Doctoribus vestris in Honorii causa usurpatur: ita dixi, atq; iterum dico, *captiunculam* esse, vanam *captiunculam* & *commentum*. Nam quod Honorius scripsit, & de quo damnatus est; ut Papa, non ut privatus scripsit.

(1) Craterus φιλοβασιλεύς
(2) Hephæstio φιλαλέξανδρος.
[i] c. Quia quorundam. extravag. Iohan. 23. de verborum significatione.

HARTUS. Vis scripsisse illum quum esset Papa: verum illud; sed non ut Papa scripsit.

RAINOLDUS. Volo illum ut Papam scripsisse: quod etiam, modò hanc mihi potestatem feceris, probabo. Sed primùm, ut tollamus illud, quod tu ad hoc infirmandum posuisti: objicis, Caiapham immunem ab errore fuisse, immo verũ de *Christo vaticinium edidisse, privilegio officii munitum.* Unde idem de Papa vis inferre. Exemplum certè ex parte quadam aptè quadrat. Sed an ex illa parte quadrare putas, ex qua oportet, ut tuo instituto deserviat?

HARTUS. Quid ni putem? Nam in sacrosancto Evangelio scriptum est, quum Judæi coacto Concilio consultarent, quid Christo facerent; sive ut sinerẽt, sive ut prehenderent: [h] *Caiapham Pontificem maximum anni illius dixisse eis, Vos nihil scitis; nec cogitatis expedire nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat. Hoc autem ex semetipso non dixit: sed quum esset Pontifex maximus anni illius, prophetavit fore, ut Jesus pro gente moreretur.*

[h] Ioh. 11. 49.

RAINOLDUS. Verùm in sacrosancto etiam Evangelio scriptum est in alio

Con.

Concilio, & consultatione Judæorũ, ubi moliebantur injustè condemnare *justum*; quũ Jesus interrogatus nũ ipse Christus esset, Filius Dei, se illũ esse cõfitebatur: *Caiaphã [l] Pontificẽ maximũ dixisse, Blasphemavit: quid amplius egemus testib? Ecce nunc audistis blasphemiam ejus.* Vaticiniúmne hic sermo Caiaphæ, an error fuit? [l] Matt. 26. 65

Hartus. Quid autem si error fuerit?

Rain. Quid? Tu non vides igitur Caiapham, non ex *officii privilegio prophetasse*? Nã ita in hoc Concilio utiq; prophetasset, in quo ut Põtifex maximus sedebat, ut Pontifex maximus loquebatur, & illi, ut Pontifici maximo Cõciliũ assẽsũ prębebat suum, sentẽtiã adversus Christum pronunciãti. Quòd autẽ in multis maleficiis & mẽdaciis, veritatis verba semel loquutus sit, ex sẽsu, nõ quẽ cogitabat ille, (scelestè enim cogitabat;) sed quẽ illius sermo offerebat: in eo Dei opus quoddã emicuit. Qui quum misisset Filium suum, servatorẽ Judæis, queãdmodum eos excitavit ad ipsum agnoscendũ recipiendũq;, per Angelos, per miracula, per voces cœlitus demissas, per [m] Sapientes ab Oriente, per [n] Prophetissã in Tẽplo, [o] Johannẽ Baptist. in deserto, per viros, fœminas, pueros, omnis ordinis homines, etiã per *Dæmones* ipsos: ita coegit Põtificem maximum testimonium illi dare, oraculo quodã dubiis verbis edito, quo Judęi magis excluderẽtur ab omni excusationis latebra, & ex ore suo servus nequã judicaretur. Quare, nõ ordinariũ officii privilegiũ, sed extraordinarius quidam Dei instinctus linguę moderabatur Caiaphæ, ut de Christo prophetaret: sicut [p] aperuit ille os asinæ Balaami, ut dominũ suũ reprehẽderet. Tu autẽ, qui ordinariũ Papalis officii privilegiũ colligere cupis ex illo extraordinario Caiaphæ vaticinio; similem rationem conficis, ac si concluderes: equum Papę loqui posse, quoniã Balaami asina loquebatur. Quin tu majori hoc eũ ratione cõcluseris. Nã bis quidẽ Balaami asina loquuta est; semel Caiaphas modò prophetavit.

[m] Matt. 2. 1. [n] Luc. 2. 36. [o] Matt. 3. 1. & reliqui per universas Evangelistarum historias. [p] Num. 22. 28

Hartus. Odiosa est similitudo tua. Miror verò te istis uti.

Rainoldus. Quoniam ratio tua absurda est, & eam ego tibi liquere cupio.

Hartus. *Absurda?* Qui eam in nostris scholis *absurdam* diceret, ipse absurdus planè putaretur. Nam deducitur à proportione quadam inter summũ Sacerdotem, & Papam; Judæorum Ecclesiam, & Christianorum.

Rainoldus. Proportionis itaq; vi, credo, consequitur Papam Christum condemnare, ut Caiaphas condemnavit; & vexare Christianos, ut [q] Annas vexavit. Huic etiam in scholis vestris acclamatis? [q] Act. 4. 6.

Hartus. Pergis verò? Video nunquam te ab odiosis istis comparationibus destiturum. Caiaphæ, & Annæ Papam?

Rain. Mirus homo es: qui cõtẽdis exemplo Caiaphę Papam in officio non posse errare; & mihi tamen subirasceris, debilitatem in eo rationis tuę attingẽti.

Hart. Age. *Fateor illo privilegio Caiaphã donatũ nõ fuisse. Promissũ enim nõ fuit sũmis Judaicę Ecclesię Sacerdotib', nisi usq; ad advẽtũ Christi, quo tẽpore ab eo ipsos derelictos fore Prophetę prędixerũt. De eo enim Jeremias inquit; [r] *In illa die peribit cor Regis, & cor Principũ, & obstupescẽt Sacerdotes.* Ezek. quoq; apertiùs; [s] *Lex peribit à Sacerdote, & cõsiliũ à seniorib'.* Verũ ad illa usq; tẽpora eo prędit sũt, & veritatẽ secũdũ legẽ docuerũt, & in omnibus audiẽdi fuerũt quæ docebant.

* Stapleton, princ. doctrin lib. 2. cap. 12 [r] Ierem. 4. 9. [s] Ezek. 7. 26.

Rainoldus. Itáne? Quid ad Uriam igitur respondes, qui summus Sacerdos exstitit sub imperio Achazi, sexcentis ante Christum annis? Desivit sacrificia offerre in altari Dei, quod lex jusserat; & quum [t] novum exstruxisset, simile altaris Damasceni, holocaustum in eo adolevit. quo facto & seipsum, & terram illam universam rebellione adversus Dominum polluebat. [t] Reg. 16. 16.

Hartus. Aio Uriam hoc facinore errasse. Verùm hanc rationem tuam

nobis refellere licet, si negemus Uriam Aaroni successisse, & fuisse de tribu Levi.

RAIN. Ita certè[u] Cardinalis quidam respondet, posse vos uno verbo refutare. *Quod nõ obscurè nobis indicãt*, ut ait ille, *illa Scripturæ verba, ubi de Jeroboamo dicitur*, [x] *Fecit Fana in excelsis, & Sacerdotes de extremis populi, qui nõ erant de filiis Levi.* Hęc verò refutatio tam appositè urgetur adversus nostram de Uria rationem, ac si quis diceret, Episcopos Angliæ non esse Protestantes, quia Galliæ Episcopi sunt Papistæ. Nã, quos *Sacerdotes de extremis populi fecit* Jeroboam, *non de filiis Levi*, fuerunt illi in ditione Israelitarum, in Bethel, & Dan: & Urias in templo fuit Sacerdos Jerosolymis, in regno Judæ. Res aperta est ex [y] filo ipso, contextuq; Scripturæ. Et qui [z] cupidissimè nituntur Sacerdotalẽ dignitatẽ ab illa turpi labe illibatam tueri, *summum ipsum Sacerdotem fuisse (successorem Aaronis) assentiuntur.*

HART. Concedatur verò fuisse. Non est adeò turpis offensę ejus labes, atq; tu eã exagitas. Nã quid aliud ille admiserat, quàm quod à Marcellino Papa cõmissũ esse legimus? Qui in illa horribili persequutione Christianorũ, sub Maximiani Diocletianiq; imperiis, metu percussus, holocausta Idolis adolevit. Legẽ Dei Urias nõ volũtate sua, sed ex imbecillitate carnis violabat; nõ spõte, sed Regis imperio. Quare, à timiditate potiùs, quàm temeritate, vel ignorantia, peccatum ejus profluxit.

RAIN. Perinde scilicet [a] Petro contigit, quum Christum denegaret. Ideóne licebit tibi dicere, munitum privilegio Petrum fuisse, quò minùs potuerit Christũ denegare? Miror te hanc tã crassã tuã disceptãdi rationẽ non persentiscere. Ais summos Sacerdotes ab officio suo id privilegii assequutos esse, ut in vera doctrina perseverẽt. Ostẽditur eos ad manifestũ Idolorum cultum deficere. Cõcedis: sed hoc à timiditate ais profluere. Ubi privilegium igitur? Deus enim, si quibus ullum beneficium cum privilegio quodã impertiatur, privilegio simul eos amplificat singularis gratiæ & favoris, ut ab illis impedimẽtis liberẽtur, quę ipsos, quò minùs divino perfruãtur beneficio, detineãt. [b] Ezechias pestilẽte morbo laboravit, unde certa ipsi mors imminebat. [c] Quindecim annorũ accessio ad vitæ ejus spatiũ à Deo facta est. [d] Morbi peste illũ liberavit, ut hac accessione annorũ frueretur. [e] Extremũ Paulo, ceterísq;, qui unà adnavigârunt, periculũ ex naufragio impẽdebat. [f] Illi Deus & suã, & comitũ suorum vitas cõdonavit. [g] Omnes à discrimine exemit, & ad terrã salvos perduxit. Quare, si De⁹ privilegio quodã *veracis doctrinæ* summos Sacerdotes ornasset, gratię quoq; privilegio eos auctur⁹ fuisset, ut nullis carnis insidiis inde deficere cogerẽtur. Atqui multis modis deficere potuerunt ad errores; etiã ad cultũ Idolorũ. Nã si *timore* poterãt, cur nõ *amore* etiã, [h] ut descivit Salomõ? si amore, cur nõ spe? si spe; cur nõ odio? si de ullis horũ, cur nõ aliis itẽ de causis? reliquũ est igitur, vel id privilegii nõ adeptos fuisse summos Sacerdotes; vel si adepti fuerint, cum exceptione hac quidẽ, nõ in errorem delapsuros ipsos, nisi eò, aut timore, aut alia aliqua causa impellerẽtur. quod si tu similiter de Papis affirmas, quod quidẽ affirmare ex illo Marcellini exẽplo videris; tibi ego assentiar. Nã persuadeo equidẽ mihi, nullũ Papã in errorẽ incidere posse, nisi in eũ aliquã causã inducatur, vel cęcitate mẽtis, vel improbitate cordis, vel si quid aliud ei humanitùs cõtigerit. [i] *Nihil in terra sine causa fit*, inquit vetus vestra editio. Quanquã, quod ad Uriã attinet, injuriã fortassis illi facis, quẽ, *ut Marcellinũ*, asseris *præ timore deliquisse*. Nã nihil circumstantiæ cõtextûs dicunt, cur non perinde fuerit is ad violãdã legẽ paratus, atq; Rex ad jubendum. [k] *Quum Rex Achaz vidisset altare quod erat Damasci, misit ad Uriam Sacerdotem similitudinem illius altaris, & structuram ejus secundùm totum artificium ejus. Et exstruxit Urias Sacerdos altare: omnino, prout miserat Rex Achaz Damasco; ita fecit Urias Sacerdos, dum rediret Rex Achaz Damasco.* Quã hic proclivis & promptus

[u] Hosius contra Brent, lib. 2
[x] 1. Reg. 12. 31
[y] Pro Jeroboami Sacerdotibus, 1. Reg. 12. 29. pro Vria 2. Reg. 16. 2.
[z] Seder Olã zuta. Lyra cõment. in 4. Reg. 16. Nicephor. hist. Eccle. lib. 2. c. 4 Genebrard. Chron. lib. 1. Sigonius de Rep. Hebr. lib. 5. cap. 2.
[a] Matt. 26. 70.
[b] 2. Reg. 20. vers. 1.
[c] ver. 6.
[d] ver. 7.
[e] Act. 27. ver. 20.
[f] ver. 24.
[g] ver. 43.
[h] 1. Reg. 11. 2.
[i] Iob. 5. 6.
[k] 2. Reg. 16. ver. 10.

Sacerdoti animus, qui non exspectabat dum reversum Regem conveniret, & de flagitio isto dissuaderet: *sed exstruxit profanum altare, dum rediret Damasco?* [l] *Praecepitq; Rex Achaz Uriae Sacerdoti dicendo: In hoc altari magno, adole holocaustum matutinum, & munus vespertinum, holocaustumq; Regis & munus ejus, etiam holocaustum totius populi terrae, munúsq; eorum, & libamina eorum, ac sanguinem holocausti; omnémq; sanguinem sacrificii ei inspergito. Altare verò areum erit penes me inquirere. Quod fecit Urias sacerdos: omnino, prout praeceperat Rex Achaz.* Ecce verò, sicut Moses fidelis fuit in tota domo Dei: ita Urias Sacerdos in cunctis quae Achaz praeceperat. Qualis Princeps, talis Sacerdos.

[l] ver. 15.

HARTUS. Per quidem magnum erat summi sacerdotii, & Mosis cathedrae in lege veteri privilegium: nihil tamen ad Ecclesiae & Petri praerogativam. Quamobrē, ut Urias deliquerit: à fide deficere Papa non potest. Nam [m] Marcellinus ipse, qui timore mortis idololatriam patravit, resipuit postea tamen, sanguinémq; suum pro Christo profudit.

[m] Damasus in Pontificali.

RAINOLDUS. Sed interea idololatriam patrasse illum confiteris. Quare hoc exemplo coactus concedas oportet, errare Papam posse, quamvis in errore non persistere.

HARTUS. Immo potiùs, errorem docere non posse, etsi errare possit. Quemadmodum Marcellinus Papa, quanquam committeret, non docebat tamen cultum idolorum.

RAIN. Atqui verò cōmittendo docebat. Nā *docere*, est tradere ea, quae à nobis sciuntur, iis, à quibus ignorantur. Quae ut recipere, hoc est, *edíscere* valeamus, duos nobis sensus Deus indidit, auditū, & visum. Audimus verba, res videmus. Ministris Christi, quos constituit ad docendā Patris sui sapientiam, aeternae vitae viam, utroque modo docendū est: ut, cùm verbis eorum quae audiunt, tùm factis quae vident, alii instruantur. Quare [n] Timotheo, [o] Tito, [p] omnibúsq; Episcopis praecipiebat Paulus, ut & in vitâ boni sint, & doctrinâ sani. Quod illis curriculū ita ipse praeierat, ut, quum adhortaretur Philippenses, *ut quaecunq; sunt vera, venerāda, justa, pura, amabilia, et boni nominis, haec cogitarēt*; affirmare jure potuerit, ea tùm ex sermonibus ipsius, tùm ex vita illos didicisse: [q] *quae & audistis, et vidistis in me.* Adeò verò potens est illa pollénsq; docēdi ratio, quę in bene instituta vita cōsistit, ut [r] Chrysostomus (eâ re Paulū cōmendans) hanc viā alteri anteponat. *Per quā facile est*, inquit, *philosophari verbis. Doce me vitâ tuâ. Haec doctrina optima est. Non enim sic insident animae verba, ac opera. Quoniā si nō habueris opus bonū, nō solùm non proderis loquendo, sed etiā plùs nocebis, ut illiúsq; fuerit tacere. Quare? Quia opus mihi proponis, ac si impossibile foret. Cogito enim mecū: Si tu qui tanta loqueris, non facis, multo magis ego veniâ dignus sum nihil tale dicens. Idcirco inquit Propheta;* [*] *Peccatori inquit Deus, Ut quid tu enarras justificationes meas? Majus enim hoc dānum, quando bene quis docet verbis, et operibus doctrinam impugnat.* Vides igitur Episcopos, vitâ, non oratione tantùm docere. Quare, etiamsi idololatriam verbo Marcellinus Papa non doceret, docebat tamen facto. Unde cōcidit responsio tua; *idololatriam illum commisisse, sed nō docuisse.*

[n] 1. Tim. 4. 12.
[o] Tit. 2. 7.
[p] 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 7.
[q] Phil. 4. 9.
[r] In act. Apostolo. hom. 30
[*] Psal. 50. 16.

HARTUS. Docuisse quodam modo non diffiteor: sed non quo modo ego intellexeram. Intellexeram non in concionibus eam docuisse. In iis errare non poterat. Nam uti priùs dixi, Papā personae ratione errare posse, nō officii: ita ampliùs dico, officium ejus privilegio ipsum veritatis armare in dictis, non in factis. [s] *In cathedra Mosis sedent* (inquit Servator Christus) *Scribae & Pharisaei. Omnia ergo quae dixerint vobis ut servetis, servate & facite: sed secundùm opera eorum ne facite; dicunt enim, & non faciunt.*

SECTIO QUARTA

[s] Mat. 23. 2.

RAINOLDVS. Quid? Túne etiam tam odiosas comparationes nectis, *Papas* cum *Scribis* & *Pharisæis* conferendo?

HARTVS. Tango te his verbis. Quare cupis me interpellare. Illâ quidē Christi sententiâ prorsus everteris: nihil miror, si eam non libenter audias. Nam, ut fuerint Pontifices Romani longè scelestissimi, vel *monstra* planè, ut [t] Platina paucul os eorum nominat; & certè ex vitis facilè *monstra* censeantur: non erant tamen Scribis & Pharisæis deteriores.

[t] De vitis Pōtificū in Benedicto quart. & Christoph. prim.

RAINOLDVS. Atqui erant certè. Cave quicquam putes Johanne Papa deterius. Scribas & Pharisæos ille à tergo longè reliquit. Nunquā post natos homines *monstrum* simile.

HARTVS. Quin tu semper interpellas, ut me ab argumento dejicias.

RAINOLDVS. Ferre non possum, ut quicquam detrahas Papis. Quin des, quæso, illis, quod suum est. Nefas, aiunt, in Diabolum quicquam ementiri.

HARTVS. Ut fuerint ex illis nonnulli Scribis & Pharisæis deteriores: argumentū tamē meū valebit. Nā (ut ex [u] Augustino [x] Stapletonus annotat) *Christus quum de Scribis & Pharisæis diceret, Super cathedrā Mosis sedent: nō illos solos intellexit, quasi fideles suos ad Judæorū Scholā mitteret, ut illic religionē discerent: sed Scribarū et Pharisæorū nomine significavit, quosdā in Ecclesia dicturos esse, sed nō facturos: & per Mosis personā seipsum intellexit. Nam Moses typus et figura ipsius fuit;* sicuti [y] S. Chrysostomus, & [z] Origenes similiter exponūt. Jubet ergo omnino audire impios Pastores, Deū verbis profitētes, sed factis abnegātes. *Omnia*, inquit, *quæcūq; dixerint, servate et facite.* Causā autē & rationē hujus rei elicere licet istā; quia *super cathedrā sedent, quia locū Christi tenēt*, sicuti Scribæ & Pharisæi Mosis tenuerūt. Sic enim quasi ratiocinatur Salvator; *Super cathedrā sedēt: ideo servādū est quod dicūt, et faciēdū.* Observavit hoc & docuit præclarè tractās hæc verba S. [a] Augustinus. *Christus*, inquit, *de malis Præpositis plebē securā fecit, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur: in qua cogūtur etiā mali bona dicere.* Et quare cogūtur? *Neq; enim*, inquit, *sua sunt quæ dicunt, sed Dei.* Et quomodo hoc? *Quia*, inquit, *in cathedra unitatis doctrinā posuit veritatis.* Et quibus verbis posuit? Aut ubi? Subjicit; *Proinde de Præpositis sua mala facientibus, & Dei bona dicentibus ait in Evangelio; Quæ dicunt facite, quæ faciunt autē nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* Hæc S. Augustinus. In eandem sententiā hæc verba tractat tùm ipse iterum S. [b] Augustinus, tùm S. [c] Chrysostomus & [d] Origenes: quorum verbis trāscribendis brevitatis causâ supersedemus. Est ergo, velint nolint hæretici, ipsi *cathedræ* Christi, non minùs quàm *cathedræ* Mosis; ipsi successioni Apostolicæ, non minùs quàm Aaronicæ (immo multò veriùs, quanto *in* [e] *melioribus repromissionibus sancitum est Testamentum novum, quàm vetus;*) adjuncta fidei & doctrinæ indubitata firmitas. Observa ergo quod dixit Christus; *Servate et facite. Nam dogmata fidei servamus: præcepta morum facimus.* Utrobique parendum est etiam Pharisæis, hoc est, impiis & hypocritis, sedentibus in cathedra, id est, *succedentibus in sedem Apostolorum*, seu Christi. Nota etiam verbum [*servate*,] hoc est, ea retinete quæ servanda jubent: quia *non alia docent, quàm quæ servanda sunt.* Atq; hoc respectu eos Christus permittit. Nam & sic ipsi Pharisæi, licèt impii & hypocritæ essent, tamen (ut notat S. [f] Chrysostomus) *non sua, sed quæ per Mosen Deus imperavit, prædicabant. Ideoq; quia à moribus eos Christus commendare non potuit, à sede, & ejus doctrina id facit. Qui* ergo *cathedram Apostolicam tenet*, is non ex se, sed ex cathedra; id est, nō sua, sed Dei loquitur: ideóq; audiendus est, sive ut Pastor bonus dicat faciátq;, sive ut mercenari[9] dicat & nō faciat. Hinc est, quòd cōtra Petilianū dicat S. [g] Augustinus; *Nec propter Pharisæos præcepit Dominus deseri cathedrā*

[u] De verbis Domini. Ser. 49.
[x] Princ. doct. lib. 5. c. 9.
[y] In Iohan. hom. 85.
[z] In Ezek. hom. 7.

[a] Epist. 166. in fine.

[b] Epist. 137. de verbis Domin. serm. 49. Tract in Ioh. 46. l. de past. cap. 10.
[c] In Io. hō. 85.
[d] In Ezek. hom. 7.
[e] Heb. 8. 6.

[f] In Mat. hom. 73.

[g] Cont. literas Petilian. l. 2. cap. 61.

Mosis, in qua utiq; figurabat suã: monet enim populos facere quæ dicunt, & non facere quæ faciunt, ne cathedra sanctitas deseratur, & propter malos Pastores gregis unitas dividatur. Ecquid sentis quantum Patres cathedræ deferant? Maturabas modò me in argumento interpellare. Quid ad illud jam respondes?

RAINOLDVS. Argumentũ tuũ satis scitũ est procul intuenti, aspectu primo: Verùm, si quis accedat propiùs, & inspectet, & tractet: non potest non abalienare cujusquã animũ, ita est distortũ. Sophistarũ argumẽta cõparat [h] Aristoteles hominib' imbecillis, & habitu corporis depravato, qui se refarciendo & exquisitè cõparãdo, valẽte optimaq; oris & corporis cõformatione præditi videtur. Ejusmodi sũt Doctoris tui partẽ maximã argumẽta. Et hoc ex iis unũ est. Videtur sanè robustum esse & speciosum, ut à vobis factũ est vestris commẽtis, & nominibus Augustini, Chrysostomi, Origenisq; exornatũ. Verùm exutũ modò his indumẽtis prodeat; ejus omnes partes ulcera & tubera occupant morbo Gallico turpiora.

[h] Lib. de reprehens. sophist.

HART. Odiosa vox ista est, & malitiosa calumnia. Sed antiquum obtines.

RAIN. Si quid falsi loquar, falsitatis me coargue: sin minùs, quid istis maledictis me incessis? Argumentũ tuũ ex Stapletono hoc est, si per te liceat mihi excutere: *Scribæ & Pharisæi in omnibus audiendi erant, quæ dicebant; quia sedebant in Mosis cathedra, hoc est, Aaroni succedebant. Papæ (quomodocũq; vitã agunt) sedent in Christi cathedra, hoc est, Apostolis succedunt: quod majori auctũ est prærogativa. Multò magis igitur audiẽdi Papæ sunt in omnibus quæ dicũt. Sed nullo modo obtẽperãdũ esset illis, si errarẽt. In nullis igitur quæ dicũt errare possũt.* An nõ hoc ipsũ argumẽti tui corpus erat?

HARTVS. Hæc summa erat: & quid in eo tu reprehendis?

RAINOLDVS. Nihil, nisi (ut dixi) quòd omnes ejus partes ulcera & tubera occupent. Nam prima propositio (cujus contagione universum argumentum inquinatur) duo egregia vitia continet de Scribis & Pharisæis: unum, ex eo quòd *sederent in Mosis cathedra*, intelligi, *Aaroni ipsos successisse*; alterum, *quoniam Aaroni succederent, ideo in omnibus quæ dicebant fuisse audiendos.*

HARTVS. Quid? Non Pharisæi & Scribæ succedebant Aaroni?

RAINOLDVS. De eo non ambigitur. De eo tamen dubitare poteris. Et quî tu illud probes?

HARTVS. Immo quî tu infirmes potiùs?

RAINOLDVS. Nulli Aaroni successerunt in sacrificiis Deo offerendis, & in lege ejus Israelitis exponenda, [i] præter tribum Levitarum. At ex aliis tribubus Pharisæi esse poterant; & quidem fuerunt.

[i] Deut. 33. 10.

HARTVS. Qua ratione istud asseris?

RAINOL. Beatus Paulus erat *ex* [k] *tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, religione Pharisæus.* Similiter [l] pater ejus. Quòd si tribus aliorũ omniũ, quorum in ea hæresi magna existimatio fuit, scriptis fuissent cõsignatæ: tã facilè hoc ex aliis constaret, quàm jã cõstat ex tribu Bẽjamin. Nã quũ tres passim apud Judæos obversarẽtur sectæ, inter se discrepãtes, distinctæq; singulæ in causis religionis, *Pharisæi, Sadducæi, Esseni*: [m] *Esseni* cõsortiũ hominum fugientes, ne mores suos inquinarent, & solitariã vitã degentes (Monachis simillimi) tẽplum & urbes Pharisæis & Sadducæis reliquerunt. [n] *Sadducæorum* numerus exiguus erat, & opiniones impiæ: adeò ut ab ipsa multitudine exploderentur. *Pharisæi*, numero plures, existimatione majores, [o] saniores fide: [p] exquisitissima secta, & [q] proximè ad instituta legis accedẽs. Quã [r] adeò accuratè explicabant, eãq; præ se ferebãt pariter sanctitatẽ: ut soli in religionis negotio apud populũ omnia possent; etiã civitates ad ipsos cõfluerẽt, optimos eos tã vitã quã doctrinã perhibentes. Quare quũ tãti haberẽtur Pharisæi, & tot illo-

[k] Phil. 3. 5.
[l] Act. 23. 6.
[m] Phil. Iudeus, Quòd quisq; bonus sit liber &, de vita cõtemplativa.
[n] Ioseph. Antiquitat. Iudaic. l. 18. c. 2.
[o] Act. 23. 8.
[p] Act. 26. 5.
[q] Act. 22. 3.
[r] Ioseph. de bello Iudai. li. 2. c. 7. & l. 1. c. 4 Antiqui. Iudai. lib. 18. cap. 2.

rum examina in Judæa ubiq; volitarent: nō eſt quòd exiſtimemus, quin ex aliis etiā tribubus, præcipuè Judæ, exorti fuerint aliquot profeſſionis ejus ſectatores.

HARTVS. Si ex Juda, ex Benjamin, aliiſq; tribubus ſint proſeminati, multò magis eſt veriſimile ex tribu Levi ortos eſſe. Et illos Chriſtus fortaſſis ſignificârat præcipuè, non univerſim omnes, quum diceret, *Phariſæi in cathedra Moſis ſedent.* Quēadmodū ſi dicerē, *Catholicos in cathedra Chriſti ſedere*: non tu debes in eam ſententiam me interpretari, quaſi de *Catholicis* loquerer, qui diſcipuli ſunt, ſed de *Catholicis*, qui *Doctores*; de *Catholicis Sacerdotibus* & *Epiſcopis*.

RAINOLDVS. Non ſine ratione tu hoc quidem. Nam quemadmodū [s] Paulus Phariſaicus erat diſcipulus: ita erat Gamaliel Phariſaicus Doctor. Et exſtitiſſe ex Sacerdotibus & Levitis Phariſæos Scripturę docent, quę dicunt, [t] *Judæos miſiſſe Sacerdotes & Levitas Jeroſolymis*, ut cum Johanne Baptiſta ſermones haberent: & [u] *qui mittebātur, erant ex Phariſæis.* Quare Phariſæos Aaroni ſucceſſiſſe, magnam ſanè probabilitatem habet: majorem verò, ſucceſſiſſe Scribas. Nā [x] explicabant illi docebantq; legem Dei, (unde nūcupati ſunt modò [y] *Doctores legis*, modò [z] *legis periti*) ex officii ſui inſtituto. quare quū cuperet certior fieri Herodes, *ubi Chriſtus naſceretur*: [a] *convocavit omnes principes Sacerdotum & Scribas populi, ut ab iis cognoſceret.* Maximè igitur probabile eſt, Aaroni illos quoq; ſucceſſiſſe: ut olim ex majoribus ipſorum *Ezra*, [b] *Scriba promptus in lege Moſis.* Veſter tamē Doctor [c] Genebrardus ait, *Scribas ferè fuiſſe de Simeonis tribu: & illi unà cum Phariſæis ſediſſe dicuntur ſuper Moſis cathedrā, ut qui eā vacuā invaſiſſent, dū Sacerdotes divitiis Eccleſiaſticis abutentes deſererent ſuum officium.*

[s] Act. 22. 3.
[t] Iohan. 1. 19.
[u] Verſ. 24.
[x] Mat. 7. 29.
[y] Νομοδιδάσκαλοι. Luc. 5. 17.
[z] Νομικοὶ. Luc. 7. 30.
[a] Mat. 2. 4.
[b] Ezr. 7. 6.
[c] Chronographiæ lib. 2.

HART. Si Genebrardus, aut quiſquā alius ex Doctorib⁹ noſtris ſua aliqua privata opinione gaudeat: quid ad me illud? Ego receptā Eccleſiæ ſententiā amplector, Scribas & Phariſæos in Moſis cathedrā, ſucceſſionis jure, non iniquo aliquo occupandi modo invectos eſſe. Sed quorſum tu, qui mihi hoc aſſentiris, in argumento tamen meo idem reprehendis?

RAINOL. Nō reprehēdi. Illud ego reprehēdi; quòd Chriſti verba exponeres hoc modo: * *In cathreda Moſis ſederūt, hoc eſt, Aaroni ſucceſſerūt.* Quæ expoſitio falſa eſt, & veritati perniculoſa: etſi periculū quidē hinc oriundū nō tā per ſe appareat, quàm in eo quod conſequitur. Majoris enim erroris mater eſt.

* *Cathedrę Moſis, ſucceſſioni Aaronicę.*

HARTVS. Et quo quæſo modo tu illa exponenda putas?

RAIN. Juxta verbū & ſenſū Chriſti. *Scribæ et Phariſæi ſedent in cathedra Moſis*: hoc *eſt, docent legē Moſis.* Nā ut [d] Moſes ipſe eā à Deo accepit, quā Iſraelitas doceret; & verò docebat: eodē modo [e] Sacerdotes, & Levitæ poſtea eandē ſolebant in cōvētibus populi legere & explicare. Eāq; re Synagogæ ipſorum per quaſque civitates ſunt exſtructæ, & ibidē per ſingula Sabbata cōvenerūt; ſicut ſcriptū eſt, [f] *Moſes ab ætatibus antiquis in ſingulis civitatibus habet, qui ipſum prædicent, quū in Synagogis per ſingula Sabbata legatur.* Qui autē docebāt, docere *ſedentes* ſolebāt: quod Servatoris exemplū cōfirmat [g] in Tēplo, [h] in Synagogis, [i] locisq; aliis. Quare Scribæ & Phariſæi (quorū aliqui fuerūt [k] in omnibus vicis Galilææ, & Judææ, & Jeruſalē, ut hoc munere defungerentur;) dicuntur * *ſediſſe in ſede Moſis* (aut *cathedra*, ut appellamus) quoniam idem, quod Moſes, docebant, ipſam ſcilicet legem Dei Moſi traditam.

[d] Deut. 5. 31. & 6. 1.
[e] Nehem. 8. 8.
[f] Act. 15. 21.
[g] Mat. 26. 25. Ioh. 8. 2.
[h] Luc. 4. 20.
[i] Mat. 5. 1. Luc. 5. 3.
[k] Luc. 5. 17.
* ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν.

HART. Parum intereſt, utrùm hoc modo; an quemadmodum nos, interpretere.

RAIN. Intereſt verò. Nā vobis interpretibus conſequetur, *Scribas Phariſæóſq; rectè dixiſſe omnia quæ dixerunt, quoniam Aaroni ſucceſſerunt*: itáq; * *ſucceſſionē illā* (ad quā vos metā cōtēditis) certitudinē fidei & doctrinæ ſibi annexam poſſidere. Quū tamē dogma illud germanū, quod inde colligeretis, ſit, Scribas & Phariſæos rectè

* Succeſſioni adjuncta fidei & doctrinæ indubitata firmitas.

dixisse in omnibus, quæ ex verbo Dei dixerunt: atq; ita Dei verbum omnino verũ & certũ esse; sed homines qui ad hoc docendũ sunt instituti, eatenus audiẽdos esse, quatenus cum verbo cõsẽtiãt. Atq; hoc ex Patribus iisdẽ Stapletonus didicisse poterat, quos citabat, nisi quòd ipsos eo consilio volvat, ut factionem foveat potiùs, quàm ut veritatem discat. Augustinus enim [*cathedram*] interpretatur, non de *successione*, sed [l] de *salutari doctrina, in qua sedent, qui bona Dei dicunt*: &, [m] *jubemur Deum per eos loquentem audire, quum jubemur ea facere quæ dicunt. Sedendo enim super cathedram Mosis, legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua verò si velint docere*, inquit Augustinus, *nolite audire, nolite facere*. In eundem modum [n] Chrysostomus exponit; *Facite quæcunq; Scribæ & Pharisæi vobis esse facienda confirmant: non enim sua, sed quæ per Mosen Deus imperavit, prædicant*. Ita [o] Origenes hæc illis accommodat *qui fidei dogmata rectè tradunt*, singulari quadam clausula adjuncta; *Christianos, si conspexerint Doctoris vitam culpabilem, & non habuerint accusationem doctrinæ pessimæ, non debere juxta dicentis vitam, suam instituere, sed ea facere quæ loquitur. Si non habuerint accusationem doctrinæ pessimæ*: quasi diceret, omnes qui *pessimam doctrinam docent, in cathedra Mosis non sedere*. Succedant quàm possint rectissimè Aaroni; si tamen *doctrina* ipsorum *pessima sit, non sedent in Mosis cathedra*. Ex quibus intueri tibi licet miseram illius argumenti conditionem, quod tu tantis verbis prædicabas. Prima enim propositio, *Scribis & Pharisæis in omnibus obtemperandum fuisse quæ dixerunt, quòd in cathedra Mosis sederent, hoc est, Aaroni succederent*: turpiter in illa *successionis* affirmatione corrumpitur. Minor verò, *Papas in Christi cathedra sedere, hoc est, successores esse Apostolorum*: ejusdem cancri contagione tacta cum prima tabescit. Conclusio igitur, *Papis in omnibus quæ dicunt obtẽperandum esse*; & quod ex ea consequens est, in *nullis quæ dicunt errare posse*: filii sunt parentibus simillimi, párque his sanitas cum propositionibus illis ex quibus progignuntur. Quorum omnium fœditatem si adhuc non perspicis, ecce aliam tibi facem prætendimus, quâ pervideas. *Scribæ* apud Judæos iidem fuerunt, qui apud vos sunt *Canonistæ*; iidem *Pharisæi*, qui apud vos *Scholastici*. Ita [p] vester Genebrardus eos inter se committit. Aut si illius judicium displiceat tibi, quòd Scholastici & Canonistæ in omnibus verè non loquantur: hoc nihilominus concedas oportet, eosdem apud vos *Sacerdotes* esse, qui apud illos erant *Scribæ* & *Pharisæi*. Nã [q] Chrysostomus ait, (ipsa verba sunt, quibus tu brevitatis causâ supersedebas;) *Nunc non est dicendum, Super cathedram Mosis, sed super cathedram Christi sedent Sacerdotes. Ejus enim acceperunt doctrinam*. Quæ verba (nisi argumentum tuum superius infirmum fuerit,) evincent, (1) *Sacerdotes* nõ magis errare, quàm Papas posse. Nam, qui in *Christi cathedra* sedent, majorem prærogativam nacti sunt, quàm qui in *Mosis cathedra* sederunt; *Sacerdotes*, quàm *Scribæ*, quàm *Pharisæi*. *Scribis* & *Pharisæis* in omnibus parendum erat quæ dicebant: multò magis igitur *Sacerdotibus* est parendum. Si errarent autem, non parendum illis esset: In nullis igitur errare possunt quæ dicunt. Agnoscisne ipsius tui argumenti formam? Nonne hic perinde necessariò cõclusio, atq; illic consequitur? Ecquid arbitraris igitur, Harte, *Sacerdotes* errare non posse? Tene ipsum tam ex omni parte perfectum esse censes, ut debeamus nos tùm tibi, tùm commilitonibus tuis, in omnibus quæ dicitis, morigerari? Aut verò, si non de illis tam ineptè, nec de teipso tam arroganter censes, uti spero certè te non censere: linquas igitur Stapletoni expositionem quæ id inducit: quam sarcit verbis Augustini, Chrysostomi, & Origenis; quum nulli eorum hoc in mentem venerit. Cedas potiùs (si affixus es tuarum partium Doctoribus,) illorum autoritati, quibus nullos Ecclesia Romana vel majoris scientiæ, vel

[l] August. epist. 166. in fine.
[m] Tractat. in Iohan. 46. & sic in reliquis omnibus à Stapletono citatis.
[n] In Matth. hom. 73.
[o] In Ezek. hom. 7.
[p] Chronogr. lib. 2.
[q] In Iohann. hom. 85.
(1) *Quia super cathedram sedent; quia loco Christi tenent.*

maturioris judicii viros in Scripturis rectè interpretandis habet: Johannem Ferum intelligo, & Ariam Montanum. Quorum [r] iste ait, *Christum discipulis suis præcepisse, ut observarent atq; facerent quicquid iis Pharisæi, & Scribæ præceperint ex præscripto legis, hoc est, ex cathedrâ Mosis.* [s] Ille verò, *Christum docere nos, ut etiam malis Prælatis obediamus: addere tamen quatenus iis obediendum sit. Omnia (inquit) quæ dicunt vobis, servate & facite: sed præmisit, Super cathedram Mosis sedent. Neq; enim voluit Christus ut omnia Pharisæorum dogmata susciperent, sed quatenus legi consonarent. Unde & suprà, quum docuisset* [t] *eos legi contraria in aliquibus docere: post aliqua interposita, subintulit,* [u] *Cavete à fermento Pharisæorum. Eodem modo & Apostolis eorumq; successoribus dixit:* [x] *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Item,* [y] *Qui non receperint vos, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die judicii, quàm illis. Verùm præmisit Matthæus quòd Christus elegit* [z] *duodecim, quos &* [a] *vocavit Apostolos, quibus &* [b] *præcepit prædicare Evangelium in universo mundo. E quibus patet, audiendos esse Apostolos, sed quatenus Apostoli sunt, hoc est, Christi negotium agunt, ac quæ Christus jussit, prædicant & docent. Quòd si alia docent, & Christo contraria, jam Apostoli non sunt, sed seductores, ideo nec audiendi.* O magnam veritatis lucem: quæ impellit adversariorum animos, ut eam non percipiant modò, sed etiam eloquantur. Eò te quoq; impulsura est: si tibi id gratiæ divinæ insitum sit, quod Fero inerat & Montano.

r Ar. Montan. Elucidat. in Matt. 23.
s Ioh. Ferus comment. in Mat. lib. 3.
t Matt. 15. 5.
u Matth. 16. 6.
x Luc. 10. 16.
y Mat. 10. v. 14.
z Ver. 1.
a Ver. 2. & 5.
b Ver. 7.

HARTVS. Id gratiæ scilicet, ut dicam; *Si Apostoli Christo contraria docent, jam Apostolos non esse, sed seductores.* Illáne tibi Feri vox probatur? Et poterant verò Apostoli esse seductores?

RAINOLDVS. Petrus Apostolus poterat Christum alloqui, (quum audiret ipsum ea memorantem, quæ Jerosolymis passurus erat;) [c] *Propitius tibi sis Domine: nequaquam erit tibi hoc.* Neq; Christus idcirco illum [d] *Satanam* appellasset, nisi *seductorem* eum esse censuisset.

c Mat. 16. v. 22.
d Ver. 23.

HARTVS. Sed affluentiùs in eos postea [e] Spiritum sanctum Christus immisit cœlitus; quum eos ad Evangelium omnibus gentibus prædicandum legabat.

e Act. 2. 4.

RAINOLDVS. Sed antea illis Christus indicârat, [f] *Conditionem terræ Sodomorum & Gomorrhæorum tolerabiliorem fore, quàm urbis illius, quæ non audiret sermones illorum:* quum tamen Christus ipse Petri verba audire recusabat. Bona igitur Feri est expositio, Christum verba illa significare, quæ ipsis præceperat ut enunciarent, hoc est, Evangelium. Præterea, non de Apostolis modò Ferus verba facit, sed etiam de successoribus eorum. Quamvis autem Apostoli postea privilegio per spirituales gratias sancti Spiritûs tecti fuerint, ut in omnibus rebus veritatem docerent; Episcopis tamen, qui illis successêre, id privilegii non concessum est. Renũcies igitur oportet illam depravatam expositionem * magistro tuo, *quæ certam fidei, & doctrinæ veritatem successioni Apostolorum annectit & alligat, dèvincitq; nos, ut in omnibus pareamus iis qui in sedem Apostolorum succedunt;* aitq; *illum qui cathedram tenet Apostolicam, non quæ sua sunt loqui, sed quæ Dei.* Illud enim Servator voluit, Scribis & Pharisæis in omnibus parendum esse, quæ ex lege Dei edocebãt: non, errare non potuisse in fide & doctrina, quòd *succederent Aaroni.*

f Mat. 10. 15.
* Stapl. princ. doct. l. 5. c. 9.

HARTVS. Non possum inducere in animum, quin cogitem Christo propositum fuisse, ut doctrinam illorum ab erroris suspicione purgaret. Nam verba ejus, *facienda esse quæ dicunt, quoniam sedent in Mosis cathedra,* potiùs ipsis prospiciunt de omnibus quæ docent; quàm aliis præfiniunt, quousq; iis pareant.

RAINOLD. Verba ejus propriè ad auditorum institutionẽ pertinent: ne do-

ctrinam

doctrinam Dei Doctorum vitiis abducti aspernentur. Ita cùm prospiciunt, tùm ex consequente præfiniunt. Prospiciunt Doctoribus, quibus in omnibus obsequendum sit, quæ ex lege Dei loquentur. Præfiniunt auditoribus, ne faciant ea quæ loquuntur Doctores, si docuerint adversus legem. Ut Epistalmata Principum, quæ suis dant legatis, prospiciunt ipsis de legatione sua: sed præfiniunt, si legationis suæ limites prætervehantur.

HARTUS. Atqui legatio hîc generalis est de omnibus, quæ ad Doctores spectant. Christus enim disertè dicit; *Servate & facite*. Jam *dogmata fidei servamus; præcepta morum facimus*. Quicquid igitur Scribæ & Pharisæi, vel de fide, vel de moribus præceperint, in eo illis erat obtemperandum.

RAINOLDUS. Scitum hoc esset argumentum ad * *traditiones* vestras utriusq; generis confirmandas, si contextu niteretur. Sed [*servare*] & [*facere*,] utraq; à Christo ad eadem referuntur: quod ostendit ipse, quum primùm uno, deinde altero vocabulo eadem comprehendat. *Omnia quæ dixerint vobis ut* [a] *servetis, servate & facite. Sed secundùm opera eorum ne* [b] *facite. Dicunt enim & non faciunt.* Videtur igitur, quò magis præceptionem suam de præceptis Dei audiendis quæ docebant ex Mose Scribæ & Pharisæi, in animis discipulorum defigeret, duplicare quasi ictum suum, & repetere, dicendo, & [c] *servate, & facite*. Quibus exprimere quidem poterat, & ipsis in memoriam revocare illud quod in Mose commendat: qui crebrò [d] eadem duplicat iterátq; verba, dum eandem doctrinam urget. Denique, [e] voculam illam, quam expositio vestra premit ad fidei dogmata, Christus ipse ad præcepta morum accommodat; [f] *Servate mandata*. Adeò nervosa est materies illa, ex qua vestras fabricatis opiniones. Quanquam ut ualde firmam & solidam illam esse acciperemus, daremúsq; vobis, Christum voces illas [*servandi*] & [*faciendi*] de fide & vita intellexisse: non inde tamen propositum vestrum obtinetis. Nam sive *Capita fidei* fuerint, sive *præcepta morum*: jubet, Scribis & Pharisæis in iis tantùm obsequi, quæ illi ex Mosis cathedra docent.

* Traditiones tùm ad fidem tùm ad mores pertinentes, Conc. Trid. sect. 4.
[a] τηρεῖν.
[b] ποιεῖτε.
[c] τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε.
[d] שמרתם ועשיתם Deut. 4. 6. & 7. 12. & 16. 12. & 26. 16. & 28. 13.
[e] τηρεῖτε.
[f] τήρησον τὰς ἐντολάς, Mat. 19. 17.

HARTUS. Servatoris nostri verba multo sunt latiora. Coarctas ea nescio quomodo, & perangustè definis. *Omnia quæcunq; dixerint vobis, servate & facite*: audi verò, *omnia* dicit. Et qui *omnia* dicit, is nihil excludit. Tu verò multa.

RAINOLDUS. Israeli Dominus præcepit, ut in causis difficilibus, & dubiis adirent *Sacerdotes*, & *Judicem*: &, *Illos consulito, & indicabunt tibi statum illius judicii: &* [g] *observabis ut facias secundùm omnia quæ docuerint te*. Hæc autem verba [*observabis ut facias secundùm omnia quæ docuerint te*,] Judæis mos est passim adducere, quum ineptas traditiones suas à Patribus receptas tuentur. Eáq; [h] Selomoh, Rabbinus quidam, quem in magno pretio habent, fucat hâc nota; *Non deflectes ab iis quæ dixerint tibi*, * *ne si dicant quidem dextram sinistram esse, & sinistrã dextram*. Potens omnino erroris Spiritus, qui istos homines fascinavit. Vos autem & Ecclesia vestra illos contento cursu sequimini. Fortasse licitum esse vobis cogitatis, ut id pro Pontificibus vestris audeatis, quod Rabbi Selomoh ausus est pro ipsorum Sacerdotibus.

[g] Deut. 17. 10.
[h] R. Selom. Iarchi. in Deut 17.
* אפי׳ לך

HARTUS. Minimè verò. Fateor enim Rabbi Selomoh ineptè loqui. Quod planum facit locus ipse, quem suâ glossâ fucat. Scriptura enim ibidem ait; *Facies quodcunq; docuerint te, juxta legem*, aut * *legem ejus*, ut nos legimus. Quare, *facere quodcunq; Sacerdotes docuerint*, non de rebus impiis aut falsis, sed veris tantùm & legi Dei consonis dicitur.

* Juxta legem ejus, vulg. edit.

RAINOLDUS. Similiter hîc Scriptura loquitur; *Scribæ & Pharisæi sedent in cathedra Mosis: omnia igitur quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite.* Ubi

vox illa [*igitur*,] revocat [*omnia*] ad ea quæ docent in *Mosis cathedra*: hoc est, ut demonstraui, ex lege Dei. Quare (pace tua) non magis insulsum Judæorum somnium, quàm vestrum in hac [*omnium*] interpretatione. Et ut tu nos affaris, ita te illi possunt; *Qui omnia dicit, is nihil excludit. Tu verò multa.*

HARTVS. Immo nihil ego excludo eorum *omnium* quæ docent Scribæ & Pharisæi. Nam Christus, ut dixi, ea omnia jubet servare quæ docent: *quoniam nō alia docent, quàm quæ servanda sunt.*

RAINOLDVS. Sed si quicquam adversus legem Dei docuerint, spero id te exclusurum, concessurúmque, omnia non servanda fuisse quæ docuerint.

HARTVS. Si quicquam adversus legem Dei docuerint; concedo. Sed nego adversus eam illos quicquam docuisse: vel potuisse quidem.

RAINOLDVS. Et cur tu id negas?

HARTVS. Quoniam de iis Christus pronunciat; *Sedent in cathedra Mosis.* Quibus (ut tuam expositionem audiamus) intellexit, *illos secundùm Mosen docere.* Quòd si secundùm Mosen docerent, nihil igitur contra legem docebant; nec potuerunt. Nam, si potuerint contra legem Dei docere: ergo falsum illud esse potuit, quod iis verbis Christus voluit, *eos secundùm Mosen docere.*

RAINOLDVS. Non hoc sequitur. Multi enim veritatem loquuntur, qui suo commodo servientes possunt fingere: & multi in aliquibus veritatem loquuntur, qui non in omnibus. Illud Christus spectabat, quod solebant plerunq; Scribæ & Pharisæi facere: legerunt legem in Synagogis; populo præceperunt, ut eam observarent; etiam in externis rebus, ut in ceremoniis, decimis, purgationibus, & Sabbato, severissimè exegerunt. Verùm, ut Paulus summo Pontifici; [i] *Tu sedens judicans me secundùm legem, & legem transgrediens jubes me cædi?* Ita illi quandoq; cōtra legem docuerunt, quum secundùm eam ipsis docendum esset. Et hujus quidem Christus ipse documentum cepit, qui idcirco præcepit discipulis suis *ut caverent* [k] *à fermento*, hoc est, [l] *doctrinâ Pharisæorum.*

HARTVS. Videtur igitur, in cathedrâ Mosis eos non sedisse quandoque, quum docerent.

RAINOLDVS. Verissimum: sed extra eam prorsus, in sua aliqua sedicula. Nam *Moses* [m] *de Christo scripsit*: & [n] *Christus legis ipsius finis est.* Sed [o] illi *respuerunt Christum*, & ad suos mores populum composuerunt. [p] *Observârunt illum* deditâ operâ, *ut adversus eum accusationem invenirent.* [q] Renunciârunt, *illum per Principem Dæmoniorum ejicere Dæmonia.* [r] Illum *mortis reum* condemnârunt. [s] Affirmârunt, *comperisse se illum pervertentem gentem, & vetantem tributa dare Cæsari.* Maledicè *justum* accusârunt. Blasphemârunt *Deum gloriæ*. Morte *Dominum vitæ* affecerunt. [t] *Neq; ipsi introierunt in regnum cælorum, neq; introeuntes siverunt introire.*

HARTVS. In personâ quidem Christi ipsos errasse fateor: sed non in exponenda lege. Nam quum interrogarentur illi, ubi *Christus nasceretur*: [u] dixerunt, *in ea Bethleem, quæ est Judææ*; & rectè dixerunt. Sed, quoniam [x] Maria virgo, & Josephus in Nazareth habitarent, quæ est Galilææ, antequam natus esset, [y] ibiq; cū illis ipse postea vitam degeret, adeò ut *Jesus Nazarenus* vocaretur: [z] crediderunt ipsum ibidem natum fuisse, non in Bethleem; atq; ita in errorem inducti sunt, & *Christum* illum esse ignorârunt.

RAINOL. At hoc tamen summa est verbi vitæ: non, futurum *Christum* quēdam, quod Judæi ad hunc usq; diem sibi persuadent: sed *Jesum Nazarenum*, quem cruci affixerunt illi, *illum Christum* esse. Scribæ & Pharisæi, non esse affirmârunt.

[i] Act. 23. 3.
[k] Mat. 16. v. 6.
[l] Ver. 12.
[m] Ioh. 5. 46.
[n] Rom. 10. 4.
[o] Ioh. 7. 48. & 8. 13. & 9. 22.
[p] Luc. 6. 7.
[q] *Scribæ*: Mar. 3. 22. *Pharisæi*: Mat. 12. 24.
[r] Marc. 14. 64.
[s] Luc. 23. 2.
[t] Matt. 23. 13.
[u] Matth. 2. 5.
[x] Luc. 1. 26, & 2. 4.
[y] Matth. 2. 23.
[z] Ioh. 7. v. 40. 41, & 52.

Num Judæis hic credendum est iis quæ dixerunt? Si credendum existimas: non miror igitur, si defensitas [illegible] nobis, quæ Papæ dicunt, esse facienda. Sin verò non credendum putas: ergo in aliquibus errârunt Scribæ & Pharisæi, quæ docebant. Quod autem respondes, *in Christi persona errasse, non in exponenda lege*; mera captiuncula est. Nam universim nos de *cathedra Mosis* loquimur, hoc est, de doctrina Mosis. In doctrina Mosis exponenda errârunt, quum Christo non concederent ea, quæ de illo Moses scripserat. Quanquam illud quoq; falsum sit, non errasse in exponenda lege. Nam, quum [a] *lex sancta sit* & [b] *spiritualis*, quæ perfectam justitiam flagitat, [c] non in externis modò corporis actionibus, sed in internis etiam mentis affectibus; Scribæ & Pharisæi tradiderunt affectus animi legem non transgredi, modò quis abstineat se ab actione mala. Exempli causâ: in lege præceptum est; *Non occides*. Hoc mandatum [d] illi ad patratum homicidium revocârunt, atq; hoc modo commenti sunt; *Quisquis occiderit, tenebitur judicio*: quasi manum tantùm, ac non cor etiam, mandatum cohiberet. Perinde illud [e] explicarunt; *Non mœchaberis*: ac si satis esset carnem servare castam, ut anima interim impuritate sit conspurcata. Aliam verò à Servatore nostro præceptionem accipiunt: utcunque illi [f] *antiquitatem* glossis suis prætendant, iram tamen, malitiam, libidinem, ipsas affectiones homicidii & adulterii, ac non externa modò facinora, legis mandata violare. Reliquas horum perversas expositiones prætereo. [g] Postrema instar omnium esse potest. *Diliges proximum tuum, ut teipsum*, lex ait. Ubi vocem illam [* *proximum*] ita intelligere debemus, quasi aliquem nobiscum consociatum; ut sunt omnes homines, alii magis, alii minùs, sed omnes naturali quodam vinculo conjuncti humanitatis. Istud luce instinctúq; naturæ Ethnici didicerunt: qui (1) viderunt quædam officia deberi ab omnibus sibi invicem, propter hanc humani generis conjunctionem; atq; ita (2) nomen etiam [*proximorum*] usurpârunt, quo universim omnes homines denotarent: [g] quemadmodum in hoc mandato usurpatur; *Diliges proximum tuum*. Sed Scribæ & Pharisæi, cogitantes [*proximum*] amicum significare, qui animo erga nos propenso est, quem nos pariter *diligere* debemus: collegerunt inde, & ex altera parte hanc glossam texuerunt; *Et odio habebis inimicum tuum*. Quæ planè improba est legis interpretatio: & ostendit quanta animi cæcitate legem explanarent. Quare Servator noster, corruptelas eorum, tùm in isto, tùm in aliis ipsorum dogmatis reprehendens, discipulis suis ait; [i] *Nisi abundaverit vestra justitia plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, nequaquã ingressuri estis in regnum cœlorum.*

HARTUS. Ista Servator de vitiis illorum fortasse dixerat, non de dogmatis: quoniam soliti erant dicere, & non facere. Quæ autem tu appellas glossas Scribarum & Pharisæorum: ea, ex Patribus nonnulli, ipsius legis Mosis esse judicârunt, quæ correxit, & supplevit, seu potiùs absolvit Christus. Ita S. [k] Chrysostomus ea inter se comparat, tanquam veterem legem cum nova: *aitq́, mandata Mosis facilia esse; Abstine ab homicidio & adulterio: difficilia autem mandata Christi; Abstine ab ira & libidine.* In eâdem quoq; sententiâ S. [l] Augustinus videtur fuisse constitutus.

RAINOLDUS. Ita senserunt illi, fateor, viri boni, & animo non malo, Scribarum & Pharisæorum fraude seducti: qui ut faciliùs voluntatem populi opinionibus suis conciliarent, eas Mosis verbis eloquebantur, etsi sensu multùm diverso. Quemadmodum, quod [m] Moses de æquis *juramentis, votísq́* dixerat; id [n] illi ad illicita detorserunt: quod ille [o] de *pœnâ* publicis judiciis impositâ; id [p] illi ad privatam vindictam converterunt. Sed hoc illorum artificium (quod Christus attingit tantùm, ut notissimum) eo præjudicio abripuit S. [q] Augustinum, ut hoc etiam in

lege

[a] Rom. 7. v. 12.
[b] Ver. 14.
[c] Mat. 22. 37. Deut. 6. 5. Lev. 19. 18.
[d] Mat. 5. v. 21.
[e] Mat. 5. v. 27.
[f] Ver. 21. & 27.
[g] Ver. 43.
*Heb. רעה à verbo quod significat jungere & consociare.
(1) Cic. de Officiis. lib. 1.
(2) Æschines in orat. contr. Ctesip. Aristot. Rhetor. ad Theodect. l. 2.
[h] Luc. 10. 30.
[i] Matt. 5. 20.
[k] In Mat. hom. 16. 17. & 18. Hom. 10. in opere imperf.
[l] De sermone Domini in monte l. 1. c. 9. 12. 17. 19. & 21.
[m] Levit. 19. 12. Num. 30. 3.
[n] Mat. 5. 33.
[o] Exod. 21. 24.
[p] Mat. 5. 38.
[q] De sermon. Dom. in mont. lib. 1. c. 21.

lege scriptum esse crederet (* quòd cum ceteris in textu legatur;) *Odio habebis inimicum*: quum [r] à lege inimicos diligere, iisq; benefacere jubeamur. Quo minus mirandum est, si in prioribus falsus fuerit. In quibus postea tamen errorem suum agnovit, & correxit. Nam, quum Manichæi, qui condemnârunt veteris Testamēti Deum ut contrariū novo, ab isto loco dissererent, Christum multa in lege Mosis culpare: [s] respondit, *Christum non legem reprehendisse, sed eos qui legem non intellexerunt, qui putârunt, quòd prohibitum sit homicidium & adulterium, non ad affectiones & concupiscentias id pertinuisse, sed ad externas tantùm actiones*. Et quamvis nec eo quidem tempore in mentem ei veniret, legem non dicere; *Odio habebis inimicū*: [t] id tamen cogitabat non potuisse aliàs intelligi in Testamento vetere, quàm sicut in novo *inimicos nostros odisse* debemus, vel potius Dei inimicos, [u] *illorum vitia odisse, non personas*. S. Chrysostomi in hoc lapsus non tantus erat. [x] Verba enim illius ejusmodi sunt, ut non videatur sensisse hoc in lege scriptum esse. Si cetera nō revocabat, ut S. Augustinus: non ei obstrepuerant Manichęi, qui ipsum, ut S Augustinum, exacuissent. Illorum ineptiis evasisset doctior. Sanè, quicquid in eo Patres sentirent: certum est, Christum non legem Dei, sed hominum glossas in eā excogitatas culpavisse. Quod recentiores scriptores, etiam [y] vestrates, agnoscunt: immo [z] Catechismus quoq; Tridentinus. Et non nemo [a] origine Judæus ad fidem Christi conversus, ex scriptis observat [b] antiqui Judęi, qui circiter Christi tempora floruit; *Judæos putasse externas tantùm actiones, & non mentis motiones vetitas esse à mandatis*. Quare, quòd ais Christum, quū doceret *discipulorum suorū justitiam abundare oportere, plùs quàm justitiam Scribarum & Pharisæorum, istud dixisse* fortasse de vitis ipsorum, non de dogmatis: ex altera parte rectè ais, secus ex altera. Nam de utrisq; dixit. Quod ex hoc appâret, quoniam in eo præcedentis sermonis sui rationem reddit, sicut vocula [enim] evincit. [c] *Dico enim vobis nisi abundaverit vestra justitia, plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, vos nequaquam ingressuros in regnum cælorum*. Hæc autem erant præcedentis sermonis verba; [d] *Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis, & ita docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, hoc est, in eo nullus erit. Scribæ & Pharisæi igitur, homines *justitiâ* suâ nobilitati, qui *mandata ista* (à Christo commemorata) *minima* censuerunt, id est, nihili pependerunt; ut qui iram, malitiam, concupiscentiámque in aliquo delictorum numero non posuerint: offendisse deprehenduntur, non solùm *solvendo* mandato; sed ita etiam *docendo*. Et unde ita illi docebant, nisi (ut Christus ostendit) ex legis perversa expositione? In lege igitur exponenda errabant.

HART. Errabant quodam modo: sed quo tandem modo, audi. Docebant actiones homicidii & adulterii à lege vetitas esse: sed affectiones vetitas esse non docebant. Erat hoc sanè minus lege docere: sed non contra legem. Etiam *odio inimicos prosequi*, aliquo modo quoq; in lege præcipiebatur. Nam quum in terrā Canaan Israelitas Deus mitteret, [e] præcepit *ejicere omnes habitatores ejus terræ*. Habitatores autem illi [f] *inimici ipsis erant*: & de inimicis istis dicit Deus; [g] *Omnino internecioni devovebis eos, ne pangito cum eis fœdus, neq; gratiam eis facito*. Ecce internecioni devovendi sunt. Nónne hoc *odisse* ipsos erat?

RAINOLDUS. Occidere ipsos sine dubio hoc erat. Atq; ita, te argutante, præcepit lex hominibus, ut inimicos suos occiderent etiam, non odio haberēt modò. Sed quidem certè *odisse* illos non jubebantur, etiamsi juberentur *internecioni* eos *devovere*. Nam *habitatores isti terræ Canaan*, quos imperavit illis Deus ut ad internecionem perderent, Hittæi, Amorræi, Jebusęi, ceteriq;, propter [h] improbitatē suā, [i] idololatrias, incantationes, [k] aliasq; horrendas abominationes perdebantur.

* Mat. 5.43.
[r] Exod, 23.4.
[s] Aug. contr. Faust. Manic. lib.19. cap.23.
[t] Cap.24.
[u] Apoc.2.6. Aug. in Psal. 138.
[x] Ait *sermonē improbum esse, & rem injustā* in Matt. hom. 13. in oper. imperfect.
[y] Arias Montanus & Iohānes Ferus in Matth. 5.
[z] In exposit. præcepti; *Non occides*.
[a] Nic. Lira. in Matt 5. & Exod. 20.
[b] Ioseph. antiquit. Iudaic. l. 12. c. 13.
[c] Math.5. v. 20.
[d] Ver.19.
[e] Num 33. 52.
[f] Deut.6.19.
[g] Deuter.7.2.
[h] Deut.9.5.
[i] Deut 18. 12.
[k] Levit.18. 24

Pœnas ergo judiciáq; Dei exsequuti sunt Israelitę, quum eos morte mulctarent. At verò punire improbos, ipsis est benefacere. Nam (ut naturæ lumen [l] Philosophũ docuit,) ita se habent in mente vitia, ut morbi in corpore: & pœnæ, ut pharmaca. Quemadmodũ igitur ægroto amarã potiunculam ebibere, aut secari, aut uri, salubre quidẽ est, etsi sit molestũ: ita improbo, puniri, cõmodũ. Quũ igitur pœnis affligerẽt Israelitæ, *tollerẽntq; è medio habitatores Canaan:* nõ hinc *oderunt*, saltẽ odisse nõ jubebantur. Nã *odisse* quẽpiã, illi malè velle est. Punire delinquẽtẽ, est illi benefacere. Mandatũ Israelitis est, ut punirent illos. Quòd igitur *internecioni* illos *devovere* jussi sint, nõ jussi sunt *odisse*. Atq; hoc adhuc etiã magis ex Testamẽto novo cõstat. Ubi, [m] etsi jubemur neminẽ mortaliũ odisse, sed omnes *diligere:* [n] *gladius* tamẽ permittitur *ad pœnas ab eo sumendas, qui malũ facit*. Quare, (ut ad illud revertar quod in quæstione ponitur,) quum Scribæ & Pharisæi illam impiã glossam cuderent, *Odio habebis inimicum tuum;* contra legem docebant. Quod ab ipsis commissum quoq;, quũ docerent, vitiosas & improbas affectiones à lege non prohiberi. Dicis eos minus lege docuisse, sed non contra legẽ. Dico contra legẽ docuisse, quia minus lege docuerunt. Scriptum est enim; [o] *Non additote ad verbũ illud, quod ego præcipio vobis, neq; detrahite de eo.* At minus, quã lex præcipit, docere, est, *de lege detrahere: detrahere* est eã *solvere:* [p] legẽ *solvere*, atq; *ita docere*, peccatũ erat Scribarum & Pharisæorũ. Quãquã, si nõ eos adhuc satis dilucidè hujus criminis cõvictos esse arbitraris: audies cumulatius liquidiusq; argumẽtũ, quod extra omnẽ est exceptionẽ. In lege Mosis præcepit Deus; [q] *Honora patrem tuũ, & matrẽ tuã:* ubi verbũ illud [*honora*] omnia officia obedientiæ, amoris, timorisq;, quę liberi parẽtibus debent, cõprehendit. Judæis ut quædã insita fuit ad impia vota nũcupanda propensio, ita (1) familiare apud illos erat hoc votum, cui juramento etiam se obligabant, *huic vel illi homini nihil se cõmodi præstituros*. His autem conceptis verbis, tanquam maximè solennibus jurabant; *Per donum*, aut *oblationem*. Nam sic didicerunt; [r] *Si quis juraverit per altare, nihil est: quicunq; autem juraverit per oblationem, aut (donũ) quod est super ipsum, (2) debitor est*, hoc est, obstrictus est, ut id præstet quod juravit. Jam verò tradebant Scribæ & Pharisæi, si quis hoc solenne votum nũcupasset, videlicet, si dixisset patri aut matri; *Per donum hoc, nihil tibi prodero:* nullo modo tũ potuisse quicquã iis boni facere, vel honore ipsos juxta Dei mandatum prosequi. Atq; istud est, de quo Christus illos increpat; [s] *Quare vos transgredimini mandatum Dei, per traditionem vestrã? Nam Deus mandavit, dicens; Honora patrem tuum & matrẽ. Et qui (3) maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autẽ dicitis; Quicunq; dixerit patri aut matri, (4) Per donum, si quicquã tibi prodero, (5) non honoraturũ patrem suũ aut matrẽ suã. Et irritum fecistis mandatum Dei, per traditionẽ vestrã.* Quæ traditio illorũ, quoniã nõ ita increbuit, huic Christi de ipsa sermoni tenebras quasdã offudit. Unde factum est, ut variæ sint doctiorũ in eo interpretando sententiæ. Verùm ista, quã ego adhibui, interpretatio, maximè est, meo judicio, contextui ipsi, & instituto Christi consentanea. Solebant enim Judæi *exsecratione* se *devovere* ad observanda pręstandáq; juramenta sua & vota: ut [t] illi, qui *devotione devoverunt se nihil gustaturos, usquequo trucidassent Paulum. Exsecrationem* tamen celabant ipsam, ut qui non libenter tale votum proderent: quare, non dicebant; *Si hoc fecero, moriar*, vel, *me perdat Deus*, sed, *Si hoc fecero*. Quæ loquendi formula ab illis recepta fuit juxta loquutionem Scripturæ, ubi in [u] juramentis, & [x] asseverationibus observatur. Quamvis non eadem perpetuò verba intelligantur, quippe quæ circumstantiæ immutare

[l] Plat. in Gorgia.
[m] Mat. 5. 44.
[n] Rom. 13. 4.
[o] Deut. 4. 2.
[p] Mat. 5. 19.
[q] Exod. 20. 12
(1) Philo Iudeus de specialibus legibus ὅρκ. πιςεύεται τῷ δεῖνι μὴ παρέξειν ὠφέλειάν τινα.
[r] Mat. 23. 18.
(2) ὀφείλει. quæ vox aliquando significat (juxta Syriacam phrasin) *peccare*. Hîc tamen videtur potiùs innuere (secũdùm propriã & usitatam significationem) obstrictũ esse ut solvat. ut Rom. 13. v. 7. & 8.
[s] Mat. 15. 3.
(3) ὁ κακολογῶν. Exod. 21. 17. מקלל qui petulante pravoq; sermone aliquẽ dehonestat.
(4) δῶρον. Marc. 7. 11. κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον. ubi vox ipsa [*Corban*] nominatur, quod Iudæorum solenne juramentum est. Talmud. Ierosl. tract. de votis.
(5) καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ. καὶ redundat sæpius in phrasi Scripturæ, præcipuè verò in illationib. ut Iac. 2. 4. καὶ οὐ διεκρίθητε. quemadmodum hoc loco etiam videtur.
[t] Act. 23. 14. [u] Gen. 14. 23. & 21. 23. [x] Mat. 8. 12.

possint: sensus tamen perpetuò idem est, (& quædam [y] versiones ita exprimunt) nō facturos id de quo ad eum modum loquuntur, *Si fecero*. Quare, sicut Dominus, quum jurabat Israelitis; [z] *Si introibunt in requiem meam*, significavit [a] *non ingressuros in requiem suam*: ita qui apud Judęos patri vel matri dicebat; *Per donum, (6) si quicquam tibi prodero*, significabat iis nihil se profuturum. A [b] Scriptura verò didicimus, si quis jurasset, votúmve fecisset inconsultiùs: ei resipiscendum esse, & jusjurandum cum [c] Davide violandum. Verùm Scribæ & Pharisæi hoc pro *traditione* amplexati sunt, *omnibus sua esse servanda vota, etiam si vovissent neq; patrem neq; matrem suam se honoraturos*. Atq; hoc illud esse, quod in iis Christus reprehendit, valde manifestum est: tùm ex genere votorum illorum, (7) quæ tunc Judæis erant familiaria; tùm ex doctrina, quam eorum progenies à majoribus suis accepit. Nam scriptum est in illorum [d] Talmud, (quod apud illos juris Canonici & Scholasticæ Theologiæ locum obtinet,) in contextu ipso, intra centum aut ducentos post Christum annos edito; *debere quemq; patrem suum & matrem honorare, nisi contrà voverit*. Neq; verò Scribæ & Pharisæi contra legem Mosis, in hac sola traditione docuerunt: sed in multis aliis. Christus enim, [e] postquam dixerat *eos irritum facere verbum Dei traditione suâ*; subjicit, *& similia hujusmodi multa facitis*. Ex quibus facilè perspicias, quàm infirma & tenuia sint, quæ opponuntur: primùm, quod tu ais, *minus ipsos lege docuisse, sed non contra legem*; quum Christus affirmet, eos [f] *antiquasse legem*, id est, inanem nulliúsq; autoritatis fecisse, immò [g] abrogasse, aut, (ut * ipsi convertitis) *irritam fecisse, & rescidisse*: deinde, Stapletoni illud, *non alia ipsos docuisse, quàm quæ servanda sunt*; quùm Christus asserat, illos docuisse *alios, ut parentes suos minimè honorarent, ut iis maledicerent, ut nihil ipsis prodessent*; neq; hoc solùm, sed & *similia hujusmodi multa*.

HARTUS. Video equidem, non sine causâ [h] Genebrardum dicere; *Scribas & Pharisæos non sedisse in Mosis cathedra legitimâ successione: sed eam vacuam invasisse*.

RAINOLDUS. Oh, mysterium verò in eo aliquod, & tu id non dispexeras. Multùm quidem certè Scribæ & Pharisæi dedecorant *successionis* existimationem.

HARTUS. Verùm ille ratione nititur, nec sine aliqua probabilitate videtur affirmare.

RAINOLDUS. Atqui non hoc satis est, nisi nitatur etiam veritate. Sed rationem ejus audiamus.

HART. *Sacerdotum erat proprium super cathedram Mosis sedere. Sed Scribæ—*

RAINOLDUS. Illud falsum primò. Non erat *Sacerdotum* proprium, sed ipsis cum *Levitis* commune: ut [i] verba Mosis, & [k] illorum consuetudo juxtà evincunt.

HARTUS. Fortassis ille per [*Sacerdotes*] Sacerdotalem tribum denotat, tribum *Levi*. Atq; in eam sententiam verba ejus interpretor. *Erat* igitur *illius tribus proprium super Mosis cathedram sedere*. Sed [z] *Scribæ & Pharisæi non erant de tribu illa necessariò*: ex aliis enim tribubus esse potuerunt.

RAIN. *Sed Scribæ & Pharisæi non erant de tribu illa necessariò: non igitur erant de tribu illa*. Istáne verò est Doctoris ratio? Perinde dixerit quis; *Dominus Doctor Genebrardus non loquitur veritatem necessariò*, (mentiri enim quandoq; potest:) *non igitur veritatem loquitur*.

HARTUS. Quin ego intelligo, fuisse etiam de aliis tribubus, non modò esse potuisse.

RAIN. Ita ego vicissim intelligo, mentiri illum quandoq;, non modò mentiri posse. Ceterùm, quo modo probat ille, de aliis tribubus fuisse?

[y] Græca Sept. Vulgata Latina, & Anglicana, Gen. 21. 23 Latina & Anglicana, Gen. 24. 23. Anglican. Mar. 8. 12.
[z] Heb. 3. v. 11.
[a] Ver. 18.
(6) ἐὰν ὠφεληθῇς, ut Mat. 10. 14. ὃς ἐὰν λέξῃ. & Mat. 23. 18. ὃς ἐὰν ὀμόσῃ.
[b] Levit. 5. 4.
[c] 1. Sam. 25. v. 22. & 23.
(7) Quod Philo (illius seculi Iudæus) testatur, usurpans idem re ipsa verbum, quod Christus. Christus enim, ἐὰν ὠφεληθῇς: Philo autem μὴ πράξειν ὠφέλειάν τινα.
[d] Talmud. Ierosolym. tract. de votis. c. 10.
[e] Mar. 7. 13.
[f] ἠκυρώσατε, Mat. 15. 6. Marc. 7. 13.
[g] ἀθετεῖτε. Marc. 7. 9.
* Anglorhemenses in suo Anglicano testamēto novo ex vulgata Latina editione verso. *You have made frustrate and defeated.*
[h] Chron. lib. 2.
[i] Deut. 33. 10.
[k] Nehem. 8. 8.
[z] *Neq; Scribæ, neq; Pharisæi, erant necessariò de genere Sacerdotum.*

HARTUS. Pharisæos fuisse, non est opus argumento ejus: tute enim confiteris. *Scribas fere fuisse de paupere tribu Simeonis*, duobus testibus cõfirmat, uno Rabbi Selomoh, altero Chald: in 49. Geneseos.

RAINOLDUS. Fide ille duorum testium abutitur. Nam per Chald: videtur intelligere Chaldeum Paraphrastem: & Paraphrastes ne verbum quidem habet ad rem istam. Rabbi Selomoh verò habet verba quædam ejusmodi: sed ea torquet Genebrardus & depravat. Nam ubi Rabbinus dicit (3) *pauperes Scribas, & eos qui parvulos pueros instituebant, fuisse tantùm de Simeonis tribu*: iste ita illum loquentem fingit, *Scribas fere fuisse de paupere Simeonis tribu*. In quâ interpretatione suâ duo admisit delicta. Primum, quòd quùm autor ejus de *pauperibus Scribis loquatur qui pueros instituebant*, uti apud nos librarii, ad efformandas literas: iste hæc de *magnis Scribis* capiat, qui universo populo, etiam [l] principibus legem exponebant. Alterum autem, quòd quùm autor ejus dicat, *fuisse ipsos tantùm de Simeonis tribu*, quod in *magnis Scribis* liquidò falsum foret; (Ezra enim [m] *Scriba* fuit de [n] tribu Levi;) iste, ut sagittam corrigat, & arcui suo aptet, asserat *ferè fuisse de Simeonis tribu*. Ita igitur, quod Rabbi Selomoh omnino negat, id Doctor Genebrardus allevatione quadam temperat; & ex illis verbis [*pauperes Scribæ erant de Simeonis tribu*,] ista confingit [*Scribæ erant de paupere Simeonis tribu*.] Elegans hæc certè techna est, & qualem haud frequenter inveneris apud priscos Sophistas, quos [o] Plato depingit. At à Sorbonistis quidem superantur. Est tamen culpandus Genebrardus qui istos ludos suggerit, quùm inde non multum lucri sit collecturus. Quid enim si Rabbinus, Judæus, & ille quidem recentior scripserit *non fuisse Scribas de tribu Levitica*? Illa natio insania, & cæcitate, stuporéq; cordis percussa est, quoniam clauserunt oculos adversus [p] Solem justitiæ, plagáq; illa quam Deus minatus est, ipsos invasit; [q] *Palpabis in meridie quemadmodum palpat cæcus in caligine*. Hujus documenta crebrò apud Rabbinos reperiuntur in tractandis Dei eloquiis. Qui (præter multarum aliarum sordes ineptiarum, quibus Scripturas fœdant) soliti sunt in iis locis quibus implicantur (etsi sępius aperta illa & intellectu proclivia,) sarcire glossas suas vertiginosis somniis, & insulsis fabellis. De Simeone & Levi in Genesi prophetatur: [r] *dispertiam eos per Jacobi, & dispergam eos per Israelis posteros*. Apud Josuam hujus prophetiæ veritatem cùm in [s] Simeone, tùm in [t] Levi completam legimus. Quod Rabbi Selomoh non assequutus, autumabat ad eundem modum tribum Simeonis esse dispergendam, quemadmodum tribus Levi dispersa est. Quare, sicut per universum Israelem dispersi erant Levitæ, ut [u] universam Ecclesiam instituerent: ita in hac opinione fuit ille, Simeonitis puerulos fuisse instituendos. Hanc ille parturivit, & quidem peperit; esse potuisse credidit; fore placuit; fuisse scripsit. Quare si Rabbi Selomoh de iis Scribis hoc significârat, de quibus loquutus est Servator: fides ejus tenuior est, quàm ut testimonium de iis ferat, qui mille ante ipsum annos vixerunt, nisi rationem ejusdem adhibeat meliorem. Verùm *Pharisæos de aliis tribubus, non Leviticâ modò exstitisse*; Genebrardus probat, inquis, & ego concedo. Certè. Et amplius concedo, (quod [x] ille quoq; probat) [*] *fuisse Catholicos*. Verùm ipse mihi significâras, *si diceres Catholicos super Christi cathedram sedere, non debere me de Catholicis verba tua interpretari, qui discipuli sunt, sed de Catholicis qui Doctores, de Catholicis Sacerdotibus & Episcopis*. Scribę igitur & Pharisęi ordinariâ freti sũt successione, nihil iis obstantibus quę contrà Genebrardus affert. At illi & errârunt ipsi, & errores docuerunt. Qui igitur ordine succedunt, & errare, & errores docere possunt. Jam vero Papæ succedunt in Apostolorum

(3) אין לך עניי סופרים ומלמדי תינוקות אלא משמעון

[l] Mat. 2. 5.
[m] Ezr. 7. v. 6.
[n] Ver. 5.
[o] In Gorgia, et Euthydem.
[p] Mal. 4. 2.
[q] Deut. 28. 29.
[r] Gen. 49. 7.
[s] Ios. 19. 1.
[t] Ios. 21. 3.
[u] Deut. 33. 10.
[x] Chro. lib. 2.
[*] *Pharisæi erant Catholici.*

cathedra, ut Scribæ & Pharisæi olim in cathedra Aaronis. Nullam igitur tantam securitatem vi successionis suę nacti sunt, quin errare queant,&errores docere.

HARTVS. Quin illud ego prorsus nego. Ampliori enim gratiâ donati sunt, quàm Scribæ & Pharisæi.Quare,non,si Scribę & Pharisæi errârint, idcirco Papæ possunt.

RAINOLDVS. Quin tute intristi hoc,tibi omne exedēdū est. Est hæc tua *Paparum* cū *Scribis* & *Pharisæis* comparatio,etiam in *cathedrâ*. Atq;(ut, quod res est,dicam)aptè comparantur:nisi quòd nōnihil ab illis Papæ in successione superentur, & illos longè superent in erroribus.

SECTIO QVINTA

HARTVS. Minimè hoc verō.Nam utcūq; res Scribis & Pharisęis successerit, evincam perspicuâ ex Scripturis demonstratione, Papas errare non posse in doctrina.

RAINOLDVS. Si ex illis evincas,cedo. Una enim ex Scripturis deducta ratio,mihi est pro sexcentis.

HARTVS. Animadvertendum ergo est,* notari in Scripturâ Evangelicâ quatuor hominum genera,qui docēdo vel ducunt,vel seducunt populos nomine christianos.Tales sunt *Pastores,Mercenarii,Latrones,Lupi*. Quos fere omnes uno in loco pariter Christus demōstravit.Nam apud [y] Johānem de *latrone* dicit;*Qui non intrat per ostium in ovile ovium,sed ascendit aliunde,ille fur est & latro*.De *pastore* dicit; *Qui intrat per ostium,ille pastor est ovium*. Et paulo pòst, *Ego*, inquit, *sum ostium*. Móxq; ipsum *pastorem* in sua membra subdividens,alium *bonum* esse ostendit, alium *mercenarium*. *Bonus*, inquit, *pastor animam suam dat pro ovibus suis*. *Mercenarius autem,qui pastor non est*, *id est*, *qui pastoris nomen non meretur*, *quia plùs terrenam substantiam,quàm oves diligit*, (*ait* [z] Gregorius magnus) *videt lupum venientem et fugit*. Est ergo *latro qui ascendit aliunde*, id est,ut [a] Cyprianus scribit,*qui nemini succedens,à seipso ordinatus est*, non ab ipsis qui per Christum intrârunt; hoc est, non à Christo. *Pastor est,qui intrat per ostium,& diligit oves*: id est, ut scribit [b] Irenæus, *qui & successionem habet ab Apostolis à Christo missis*, *& cum Episcopatus successione charisma veritatis certum cum beneplacito Patris accepit*. *Mercenarius pascit oves,nisi lupus veniat*. Nam (ut ait Gregorius loco citato) *utrùm pastor quis sit vel mercenarius*, *cognosci veraciter non potest*, *si occasio necessitatis desit*, *si persecutio & tentatio abest*. Quartum genus *lupus* est, quo *veniente mercenarius fugit*. *Lupus* enim est, qui intravit quidem per ostium, legitimè ordinatus est, sed in loco pastoris positus,postea lupus factus est. Quales describit Apostolus; [c] *Scio*, inquit, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos*, *non parcentes gregi*, id est, dissipantes ovile: & *ex vobis ipsis*, hoc est ex numero & ordine Pastorum,(nam tales alloquitur) *exsurgent viri loquentes perversa*, *ut abducant discipulos post se*. Tales erant Arius, Macedonius, Nestorius, Marcion, Paulus Samosatenus, Eutyches, & multi alii Archihæretici,ex Episcopis & presbyteris, id est, ex pastoribus,lupi facti. Ex his ergo quatuor hominum generibus, *diligendus est pastor*, *tolerandus est mercenarius*, *cavendus est latro*, ait [d] S.Augustinus: addiderim autem,ait Stapletonus, abigendus est *lupus*. Majori enim studio & industria abarcendus *lupus*, qui sub vestimento ovis *lupum* agit,& pastor factus seducit, quàm latro qui apertâ injuriâ ascendit aliunde. Hunc enim cavere satis fuerit,propter legitimam successionem,quæ nunquam ignoratur, aut latet,non magis quàm ipsa Ecclesia.Est autem *mercenarius* duplex. Alter ex fine, & occultus:quia solâ spe lucri aut honoris pascit, sed sine scandalo vivit. Alter eti-

* Stapl.princ. doct. l.5.ca.9.
[y] Joh.10.
[z] Homil.14. super Evang.
[a] Lib.1.Ep.6.
[b] Lib.4.cap.4.
[c] Act 20.19.
[d] De verbis Dom.serm.49.

am apertè flagitiosus & impius. Describit primi generis Mercenarios Apostolus. [e] *Quidam*, ait, *per invidiam & contentionem*, hoc est, honoris causâ, *Christum prædicant. Quidam propter bonam voluntatem ex caritate.* Quid autem de talibus sentiat, subjicit. *Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Docet autem *per occasionem*, non castè, *qui propter sua commoda, sive pecuniæ, sive honorum & laudis humanæ, id facit* (ut exponit B.[f] Augustinus.) & de his *gaudere se* Apostolus dicit: tantùm abest ut eos audiendos neget. Alteri verò *Mercenarii* etiam apertè flagitiosi & impii; tales sunt, quales olim Scribæ & Pharisæi: de illis tamen Scriptura dicit; [g] *Supra cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, servate & facite.* Sed de istis multa satis superiùs. Unde cernas licet *Mercenarios*, sive occulti sint, sive aperti, veritatem tamen docere, & à Christianis esse audiendos.

[e] Phil. 1.15.
[f] De verbis Dom. serm.49
[g] Mat.23.2.

RAINOLDUS. Quando demum illam ex *Scripturis demonstrationem* audiemus, quâ evicturum te promiseras, *errare non posse Papas in doctrina?*

HARTUS. Audivisti verò. Quid tandem? Non potes præ arborum multitudine lignum cernere?

RAINOLDUS. Illud quidem certè lignum in istis arboribus non possum cernere. Sed tu qui cernis meliùs, mihi, spero, ostendes.

HARTUS. Non tu cernis verba Christi, & Pauli, de *Pastoribus*, & *Mercenariis*, & *latronibus*, & *lupis*, déq; occultis *Mercenariis*, & apertis?

RAINOLDUS. Istas ego arbores omnes conspicor, & multos prætereà frutices. Sed nullam in iis materiam cerno, tuæ demonstrationi opportunam.

HARTUS. Nullámne? Singula igitur faciam dilucidiora. Primùm, omnes Papæ, aut *Pastores* sunt, aut *Mercenarii*. Proximè, *Pastores* & *Mercenarii* omnes juxta veritatem docent. Tertiò concludo——

RAINOLDUS. Quin te contine paulisper. De primo dubito: aut potiùs non dubito. Nam etsi antiqui Papæ (ut nuncupantur) *Pastores* fuerint pleriq;, & *Mercenarii* quandoq; nonnulli: pòst tamen multi *fures latronésq;* successerunt, & ad hunc usq; diem succedunt.

HARTUS. Adverte quid dixeris: (*succedunt*.) Nam fateor sanè in schismatis & contentionibus de papatu ortis, partem aliquam electorum nonnunquam delegisse *furem* & *latronem*, ut [h] Novatianum contra Cornelium, & [i] Ursicinũ cõtra Damasum. Sed quem illi hoc modo delegerunt, *Antipapa* fuit, ut historici vocant, non Papa. *Papæ* verò sunt, qui serie legitimæ successionis se invicẽ à Petro ad nostra usq; tẽpora cõtinenter sunt subsequuti: quorũ nomina tũ Chronicis, tũ Tabulis consignata sunt à Pontaco, Onuphrio, Genebrardo, Bristoo, multisq; aliis viris eruditis. Et de illis solis loquor, quum omnes *Papas*, aut *Pastores* esse dico, aut *Mercenarios*.

[h] Cyprian. ep. 41. ad Cornelium.
[i] Hieron. in Chro. Euseb.

RAIN. Et de illis itidẽ ego loquor, quũ multos dico *fures*, & *latrones successisse*: etsi nonnunquam *Antipapa* majori jure locum vendicaret, quàm ille quem Chronica vestra Tabulæq; *Papam* censent, cujus potentia nimia jus oppressit: ut [k] Felix electus in Basileensi Cõcilio; quã Eugenius, qui per cuniculos illũ dejecit. Verùm, mitto istos continentis Paparum successionis nævos. Atq; de legitimis *Papis*, quorũ successionis seriem [l] Chronica vestra & [m] Tabulæ tam magnificè depingunt, & cantãt tanquam certam planè notam, per quam Catholica Ecclesia fidésq; dignosci possit: de illis dico, multos *fures* exstitisse & *latrones*.

[k] Cõcil. Basil. Sess.39. Aeneas Silvius, de gestis Basil. Concil. lib.2.
[l] Genebrard. Chronogr. in fine li.4.
[m] Bristous in postulatis suis & Rishtoni Tabulæ quas ille laudat & glossat.

HARTUS. At probo hoc à te falsò dici. Nam *fures* & *latrones* illi sunt qui

 non

non per ostiū ingrediuntur in ovile, sed ascendunt aliunde. At omnes *Papa* ingressi per ostium sunt in ovile. Quare ne unus eorum quidem *fur* & *latro*.

RAIN. In quod *ovile* sint ingressi illi, nescio. Hoc autem scio, ingressos esse ejus præsidio,[n] quo Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in ea modò * asellus hoc onustus posset ascendere. An hoc est per ostium ingredi, an verò per tegulas admitti? ut [o] Jupiter per imbrem aureum in sinum Danaes.

HARTVS. Illos fortasse dicis, de quibus commemorabas [p] priùs, *prodigiosos* fuisse, aut potiùs *portenta* & *monstra:* qui Papatū pleriq;, fateor, corruptelâ pravisq; modis sunt adepti. Sed hoc potiùs vitio vertendū est, ut etiā mores eorum depravati, Germanis Imperatoribus, quàm sedi Romanæ. Nam (ut [q] Genebrardus optimè observavit) *per annos fere centum et quinquaginta à Johanne octavo ad Leonem nonum, Pontifices circiter quinquaginta à virtute majorum prorsus defecerūt, Apotactici, Apostaticive potiùs, quàm Apostolici. Tanti sceleris rei sunt Germanici Imperatores, qui ita premebant Ecclesiam, ut sublatis canonicis electionibus, pro libidine, & sæpius pecuniâ & pactis, summos darent Pontifices, et recusaret electus pontificatum suscipere priusquam ab illo confirmaretur. Aliqui etiam vi aut largitione sedem invadebant. Unde minimè mirādum, si tam paucis annis tot exstiterint, ac brevi tempore semper vixerint, quando non per ostium ingrediebantur, sed per posticum. Nam non more majorum eligebantur, sed à Cæsaribus intrudebantur. E tanto Pontificum numero, quinq; modò, & satis tenuiter, laudantur.*

RAINOLDVS. Hoc quidem bene prudenterq; à Genebrardo tuo est observatum. *Multi Pontifices prodigiosi exstiterunt: sed hujus sceleris rei sunt Germani Imperatores.* Istud verò occlusurum est ora Germanis hæreticis, qui Imperatores illos laudibus extollunt. Verùm hic tu concedis pariter, *quinquaginta Pontifices, aut circiter, non per ostium ingressos esse.* Concedis igitur (ex eo quod consequitur) *fures* fuisse & *latrones*. Ego quum hoc dicerem, id à me falsò dici asserebas. Ecquid nunc tādem verum esse comperisti?

HARTVS. *Fures* erant & *latrones*, sed *Papa* non erant.

RAINOLDVS. At pro *Papis* tamen, in cunctis vestris [r] Chronicis & [s] tabulis numerantur.

HARTVS. Quoniam locum Paparum occupabant, & ita vocabantur. Nomine *Pontificum* Genebrardus quoq; illos appellat, quos tamen pontificatum invasisse putat. Atq; ita impropriè nomen illud assignat. Nam illi propriè soli *Pontifices* sunt qui pontificatum legitimæ successionis jure consequuntur. Verùm isti non legitimæ successionis jure sunt consequuti. Non igitur *Pontifices* fuerunt, quomodo nunc de *Pontificibus* nobis loquendum est. Atque hoc disertè demonstratur à Genebrardo: qui postquam dixerat, *illius temporis Pontifices, ut intrusos potiùs ab Imperatoribus, quàm electos, monstra fuisse:* adjicit, [t] *Hi sunt fructus oppressæ à Tyrannis Ecclesiæ, & electionum ereptarum. Sed & turbata tunc fuit legitima successio, ut olim in Synogoga sub Antiochis, paulo ante Maccabæos. Hanc labem Centuriatores agnoscant à Germanis Imperatoribus exortam, quos laudant tantopere. Nam illi jura Ecclesiæ sibi rapuerant, & jure Herodis Ecclesiæ prouidebant.* Hactenus Genebrardus. Unde perspicias illum, etiamsi concedat *fures* fuisse & *latrones*, negare tamen fuisse *Pontifices*: Non enim legitimè successerunt.

RAINOLDVS. Occæcatus fuit Genebrardus odio Centuriatorum, & Germanorum Cæsarum, quum folia hæc ficulnea consueret, ut causæ suæ nuditatem tegeret. *Quinquaginta* enim illi *Pontifices* (liceat mihi ita illos appellare, quo sermo

meus

n Cic. ad Attic. l.1. ep.15.
* Asellus onustus auro.
o Horat. carm. l.3. Od.16.
p Sect.1. huius capitis.
q Chronog. lib.4. seculo 10.
r Platina, Onuphrius, Pōtacus.
s Bristous, Rishtonus, Prateolus.
t Chronog. l.4. seculo 11.

meus ſit apertior) quinquaginta Pontifices, quos fateris fuiſſe planè *fures & latrones*, quòd invaderent potiùs Papatum, quàm in eum ſuccederent, quippe qui, non electi fuerint more majorum, ſed intruſi à Cæſaribus: *quinquaginta illi Pontifices* ingreſſi ſunt anno Servatoris noſtri [u] octingenteſimo octogeſimo quarto, quum Johannes octavus exſpiraret: exiverunt autem anno milleſimo quadrageſimo octavo, quum Leo nonus in cathedram ſuccederet. Jam Imperatores in illa poſteriori hujus temporis medietate, nihil magis in Paparum electione potuerunt, quàm antea quum Papæ boni exſtiterint, (ex Genebrardi ſententia) eorúmq; legitima fuerit ſucceſſio. Superiori verò temporis medietate valebant minùs. Nam circiter annum quingenteſimum & quinquageſimum, quum Juſtinianus Imperator Italiam a Gothis hoſtibus ſuis recuperârat, qui illic longo temporis decurſu ſummam rerum tenuerunt: [x] cautum erat, ut nemo Papa ordinaretur (ne electus quidem,) antequam electionem ejus ratam feciſſet Imperator. Quod ita planè fuit ad pacem ſalutémq; nationis juxta & imperii tuendam conſtitutum, ne, Cæſaribus ab Italia remotis, & Conſtantinopoli commorantibus, Papa, (cujus autoritas invaluerat) ſi eì Imperiũ diſpliceret, aut factioſus eſſet, cùm Romam tùm Italiam allectare poſſet, ut ab ipſis ad hoſtes deficerent; quod Juſtiniano perſuaſum fuit, Silverium Pontificem tentaviſſe. Hic mos & conſuetudo ad annum uſq; ſexcenteſimum octogeſimum ſextum viguit: quo tempore [y] Imperator Pontificem illo vinculo laxavit. Sed poſtea ſe rurſus Pontifex eodem cõſtrinxit. Anno enim ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio [z] Adrianus Papa primus Carolo magno *jus & poteſtatem eligendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam ſedem largitus eſt*: & quidem largitus eſt, aſſentiente Synodo Epiſcoporum, non ex affectûs ſui indulgentiâ. Hujus Synodi decretum ratum fixúmq; ſtetit annis plùs centum, ad ipſum *quinquaginta Paparum* uſq; ſeculum. Nam anno octingenteſimo octogeſimo quinto [a] Adrianus tertius huic contrarium decretum ſanxit: Videlicet, *Ne in creando Pontifice Imperatoris autoritas exſpectaretur, utq; libera eſſent Cleri & populi ſuffragia*. Neq; cuiquam Imperatori illa deinceps prærogativa, ad annum uſq; nongenteſimum ſexageſimum tertium eſt conceſſa, quum viciſſim Othoni eſt reddita. In illa vero intercapedine monſtra iſta ingreſſa ſunt, [b] Formoſus, [c] Bonifacius, [d] Stephanus, [e] Romanus, [f] Theodorus, [g] Johannes nonus, [h] Chriſtophorus, [i] Sergius, & poſtremò monſtroſiſſima bellua [k] Johannes duodecimus. Quorum ne unum quidem Cæſares creârunt. Et tamen (qui eſt Spiritus Papiſtici zeli, adeóq; homines infatuat) [l] Genebrardus commemorans *Sergium è monaſterio Chriſtophorum tractum in vincula conjeciſſe, juſſiſſéq; Formoſi corpus defoſſum truncari capite*: hanc notam adjicit, *nihil mirum ſi iſti Pontifices prodigioſi eſſent. Nam non more majorum eligebantur, ſed à Cæſaribus intrudebantur*. Quum tamen [m] Chronica veſtra referant, Sergium, conſpiratione factâ cõtra Chriſtophorum qui illi præceſſerat, (ut Chriſtophorus priùs contra Leonem,) coegiſſe illum ſe abdicare, ac poſtridie ſemetipſum intuliſſe. Adeò ut ne præſentia quidem legati Cæſaris in ejùs conſecratione exſpectaretur, (quod tamen ex [n] more factum oportuit ut vis & ſcandala prohiberentur:) nedum intruſus fuerit (uti Genebrardus comminiſcitur) à Cæſare. Verùm quo tempore in cathedram Johannes duodecimus aſcenderat, quo nihil perditius locum poterat poſſediſſe; niſi Dæmon ipſe præſens occupaſſet: [o] Otho Imperator, anxiè Romanis ab eo contendentibus ut res Eccleſiæ meliùs componeret, Epiſcoporum Italiç, aliorúmq;, & Romani Cleri habuit Concilium. Quo in Concilio ubi exegiſſent Johannem, & Leonem octavum in ejus locum omnes unanimi conſenſu ſubrogaſſent: [p] Leo, cum univerſo

[u] Secundùm ſuppucationẽ Genebrardi à quâ diſcedût Onuphrius, & Platina aliquot annorum numero. Sed non hinc caput cauſæ mutatur.
[x] Anaſt. biblioth. in vit. Vigilii, Pelagii, Vitaliani, Agathonis, Gregor. in regiſtr l. 1. ep. 4. Ioh. Diacon. in vit. Greg. l. 1. c. 40. Platina in Pelag. 2. diſtinct. 63. c. Agatho.
[y] Anaſt. in vit. Benedict. 2.
[z] Sigibert. in Chron. Diſt. 63. c. Adrianus 2.
[a] Platina in Adriano tertio Sigon. de regno Italiæ lib. 5. & 7.
[b] Anno 892.
[c] 898.
[d] 898.
[e] 899.
[f] 899.
[g] 899.
[h] 904.
[i] 905.
[k] 955.
[l] Chronog. l. 4. ſeculo. 10.
[m] Onuph. in Chron. Rom. Pontif. Sigon. de regno Ital. lib. 6.
[n] Concil. Raven. ann. 898. Sigon. de reg. Ital. lib. 6.
[o] Luitprand. Ticin. lib. 6. c. 6. 10. & 11. Sigebert. in Chron.
[p] Diſtinct. 63. c. in Synod.

Clero populóq; Romano, Othoni, ejúsq; succesoribus in perpetuum donavit * facultatem Pontificem eligendi. Causa verò, quæ commôvit illum ad institutum istud stabiliendum, ea fuit, ut nulla in posterum ejusmodi monstra, quemadmodum olim, in Petri cathedra sederent.[q] Cogitabat enim ab illo tempore, quo Adrianus tertius potestatem illam Imperatori eripuerat, & libera populo Cleróq; comitia reliquerat: fœdam & ineffrænatam Romanorum ambitionem opplesse Ecclesiam bestiis, civitatem tumultibus, & electiones nequitiâ. Hanc nimirum libidinem aliqua ratione coercendam esse animadvertebat. Nullum frenum acrius injici potuisse putabat, quàm si Adriani primi constitutio, qui jus Pontificem eligendi concessit Imperatori, renovaretur. Itáq; rem ad Concilium retulit; & Cōcilium acclamavit. Non igitur prior *quinquaginta monstrorum* pars intrusa fuit à Cæsaribus. Si fuerit posterior; cui id vitio vertendum est? Cæsaribus? an Pontificibus Synodísq;, à quibus jus illud Imperatori deferebatur? Sed ne in illos quidem culpa recidit. Nam [r] etsi jurassent Romani, fidémq; suam Othoni dedissent, nunquam se Pontificem aliquem absq; ejus, aut filiorum ejus consensu electuros: [s] confestim tamen ad ingenium redierunt. Ceterùm illo superstite, desiderii sui compotes esse non potuerunt. Nam quum ejecissent Leonem, & Johannem rursus invexissent, aliúmq; etiam deinde suffecissent: (1) Otho vi & armis effecit, ut ipsos incepti sui pœniteret, & Leonem pristinæ sedi restituit. Verùm (2) filii Othonis temporibus, conatus suos ad exitum perduxerunt. (3) Nepotis quidem ejus, in unius, aut verò alterius electione valuit autoritas: sed erant illi melioris generis. Romanorum erant comitia, quæ ista monstra hominum intruserunt. Quæ omnia cujusmodi fuerint, ex ipsorum capite & cauda licet conjicere; Bonifacio, & Benedicto. [t] Bonifacio septimo, qui corruptis comitiis ingressus est, ejectus est armis, profugerat cum sacrilegio, Ecclesiæ rapinas in immanem pecuniam converterat, eáq; redemerat pontificatum. [u] Benedicto nono, qui quum propter indignitatem suam exactus esset, Silvestérq; in ejus locum subditus; ille, factâ manu ejus factionis quæ ipsum priùs Pontificem constituerat, Silvestrum denuo deturbavit, & reveritus ne ocyùs in illum homines stomachum erumperent, (ita fastidiebant hominem & detestabantur;) Papatum venalem habuit, & Gregorius sextus eum nundinatus est. Ista flagitia Gregorii, Silvestri, & Benedicti, monstrorum trium teterrimorum, (ut à [x] Platina nominantur,) excitârunt Henricum Imperatorem secundum, ut Ecclesiæ, uti prius Otho, prospiceret. Unde quum procinctum in Italiam movisset, ei occurrit [y] Gregorius, & ad leniendum ipsius animum pretiosum diadema obtulit. Verùm Rex nihilominus, frequens advocavit Episcoporum Concilium: [z] à quibus quum de cooptatione Gregorii satis esset agitatum, & pecuniam intercessisse satis certis argumentis probaretur; vitio factum Pontificem fuisse pronunciatum est, atq; ita coactus fuit Simoniæ reus se pontificatu abdicare. Relatione inde de novo subrogando Pontifice factâ, quum Romani ipsi neminem nominarent, Imperator hominem Germanum, nomine Suidigerum, Episcopum probitate & literis celebrem, dixit: qui ab omnibus approbatus Pontifex electus est, & Clemens appellatus. A quo & Concilio simul alio coacto Romæ, eadem potestas iterum data est Henrico Papatum ordinandi, quæ priùs Othoni concedebatur. Quare, ne posteriora ista quidem monstra à Cæsaribus sunt intrusa: non magis quàm priora. [a] Unicus enim ex quinquaginta illis post Clementē superest, nec is in monstris numeratus; (etsi Genebrardus eum ipsis ascribat, quoniam à Cæsare factus est:) neq; necesse habuissent Romani in ejus ditionem venire, nisi quòd Clemens Germanus [b] medicamentis quibusdam Italicis ab illis curatus es-

* Facultatem eligendi successorem, atq; summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi.

[q] Sigon. de reg. Ital. lib. 7.

[r] Luitprand. l. 6. c. 6. Sigebert. in Chrō.

[s] Sigon. de reg. Ital. l. 7.

(1) Otho. 1.
(2) Otho. 2.
(3) Otho. 3.

[t] Platina de vitis Pontificum in Bonif. sept. Sigon. de reg. Ital. lib. 7. anno 974.

[u] Plat. Benedict. nono. Sigon. l. 8. ano. 1046.

[x] In Gregor. sexto.

[y] Otho Frisingens. Chrō. l. 6. c. 32.

[z] Sigon. lib. 8.

[a] Damasus secundus; quem Onuphrius optimum Pōtificem appellat, eosque reprehendit qui aliter de illo scribunt. Annotat. in Plat. Clement. 2.

[b] Veneno sublatus est. Krāt. Saxon. l. 4. c. 41. Genebr. Chron. lib. 4. anno 1047.

ſet. Quin adeò aberant Imperatores à monſtris intrudendis; ut extruderent prorſus, & ſummo eſſent ad Eccleſiam ab illis liberandam adjumento. Quod ſicut conſtat ex perpetua ſerie rerum geſtarum ipſorum, & annalium: ita Carolus Sigonius, in [c] illa quam de regno Italiæ conſcripſit hiſtoria, (homo nullo modo iniquior in Pontifices) hoc Cæſaribus deferat teſtimoniũ, & Romanos ipſos, quòd illa mõſtra in ſedem irrepſerint, in omni culpâ ponat. *Romani proceres*, inquit, *privatæ quærendæ potentiæ cauſa corruptis comitiis Pontificis, Eccleſiam gravibus in ducentos propè annos ſeditionibus, ac fœdis offenſionibus implevere. Hi fuere Albertus Marchio, & Albericus filius, Conſul, Thuſculani Comites, & qui ab eis aut genus traxerunt, aut potentiam acceperunt. Qui, populo Clerôq; aut mercede corrupto, aut quacunq; aliâ ratione vetere comitiorum libertate diſpoliato, amicos, aut propinquos ſuos pro arbitrio provexerunt, homines fermè longè à recta ſuperiorum Pontificum diſciplina & ſanctitate remotos. Ad quorum libidinem coercendam, Leo octavus Pontifex legem retulit ab Adriano primo latam, deinde à tertio abrogatam; Ne Pontifex deſignatus ſine regis autoritate iniret. Qua lege, ambitu in urbe flagrante, ſublatâ, rurſus Eccleſia privatis earundem factionũ ſtudiis in maximum eſt dignitatis diſcrimen adducta.* Ut his igitur malis mederetur, Henricus Imperator cõceſſit in Italiam, ut deinde Sigonius narrat. Atq; ita appareat tibi improbitas Genebrardi, illius impudentis Papæ paraſiti: qui, abſq; omni Dei & hominum reverentia, conviciatur, ementitur, & hiſtorias adulterat, ut *Cæſarum* nomini obtrectet, perſtringátq; *ſcriptores Centuriarum*. Ait enim ille, *Cæſares*, [d] *tanquam porcos feros, vineam Domini depaſtos eſſe*: hiſtoriæ tradunt eos ipſam à porcis feris liberaſſe. Hiſtoriæ, monſtra Pontificum a Romanis ipſis fuiſſe deſignata: [e] ille, *à Cæſaribus intruſa*. Hiſtoriæ, Cæſares illos, qui iſtas belluas fugabant, pios fuiſſe legitimóſq; Principes: [f] ille, *Tyrannos*; nec hos modò, ſed multos [g] alios religioſos Imperatores, qui ſe in Pontificiam electionem interponebant. Deniq;, hiſtoriæ aſſerunt, Cæſaribus poteſtatem iſtam datam fuiſſe à Pontificibus & Conciliis: ille, [h] *rapuiſſe ſibi jure Herodis*. Qui tamen ipſe nihilominus etiam in his iiſdem Chronicis memorat, [i] *Adrianum Pontificem cum Concilio*, [k] *Leonem cum Concilio*, [l] *Clementem cum Concilio*, hanc largitos eſſe potentiam, *Carolo*, *Othoni*, & *Henrico*, Cæſaribus. Memini aliquando legiſſe me de invido quodam homulo, qui alterum ſibi oculum effoſſum non invitus ferebat, modò alium utriſq; orbum cõſpiceret. Genebrardi verò votum eſt improbius. Nam utriſq; ſuis luminibus amiſſis depaciſci libenter cupit, ut *Centuriarum ſcriptores* priventur uno. Ut * agnoſcant ſe Germanis Imperatoribus laudes injuſtè detuliſſe, largitur nobis, tùm *Pontifices unà cum Conciliis erraſſe*, tùm *ſucceſſionem Pontificiam longo intervallo fuiſſe interruptam*. Quodſi tu illi, Harte, aſsentiris, libenter audio. Sed vereor ut probetur ſociis tuis quod affirmas, ſi quod affirmat ille, probatur tibi.

Hartus. Nemo dicit *Pontificiam ſucceſſionem interruptam fuiſſe*, aut *Papas & Concilia poſſe errare*. Nam ut Genebrardus colligit, Leo octavus, & Clemens ſecundus Pontifices non fuerunt.

Rainoldus. At Adrianus primus fuit, ut colligit Genebrardus, & quidem ex integerrimis Papis unus. Ille tamen nihil minus dederat Carolo Imperatori, quàm Othoni Leo, quàm Clemens Henrico. Quòd ſi verum ſit eos Pontifices non fuiſse, qui tamen Romani Cleri multorúmq; Epiſcoporũ ſuffragiis eligebantur: hinc *Pontificia ſucceſſio*, qui unicus planè oculus reſtat Cyclopi veſtro, penitùs hujus * *Neminis* arte delebitur. Et quid tandem ſcriptis noſtratium, [m] Sanderi, [n] Briſtoi, [o] Riſhtoni, aliorúmq; futurum eſt, quæ *Pontificum ſucceſſionem*, tanquã præcipuum Eccleſiæ veſtræ vallum prædicant, certiſſimam notam, quæ nunquã

[c] Hiſt. de reg. Italiæ lib. 8.

[d] Genebrard. Chron. lib. 4. ſecul. 9.

[e] Seculo. 10. & 11.

[f] Seculo. 11.

[g] Seculo. 16.

[h] Seculo. 11.

[i] L. 3. ſecul. 8.

[k] L. 4. ſecul. 10

[l] Seculo. 11.

* Hanc labem Centuriatores agnoſcant, à Germanis Imperatoribus exortam, quos laudant tantopere.

* Οὔτις. Homer. odyſſ. l. 9.

[m] Viſib. Monar. lib. 7.

[n] Motiv. 22. & Poſtulat. 43.

[o] Riſhtoni Tabulæ.

est defectura? Et quid [p] *Nemo* ipse ad tertium Chronicorum suorum librum responsurus est: ubi scripsit, *Petri successionem ad seculorum extremum esse duraturam*? An hoc verum videbatur tertium suum limanti librum: & falsum demum commentanti quartum?

[p] Genebrard. Chronog. l. 3. in princip.

HART. Genebrardus (quem tu esse aliquem senties ante hoc confectum negotium, etiamsi illum *Nemine* tuo cavilleris) ex altero loco se in altero explicat. Quando enim scripserat, *Petri successionem ad seculorum extremum duraturam*: liquidum est, non eâ fuisse ipsum sententiâ, ut unquam prorsus, omniq; modo interruptam esse cogitaret. Quare, quod adjicit de quinquaginta Pontificibus, [q] *turbatam tum fuisse legitimam successionem*: sensit fractam fuisse quodam modo, quasi; aut (quod res est) contusam potiùs, quàm fractam; non interruptam, sed disturbatam. Nam neq; Genebrardus quicquam dicit, neque quisquam præterea scriptor Catholicus, quin Pontificum successio duraverit, & ad finem usq; sit duratura.

[q] Lib. 4. secul. 11. *Turbata hîc fuit legitima successio*:

RAINOLDVS. Ego igitur ejus de successione, & tuam de Pontificibus sententiam perperam sum assequutus. Mihi enim videbaris negasse *eos Pontifices fuisse, qui fures erant & latrones*. Jam sentio, non te *absolutè* & *simpliciter* putare illos Pontifices non fuisse: sed non fuisse Pontifices *quodam modo*: fractos quasi Pontifices fuisse, non integros; aut fortassis (quod res est) infirmos potiùs, quàm fractos. Illa tamen valet contra ipsos ratio, quâ eos non esse Pontifices probasti. Verum enim est, quod aiebas, ipsos non legitimè successisse. Quare, aut ad vestrâ successionem legitima succedendi ratio non desideratur; aut illi infirmi Pontifices omnino Pontifices non fuerunt. Simoni quidem successerunt, sed [r] Simoni Mago, non Simoni Petro. Quanquam, in Simonis Petri nihilominus successorum numero à vobis putandi sunt, vestræ successionis gratiâ. Aliàs Ecclesiam vestram longè speciosissimo ornamento suo spoliatis, quo capti imperiti eam miserè deperierunt. Porrò, nihil planè in litis periculo id causæ vestræ commodârit. Nam ab illo tempore, quo Papa subegit Imperatores, & amandavit ab electione sua, primùm ipsos, tum populum, deinde Clerum; atq; ad paucos Cardinales rem [s] revocavit: exstiterunt Pontifices non minùs prodigiosi, quàm priores illi (* Johannem semper excipio;) nec minori vitio, quàm ipsi, sunt ingressi.

[r] Act. 8, 18.

[s] Annô. 1180. Concil. Lateran. sub. Alexandro ter. c. 1.
* Iohan. duodecimus hic est, de quo suprà in sect. prima hujus capitis.

HARTVS. Multi in Ecclesia tumultus & schismata sævierunt, præcipuè Cæsarum invasione, antequam res ad perfectionem illam & maturitatem, quam jam nacta est, esset perducta. Sed habere se meliùs omnia, ab illis turbarum temporibus inceperunt. Nam Leonis noni, Pontificúmq; qui illum subsequuti sunt virtute, illa iniqua occupatio ab Henrico quarto Imperatore, etsi multarum hoc molestiarum negotium, erepta fuit. Atq; ita sedes Romana Apostolica restituta fuit ad splendorem pristinum & pulchritudinem, cujus documentum & periculum ætas nostra, in multis bonis Pontificibus perspexit, legitimè sine dubio, electis; Pio quarto scilicet, Pio quinto, & illo qui nunc regnat, Gregorio decimo tertio, indulgentissimo filiorum Ecclesiæ parente.

RAINOLDVS. Utrùm Pontifices isti, aliive, boni exstiterint; an etiam ipsorum legitima fuerit electio: non id nunc quærimus. Forsan tu eos studio quodam ipsorum commendas; fortassis etiam exstiterunt boni, ut Pontifices. *Nostris enim temporibus laudantur ob bonitatem Pontifices, quum non nequitiam aliorum hominum vicerint*; quemadmodum [t] bonus Historicus, qui illos optimè nôrat & amârat, in (1) Clemente septimo observat. (2) Marcellus secundus egit animam die vicesimo secundo pontificatûs sui: *non sine suspicione veneni*, (inquit Genebrardus

[t] Guicciard. hist. Ital. l. 16. (1) Qui papatum obtinuit anno 1533. (2) Creatus Papa est, Maria regnante. 1555.

dus tuus)* *quòd nimiùm rectus quibusdam futurus videretur.* Pius verò quartus, Pius quintus,& Gregorius decimus tertius,diutius in Petri cathedra sederunt. Si boni fuerint; at non nimiùm tamen,opinor,boni. De electionibus illorum,recentiora adhuc tempora sunt,quàm ut fidei historiarum credamus. Ceterùm,si more majorum suorum sint electi,juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ: profectò ex electionibus [u] Pii tertii,[x] Julii secundi, [y] Leonis decimi, [z] Clementis septimi, atq; ex Cardinalis [a] Wollei literis in Clementis locum succedere ambientis,facilè de legitima ipsorum electione faciant sapientes conjecturam. *Ais multos tumultus & schismata sæviisse,præcipuè Cæsarum invasione,priùs quàm ipsis de manibus extorqueri poterat Paparum electio,& Cardinalibus committi: sed ab illis temporibus habere se meliùs incepisse.* Meliùs se habuerunt scilicet,* ut apud nos acida cervisia solet in æstate. Nam [b] ex *triginta schismatis*, quæ pervaserant Romanam Ecclesiam, (quo quidem numero nulla præterea Ecclesia glorietur,)pessimum omnium& diuturnius post illa tempora accidit; * schisma vicesimum nonum dico: quod quinquaginta annos,primò duobus,deinde tribus simul Papis dominantibus perduravit. Porrò,nisi Sigismundus Imperator auxilio venisset Ecclesiæ, [c] quo autore Concilium Constantiense coactum est,illiq; tres Papæ abdicati: ante hunc profectò diem Ecclesia vestra non paucioribus Papis poterat aucta fuisse, quàm est purpurata bestia(in [d] Apocalypsi)capitibus amplificata. Sed ut de Cæsaribus taceamus,probemúsq; id quod in quæstionem venit; ab illo scilicet tempore, quo solis Cardinalibus delata est Paparum electio,nō minùs prodigiosos quàm olim, Papas exstitisse,nec minùs vitiosè ingressos esse: sic abundamus exemplis, ut difficile sit in tanto numero delectum facere,aut unde potissimùm sit ordiendum dispicere. Primus verò is esto,qui (1)partem Canonici juris,&(2)magnificam illam de Papæ suprematu Decretalem contexuit, Bonifacius ille octavus. Qui Papatûs cupidine inflammatus,[e] illexit Cælestinum, simplicem hominem, ut illi loco cederet: sive [f] quòd ei persuaserit, tanto oneri sustinendo ipsum non sufficere; sive [g] potiùs quòd subornârit quosdam,qui noctu vocem quasi cœlitus dimissam funderent,*ut Pontificatum dimitteret,si salvus fieri vellet*; sive quòd utrisq; istis machinis insidiatus fuerit: sed illexit quidem certè,ut illi Pontificatu cederet; & is, non [h] exspectans se vocari à Deo,ut fuit Aaron,omnibus iniquis modis, [i] quos ambitio moliri potuit,Papalem dominatum sibi acquisivit. Neque verò se in gerendo Papatu, quàm in pariendo sanctiorem præbuit. Nam quum homo esset intolerandâ superbiâ,eáq; quæ fando dici non potest,siti inhiaret auro, [k] Dominum se spiritualium temporaliúmq; per universum mundum venditabat. [l] Ille adimere,& conferre regna,pro arbitrio animi ausus est: pellere homines,ac reducere: & Imperatoribus,Regibus, Principibus, Populis, & Nationibus,terrorem potiùs quàm religionē injicere conabatur. [m] Primus Jubilæum vestrum (3) instituit, (4) plenā delictorum remissionem illis præstans,qui limina Apostolorum visitassent, & urbem peregrinando accessissent([n] quod ipsi,& suis,in magnum quæstum cessit:) [o] in Jubilæo verò solenniter se ostentavit, primo die in pontificalibus apparens populo,ut Papa; postero autem die imperiali habitu, ut Cæsar: & gladium ante se nudatum jubens deferri,altâ voce sedens testabatur; *Ecce duo gladii hic.* [p] Superiorem Pontificem Cælestinum inclusit in custodiam,& animi dolore confectum seniculum ante diem emori coegit. [q] Italiam bellis vexavit,& factiones aluit. [r] Ai-

* Genebrard. Chronog. l. 4.

[u] Guicciard. hist Ital. lib. 6.

[x] Lib. 6. &, 10,

[y] Lib. 11.

[z] Lib. 15.

[a] In Foxi Ecclesiastica historia Anglicè conscripta.

* Proverbium Anglicanum, quo res in pejus ruētes exprimimus

[b] Onuphr. in Chron. Rom. Pontif.

*Schisma omnium pessimū & diuturnius in Ecclesia Romana xxix, quod quinquaginta annos perduravit.

[c] Antonin. histor. part. 3. tit. 22. c. 6. Paulus Æmilius de rebus gest. Francor. l. 10.

[d] Apoc. 17. 3.

(1) Sextus Decretalium.

(2) In commū. extravag. c. unam sanctam tit. de majorit. & obedient.

[e] Platin. Cælest. quinto.

[f] Blondus decad. 2. lib. 9.

[g] Platin. in Bonif. 8. Geneb. Chron. lib. 4.

[h] Antonin. hist. part. 3. tit. 20. c. 8.

[i] Plat in Bonif. 8.

[k] Martin. Polon. in supput. pont. in append.

[l] Gaguin. hist. Franc. l. 7. Plat in Bonif. 8.

[m] Tritem. in Chron. monast. Hirs. (3) Ann. 1300. (4) c. Antiquorum extra, de pœnitent & remissionib. [n] Anton. hist. part. 3. tit. 20. c. 8. [o] Krantz. Saxon. l. 8. cap. 36. [p] Platin. in Cælest. quint. [q] Blond. Decad. 2. lib. 9. Platin. in Bonif. 8. [r] Th. Walsing. hist. Angl. in Edward. primo.

ebat tùm terram, tùm perſonas Scotorum * *ſuæ capellæ pertinuiſſe*; ut ſub hoc prætextu perturbaret Angliam, & Regem Edovardum ad tribunal ſuum ſiſteret. [f] Albertum Imperatorem electum à Germanis principibus rejecit; quòd ſine ſua autoritate elegiſſent, qui ipſe utriuſq; penes ſe unum gladii poteſtatem manere affirmabat. [t] Francorum Regem regno ſuo iratior privabat: [u] & Angliæ Regem incitabat, ut illi bellum inferret; [x] Albertum verò Imperatorem eſſe juſſit, modò Frāciam invaderet, & legitimum Regem ejiceret. Cujuſmodi multa alia Papalia negotia expediviſſet, [y] niſi Rex Francorum, ut contereret hominis inſolentiam, captum eum in cuſtodiam tradidiſſet; unde non multis pòſt diebus ægritudine mentis oppreſſus periit. Hic eſt Bonifacius ille, de quo [z] pervagatus ille ſermo; *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis.* Alius illi ſimillimus; ſed alio in genere ſimillimus, ſedebat, [a] Johannes viceſimus tertius. [b] Qui, jam Cardinalis, ampliſſimæ pecuniæ factus eſt dominus; porrò verò Cardinales tenuiores & in difficultate nummaria eſſe animadvertens, eos ſatis opimis præmiis prolectavit. Eū igitur illi, quum tam liberalem prolixúmq; eſſe perſpicerent, in Petri cathedra collocârunt. Verùm iſta liberalitas è virtutibus ejus fuit præcipua. [c] Erat enim bello & armis, quàm religioni aptior: rebus prophanis magis, quàm divino cultui accommodatus; utpote qui nullam neq; fidem norât, neq; religionem: [d] pauperum oppreſſor, juſtitiæ perſequutor, iniquorum columna, Simoniacorum ſtatua, vitiorum fæx, totus ſomno ac aliis carnalibus deditus deſideriis, vitæ & moribus Chriſti totus contrarius, infamiæ ſpeculum, & inventor, profundus adinventor omnium malitiarum: deniq; adeò perditè nequam, ut inter eos qui mores ejus cognôrunt, vulgariter dictus ſit *Diabolus incarnatus*. Iſti tamen ſanctiſſimi Domini, Bonifacius & Johannes, nihil planè ſunt ad Alexandrum ſextum. Nam etiamſi triplicem coronam ambitiosè occuparent; fuerunt tamen in ambiendi artificio magis tecti. Alexander autem iſte [e] complurium Cardinalium ſuffragia (1) palàm coêmit, partim (2) pecuniâ, partim (3) officiis ſuis & ſacerdotiis repromiſſis: ſed imprimis conduxit Cardinalem Aſcanium, qui ſibi ſuffragii ſui precium depactus eſt munus in Romanâ Curiâ præcipuum, & Eccleſias, & caſtella, & palatium precioſiſſima ſupellectile refertum. Quibus auſpiciis progreſſus eſt; evaſitq; (qualis opinione hominum futurus videbatur,) pernicioſiſſimus Italiæ, totiq; reipub. Chriſtianæ. Quanquam enim in eo ſolertia fuit ſagacitáſq; ſingularis, judicium excellēs, & eloquentia, & ad res graves pertractandas diligentia cum expedita quadam celeritate conjuncta: tamen virtutes iſtas longo intervallo vitia obſceniſſimíq; mores ſuperabant. Non ſinceritas in homine, non modeſtia, non veritas, non fides, non religio; inſatiabilis autem avaritia, ambitio immoderata, crudelitas pluſquā barbara, & ardentiſſima cupiditas evehendi quocunq; demum modò (4) filios, qui multi erant, & ex ipſis (5) unus (ut ad prava conſilia exſequenda nō deeſſent prava inſtrumenta,) omni deteſtando ſcelere, patri nulla ex parte inferior. Tantus ſerpens cathedram Divi Petri decennium occupavit, donec ſuum ipſum virus perimeret. [f] Quum enim ille, puérq; ejus & heres, Dux Valentinus, deliberatum haberent (6) Cardinalem quendam veneno tollere, quicum erant cœnaturi (quod illis familiare fuit non adverſus inimicos modò, ſed (7) amicos etiam, vel conjunctiſſimos quidem qui ditiores erant, ut ſeipſos illorum ſpoliis locupletarent:) Dux igitur eò plenas vino lagenas quaſdam admiſto veneno miſerat, cujus flagitii con-

* Hoc eſt, Romanæ Eccleſiæ ditioni ſubjici, quemadmodum à Papa pòſt expoſitum eſt.
[f] Alber. Krant. Saxon, l, 8. c. 36.
[t] Gaguin. hiſt. Franc. lib. 7.
[u] Walſing. in Edovard. 1.
[x] Krant. Saxō. l. 8. c. 36. & 37. Metrop. lib. 8. cap. 48.
[y] Tritem. in Chron. monaſt. Hirſaug. Platin. in Bonif. 8.
[z] Walſing. in Edovard. 1. Marius de ſchiſm. & Cōcil. part. 2. c. 18 Genebrard. Chronog. l. 4.
[a] Quem Platina numerat vigeſimū quartū, Onuphrius vigeſimum ſecundum.
[b] Platin. in Iohanne vigeſimo quart.
[c] Onuph. in Plat. append.
[d] Concil Cōſtātienſe ſeſſ. 11. art. 6. &c. & ſeſſ. 12.
[e] Guicciard. hiſt. Ital. l. 1.
(1) *Paleſamente*
(2) *Co' danari.*
(3) *Con promeſſe de gli ufficii & beneficii ſuoi che erano ampliſſimi.*
(4) Hoc eſt, nothos ſuos. Onuph. in Alexand. ſext. Volater. Anthropolog. l. 22.
(5) Dux Valētinus Cæſar Borgia qui priùs Cardinalis erat Valentinus, & fratrem natu majorem ducem Candiæ interfecit, ut locum ejus occuparet. Guicciar. lib. 3. Onuph. in Alex. 6. [f] Guicciard. hiſt. Ital. lib. 6. (6) Cardinalem Cornetanum. (7) Alios cùm Aulicos, tùm Cardinales, ut Cardinalem Capuanum, Cardinalem S. Angeli, Cardinalem Modan.

scium non fecerat servulum illum, cui portandas eas mandârat, jusserat tantùm ne cuiquam eas traderet. Pontifex ad Cardinales, ut accidit, ante cœnam ingressus, maximis caloribus, ipsum premente siti, vinum poposcit. Quoniam autem cœnæ ejus apparatus nondum ex Vaticano aderat, Ducis servulus de lagenis eis Pontifici diffudit, credens vinum illud, tanquam præstantius, Dominum suum voluisse sibi reservari. Pontifice igitur bibente, supervenit filius: & ex eodem, patris illud fuisse autumans, combibit. Ita Pontifex è vestigio pene exanimis domum in regiam suam defertur: & postero die elatus est demortuus, more Pontificio, in D. Petri ædem, ater, inflatus, teter: apertissima veneni indicia. Ab universa Roma ad defuncti cadaver mirabili cum lætitia concurritur: non cujusquam oculi satis diuturnis in illo confecto serpente fixis obtutibus expleri poterant, qui virus importunæ ambitionis suæ, & pestilentis perfidiæ, omniúmq; horribilis crudelitatis exemplorum; monstrosæ libidinis, & inauditæ in profanis sacrísq; rebus promiscuè nundinandis avaritiæ, in universum terrarum orbem evomuerat.

HARTVS. Non tam valde istas historias calleo: & quàm veræ sint dubitari potest: sunt enim plerumq; homines ad sentiendum & loquendum malè proclives: præsertim de iis, qui in amplissimo loco sunt constituti. Quanquam ut veræ sint: quid ad nos illud? Errare possunt moribus Papæ, fatemur, sed non doctrinâ. Neq; continuò, si vita cujusquam inhonesta sit, ejus religio etiam est impura: Judas Apostolus, Nicolaus Diaconus; [g] alter Christum prodidit, [h] alter Nicolaitas procreavit: uterq; vita vitiosus; nequaquam verò fides Christiana, quam profitebantur, est vitiosa. Non desunt autem, qui de vestris quoq; Doctoribus & Pastoribus flagitiosa narrent: [i] Calvinū exsecrādo peccato se fœdasse; [k] Bucerum jam efflaturum animam, Christum abnegasse. Quæ non minùs odiosa sunt, quàm quæ tu de hoc vel illo Papa commemoras. Sed si hæc urgerem ego, ea tu rejicere sanè velles, ut alieniora.

[g] Mat. 26. 47.
[h] Apoc. 2. 15.
[i] Bolsecus in vit. Calvin.
[k] Lindanus Dubitant. dialog. 2.

RAIN. Nullo certè modo Dei veritas hominum moribus innititur. Multi Judæi, vitæ integritate multis Paganis inferiores: multi Christiani, multis Judæis. Neq; in eū finem ego Papas proferebā. Quanquam, ubi tu veritatem historiarum, quas attigi, in quæstionem voces, comparésq; ipsas rumoribus quorundam hominum de Bucero, & Calvino scriptis: sapientis est examinare (quod judices in testibus explorandis faciunt) quis, quid, & de quo scribat. [l] *Lege cautum est, ne cujusquam adversarius contra ipsum testimoniū dicat.* Adversarius nullus illo capitalior, qui causâ religionis odit; ut [m] Samaritani Judæos. Isto capitali odio feruntur in Bucerum Calvinúmq;, Lindanus & Bolsecus, horum improbissimorum rumorum autores. Majori etiam odio in Calvinum Bolsecus fervet: quòd [n] quū conaretur ille Genevam hæreticis dogmatis miscere, Calvinus ei se coràm opponeret; [o] ministri Genevenses verbo illum & scripto redarguerent; [p] magistratus ejicerent hominē ex civitate. [q] Quū etiam postea de simillimis turbis quas dederat, Bernensi ditione bis expulsus esset, & contrà quàm sperârat afflictæ essent res Protestantium: ab illis rursus transfugit ad Papistas, & ad Papismū, tanquā canis ad vomitū revertebatur. Quare in Calvinū & Bucerū iniquissimi sunt, qui fidē ullā tā atrocibus adversus ipsos criminibus adhibent, nullo firmiori argumento, quàm Lindani & Bolseci testimonio inducti: præsertim quū cognitio multorum, [r] qui morienti Bucero aderant, & hominū extra numerū, qui aut vixerūt cū Calvino, aut ejus pia scripta legunt, in quibus perpetuus vivit, utrosq; omnium æquorum judicum arbitriis, ab intestinâ malitiâ unius adversarii Jure possit liberare. Verùm quæ à me de Papis vestris commemorata sunt, ea non adversarii, sed amici; non unus, sed multi contestantur:

[l] L. Testium fides Dig. lib. si quis testibus. Cod. tit. de testibus. 3. q. 5. c. Accusatores & Testes.
[m] Luc. 9. 53.
[n] Anno. 1551. ut ex actis apud Calvinum & Bezam apparet. Bolsecus contigisse anno ait 1552 ex lapsu fortassis memoriæ, aut Typographi errato præfat. in vit. Calvin.
[o] Epist. ad minist. Helvet.
[p] Calvin. in epist. ad minist. Basil.
[q] Theod. Beza in vit. Calvin.
[r] Epist. Nic. Carr. ad Checum de obitu Buceri.

qui videntur maximè veritatem cognoscere potuisse, nec voluisse quidem quicquam deterius, quàm pro eo ac cognoscerent referre. Omnes enim sibi constant historiæ, Bonifacium octavum ejusmodi * *triformem belluā* fuisse, qualem ego narravi. Constantiense Concilium examinavit, & comperit, Johannem vicesimum tertium fuisse sentinam scelerum, *Diabolum incarnatum*, ut appellârunt. De Alexandro sexto ne verbum quidem dixi, quod non scripserit Guicciardinus, generosa stirpe profectus, qui æqualis temporum illorum, de re tota historiam pertexuit: homo natione Italus,[s] religione Papista,[t] dignitate præfectus Papæ militaris, fidelissimus majestati Papali dux,[u] acerbus Lutheranorum inimicus. Et verò Guicciardini de hoc Pontifice verba, duo præterea Itali suo testimonio cōfirmant;[x] Jovius,[y] Onuphriúsque. Qui, etsi in quorundam Pontificū vitis fucent historias suas, amore & religioso quodam affectu pellecti; tamen assentiuntur Guicciardino de Alexandro sexto: nisi quòd Guicciardinus dicat, eum statuisse unum Cardinalem in ultima cœna sua veneno tollere; isti affirment plurium interitum molitum esse. Porrò isti amici ipsis devoti erant, de quibus scripserunt: non Lindani erant, aut Bolseci. Non aculeis malitiæ compuncti, meditati sunt quid potissimùm adversus ipsos possent scribere: sed [z] historiæ legi addicti veritatem retulerunt. Non de illis finxerunt quicquam, ut seipsos ulciscerentur. Bolsecum tetigerat (1) Calvinus: non sic autem illos Papę. Non illi rogati & sollicitati sunt à Protestātibus, ut libros suos contra Papas emitterent: quemadmodum rogatus est Bolsecus à Papistis (2 *Dominis amicisq; suis,*) ut sua contra Calvinum ederet. Si mihi animus fuisset Papas vestros tantopere odiosis criminibus perstringere; licebat mihi proferre adolescentulum quendam,[a] Episcopum à Papa inauguratum: etiam alium, quem [b] Papa primum suum creavit Cardinalem: etiam [c] Lucretiam, Papæ filiam (*hic Tarquinium magis, quàm illa Lucretiam referebat:*) [d] etiam Aloisium, Papæ filiū, dignum patre: unà cum [e] aliis magis nobilitatis flagitiis; quæ omnia majoris fidei testes, quàm Bolseci, affirmant. Sed neq; aperui omnia, quæ licebat; (multa patrârunt, quæ modestum adversarium puderet edicere:) neq; ullius rei mentionem feci, quam non ipsi, aut soletis, aut debetis necessariò confiteri. Quare, quum de perfidis impiisq; Papis sermonem haberem, ne verbum quidem dixi, vel de [f] Joanna scorto; vel de [g] Hildebrādo proditore: factâ enim exceptione occurritis, de [h] Hildebrando, eos qui de ipso multa mala narrârunt, in gratiam inimici ejus scripsisse: de [i] Joanna verò, eam Johannis duodecimi scortum fuisse, atq; ita Johannem & Joannam non duos Papas fuisse, sed unum. Quòd autem ais omnes historias, ut veræ fuerint, esse tamen à proposito alienas, quoniam doctrinam, non mores Paparum defenditis: ista responsio aliàs certè apta est, & opportuna; sed hoc loco non satis adest tempestivè. Hoc enim de Papis quæstionis caput erat; *utrùm ulli Paparum fures & latrones exstitissent*. Exstitisse planè *quinquaginta* fere illorum concessisti; *monstra* etiam, non *fures* modò: sed istud vitio vertisti Cæsaribus, qui eos intrudebāt. Respōdi, postquam jam penes Cardinales esset electio, nō minora monstra exstitisse, quā priùs, nec minori vitio ad Papatū aspirasse. Quod ut docerē, adduxi Bonifaciū octavū, Johānē vicesimum tertium, & Alexandrum sextum: qui tum Papæ creabantur, quum Cardinalium electio integerrima esse videbatur; primus circiter mille & trecentos, mille & quadringentos proximus,

* *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.*
[s] Guicciard. Hist. Ital. lib. 1
[t] Lib. 14. & 17.
[u] Lib. 13.
[x] Histor. sui temp. l. 1. & 8. de vit. Leon. decim. lib. 1. & vit. Pomp. Columa.
[y] In vit. Alexandri sexti. append. Platin.
[z] *Ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat.* Cic. de Orat. lib. 1.
(1) In literis suis ad minist. Basilien. 1552 quæ excusæ sunt 1575. Bolsecus autem præfationem suam scripsit. 1577. & librū excudit 1580.
(2) *A perquam multis, dominis amicisq; meis rogatus & sollicitatus.* Bolsec. in Epistol. dedicator. ad Archiepiscopum Lugdunensem.
[a] Productus est à Paulo tertio ex arcanis cubiculi sordibus. Alciat. in epist. ad Iovium.
[b] Iulius tertius Innocentiū quem Sleidanus lib. 21.
[c] *Lucretia nomine, sed re Thais. Alexandri filia, sponsa, nurus.* Sannazar. in Epigr.
[d] Filius Pauli tertii, qui Cosn um Cherium per vim. Sleid. lib. 19. [e] *Honoranda divûm Ganymedibus ædes.* Baptist. Mant. de calamit. temp. lib. 3. [f] Appellatur *Johannes* 8. Platina. [g] Appellatur *Gregorius* 7. Benno Cardinal. de vita Hildebrand. [h] Onuph. Annot. in Plat. Greg. 7. Hardingus, in Præf. Detect. [i] Onuphr. annot. in Plat. Ioan. octav. ex Luitprand. Ticin. lib. 6. cap. 6. & 7.

ultimus

ultimus mille & quingentos post Christum annos. Istos autem monstra fuisse, ipsorum vitæ universæ loquuntur: vitio creatos esse, ingressus. Quos etiam non minùs monstrosos comparuisse, nec minùs vitiosè invectos esse, quàm *quinquaginta illos Papas*; non est animus evincere, nisi eò adegeris me: comparationes enim sunt odiosæ. Atq; hîc adjiciendum mihi esse censeo, ne in Cæsares propensior insimuler, me, etiamsi eos ab illorum Paparum invectione purgem, non tamen ab omni in eo culpâ eximere. Nam in illis culpæ aliquid residebat, quòd non obstarent, quò minùs ejusmodi pestes Sedē possiderent: quod rectè à [k] vestro Historico est observatum, qui asserit *tantam licentiam peccandi portenta illa peperisse, nullo Principe flagitia hominum tum coercente*. Cujus criminis etiam posteriores Cæsares (quod reverenter, ut de Principibus, nō de Tyrānis loquor) & fuerunt, & etiamnū sunt rei. Sed ut concludam id de quo quæritur; si *fur* & *latro* est, qui nō legitimè in ovile ingreditur: multi igitur ex Papis vestris fures fuerunt & latrones. Nec tamen quicquam compendii arripio ex eo quod de *quinquaginta Papis* fassus es. Hinc enim, non illi modò, sed & omnes reliqui *fures* evaserint.

HARTUS. Quin, tu Divos quoq; ipsos, Martyres, Confessores, Doctorésq; fuisse *fures* dicas. Nam omnes [l] prisci Papæ, extra unum, in Divorum numerum relati erant, à Petro ad Honorium, per sexcentos & ampliùs post Christum annos.

RAINOLDUS. Erántne? Quid ergo tanti illos criminis reos agitis? Ubi gentium peregrinabatur Genebrardi ingenium, quum de *quinquaginta Pontificibus* scriberet? Si enim ingressi fuerint, * *non per ostium, sed per posticum, quoniam electi Papatum non capessserent; nisi Cæsare jubente*: quo demum modo Divi illi, [m] & nominatim Gregorius, excusari poterunt, qui eâdem viâ ingressi sunt? quòd si isti *fures* putentur; quum Cæsaris consensu exspectato ingressi sint: quales majores ipsorum perhibendi sunt, [n] qui populi suffragiis invehebantur? Nam Fridericus Imperator non sine ratione [o] dixit, se * tanquam Regem, primum in electione suæ urbis Episcopi esse debuisse. Quare, si comitiis populi creatus est Pontifex: cur non arbitrio Germani Cæsaris? [p] Qui tum etiam Rex Romanus erat, etsi nunc ad Papam rerum summa redierit. Si porrò *fures* isti quoq; habentur, quoniam populi, ac non solius Cleri suffragiis electi sint: quinam censendi sunt per hos quadringentos annos Pontifices, [q] quos neq; Cæsar, neq; populus, neq; Clerus, sed pauculi tantùm Cardinales elegerunt? Non tu vides in quod periculum omnes à vobis Pontifices adducti sint, ut furti postulandi sint? Verùm, ut dixi, non statuo causæ meæ hoc compendium arripere. Contentus istis sum: primùm, multos eorum Papatum muneribus & corruptelis emisse, quod ex historiis ipsorum demonstravi; deinde, omnes ejusmodi emptores esse (lege suâ) non [r] *Apostolicos*, sed *Apostaticos*, hoc est, transfugas à fide Christi; non successores Apostolorum. Hinc enim consequitur multos, non modò *Antipapas*, sed *Papas, electósq*, illos, non *intrusos, fures* & *latrones* fuisse, vobis finitoribus. Quare, non sunt omnes Papæ *pastores*, aut *mercenarii*. Unde *demonstratio* illa, per quam probaturum te receperas ex *Scripturis, Papas doctrinâ errare non posse*, convellitur.

HAR. Verùm, ut [s] Stapletonus *furem* ex Cypriani verbis definit, nemo Papam fur esse potuit. Nam ille *fur est, qui nemini succedens, à seipso ordinatus est*. Cōstat autē Pōtifices, omnes, cùm successisse aliis, tum ab aliis fuisse ordinatos. Ceterùm, etsi quidā illorū eo sensu, quo Genebrardus accipit, *fures* fuerint & *latrones*, tamen doctrinâ errare non poterant. Ea successionis vis est.

RAINOLDUS. Quid? Eáne, non dico *successionis*, sed legitimæ successionis vis est,

[k] Platina de vitis Pontif. in Bened. quart.

[l] Vt loquitur Bristous in catalogo Paparum, in suis Postulatis.

* Genebrard. chrono. lib. 4. seculo. 10.

[m] Io. Diacon. in vit. Greg. l. 1 c. 40. Plat. in Greg. Sigon. de regno Ital. lib. 1.

[n] Eüseb. hist. Eccle. l. 6. c. 21 Cypr. epi. 52.

[o] Otho Frising. de rebus gest. Frideric. Imp. l. 1. c. 1.

* *Qui tanquā Rex & patricius, primus in electione suæ urbis Episcopi, esse deberet.*

[p] Sigon. de regno Ital. l. 4. & 7.

[q] Genebrar. Chronog. l. 4. Platin. & Onup. de vitis Pontificum.

[r] Dist. 79. cap. Si quis pecunia. *Non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur*; quod decretū à Nicolao Papa secundo sancitum est, in Concilio quondā Romano.

[s] Princ. Doct. lib. 5. cap. 9.

est, ut, qui ipsâ fruuntur, nequeant in doctrinæ præceptis à veritatis tramite declinare? Nónne germani Episcopi & pastores heresim possunt tradere, ut olim (1) Arius, (2) Nestorius, (3) Samosatenúsq; tradiderunt?

(1) Alexandrinus. Theodor. lib. 1. cap. 2. (2) Constantinopolitanus. Socr. l. 7. c. 29. & 32. (3) Antiochenus. Euseb. l. 7. cap. 22.

HARTUS. Possunt verò. Sed tum *in lupos* transferuntur, uti audivisti ex Stapletono. Non *fures* sunt & *latrones*.

RAINOLDUS. Non igitur *successione* suâ Papæ muniuntur, quò minùs *lupi* evadant. Quod perinde ad institutum meum valet, ac si diceres, *fures* & *latrones*. Et re quidem ipsâ, nisi Stapletonus confudisset locum illum Johannis, quò maturiùs successioni ejus inserviret: cõstaret planè, Christo idem fuisse *fures* & *latrones*, quod sunt vobis *lupi*. Nam, quum [t] multa in eum maledicta Pharisæi congessissent, contendissentq; nervos omnes, tùm [u] persuadendo, tùm [x] excommunicando, ut populũ seducerẽt: ille (ut fideles adversus conatus eorũ prudẽtes redderet) [y] & officiũ, & personã suam per parabolam exponit, ubi electos Dei, *ovibus*; se autem, *pastori* comparat. Atq; inde arreptâ occasione, admonet eos de tribus Doctorum generibus, quæ versantur in grege Dei. Primum, *pastor*; secundũ, *mercenarius*; tertium, *fur* & *latro*: [z] *pastor ingreditur per ostium in ovile*, tantæq; illi oves curæ sunt, ut *adventante lupo*, ipsas tueatur, *animámq; suam* pro salute ovium periclitetur. [a] *Mercenarius* verò ingreditur pastoris vestigiis, sed nullâ ovium curâ: ideóq; periculis imminẽtibus *fugit*, & illas dispergendas *relinquit*. [b] *Fur* autem & *latro* neq; per ostium, ut illi, ingreditur: venítq; ut *furetur, mactet, & perdat*. Ista tria Doctorum genera recensuit Christus, eo fortasse consilio, ut obiter Pharisæos tectè perstringeret, sed apertè ut se purgaret, quem illi increpabant ut falsum doctorem, hoc est, (in ista similitudine) ut *furem* & *latronem*. Quam calumniam ut refelleret, se *pastorem* esse ostendit, neq; *pastorem mercenarium*, sed *bonum pastorem*, hoc est, verum piúmq; doctorem. Atq; hinc est quòd geminam inter *pastorem* & *furem* ponat discrepantiam: unam, doctrinæ; alteram, finis. Doctrinâ differunt, [c] quòd *fur non ingrediatur per ostium*, viâ rectâ; *ingrediatur autem per ostium pastor*, id est, Christum prædicet. [d] Nam *Christus ostium est*: & per illum *pastor introducit educitq; oves*, ut eas *pascat* & *servet*. Fine etiam differunt, [e] quòd *fur veniat, ut furetur, mactet, & perdat*, id est, ut oves vitâ spoliet, vitâ spirituali & æternâ; *pastor verò veniat, ut vitam habeant, & abundent*. Ex quibus perspicuum est, Christum idem per *fures* & *latrones* istic denotare, quod alibi per *Pseudoprophetas*: [f] *Cavete verò vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ovium, sed intrinsecùs sunt lupi rapaces*. Nam alioqui, neq; ipsos tam commodè notasset *luporum* conditio, hoc est, *mactare* & *perdere*: neq; fuisset doctrina ejus, & partitio *Doctorum* ad propositum tã matura: neq; esset respõsio ejus adversus Pharisæos opportuna, qui illũ ut alios seducentẽ, nõ se intrudentem criminati sunt; non propter successionem, sed propter doctrinã. Mihi si fidẽ nõ habeas, hũc nativũ esse sacri textûs sensum, habeas tamẽ S. [g] Augustino, dicẽti, *ingredi in ovile per ostiũ, esse, prædicare Christũ: quẽ qui nõ rectè prædicãt, fures sunt & latrones*. Quorũ unũ, exempli causâ, Ariũ nominat: qui tamẽ legitimè successit, ut Stapletonus cõcedit, tametsi illũ *lupũ* putet, nõ *furem* & *latronẽ*, quadã ratione ductus quam nõ vidit S. Augustinus. In qua quidem tã longè ipsum opinio sua abripuit, ut ubi S. [h] Augustinus dixerit, *diligendũ esse pastorẽ, tolerandũ mercenariũ, cavendum latronem*; [i] addiderit is S. Augustino, *& abigendum lupum*. Quasi verò S. Augustinus nõ [*lupum*] per [*furẽ*,] & [*abigere*] per [*cavere*] denotasset: nec Christus etiã, opinor, quũ diceret; [*] *Cavete à lupis*. Quanto satius fuisset Stapletono, sequutum fuisse Augustinum (cum [k] doctissimis vestrorũ interpretum,) quàm ita illum correxisse?

[t] Ioh. 7. 47. & 8. 13. & 9. 16.
[u] Ion. 9. v. 24. & 29.
[x] Ver. 22. & 34
[y] Ioh. 10. v. 14. & 30.
[z] Ver. 2. & 11.
[a] Ver. 12. & 13
[b] Ver. 1. & 10.
[c] Ver. 1. & 2.
[d] Ver. 7. & 9.
[e] Vers. 10.
[f] Mat. 7. 15.
[g] In Evang. Ioh. Tract. 45.
[h] De verbis Domini. serm. 49.
[i] Staplet. lib. 5 cap. 9. princ. doct.
[*] Mat. 7. 15.
[k] Arias Mont. Ioh. Ferus, & Claudius Guilliaudus in Evang. Iohan. cap. 10.

HARTUS. Non tã eũ corrigit ille, quàm ab eo aliquãtulũ discedit: neq; hoc ex suâ, sed ex Cypriani, antiquissimi Patris, sententiâ. Cujus definitionem si probaret potiùs quàm S. Augustini: quid eam non amplecteretur?

RAINOLDUS. Nec injuriâ quidem, si tam esset illa, quàm est S. Augustini vera. Sed quæ tandem illa definitio.

HARTUS. *Fur est, qui ascendit aliunde*: id est, (ut Cyprianus scribit) *qui nemini succedens, à seipso ordinatus est.*

RAINOLDUS. Ista sanè sunt [l] Cypriani verba: sed illa Stapletoni est definitio. Non enim hæc Cyprianus de *fure* magis, quàm de *lupo* scribit.

HARTUS. Scribit hæc de Novatiano, *qui non ingressus est per ostium in ovile, sed ascendit aliunde.* Hæc igitur de *fure* scribit.

RAIN. De Novatiano hæc scribit, qui *Pseudopropheta fuit, et venerat amictus vestimentis oviũ, sed intrinsecùs rapax fuit.* Hæc igitur de *lupo* scribit. [m] Cyprianus enim Novatianũ hæreticũ, & *furẽ* censet, & *lupũ*. Quod ratã facit meam ejus loci interpretationem, cõtra distinctionem vestram, qui *lupos* à latronibus secernitis. Sed Stapletonus in hoc Cypriani loco tractando tres nobis ludos suggerit: qui si observentur, prodituri sunt nobis artem illam, qua tot Patrum sententiæ libris ejus interseruntur. Primùm enim immutat verba. Nam, ubi in [n] Cypriano legitur, *à seipso ortus est*; Stapletonus legit, *à seipso ordinatus est.*

HARTUS. Ita nonnullæ primitus editiones habuerunt.

RAIN. Habuerunt: sed perperã. Novatianus enim ab aliis est ordinatus, quamvis nõ legitimè: ut [o] Eusebius ostendit, nec Cyprianũ [p] latuit. Unde, mendosa lectio in [q] recentioribus editionibus emendata est ex manuscriptis codicibus: & [r] nota quędã eã redarguens (ne rursum irrepat,) adjũcta est à Pamelio. Cujus editionem quoniã [s] Stapletonus cõmendat ut emendatã, & eam compẽdii sui causâ sequitur: istę certè verbũ immutare, ludus quidã fuit, isq; aliquo cõsilio excogitatus. Proximus verò ludus hũc superat. Quoniã enim Cyprianus de fure dicit, illũ *nemini succedentẽ à seipso ortũ esse*: Stapletonus in eã partem ipsum interpretatur, ac si iis verbis *furem* definivisset. Unde lectorem vellet colligere, eos qui succedunt, legitiméq; sunt ordinati, esse non posse *fures*: quod non cogitabat Cyprianus. Verùm in eo cum Cypriani verbis agit, ut si quis *Doctorem* definiturus, diceret; *Doctor est, qui Scripturas interpretatur; id est, (ut [t] Cyprianus scribit) qui corruptor est Evangelii, & falsus ejus interpres.* Hæc enim Cypriani sunt verba, & de Novatianis Doctoribus dicta. Non autem ad Doctorem definiendum dicebantur. Tunc enim, nõ minùs verè de omnibus Doctoribus affirmari poterunt, quàm de Doctore Stapletono. At qui hoc modo Doctorem definiret, quò ipsum ejusmodi esse probaret, idq; ex Cypriano: talem ei ludum suggereret, qualem is *furi*; in easq; illum, quas ipse texuit, tendiculas indueret.

HARTUS. Quasi verò *furum*, alii boni possint esse, alii mali. *Doctorum* possunt.

RAIN. Minimè. Sed ut *Doctorum*, alii boni sunt, alii mali; & quandoquidẽ utręq; istę qualitates in *Doctores* incidũt, nõ est per earũ alterutram *Doctor* definiendus: ita *furũ*, alii succedũt, alii nõ succedũt; & quãdoquidẽ utræq; istę qualitates in *fures* incidũt, nõ valet harũ altera naturam *furis* explicare, ne utræq; quidẽ satis cumulatè. Quamobrem in *fure* describendo dicere, *illum nemini succedere*, dignus præstigiatore ludus est, qui accidentia in substantiarum formam convertit, & ex qualitate essentiam fingit. Qui ludus Stapletono valdè familiaris est, & simplicioribus stuporem incutit, qui fraudem non sentiunt: quum alii tamen, qui omnes ejus

[l] Epist. 76. ad Magnum; aut ut Stapletonus citat, li. 1. ep. 6.

[m] Ad Novatian. hæreticũ. Quòd lapsis spes veniæ nõ est denegãda.

[n] Epist. 76. ad Magnum.

[o] Hist. Eccles. lib. 6. cap. 42. ubi nomen Novati (per errorẽ) ascribitur Novatiano.

[p] Epist. 41. ad Cornelium.

[q] Romana Manutii, Parisiensi Morelii, Antuerpiana Pamelii.

[r] Annotat. in Ep. Cypri. 76. *Neq; erat commoda prior lectio, [ordinatus est;] nemo enim à se ipso ordinari potest.*

[s] Princ. doctr. lib. 6. cap. 15. *Iuxta emendatam editionem.*

[t] De unitat. Ecclesiæ.

vias perspiciunt, in Sophistarum ludis & præstigiis habeant. Ultimus verò, inscitiæ cujusdam ludus est. Nam quum quatuor Doctorum creasset genera: primum, *pastorum*; *mercenariorum*, secundum; tertium, *furum*; ultimum, *luporum*; & omnes istos concessisset, præter solos *fures*, ad illam functionem legitimâ successione vocari: *mercenarios* rursus in duo genera partitur; & quum probasset utriusq; generis *mercenarios* veritatem docere, concludit inde, *indubitatam fidei & doctrinæ firmitatem adjunctam esse successioni*. Quo quod tandem stultius ineptiúsve esse poterit præstigiarum genus? in conclusione sermonis sui ita fari; illos scilicet, qui legitimâ successione doctores sunt, indubiè veritatem docere, quoniam eam docent *mercenarii*, & *pastores*: quum prævertisset non hos modò legitimè succedere, sed etiam *lupos*, qui errores seminant.

HARTUS. Non hoc ille volebat, successionē solitariam doctrinæ & fidei indubitatā firmitatē comitari, sed successionē cōjunctam cū unitate.[u] Ait enim alibi, *ad hanc Episcoporū & Sacerdotū prærogativā, duplicem conditionem esse necessariam: unā, ut sint legitimè ordinati, ne sint latrones, non intrantes per ostium; alteram, ut jam legitimè ordinati unitatem retineant, ne ex pastoribus fiant lupi.*

[u] Stapl. princ. doct. l. 5. cap. 5

RAINOLDUS. Non est igitur veritas doctrinæ *successioni* ipsi necessariò annexa: non, si legitima quidem illa fuerit, Apostolicáq; successio.

HARTUS. Fateor, nisi sit adjuncta *unitas*.

RAINOLDUS. Magnam igitur vanitatem habent Stapletoni commentationes, majorē verò gloriosula ejus ostentatio: quòd,[x] *velint nolint hæretici, ipsi successioni Apostolicæ, successioni ipsi, adjuncta sit fidei et doctrinæ indubitata firmitas*. Tu autem, dum istam cum Stapletono *unitatem* retines, exscidisti funditus illam Pontificis prærogativam, super quam suprematum ejus exstruxeras. Nam si *unitati* comitanti successionem adsit indubitata firmitas doctrinæ & fidei: Pastores omnes, si *unitatem* conservent, non minùs quàm Papa, ab errore in doctrina liberantur. Proinde, si in doctrina *non errare* privilegium sit, & argumentum suprematus: omnes Pastores æquè celsum suprematum ex hac *unitate*, atq; Papa ipse, nanciscuntur. Affirmare tibi possum, hanc unitatem, Papæ minimè probatum iri. Quo prudentiùs mihi videbare rem * antea tractasse, quum, fundamentū jaciens Papalis prærogativæ, amoveris istā de *cathedra unitatē*, ut Papæ in illa *unitas* sessitaret. Nā ubi S. Augustinus dicit, *Deū collocasse doctrinam veritatis in unitatis cathedra*, hoc de omnibus scilicet Pastoribus doctoribúsq; Ecclesiæ intelligens, qui fidē cōcordes defenderūt adversus sectā & schisma Donatistarū: tu verba illa sevocabas ad *Papæ cathedrā*, deturbans planè dimovénsq; tùm *unitatē*, tùm alios *Pastores*. Et quāvis in eo discesseras à vestigiis * Stapletoni, qui his ipsis Augustini verbis probat, omnes Sacerdotes & Episcopos, sive *pastores* fuerint, sive *mercenarii*, veritatem docere: illud tamē sequebare, quod à Theologis vestris Rhemensibus didiceras.[z] Illi enim hoc modo ad Papæ prærogativam accommodant. Grandia fortassis beneficia illa, quæ à Papa ad Rhemense Seminarium manârunt, illos commôrunt ut majus aliquid in causa ejus auderent, quàm ausus sit animus Stapletoni.

[x] Lib. 5. c. 9.

* In initio tertiæ sectionis.

* Princ. doct. lib. 5. cap. 9.

[z] In Annotationibus suis in Lucā. 22. 31

HARTUS. Nihil profectò majus, quàm quod iis veritas & cōscientia largiatur. Nā etiāsi ista Augustini verba revera de omnibus Episcopis interpretanda sint, qui concordes fidē defenderunt; quod certū est nequaquā Theologos nostros Rhemēses latuisse: poterant tamen ea ad Papam accommodare, quippe quæ ad illum præcipuè pertinerent, fontem ipsum quasi unitatis.

RAINOLDUS. At ad Papam eo modo accommodant, ac si ad ipsum solum pertinerent. Nam afferunt ista, ut prærogativam probent privilegiúmq; Papale; non

posse videlicet Papā, utcunq; in persona vacillārit, in officio labi. *Liberius*(inquiūt) *in persequutionis procellis cedere potuit, potuit Marcellinus metu percussus idola colere; in hæresim recidere potuit Honorius, &, quod majus est, potuit Judas aliquis irrepere in officium; & hæc omnia tamen absq; præjudicio officii & cathedræ, in qua (ait S.* Augustinus) Dominus noster posuit doctrinam veritatis.* Si non latebat Rhemenses vestros Theologos, hæc S. Augustinum de omnibus Episcopis scripsisse, qui concordes fidem defenderunt: peccatum majus habent. Nam, quod ille (1) omnium unitati statuit commune: isti comminuunt, tanquam singulari unius cathedræ peculiare. Et, quod ille generatim pronunciavit, (2) de malis Præpositis, bona dicentibus, & facientibus mala: hoc isti ad Papas revocant. Quasi verò soli Papæ improbi esse possent: ac non alii etiam Episcopi.

* August. ep. 166. in fine.

(1) *In cathedra unitatis.*
(2) *De malis præpositis, & de præpositis sua mala facientibus, & Dei bona dicentibus.*

HARTVS. Si contigerit fortè, vel lapsus aliquis memoriæ, vel aliud aliquod erratum in citandis S. Augustini verbis; non hoc tanti est, modò verum interim illud sit, cujus gratiâ citantur: videlicet, posse Papam in persona errare, non in officio; ut privatum, non ut Papam.

RAINOLDVS. Immo hoc tanti est, ut vestigiis ejus illud competturi simus, quod vos istâ distinctiunculâ enitimini surripere. Nam dicitis *non posse Papam in officio errare, etsi in persona possit.* Quare? *Quoniam etsi persona ejus improba fuerit: tamen in cathedra Deus collocavit doctrinam unitatis, ut ait S. Augustinus.* Sed, ut istud S. Augustinus ait, omnes Episcopi, boni fuerint vel mali, pastores vel mercenarii, in illa *cathedra* sedent. Unde nec illorum ulli errare in officio possunt, ex eo quod rationem vestram consequitur. Quare, si non potest errare Papa, quà Papa; nec Episcopus quidem potest, quà Episcopus. Non autem dixeris, opinor, Episcopū errare non posse, ut Episcopum. Concedas igitur oportet, errare posse Papam, ut Papam.

HARTVS. Quid si dicerem Episcopum errare non posse, ut Episcopum? Istud modo quodam tueri potero.

RAINOLDVS. Credo equidem. At Papæ privilegium everteres: quod si facias---

HARTVS. Quin istud ego non dico. Argumentum tuum potiùs in priori parte peccat: in fundamento scilicet ipso, quod ex Augustino posueras, officium nimirum & *cathedram, in qua posuit Deus doctrinam veritatis, communem esse cunctis Episcopis.* Nam, etsi in [a] hac epistola ita sensisse videatur: in ea [b] tamen quæ proximè præcedit, illam cathedræ Romanæ prærogativam tribuit.

[a] Epist. 166.
[b] Epist. 165.

RAINOLDVS. Nisi Rhemenses vestri Theologi illo abutantur. Ex ista enim epistola hoc ab illis [c] docemur. *Deus tuetur veritatem Christianæ religionis in Apostolica Sede Romana, quæ in nova lege respondet cathedræ Mosis, licèt Episcopi ejusdem Sedis fuerint vitâ longè improbissimi: etiam si quisquam traditor, Judæ ipsi impietate non inferior, Episcopus ejusdem exstiterit, nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus noster providens ait; Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Augustin. Epist. 165.* Porrò, in * epistola citata, & designata ad dogma istud confirmandum, eadem prorsus Augustinus loquitur, quæ generatim in * altera, *de malis Præpositis*; etsi nominatim Romanis Episcopis accommodet, si quispiam eorum malus aliquando exstitisset. Quæ * generatim proferuntur ab Augustino, Rhemenses vestri Theologi omittunt: ut hinc credant homines simpliciores, singulare aliquod privilegium Romanæ Sedis ipsum cogitasse. Unde hanc notam in margine apponunt; *Sedes Romana in veritate conservata.* Etiam in [d] alia hujus generis loca; *Dignitas Romanæ Sedis.* Et quod longè reliquis excellit, aiunt *Se-*

[c] Annotat. in Mat. 23. 2.

* Epist. 165.
* Epist. 166.
* De prepositis malis.
[d] In Annot. in Mat. 23. 3. ex August. contra literas Petiliani. l. 2. cap. 51. & 61.

dem Romanam in lege nova, Mosis cathedræ respondere: Apostolicam Sedem Romanam. Opinatus verò sum,(priusquam istas eorũ glossas in Testamentũ attigissem,) à Stapletono omnes Papæ clientulos fuisse in Scripturis in Papatûs gratiam depravandis superatos. Sed video tandem planéq; fateor, sicut [e] Jerosolyma sororem suam Sodomam justificavit: ita Rhemenses Theologos justificare fratrem suum Stapletonum. Nam Stapletonus, uti in multis aliis, se honestiùs quàm illi, integriúsq; gessit: ita [f] in hoc etiam de *Scribis & Pharisæis in cathedra Mosis sedentibus* ostendit, tùm textum de *malis Præpositis* interpretandum esse, omnibus iis scilicet, *qui dicunt & non faciunt*; tùm eundem quoq; contextûs sensum dari ab Augustino. Atqui Rhemenses Theologi Augustini nomen & verba sic descripserunt, quasi sensisset hanc peculiarem Papis gratiam donatam fuisse, ut Scribę sint & Pharisæi. Et verò illius autoritatem judiciúmq; prætexentes, detorquent eò pariter Scripturas, dicentes, cathedram Mosis in veteri lege eandem fuisse, quæ est nunc Romana; *Sedes Romana respondet cathedræ Mosis.* Quæ adeò crassa sententia est, ut nisi spes ipsis fuisset in porcos hîc in Anglia incidere, quibus quodvis stercus gratum futurum esset quod Papam redoleret, nunquam ausi fuissent hoc in Scripturas deonerare, non, si corda ipsorum aprugnum callum ęquarent pinguedine, oráq; adamante essent duriora.

[e] Ezek.16.52.

[f] Princ. doct. lib.5.cap.9.

HARTVS. Quorsum tantopere Collegium doctissimorum Theologorum calumniaris? Nónne S. Augustinus *Sedis* & *Episcoporum Romanorum* mentionem facit, in locis illis omnibus, quæ citant isti, cùm in Epistolis, tùm contra Petilianum?

RAINOLDVS. Non in omnibus: in aliquibus facit. Sed an uspiam locorum illorum, mentionem facit Papæ, ac si *cathedra Mosis* ejus propria esset, & in ea solus ipse sederet?

HARTVS. Non expressè fortassis: implicitè tamen, & ex consequente. Quorsum enim aliàs ejus potiùs meminerat nominatim, quàm aliorum?

RAINOLDVS. Quoniam de ipso nominatim loquendi occasionem ei dederant adversariorum objectiones. Alias tamen cathedras, & Episcopos commemorat, verbi causâ, [g] Jerosolymitanum. Verùm Scriptura testatur, [h] *omnes homines mendaces esse.* Si ego hinc affirmarem Papam mendacem esse: diceréSne me affirmare Papam solum mendacem esse, ac non Turcam etiam?

[g] Cont. liter. Petilian. lib.2. cap.51.

[h] Rom.3.4.

HARTVS. Naturâ errare Papa potest: sed ab errore illum Deus per gratiam potest eximere.

RAINOLD. At quæritur, quid faciat Deus: non quid possit.

HARTVS. Sed ut potest, ita facit, per privilegium illud Romanæ cathedræ.

RAINOLDVS. Perinde hoc verum scilicet, atque idem Augustinum dicere. Quale argumentum, tale privilegium.

HARTVS. Poterat verò Augustinus dixisse, si non in superioribus locis, at in aliis. Nam [i] Genebrardus certè, quò probet *Romanum Pontificem in sua persona hæreticum esse posse, sed non in fidei judicio*, rationem à *cathedra* deducit, hoc est, à Sede, & Augustini locum designat. *Nam ea est vis*, inquit, *cathedræ, ut cogat bona & vera dicere, non bona facientes, neq; vera sentientes; neq; sua docere, sed aliena, permittat. August.4.de doctrin.Christ.cap.27.& Epist.166.*

[i] Chronog. l.3.in Honorio

RAINOLDVS. Duorum istorum locorum, unde hoc colligit ille, prior omnino consentit cum posteriori: posterior idem est, quem Rhemenses vestri Theologi depravârunt, ut demonstravi. In utrisq; Augustinus de *malis Præpositis*

loquitur generatim, non speciatim de Pontifice. In utrisq; officium docendi per [*cathedram*] intelligit: officium non uni Episcopo, sed omnibus commissum. Si Genebrardus in hunc sensum [*cathedram*] interpretatur; quid hoc ad privilegium vestrum? Si Sedem Romanam per [*cathedram*] exponit; * *conjuratio Prophetarum* apud vos est, ut olim apud Judæos, & horum unus est Genebrardus. *Ezek. 22. 25.

HARTUS. Non est verisimile Augustinum nomen *cathedræ* usurpasse pro docendi officio, quod omnibus Episcopis, mercenariis perinde atq; pastoribus, commune est. Etenim dicit, *cathedram cogere ipsos bona & vera dicere: cathedram cogere ipsos*. Quomodo tandem *coguntur*, nisi singulari quadam gratia in commodum Ecclesiæ? Quibusnam in Episcopis gratia ista exhiberi poterit, præterquam in Papis solis?

RAINOLDUS. Quemadmodum *gratiam* illam in Romanis Papis S. Augustinus observat: ita in omnibus aliis Catholicis sui temporis Episcopis eam exhibet, quorum doctrinam Donatistæ (in quos scribit) non reprehenderunt, sed vitã & mores.[k] *Cathedram* appellat (in qua universi sedent) *cathedram salutaris doctrinæ*: atq; *cogi eos bona in ea dicere*. Causam explicat cur *cogantur*: [l] videlicet, *quamvis sua quærunt; sua tamen docere non audent, de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quam sana doctrina constituit*. Quare *singularis* illa *gratia*, qua *coguntur bona & vera dicere*, gratiæ planè expers gratia est, qua inducuntur ad opes honorésq; aucupãdos. [m] *Christum enim prædicant propter terrena commoda*, [n] *pecuniæ, aut dignitatum, & laudis humanæ*. Quarum amor illecebrarum apud illos tantus est, ut stimulet ipsos efficaciter & strenuè eo modo prædicare, uti expediat maximè ad ea vel parienda, vel conservanda, quorum illi studio incenduntur. Hinc igitur S. Augustinus ait, eò ipsos *coactos* esse & impulsos: sicut [o] Paulus Petrum alloquutus est, illum *coegisse gentes Judaizare*, quòd exemplo suo ipsas efficaciter commoveret: ut [p] Lælius amicis suis responderat, illos *coegisse* ipsum ut hoc illis concederet, quod ab eo vehementer illi contenderunt. Nam eo sensu verbum [*cogere*] se usurpasse, S. [q] Augustinus alibi ostendit, quum dicit; *pastores*, (mercenarios intelligit) *velint nolint, ut perveniant ad lac & lanam, verba Dei dicturos esse*. Iste forsan duriusculus sermo videatur; *pastores, velint nolint, verba Dei dicturos esse:* verùm ita loquitur, ut doceat amorem *lactis* & *lanæ*, hoc est, commodorum & utilitatum, *cogere* ipsos *Dei verbo oves* pascere, sive eo delectentur ipsi, sive secus. Quum verò ratio præstandi ista ab officio docendi omnis pendeat, quod *cathedrâ* denotatur, ut, *cathedra Mosis*: idcirco [r] dicit, *Mosis cathedram coegisse Scribas & Pharisæos bona dicere*; & apud Christianos, [s] *cogi mercenarios ea quoq; in cathedra dicere*. Perinde ac si diceretem; quum in Ecclesia Anglicana Papista invehatur in concionibus in Papismum, mundanus in mundanas cupiditates, hypocrita in hypocrisim, (quod aliquando faciunt:) *suggestum ipsos cogere ita loqui*. Ab animi mei sententia prorsus aberrares, si arbitrareris me hinc *suggesto* nostro singularem quandam gratiam affigere, quæ omnes divini verbi præcones ab errore perpetuò tutos servet. Similiter illi S. Augustini sensa non assequũtur, qui in verbis ejus, de *cathedra* illiusmodi somniant. Quanquam, si tu pluris apud ipsum *cathedram* esse opinaris, quàm apud nos *suggestum* aut *pulpitum*: nequis tamen non cogitare, quæ de Scribis & Pharisæis verba profert, de omnibus Episcopis accipienda esse, qui *dicunt & non faciunt*. Nam in hunc sensum Scribas & Pharisæos frequenter interpretatur, etiam in eodem [t] libello quem Rhemenses vestri adducunt. Quamobrem, si *cathedræ* virtute Papa errare non potest, quà Papa: hinc ne alius quidem Episcopus, quà Episcopus, errare potest, ejusdem *cathedræ* virtute. At quivis alius Episcopus, uti fateris, er-

[k] Aug. Ep. 166
[l] De Doctrin. Christ. lib. 4. cap. 27.
[m] In Evang. Johan. tract. 46.
[n] De verbis Dom. serm. 49
[o] Gal. 2. 14.
[p] In Cicer. de Amicitia.
[q] Lib. de Pastoribus. c. 10.
[r] De Doctrin. Christ. lib. 4. cap. 27.
[s] Epist. 166.
[t] Contr. liter. Petilian. lib. 2. c. 7. & l. 2. c. 6. & l. 3. c. 2.

rare potest, quà Episcopus. Tibi igitur concedendum est, Papam, quà Papam, errare posse.

HART. Quin, Divum Augustinum potiùs errasse concedam, falsúmq; fundamentum posuisse: si privilegium *cathedra* tam omnibus Episcopis, quàm Papæ impertiatur.

RAINOLDVS. Pariter igitur concedas oportet, Genebrardum & Rhemenses vestros abusos esse S. Augustino, dum illum ad istud firmandum citant, cui ipse planissimè adversatur. Verùm ego tuebor S. Augustinum in veritatis causa: & docebo argumentum illud, quod ejus verbis stabilivi, adeò firmum solidúmq; esse, ut necesse tibi fuerit concedere, nisi velis obstinatè morosus esse. Etenim quid arbitrare, primò: potéstne Episcopus, quà Episcopus, errare?

HART. Quis hoc inficiatur?

RAINOLDVS. Non nemo apud [u] Platonem est, qui ait *magistratum errare non posse, ut magistratum; nec Principem, ut Principem.*

[u] De Repub. lib.1. *Thrasymachus.*

HARTVS. Non *Principem*? Cur tandem?

RAINOL. Quoniam *Princeps tanquam medicus est Reipublicæ: & medicus, ut medicus, errare nequeat. Nam in eo quòd errat, ab artis suæ præceptis deflectit. Quare, ex ignorantiâ medicinæ peccat, non medicinæ vitio. Atq; ita (si restrictè, & magis propriè loqui velimus) nullus artifex errare potest: saltem non quà artifex. Qui enim errat: quòd non satis artis, non quòd artem teneat, errat.*

HARTVS. Atqui potest tamen labi artifex in usu artis: ut medicus, in curandis ægrotis; Princeps, in Republica administranda. Quare, mihi videtur illud effugium plus acuminis habere, quàm momenti. Jure enim potest artifex dici quatenus artifex, errare, quum in eo errat quod artis ratione tractat. Aut certè, si non errat in eo, ut artifex; tamen, ut malus artifex, errat.

RAINOLDVS. Verissimum, ut malus artifex.

HARTVS. Homo igitur ille tuus apud Platonem sententiam suam corrigat oportet: & dicat, Principem errare posse, ut malum Principem, quamvis nequeat ut bonus; item magistratum, ut malum magistratum.

RAINOLDVS. Et de medico etiam corrigat oportet: & dicat, medicum, si nó rectè curet ægrotos, ut malum medicum errare.

HARTVS. Oportet.

RAINOLDVS. Eodem modo, si ratiocinator in rationibus referendis erret; errat ut malus ratiocinator.

HARTVS. Malus ratiocinator.

RAINOLDVS. Et si coquus in apparandis cibis offendat, ut malus coquus errat; vestiarius in vestimentis conficiendis, ut malus vestiarius; sutor in consuendis calceis, ut malus sutor.

HARTVS. Quid ni? Eodémq; modo omne genus artificum.

RAINOLDVS. Nec artificum modò, ut vulgò nuncupantur, sed omnium, quibus ad munera sua obeunda ars est necessaria: sive civiles illi sint, ut Jurisconsulti, Judices, Consiliarii; sive Ecclesiastici, ut Diaconi, Pastores, Doctores. Nón tu hoc vis?

HARTVS. De omnibus ejusmodi volo, præterquam de Papa solo.

RAINOLDVS. Citiùs quàm opus est, anticipas. Non adhuc ad Papam accedo.

HARTVS. Non: sed quid moliaris sentio. Id tu ex me expiscari cupis; Papam, ut malum Papam, errare posse.

RAINOLDVS. Nimium suspiciosus homo es. Animus erat concludere; Episcopum, ut malum Episcopum, errare posse. Episcopi enim munus est, [p] *rectè sermonem veritatis secare.* Si igitur in verbo *secando*: in parte aliqua muneris Episcopalis errat. Licebítne nobis dicere; eum, ut malum Episcopum errare?

HARTVS. Necessariò nobis dicendum videtur, quemadmodum ceteris ex proportione respondet.

RAINOLDVS. Verùm fortassis paulò inhumaniùs ceteros tractavimus. Quod mihi jam in Episcopis appâret. Dixerísne enim S. Augustinum, & S. Cyprianum, malos Episcopos?

HARTVS. Malos? Absit à me hoc verbum.

RAINOLDVS. Errârunt tamen quandoq; in secando sermone veritatis: quod de [q] altero tu fateris; & de seipso [r] fatetur alter. Atque *in* [s] *multis labimur omnes.* Etiam optimus medicus nonnunquam in adhibenda medicina errat; in Republica gerenda Princeps optimus. Ipsorum vitio, fateor: quum non satis boni sint. Et, ut restrictè, & magis propriè loquar; [t] *Nullus est bonus nisi unus, nempe Deus.* Sed si, ut in communi sermone solent, loquamur; non licet optimos appellare, malos. Quare non libenter dixero, Episcopum ut malum Episcopum, errare; si in sermone veritatis secando erret. Malo dicere, errare ipsum, ut Episcopum in officii parte quadam titubantem. Atq; ita etiam de ceteris sermones nostros lenire vellem: non ut malos vocemus, qui ab omnibus putantur boni; sed ut observemus bonitatem in hominibus, aliqua ex parte deficere.

HARTVS. Fac ita, si lubet.

RAINOLDVS. Jubebimus ergo Platonis sophistam valere, dicemúsq; errare posse magistratum, ut magistratum; & Principem, ut Principem.

HARTVS. Ita priùs sentiebam.

RAINOLDVS. Et Doctorem, ut Doctorem; Episcopúmque, ut Episcopum.

HARTVS. Omnino: similitérq; ceteros.

RAINOLDVS. Nónne verò Papa Episcopus est? Episcopus ille Romanus, opinor.

HARTVS. Exspectâram planè, ut istúc tandem diverteres. Quare consultò illum nominatim exceperam. De omnibus enim Episcopis verè dicitur, nisi Romano.

RAINOLDVS. Scio illum te excepisse: sed quâ ratione? Etenim si universim de Principibus verum sit, errare ipsos posse, ut Principes; particulatim consequitur, unumquemq; Principem, ut Principem, errare posse: Reginam Angliæ, ut Reginam; Scotorum Regem, ut Regem; Imperatorem Germanum, ut Imperatorem: & ita deinde omnes reliquos, quorum munus Regium est. Hoc concedis. Nónne?

HARTVS. Etiam, in Principibus quidem ita esse concedo.

RAINOLDVS. Pari igitur modo, si de Episcopis verè affirmetur, illos errare posse, ut Episcopos; consequens est, unumquemq; Episcopum, ut Episcopum, errare posse: Venetum Patriarcham, ut Patriarcham; Cardinalem Albanum, ut Cardinalem; Romanum Papam, ut Papam; & ita deinde omnes reliquos, quorum officium est Episcopale. Nónne ratione magistrâ, hoc quoq; tibi concedendum esse didicisti?

HARTVS. Non. Quoniam hoc nomine, dispar status conditióq; est Episcoporum & Principum. Nam in Principibus, nemo est, qui virtute officii sui hoc privilegii adeptus sit; ut nunquam erret, quà Princeps. Verùm in Episcopis, Ro-

p 2. Tim. 2. 15. ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.

q Ad Iubaianū epist. 73. & in Concil. Carthag.

r Libris duobus Retractationum.

s Jac. 3. 2.

t Mar. 10. 18.

manus Papa quà Papa, hoc privilegio ab omni errore immunis est.

RAINOLDVS. Hujus privilegii vis omnis, Harte, jam evanuit: id tibi nunc nequicquam proderit. Tibi enim ipsi Platonis Thrasymachus displicuit, tanquam argutiolâ nescio quâ subterfugiens, quum assereret, *Principem ut Principem, errare non posse.*

HARTVS. Et verò etiamnum displicet.

RAINOLD. Artificem quoq; confessus es, jure dici posse *errare, ut artificem*; quum in eo erret, quod artis suæ ratione tractat.

HARTVS. Confessus sum. Quid tum postea?

RAINOLD. Ac æquum esse putabas, ut diceremus *Episcopum ut Episcopum, errare*; quum in parte aliqua Episcopalis muneris erret.

HART. Istud quoq; non diffiteor.

RAINOLD. Quî igitur diffiteri queas, quin Papa Romanus jure dici possit ut Papa errare, quum in parte aliqua erret Papalis muneris? Et quoniam pars ejus est aliqua, *sermonem veritatis rectè secare*, quæ ad ipsum æquè, atq; ad omnes Episcopos, vi *cathedræ* sedísq; pertinet, hoc est, secundùm officium docendi, in quo Deus illos collocavit: nihil privilegii nactus est Papa cathedræ virtute, ut non erret quà Papa; magis quàm reliqui Episcopi, quà Episcopi. Quòd si alius Episcopus errare nihilominus possit ut Episcopus, quod fateris: fateare necesse est, Papam ut Papam errare posse. Immo, ut omnes Papæ *pastores* fuerint, aut *mercenarii*, nec eorum ulli *fures*: quà Papæ nihilominus, errare poterant. Nam B. Augustinus & B. Cyprianus errârunt, ut Episcopi. *Pastores* tamen utriq; erant.

HART. Non potest sine dubio, Papa quà Papa errare, hoc est, in officio: licèt in personâ possit, ut Honorius lapsus est.

RAINOLDVS. Atqui verò, de Honorio Papâ certissimè causâ cecidisti. Jam enim probavi, ea ipsum scripsisse ut Papam, de quibus damnatus est: ideóq; ut Papam errasse.

HARTVS. Videatur quidem ille ut Papa scripsisse, atq; ita errasse. Verùm illud non satis rationis est, quare Papa dicatur in officio errare posse, quemadmodum ego interpretor.

SECTIO SEXTA.

RAINOLDVS. Ut cumulatiùs igitur probetur: videamus primò, quid sit officium Papæ, ut ita constet, utrùm in officio, nécne, errare possit. Divus Petrus Apostolus ad *Seniores* scribens, per quos Episcopos denotat, omnésq; illos quibus animarum cura est (quod [u] vos ipsi agnoscitis:) [x] *Pascite*, inquit, *Dei gregem, qui penes vos est, curam illius agentes, non coactè, sed libenter; non turpiter affectantes lucru, sed prompto animo; neq; ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis.* Quo loco præcipit ipsis, ut enuncient verbum Dei, piámq; vitam traducant, quò Ecclesiam cùm doctrinâ, tùm exemplo pascant. Papæ hoc officium, credo, est, si Episcopus est: ad omnes enim Episcopos pertinet. Sed quid tu de eo censes, ne operam perdam, te Papam excipiente: num ad omnes Episcopos pertinet, an ad omnes præter unum Papam?

HARTVS. Ad omnes prorsus.

RAINOLD. Concilium Tridentinum [y] duo sanxit decreta contra peccatum *non-residentiæ*: in quorum posteriore probatur, *omnes illos, quibus cura animarum commissa est, debere necessariò residentes esse, quoniam gregem pascere debent verbo, sacramentis, precibus, & bonis operibus; & ita pascere gregem nequeunt, si deserant eum, ut mercenarii, & ibidem non resideant.* Atq; præter istam necessariam rationis cōsequentiam, [z] vocabulum ipsum, quo Petrus curam significat, quam suscepturi erant,

[u] Concil. Trid. sess. 23. de reform. c. 1.

[x] 1. Pet. 5, 2.

[y] Primum sub Paulo tertio sess. 6. de reform. c. 1. alterum sub Pio quarto, sess. 23. de reform. cap. 1.

[z] ἐπισκοποῦντες.

rant, idem arguit. Nam *prospicere* significat, & quasi *invigilare*: *prospicere*, ut pastores gregi, [a] quod illis ibi noctu interdiúq; faciendum est, ubi lupi immanésq; feræ grassantur: *invigilare*, ut [b] speculatores in urbe; res pacis temporibus necessaria, tùm verò inprimis belli. Quare, quum singulis Christi ovilibus à [c] *lupo* periculum sit, hoc est, à *Diabolo*, [d] qui *quærit quem devoret*; & [e] *Satanas cum Angelis suis*, [f] cum *spiritualibus malitiis* perpetuò adversus fideles prælietur: consequens est, oportere omnes Episcopos residere ubi cura ipsis commissa est, omnes Pastores gregibus suis prospicere, speculatores omnes urbibus suis invigilare. Etiámne ista tibi placent?

[a] Gen. 31. 44. Luc. 2. 8. [b] Ezek. 3. 17. Heb. 13. 17. [c] Ioh. 10. 12. [d] 1. Pet. 5. 8. [e] Revel. 12. 7. [f] Ephes. 6. 12.

HARTVS. Planè: ut Concilium decrevit.

RAINOLDVS. Juxta igitur confessionem tuam, quam Scripturis et Concilio ascribis, ad officium Episcopi tria requiruntur: ut doceat fideliter, ut rectè vivat, & apud gregem suum ut resideat. Sed in singulis istorum errare potest Romanus Papa. In officio igitur errare potest. Quid ais? Nónne potest?

HARTVS. In omnibus non potest.

RAIN. At in officio errare potest, si in uno aliquo horum errare possit. Singula enim ad officium ejus spectare dedisti. Verùm posse in omnibus probo. Et ut ab ultimo ordiar: Potest *non-residens* esse. Quod ab illo factum est per sexaginta & decem annos continuos. Quo omni tempore, [g] septem Papæ, qui sibi vicissim successerunt, Clemens quintus, Johãnes vicesimus secũdus, Benedictus duodecimus, Clemens sextus, Innocentius sextus, Urbanus quintus, Gregorius undecimus, primùm in Gallia sederunt Lugduni, deinde Avinione, nec semel quidem in urbe Romana pedem posuerunt. Non hoc verè assero?

[g] Platin. de vitis Pontif. Onuphr. in Roman. Pont. & Chron.

HARTVS. Non tamen licet ipsos non-residentes dicere. Papæ enim totius orbis, non urbis Romanæ modò cura mandata est. Quare ubicunq; moratur, residens est.

RAINOLDVS. Et ubicunq; rursus non moratur, non-residens est. Non illud consequuturum est? Nam qui duobus beneficiis, minoribus illis quàm est urbs Romana, gaudet, * in altero non residet, si in altero resideat. Et certè, quicquid tu de Papæ in orbe universo residentia somnias: nisi Romæ resideat, non-residentium in numero habendus est. Quod vel ipse quidem agnovit, Gregorius, inquam, undecimus, septem illorum non-residentium Paparum ultimus: qui igitur tandem Avinione Romam concessit. Nam ad hoc maximè [h] verba cujusdam Episcopi illum commovere. Qui interrogatus à Pontifice, cur non rediret ad Ecclesiam suam, quam haud tam diu par erat sine Pastore nudam relinqui: *Cur*, inquit, *tu, summe Pontifex, ceteris exemplum daturus, tuam non repetis?* Non adeò sapuit Pontifex, ut verbis tuis occurreret, orbem terrarum suæ curæ committi: sed motus justa offensæ suæ reprehensione, Romam statim discessit. Et quum, mortuo illo, de creando novo Pontifice mentio haberetur: [i] Clerus populúsq; Romanus rogantes Cardinales, ut unum aliquem è natione Italica deligerent, (ne, si Gallus deligeretur, Romanæ Curiæ migrare iterum ultra montes necesse esset) aiebant; *equum esse, ut in Pontificia sede Pontifex resideret*. Unde perspicias licet Papam, & Clerum, populúmq; Romanum existimasse Papam nõ-residentem fuisse, quum in Gallia diversabatur. Quid cẽses? ita fuisse illum? aut errasse ipsos qui illum ita fuisse existimant?

* c. quia nonnulli de clericis nõ residẽt.

[h] Platin. in vit. Greg. undecimi.

[i] In vit. Urbani sext.

HARTVS. Nimis multus es in quæstionibus, quibus me cupis irretire. Progredere porrò in argumento tuo: & ubi concluseris, respondebo.

RAINOLDUS. Non nisi veritate sola; te irretire cupio: in qua te comitem mihi vellem asciscere. Sed si ego solus progrederer, donec conclusissem omnia; labor fortassis meus, vel infructuosus foret, vel inanis. Quare rogandus es ut mecum unà pergas, & ad quæstionem respondeas, utrùm censeas septem illos Papas fuisse non-residentes.

HARTUS. Erant omnes natione Galli, &, amore forsan quodam patriæ suæ, in Gallia commorati sunt, non sine magno Italiæ & urbis Romanæ detrimento. Rectiùs profectò fecissent, si Romæ semper consedissent: sed quid deinde?

RAINOLDUS. Quod idem est (verbis mollioribus) ac si diceres; in eo ipsos deliquisse. In ea igitur officii parte, quæ ad residentiam attinet, Pontifex errare potest. In proxima item, ut piam vitam degat, labi potest. Quod ego jam antè variis exemplis edocui: verùm, si ita velis, adhuc quoq; plura commemorabo.[k] Urbanus sextus, & Bonifacius nonus---

HARTUS. Est prorsus supervacaneum plures eorum historias repetere. Concedimus, uti dixi, mores eorum posse esse corruptiores. Et quidem *non-residentia* morum potiùs vitium est, quàm doctrinæ. Quare, etiamsi in residentia & vita errare possint: non tamen possunt in doctrinâ. Atq; hoc est, quod nos asserimus.

RAINOLDUS. Non ego jam de doctrina ipsorum ago, sed de officio. In cujus duabus partibus errare posse fateris. In tertiâ non minùs liquet. Qui enim hodie Papa sedet, Gregorius decimus tertius, non omnino verbum Deî prædicat. Si non omnino prædicat verbum: non fideliter prædicat. Si non fideliter prædicat: hac etiam in parte errare potest.

HARTUS. Unde tibi notum hoc, illum verbum Dei non prædicare?

RAINOLDUS. Te dicente; quod eo probabilius est, quoniam [l] qui illum laudant; Jurisconsulti, non Theologi, nomine commendant.

HARTUS. At qui præcessit, Pius quintus, crebrò urbis Ecclesias visitabat, & ad Clerum concionabatur, ut [m] Surius observat.

RAINOLDUS. Quod majori documento est, non hoc in more positum esse Pontificibus, ut concionentur. Nam Surius similiter de illo observat etiam, *ut pauciores meretrices Romæ essent curasse, illasq; in vicis ignobilibus: quum priùs in viis publicis & splendidis ædibus magno numero habitarent*. Et fortassis Surius, qui Pium effert concionantem, hoc, quoad ejus fieri potuit, amplificavit. Pius non adhuc è vivis discesserat, quum ipsum Surius Fraterculus dilaudaret. Illud præterea Surius in laudibus ejus recenset, quòd in festo Eucharistiæ, non sellâ, pro more Pontificum, gestaretur, sed *cum maxima populi ædificatione pedibus ingrederetur*. De pauculis verò conciunculis Papa tanquam crebrò concionatus efferri potest: quum pedibus incedendo tantopere populum ædificârit. Nec tamen illum Surius ad alios habuisse concionem narrat, quàm ad *Clerum*. De concionibus autem ad *populum* hanc ipsi laudem tribuit, quòd eos præsentiâ suâ feriis solennibus, festisq; diebus dignaretur. Populum, credo, satis pedibus incedendo ædificavit. Quanquam si Pius tam ad populum concionatus esset, quàm ad Clerum: una hirundo non facit æstatem; conciones ejus officio ejus non fecissent satis. Ricardus Pacæus, Henrici octavi Secretarius, ejúsq; apud Italos legatus, (qui acutiùs, quàm Surius, Paparum statum introspexerat & pernoverat) scribit, [n] *Julium secundum rogatum fuisse, ut Egidium quendam (eruditum Fratrem) in Cardinaliũ collegium asciceret. Eáq; re quum affirmatum esset qua fuerat doctrina, quantáq; in do-*

[k] Theodoric. Niem. in Nem. Vnion. tractat. 6. c. 39. & de Schism. lib. 1. & 2.

[l] Genebr. Chron. lib. 4. Anton. Amic. præfat. in Capistran. de Papæ & Concilii autoritat.

[m] In cõment. rerum. in orb. gestar.

[n] Ricard. Pacæus lib. de fruct. qui ex doctrina percipitur.

cendo diligentia: Et sola, inquit Pontifex, doctrina est causa, ut non possim illum illæsa conscientia, in Cardinalium numerum referre, quò possit cómodiùs verbum Dei quotidie (ut facit) populo prædicare, quod Cardinali creato minimè liceret. Est enim hoc (inquit Pacæus) *à Cardinalium dignitate & consuetudine longè alienum: ideóq; Julius, ut erat Christiani gregis studiosissimus Pastor, noluit eum creare.* Jam verò, si res adeò rara sit & insolens, ut Cardinales concionentur: quid de ipsis Papis censes, qui magis in imperii negotiis sunt occupati, minúsq; rebus exilioribus, ut conciunculis, studere possunt? Quod ejusdem Julii exemplo constat. Qui omnibus viribus suis copiisq; collectis ([o] quamprimum emisset Papatum) [p] partim ut recuperaret, partim ut amplificaret latiúsq; proferret Petri patrimonium, hoc est, civilem Papæ dominatum: [q] bellum movit adversus Bononiam, Perusium, eorúmq; confinia; contra [r] Venetos, [s] Ducem Ferrariæ, Genuenses, [t] Regémq; Gallorum. Ubi ut votorum suorum compos fieret, incubuit totus machinis excogitandis, fœderibus, rationibúsq; ineundis, cum Principibus, populis, dynastiis, Anglis, Gallis, Hispanis, Germanis, Suevis, Italis, quos inter se omnes commisit. Neq; verò bella ista, aliorum auspiciis & ductu administrabat, ut ipse interea Romæ conciones haberet: sed [u] nonnullis ipse coràm intererat. Ubi se fortissimè gessit in Mirandulana obsidione. Quò bis concesserat, summa hyeme, vim frigorum, nivésq; perferens, & bellicosi Imperatoris munus verbis factísq; obivit: etiam, adeò prope urbis mœnia tabernaculum suum fixit, ut semel ei atq; iterum à tormentorum emissionibus extrema pericula imminerent; duo quidem certè, ei adstantes proximè, iisdem percussi ceciderunt. *Et sanè* (inquit [x] Guicciardinus) *(1) res notatu digna fuit, hominúmq; oculis admodum nova, Galliæ Regem, secularem Principem, ætate florentem, valentem corpore, ab ineunte ætate in armis educatum, domi se continuisse, ducum ministerio bellum gerentem, quod sibi præcipuè inferebatur: ex altera verò parte Pontificem, Christi in terris (2) vicarium, jam exacta ætate senem, valetudinarium, & delicatè in voluptate & quiete enutritum, ipsummet in bello (3) à seipso contra Christianos concitato affuisse, adeóq; in castra ad ignobilis oppiduli obsessionem penetrasse; ubi comparans se, tanquam ducem exercitus, ad labores & pericula, nihil præter ornatum noménq; Pontificis retinuit.* Denique, *dux ille*, Pontifex (dicerem) adeò distinebatur bellicis negotiis, ut nihil otii ipsi superesset, quo de Concionatorio munere cogitaret. Traditur autem à [y] nonnullis, illum, quum Româ aliquando adversus Gallos cum exercitu contenderet, clavibus Petri in Tiberim projectis, dixisse; *Quandoquidem Petri claves nos nihil juverint, quid Pauli gladius possit, experiamur.* Quod etsi fortassis per jocum traditum sit, veritatis tamen cujusdam indicium est, [z] elaborasse scilicet Julium, ut Ecclesiam suam bello augeret in caducis terrenísq; rebus, quam ædificasse potiùs pietate oportebat in rebus divinis & spiritualibus; hoc est, *Petri Clavibus* rejectis, assumpsisse *gladium Pauli*: non illum *Pauli gladium*, de quo Apostolus, [a] *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia*; sed illum, quo [b] Nero Pontifex Paulum obtruncavit. Non omnes Pontifices in bello tantùm occupati sunt, quantùm Julius secundus: nec omnes in pace tantùm, quantùm hic decimus tertius Gregorius. Verùm his propè mille annis, semper aliquid moliendo se exercuerunt, ut statum suum tueantur & adaugeant. Et his annis quingentis novissimis, postquam *Romana Ecclesia ex parva, imbecilli, et Imperatorum quodã modo ancillâ, domina* Imperatorum, immo, *omnium facta sit*, (ut scribit [c] Onuphrius;) multo majus iis inde negotium enatum est. Quare etiamsi, quod fieri potest, quidã eorũ concionati fuerint, aliquando, pro forma, solennibus feriis,

[o] Guicciard. histor. Ital. l. 6.
[p] Onuph. de vit. Pont. in Iulio secundo.
[q] Guicciar. l. 7
[r] Lib. 8.
[s] Lib. 9.
[t] Lib. 10. & 11
[u] Lib. 7. & 9.
[x] Lib. 9.
(1) *Cosa notabile, & molto nova.*
(2) *Vicario di Christo.*
(3) *Suscitata dalui contro a Christiani.*
[y] Melancthõ, Bruschius, Ducherius, Balæus, Scriptor. Britan. Cent. 8
[z] Guicciard. hist. Ital. li. 11.
[a] 2. Cor. 10. 4.
[b] Orosius hist: lib. 7. cap. 7.
[c] In Roman. Pontific. præfat. ad lector.

juxta morem deſcriptum in [d] libello ſuo ceremoniarum: quod tamen *fidelis paſtoris* & *diſpenſatoris* officiũ poſtulat, [e] *ut in tempore famulitio demenſum det*; [f] ut *publicè, privatimq́ doceat*; [g] ut *inſtet tempeſtivè, intempeſtivè; arguat, objurget, exhortetur cum omni lenitate & doctrina*: ita * implicati hujus vitæ negotiis tenebantur, ut hoc præſtare non valerent. Aut verò, ſi dicis, illos, qui concionati ſunt, univerſo munere fideliter defunctos eſſe: quo ore tamen hoc de iis aſſerere poſſis, qui in concionibus obmutuerunt, de Gregorio ſcilicet juriſconſulto, & Julio illo bellatore?

[d] Sacrar. ceremon. Eccleſ. Rom. lib. 3.
[e] Luc. 12. 42.
[f] Act. 20. 20.
[g] 2. Tim. 4. 2.
* 2. Tim. 2. 4.

HARTUS. Non tu certum habes neutrum iſtorum unquam conciones habuiſſe. Verùm ſi hoc muneris per ſe exſequi non potuerint: per alios tamen potuerunt. Quo modo certum mihi eſt ſanctiſſimum Patrem noſtrum Gregorium decimum tertium fideliter illo munere perfungi.

RAINOLDUS. Per alios? Quid iſtud eſt?

HARTUS. Perinde eſt, ac ſi quiſpiam pecuniam alicui debens, vel neceſſario ſuo, vel ſervo mandaret, ut eam diſſolveret: per alium is diſſolvit, quum alius ejus nomine creditori eam dinumerat. Principibus ſui ſunt in pace præfecti, in bello duces. Omnia ipſi non faciunt quæ dicuntur facere: & tamen re ipſa faciunt, quoniam per alios exſequuntur.

RAINOLDUS. Oh: per alios. Intelligo. Hoc eſt, quemadmodum Julius Papa, quamvis in caſtris excubaret, & per ſe ipſe res tractaret bellicas: in ſuggeſto nihilominus erat, & per Fratrem Egidium populo verbum prædicabat. Et poſtquam Leo decimus (qui ſucceſſit Julio) [h] *Fratrem Egidium Cardinalem creabat, ut taceret*: tũ alii in illius locũ Fratres ſuffecti ſunt, & per ipſos eodem modo concionabatur Leo, dũ [i] per ſe laſcivis artibus interea indulgebat. Chriſtus verò, quũ *Petro* præciperet, *ut oves ſuas paſceret*: minimè hoc voluit, ut per ſe Regiis oblectamẽtis voluptatibúſq; in * *Belvedere* ſuo afflueret, pérq; alios Divina eloquia prędicaret. Si Papę hoc ſatis eſſe putes, ad hãc partẽ muneris Epiſcopalis exſequẽdã: incuriã factũ eſt, quòd ejus in prioribus nõ memineris. Perinde enim dixeris, ſi nõ per ſe reſidẽs ſit, at poteſt eſſe per alios: &, ſi minùs per ſe piè vivat, per alios tamen poteſt piè vivere. Atq; hoc pacto, etiamſi Papa per ſe damnatus ſit, tuâ tamen diſtinctiunculâ poteſt quoq; ſervari. Per alios ſcilicet ſervari poteſt.

[h] *Frater Egidius, nunc creatus Cardinalis ut taceat.* Ricard. Pacæ. lib. de fruct. qui ex doct. percip.
[i] Iovius de vit. Leonis decimi lib. 4.
* Nomen delicati horti ſeu potiùs paradiſi Papæ, ita dicti; quod Latinè dicitur, Pulchrum viſu.

HARTUS. Non par eſt horũ ratio. Omnibus enim hoc incũbit, ut ipſi per ſe piè vivant: illéque, qui per ſe non reſidet, omnino non reſidere putatur.

RAINOLDUS. Proinde ille, qui non per ſe ipſe concionatur, omnino nõ cõcionari cenſebitur. Etenim propterea paſtori cuiq; indicitur, ut in perſona ſua reſideat, ut per ſe gregem ſuum attendat, & per ſuam eum perſonam doceat. Quod diſcas licet ex decreto, quod Lateranenſis Synodus adverſus *non-reſidentiam*, & ejus radicem quandam, *pluralitates*, ſciſcebat. *Quia nonnulli*, [k] inquit Synodus, *modum avaritiæ non ponentes, dignitates Eccleſiaſticas, & plures Eccleſias parœciales, contra ſacrorum canonum inſtituta nituntur adquirere, ita ut quum unum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vendicent plurimorum: ne id de cetero fiat, diſtrictius inhibemus. Quum igitur Eccleſia, vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſeipſum valeat exercere.* Hoc ergo cauſæ datur, quare perſonis imperetur ut reſideant; *ut curam exerceant per ſe ipſas*, & non per vicarios. Quamobrem, ſi verbum prædicare (quæ cura eſt) per alios poſſunt: per alios reſidere poſsũt. Ridiculũ eſſet dicere, ipſos reſidere poſſe per alios. Nulla igitur cũ ratione aſſeritur, poſſe per alios verbũ prędicare.

[k] Concil. Lateran. ſub Alexand. ter. ca. 13. c. Quia nonnulli de clericis non reſident.

HARTUS. Nónne? Quid igitur ad [l] illas juris regulas reſpondes: *Poteſt quis*

[l] c. poteſt. ca. Qui facit. In ſexto. De regulis juris.

per

per alium, quod potest facere per seipsum; &, *qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum?*

Rainoldus. Aio [m] regulas juris ex jure interpretandas esse, unde sumuntur: & earum paucissimas esse, quæ in exceptionem aliquam non incurrunt. Quemadmodum hîc nobis cogitandum est; licere nobis quædam aliis committere, quędam non licere. Quod aliis licet committere, [n] si qui per alios fecerint; perinde est ac si per seipsos fecissent. Ita Principes per Consiliarios, Legatos, præfectos imperio suo statuíq; provident, & jus judiciúmq; administrant. Ita in litibus & controversiis, reb⁹ suis consulunt homines per procuratores; in mercaturis, per negotiatores; in re familiari, per servos; in omnibus deniq; vitæ negotiis, per amicos, quorũ fidei se committunt. Sin autem res ejusmodi sit, ut tibi ex officio id per teipsum, in persona tua, sit faciendum: peccas, si id alteri mandas; nec, si hoc ab alio præstetur, à neglecti tamen muneris culpa solutus evaseris. Exempli causâ: [o] inter artifices, magna est ingenii, naturæ, cognitionis, & disciplinæ discrepantia. Qui speciosas sibi solidásq; ædes exstrui cupit, eum eligit artificem, quem prudentem architectum esse comperit, & cum illo pactionem facit, ut eo, de quo convenit inter ipsos, modo domum ædificet. Quod si architectus iste non domum ipse construat, sed vicariâ alterius utatur operâ: per alium quidem ædificavit, sed officio non est functus suo. Quare? quoniam artis peritiæq; ejus rationem habebat dominus, quum illum elegerat, illíq; ipsi ædificandam domum locârat. quod similiter observare licet in viris Nobilibus & Consiliariis, quos Principes gravioribus rebus expediendis præficiunt. quum enim ad certum aliquod negotium conficiendum delecti sunt ob *industriam* suam (ut [p] lex appellat,) hoc est, propter singulares quasdam virtutes, quibus ad hoc aut illud opus sunt aptiores: fidelitas & debitum obsequium exigit, ut id ipsi præstent: non licet per alios conficere. quemadmodum Comes Vervicensis, quum à Principe nostra exercitui illi Imperator præponeretur, quem ipsa contra Septentrionales perduelles emisit, ([*] quos Pius quintus, ille vester concionalis Papa, concitârat:) non poterat is alium Imperatorem sufficere qui vicibus ejus defungeretur; ipsi eundum fuerat; quòd ad munus illud, magnanimitas ejus, virtus, prudentia, fides, industria deligerentur. Porrò Ecclesia Dei, [q] *domus est spiritualis*: & populo ejus [r] *dimicandum* est adversus Septentrionales perduelles, carnem, dico, mundum, & Diabolum. Christus, Dominus domûs, & Princeps populi, Episcopos constituit, ut illius [s] architecti sint, & [t] hujus imperatores. Et propter *industriam* suam ipsos elegit, hoc est, ut sint [u] prudentes, justi, sancti, temperantes, [x] modesti, apti ad docendum, apti quasi ad ædificandam domum, ducendúmq; exercitum. Verùm qui ita delectus est, eidem per se officium, non per alios, præstandum est: secundùm jus illud, unde regulas tuas decerpseras. Quare, non possunt istæ juris regulæ eam immunitatem Episcopis, ideóq; nec Papis Romanis largiri, quò minùs ipsos per se verbum prædicare oporteat.

Hartus. [y] Jus verò illud, quo nixa est ista, quam adversus regulas à me productas objecisti, exceptio, exceptionem etiam habet suam. Cavet enim, *illum, cujus industria electa est, provisionem sibi commissam, alteri demandare non posse: nisi forma commissionis habeat, ut per se, vel per alium id valeat expedire.*

Rainol. Rectè. Exceptio autem ista nihil ad tuũ propositũ habet. Non enim legitur in forma commissionis, quam Christus Episcopis demandavit, ut per se, vel per alios munus suum possint exsequi.

[m] L. Regula Dig. de regulis juris.

[n] L. Ita autem: D. de admin. & peric. tutorum. l. 1. § solu. D. de liber caus. l. quod jussu. D. de regulis juris. l. procurator. D. de procuratoribus, & defensoribus.

[o] L. Inter artifices. D. de solutionibus.

[p] c. Is cui. de offic. & potest. judicis delegat. in sext.

[*] Sander. de visib. Monarch Eccl. lib. 7.

[q] 1. Pet. 2. 5.

[r] 1. Tim. 1. 18.

[s] 1. Cor. 3. 10.

[t] Heb. 13. 17. ἡγυμένοις.

[u] Tit. 1. 8.

[x] 1. Tim. 3. 2.

[y] c. Is cui. de offic. & potest judicis deleg. in sext.

Hartvs. Quando igitur ex morbo laborat Episcopus, & ita graviter quidem, ut se lecto movere nequeat, nedum suggestum conscendere: semper tamen illi per se concionandum est, quòd scilicet hoc officii ipsi incumbat.

Rainoldvs. Quin potiùs, si ex morbo laborat, officii ejus est non per se concionandi munus obire. Alias enim illi partes Deus imposuit, ut valetudinem suam curet, quo prioris officii sui partibus persungi valeat: aut, (si vitæ suæ cum morte commutandæ tempus adsit,) ut se ad altioris dignitatis munus suscipiendum comparet. Verùm ex hac tua ratione efficitur, nullius Christiani partes esse, ut per se Ecclesiam frequentet. Non enim hoc imponitur illi, si ex morbo graviter laborat. Neq; verò Papa Romanus necesse habet per alios prædicare. Nam, si ex morbo laborat, adeò ut nequeat prędicare, solutus apud Deum omni culpâ est, etiãsi nullius vicaria industria ejus operæ supponitur.

Hartvs. At præstat tamen, ut alius partes ejus suscipiat.

Rainoldvs. Præstat verò. Quid tum postea?

Hartvs. Si affecta valetudo ipsum ab omni culpa liberet: pari igitur jure carcer & vincula.

Rainoldvs. Et exilium, & mors, & quæcunq; demum impedimenta, quibus ipsi Deus prædicandi verbum suum potestatem eripit. Quid deinde?

Hartvs. Cur non item graviorum Ecclesiæ status negotiorum excusatione uti potest?

Rainoldvs. Potest verò. Quemadmodum Julius Papa, ut in castris sit ad Mirandulam funditus excidendam; ut Rauennam, & Cerviam recipiat; ut Placentiam, & Parmam in ditionem suam redigat; ut Angliam cum Hispania, in Galliam concitet; Galliam cum Germania, contra Venetos; Venetos Romanósq;, contra Genuam; Utramq; gentẽ aliásq;, in Ferrariam; Italiam, in seipsam; Suevos, in omnes:[z] nisi quòd Suevi se planè Suevos præstiterint, id est, stipendiis & victu destituti ipsum deseruerint.

[z] Guicciard. hist. Ital. lib. 9.

Hartvs. Admodum tibi placet in detegendis Paparum infirmitatibus perpetuò versari, ut exsecrãdus [a] Chamus patris sui Noę nuditatẽ prodidit. Quæ ego graviora Ecclesiæ status negotia intellexerã, religionis negotia sunt, administrationísq; Ecclesiæ per universam Christianam nationẽ: cujus cura ad ipsos ex officio pertinet, ipsósq; valde reddit occupatos.

[a] Gen. 9. 22.

Rainoldvs. Quàm longè ego à Chamo recedam, & Papa vester à Noa; facile mihi esset ostendere, si ad institutum meum attineret. Verùm hanc ego fieri libentiùs mihi contumeliam patior, quoniam, quum S. Bernardus olim Romanæ Curiæ corruptos mores reprehenderet, ipsi eadem est imposita, & adversus eam, causam meam agit. Nam, quod ille leviori motus causâ dixit, id æquiùs mihi, cui gravior offertur occasio, licebit dicere:[b] *Nudè, nuda loquor; nec retego verẽda, sed inverecunda confuto. Utinam privatim, & in cameris hæc fierent. Utinam soli viderimus & audierimus. Utinam reliquerint nobis moderni Noë, unde à nobis possent aliquatenus operiri. Nunc verò, cernente orbe mundi fabulam, soli tacebimus? Caput meum undiq; conquassatum est; & ego, sanguinè circumquaq; ebulliente, putaverim esse tegendum? Quicquid apposuero, cruentabitur: & major erit confusio, voluisse celare, quum celari nequiverit.* Ista Scripsit S. Bernardus Eugenio tertio Pontificatum capessente, (ante hos quadringentos annos,) quum aut essent magis honesti Papæ, aut saltem magis esse se simularent. Quid autem scripsisset ille, si in recen-

[b] Bernard. Epist. 42. ad Archiep. Senon.

tiorum

tiorum Paparum tempora incidisset, Bonifacio octavo, aut Urbano sexto, aut Bonifacio nono, aut Johanne vicesimo tertio, aut Paulo secundo, aut Alexandro sexto, aut Leone decimo; aut illo de quo postremùm egi, bellatore Julio sedente? Quamobrem, si ea jam demum ego operire conarer, quæ Bernardi temporibus non poterant celari: à qua ille sibi confusione metuerat, eâdem ego obruerer, & conscientiæ meæ judicio condemnarer. Tu tibi, Harte, ab ista caveas, qui illis peccati hominibus iniquitates suas indulges; & furores ipsorum, *infirmitates* appellas; & ex [c] Nimrode, Noam facis; & Sanctorum lapsus adducis, unde projectas insanias flagitiaq; furum & latronum, excusatione adumbres. Ais te, religionis administrationisq; Ecclesiæ per universam Christianorum nationem negotia intellexisse, quum de *gravioribus statûs Ecclesiæ negotiis* verba faceres. Quicquid demum tu intellexeris: in eo certè veritas sita est, quod ego in Julii Pontificis negotiis demonstravi. Nam Papali dialecto, nomen [*Ecclesiæ*] *Papatum* significat, hoc est, Papæ dominatum, & in rebus tùm temporalibus, tùm spiritualibus principatũ. Quum igitur in armis esset Julius, bellarétq; cum nationibus, vel ut reciperet amissas ditiones, vel ut propagaret temporalis dominatûs fines; tum *Ecclesiæ negotiis* detinebatur. Constat hoc planè ex Italica historia de negotiis illis conscripta: [d] ubi Faenza, & urbes illæ quas à Venetis reddi sibi postulat, *urbes Ecclesiæ* appellantur; & [e] quum istas aut armis, aut compositione aliqua facta, occupat, *in ditionem scilicet, & obedientiam Ecclesiæ* redeunt; & si quando militaria ejus stratagemata parùm feliciter cedunt, [f] *quamvis res hæreant (inquit* Julius,) *Deus tamen Ecclesiæ suæ veniet auxilio*: omnia media quibus utiliter, omnésq; quos sibi præliandi fines proponit, *Ecclesiæ* titulo vestiuntur; [g] *duces Ecclesiæ, exercitus Ecclesiæ, contra hostes Ecclesiæ*, &, *Ecclesiæ perduelles*; *Ecclesiæ equites, pedites Ecclesiæ, subditi Ecclesiæ, Ecclesiæq; vasalli*: denique, cuncta quæ Papa possidet, *status* sunt *Ecclesiæ*; [h] *Ecclesiæ status in periculum discriménq;* venire dicitur, quum ille alicujus rei jacturam facturus videatur; [i] *Hispano imposuit, ut trecentos ei milites in singulos annos aleret, ad Ecclesiæ statum tutandum*; [k] ad varios Principes mittit qui ipsis nuncient, *Gallum ingentibus copiis affuturum ad statum Ecclesiæ opprimendum*; [l] Imperatori Gallus promittit, *se illi armis subsidio futurum*, * *ad occupandam Romam omnémq; statum Ecclesiæ, ut quæ jure ad Imperium pertinerent.* Hic verè *status* ille, in cujus *negotiis* Papæ occupantur. Illa verò religionis administrationisq; Ecclesiæ per universam Christianam Rempublicam negotia, prætextus tantùm sunt, & columnæ, quibus hic status fulciatur. Nam, ut [m] Bernardus de Romana Curia scribit, *eos scilicet, qui ad eam ventitabant ut Ecclesiasticas sibi dignitates ampliores acquirerent, inventuros ibi esse, qui suæ faverent improbæ voluntati; non quòd valde Romani curent quo fine res terminetur, sed quia valde diligunt munera, sequuntur retributiones*: ita homines prudẽtia prędíti & judicio, qui Paparũ penitus perspectos mores habuerũt, fideq; optima eorum vitas ediderunt, prodidere arcanum istud, & mysterium statûs Papalis, (quemadmodum tractatus fuerit, postquam ad majestatem aspirârit;) ipsos videlicet, sui regni stabilitatem moliri, dum, ut [n] Herodes, Christi cultum simulant. [o] *Julius Papa* (inquit ejus historia) *prætendebat pietatem & religionis zelum: sed ambitio ipsa fuit, quæ illum ad militares suos conatus stimulabat.* Quum Julium Papam nomino, exempli causâ illum à me nominatum puta. Nam neq; primus is *Herodum* illorum erat, neque ultimus. Sed reliquos licet ab uno discere.

HARTUS. Præliati sunt quidem certè Pontifices, premente rerum necessitate: & quid non deberent? Etsi ambitionem nolim in quoquam illorum defendere.

[c] Gen.10.9.
[d] Guicciard. lib.6.
[e] Lib.6.& 7.
[f] Lib.7.&.9.
[g] Lib.8.&.9.
[h] Lib.6.
[i] Lib.9.
[k] Lib.7.
[l] Lib.9.
* *Ad occupar Roma & tutto lo Stato della chiesa, come appartenente di ragione all' imperio.*
[m] Epist.42. ad Archiep. Senon.
[n] Matt.2.8.
[o] Guicciard. lib.7.

Hoc autem defensurus sum, ipsis licitum fuisse temporalis sui statûs saluti providere. Quid enim Paulus ait? [p] *Si quis suis, & maximè domesticis, non providet: fidem abnegavit, & est infideli deterior.* Quare cogites oportet, geminam quasi personā Pontificem sustinere: alteram, Principis; alteram, Episcopi. Temporale Imperium suum, ut Princeps gubernat: ut Episcopus, spirituale. Spiritualis illi cura delegata, universa est Christi Ecclesia: temporalis, pars ejus tantùm. Itaque, etsi utraq; ad Ecclesiæ statum quodammodo spectent: tamen spiritualia ejus negotia, quæ per universos mundi Christiani fines propagantur, à temporalibus discrepāt, quæ Romanam præcipuè Ecclesiam attingunt. Exempli causâ: [q] Leo nonus, Papa valde bonus, ante quingentos annos, quum Normanni vastassent Ecclesiæ ditionem, & ipse eos exsecrationibus persequutus fuisset, nec tamen potuisset exsecrationibus ferocem gentem subigere: à Cæsare fortem armatorum manum impetrabat, quam ipse contra nebulones duxit, & collatis signis strenuè ipsos oppugnavit. Eodem tempore Michael, Patriarcha Constantinopolitanus, primatum Ecclesiæ Romanæ denegavit, & arroganter suæ Sedi ascivit. Quam rem ubi Leo audivit, Legatos tres ad eam eradicandam hæresin Constantinopolim misit. Horum verò alterum ille, ut Princeps præstitit, adversus Normannos, qui temporale ejus Imperium armis invaserant: alterum, ut Episcopus, contra Patriarcham, qui hæresin prædicârat, cui resistere pars fuit curæ ejus spiritualis. Hujus posterioris generis negotia liceat mihi appellare (discriminis causâ) *Ecclesiastica*; prioris, *statûs negotia.* Atq; hinc comparebit, quam injuriam ipsis facias, quos malitiosè *Herodes* nuncupas. Etenim dicis *negotia, in quibus occupantur illi, negotia statûs esse.* Quum revera multo magis *Ecclesiasticis* distringantur: dum curant ut Catholica religio doceatur, ut comprimantur errores; dum diœceses piis & eruditis Episcopis, & parochias bonis Pastoribus ornant; dum provocationes audiunt, causas definiunt, supplicationes recipiunt, impios excommunicant, pœnitentes absolvunt; dum universam functionem, supremorum Ecclesiæ Capitum propriam exsequuntur. Non verò ista *negotia* munera tam gravia, tam multa numero, justam ipsis dare possunt excusationem silentii in concionibus? Aut vis tu calumniari illos, eam partem muneris, *statûs negotiis* implicatos omittere, quum omittant *Ecclesiæ* rebus impediti?

[p] 1.Tim.5.8.

[q] Sigon. de regno Ital. l.8.

RAINOLDUS. Utinam verò id probare posses, me illos calumniari, & malitiosè magis, quàm verè de ipsis loqui. Meliùs sanè cessissent, cessuræq; res essent miseris Christianis: quorum plures animas, immo plura millia animarum, in una regione, Herodiani suis facinoribus perdiderunt; quàm [r] Herodes ipse corpora, per totam suam ditionem mactavit. Atque hoc isti profano illo artificio patrârunt, cujus ipsos ego jure arguebam: simulantes utiq; *statum Ecclesiæ*, ut proprium stabilirent; & spiritualem administrationem prætexentes, ut temporalem sibi dignitatem honorémq; asciscerent. Nam tecti *ligandi solvendiq;* specie, *peccata remittendi* existimatione, titulo *Petri clavium*, administratione *Ecclesiæ* universæ, supremáq; in cunctis *Ecclesiæ causis* potestate: turrem Papatûs sui totius Christianæ gētis spoliis erexerunt, homines ut panem devorârunt, & vendiderunt pauperes argento, quò seipsos munirent potentia, opibúsq; ditarent. Ac prima quidem, præcipuáq; ratio, qua opus hoc absolverunt, & post exstructos muros ex Episcoporum subjectione, fastigium eidem, subjectis sibi Cæsaribus, imposuerunt; fulmen illud erat *excommunicationis.* Quod illi, parum putantes tanquam spiritualem censuram adversus Principes suos adhibere, ad civilem pœnam detorquebant: non modò interdicentes ipsis communione fidelium, sed eos etiam orbni potestate sua,

[r] Mat.2.16. Ioseph. Antiq. Iudaic. lib.17. c.8.

& autoritate in subditos abdicantes; eósq;, ut ab Ecclesia, ita ab Imperio dimovendo. Quum Leo tertius Imperator, cupiens abolere cultum idolorum, (qui tũ irrepere inceperat in Ecclesiam;) illa deformari curasset, indéq; nonnullos suppliciis afflixisset qui restiterunt: [f] Gregorius secundus Papa, eum communione piorũ, hoc Papali more remôvit; (1) indicens Italis, *ne ei aut tributum darent, aut obedirent.* Quo decreto & interdicto Pontificis audito, magna Italiæ pars ab Imperatore suo, qui tum Constantinopoli residebat, defecerunt; & vim & manus Exarchis Præfectisq; ejus attulerunt, ex quibus duos obtruncârunt, & tertium luminibus spoliârunt. Qua seditione, excitisq; inde tumultibus, factum est, ut pars quædã regionis quę defecit, à Longobardo Rege subacta sit: Roma autem, Romaniq; Ducatûs ditio in Papæ potestatem venerit. Hinc Papa, qui ad hæc usq; tempora intra Episcopalis dignitatis fines se continebat, tum primùm * per proditionem Princeps evasit. Ceterùm alium Imperator Exarchum in Italiam misit, qui conatus istos reprimeret. Qui cum Longobardorum Rege Luitprando fœdere percusso, conjunctis copiis ambo Romam obsidione oppugnabant. Quum autem Pontifex præsidia & opera quibus firmârat vallarátq; urbem, non satis esse ad tantas hostium vires sustinendas videret: de Longobardi pietate meliora sibi pollicitus, ex urbe cum solenni Clericorum suorum comitatu ad Regem processit, & multa blandissima verba loquutus de *Petro & Paulo, Principibus Apostolorum, qui pretioso suo sanguine Ecclesiam Romanam consecrârant: an igitur Luitprandus Rex pius & Catholicus, illius Ecclesiæ urbem oppugnare volet? neq; à præsenti Petri & Pauli numine exigenda piacula extimescet?* impetravit à Rege ut obsidionẽ solveret, & ipsum cum Exarcho in gratiam reduceret. Aliquot verò post annos, Dux quidam, isq; Regi Longobardo subjectus, ab illo defectionem moliens, fœdus & amicitiam cum Romano Principe, Gregorio tertio Papa junxit; qua subnixus societate, Regis imperata facere detrectavit. Rex, Ducatu armis in potestatem redacto, Ducẽ Romam usq; persequebatur. Hîc Papa, quum se difficilem ad reddendum perduellem præberet, nec tamen præsidii satis haberet ad urbem contra Regis exercitum tuendam, qui ea de causa urbi obsidionem admoverat, decessoris sui exemplo, precibus Regem fatigavit. Sed ubi preces irritas animadverteret, neque ex Italia subsidium ullum speraret: Legatos ad Carolum Martellum, qui regnum Galliæ pro Rege administrabat, expedivit, obtestans ut *Ecclesiæ rebus, adversus Longobardum succurreret.* Quod Carolus quidem per legationem præstitit, & obsessionis solvendæ autor fuit. Carolo verò defuncto, successit in locum ejus filius Pipinus: qui, Chilperico Rege nullam partem curę Regiæ sibi deposcente, sed ipsi committente universam, inde occasionem arripuit in regni possessionem veniendi. Quod ut majori existimatione autoritatéq; conficeret, Papa consultus est. Zacharias Papa respondit, omnino se Regem illum potiùs judicare, qui Regio munere defungeretur, quàm qui ab eodem prorsus cessârat. Quo responso Pontificis accepto, Franci Pipinum Regem designârunt: Papa illos sacramenti religione solvebat. Anni deinceps duo ferè fuerunt, quum Longobardus Ravennâ expugnatâ, (quæ urbs, Imperii in Italia sedes exstitit,) æquum esse cogitabat, ut Roma & Ducatus Romanus in ejus ditionem nunc rediret, qui in ipsa sede & domicilio Imperii regnabat; quemadmodum priùs fuerat in Imperatoris potestate. His cogitationibus inductus, adversus Stephanum successorem Zachariæ bellum movit. Stephanus porrò, memor beneficii à decessore suo collati in Pipinum, ad illum in Galliam concessit: illiq; beneficium Zachariæ in mentem revocans, oravit ut *causam Beati Petri, & Reipub. Romanorum adversus Longobardos susciperet.* Etiam in

[f] Sig6. de regno Ital. lib. 3.
(1) *Ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent, indixit.*
* Anno 727.

conventu Procerum Francorum, quos convocârat Pipinus, ut quid ipsi de re sentirent cognosceret: Papa non solùm bellum illis suasit, ut recuperarent Ravennã, terrámq; Imperatoris Longobardis eriperent, sed etiam ne *ea redderentur Imperatori* contendit. *Imperatorem enim indignum esse aiebat, propter desertam Italiæ tutelam, & inimicitias cum Ecclesia susceptas, qui rerum in Italia potiretur. Quòd si Pipinus, aut grati hominis officium præstare, aut animæ suæ consulere, aut Pontifici laboris sui præmium aliquod tribuere vellet: Ravennam, ejúsq; territorium; cum tota illa ditione, Beato Petro, beneficii loco concederet.* Qua Pontificis concione auditâ, Franci maximo animorum consensu, bellum adversus Longobardiam decreverunt: Pipinúsq; asseveravit, se, si *victor evaderet, pro remißione peccatorum suorum impetranda, Ravennam, cum territorio, & ditione finitima, Petro & successoribus ejus traditurũ.* Cujus voti, quod nuncupârat, memor, postquam in Italiam penetrasset, & ipsum per Legatos Imperator muneribus onerasset, deindéq; orasset, ut si ditionem illã & territorium reciperet, non Pontifici, sed sibi concederet: respondit, *se nullis præmiis humanis inductum, sed divinæ promerendæ gratiæ studio inflammatum, Ecclesiam Romanam in fidem recepisse; quòd id ad animæ suæ salutem, & peccatorum remißionẽ valiturum sibi persuasisset: & quoniam S. Petro & successoribus ejus traditurum jurasset, ideo nullâ ratione adduci posse ut fidem fallat.* Quod pariter ac dixit, præstitit. Neq; verò ille terras eas magis prolixè ipsis largitus est, quàm filius * ejus Carolus magnus donum illud Patris confirmavit, amplificavítque, debellatis prorsus Longobardis, & Italiæ regno subjugato. Ceterùm etiamsi jam in tantam potentiam crevissent Papæ, Cæsaris manubiis ditati, ejúsq; jugum suis cervicibus excussissent: perpetuò tamen subjiciebantur Carolo magno, Italiæ & Franciæ Regi, quem postea *Imperatorem Romanorum*, ut alterum *Græcorum Imperatorem*, appellabant. Nam licèt terras Carolus Pontifici permitteret: [t] *jus* tamen, *principatum*, & *ditionem*, sibi retinuit. Et quum (Caroli deficiente sobole) Otho magnus rerum Italiæ potiretur: [u] Roma, ceteræq; Pontificis ditiones, *Pontificem, ut Reipub. Principem, Regem* (sive Imperatorem!) *ut summum Dominum* intuebantur; atq; ei tributa & obsequia præbebant. Quare Papa non alius quàm Imperatoris vasallus exstitit, & beneficiarius. Præcipua verò ratio quam iniverunt, ut hoc etiam à se jugum repellerent, *excommunicatio* illa fuit, non Christiana sed Papalis, qualem priùs adversus Græcum Imperatorem exercuerant. Gregorius septimus bellua illa erat, unde hoc manavit. Largitiones Episcopatuum & beneficiorum Ecclesiæ commovebãt, [x] quæ Pontifices ipsi Carolo, & Othoni, Cæsaribus concesserant: etiam Romanum Episcopatum largiendi jus, & Pontifices legendi. Sed postquam quæ concupiverant nacti essent à Cæsaribus, & auxilio illorum magnifici & opimi evasissent: animadvertebant Episcopatuum & Ecclesiæ beneficiorum largitiones illam diminuere potestatem, quam ipsi spirabant. Quare, istud scilicet prætexentes, Cæsares non gratis, sed pecuniis ea concedere: [y] docuerunt nefas esse laicis jus ullum ea largiendi possidere, & sacro carmine devoverunt utrosq; juxtà, tam qui concederent, quàm qui reciperent. Hoc maximarum inter Pontificem, & Henricum tertium Imperatorem, causa litium fuit: in quarum flãmis Gregorius septimus ((1) Petri autoritatis jure) illum universi Imperii finibus exegit, subditos religione jurisjurandi solvit, & ne ullam Imperatori suo obedientiam præstarent, indixit. Germaniæ continuò Principes, qui & Petri, & Papalis autoritatis fines ignorabant, putârunt partes esse suas, Imperatori non ampliùs se subjicere, atq; ab illo defecerunt. Miserandi planè & luctuosi erant dolorum illorum & contumeliarum ictus, quos ferre misero Imperatori necesse fuit à Pon-

* Anno 773.

[t] Sigon. de regno Ital. l. 4.

[u] Sigon. lib. 7.

[x] Sigon. lib. 4. & 7.

[y] Sigon. lib. 9.

(1) *Audi me Princeps Apostolorum Petre Jure autoritatis tuæ.*

tifice & Pontificiis, dum multis modis Imperium suum retinere conaretur. Verùm eò postremū res recidit, ut Rodulphus, Dux Sueviæ, subjectus Imperatoris potestati, contra ipsum Imperator sit delectus. Pontifex, ut Rodulphum muniret, regiam ad illū coronam trāsmisit: instigánsq; hominem ad *Ecclesiam* strenuè & animosè adversus Henricum vindicandam, concessit ((2) Petri & Pauli nomine) omnibus qui fidem ei præstiterunt, *omnium peccatorum remissionem veniámque, in hac, & in futura vita.* Quod quum non succederet, (novus enim Imperator iste ab Henrico in prælio occisus est;) filii ipsi contra patrem concitati sunt. Primùm Conradus, natu maximus; tum Henricus, illi proximus. Qui ipsum tandem Imperio spoliavit, & in eam miseriam compulit, ut coactus fuerit ab Episcopo Spirensi victum sibi petere, in æde quam ipse construxerat; pollicitus se, *ut mereretur, Clerici officio defuncturum, quòd Choro inservire posset.* Atq; eo non impetrato, cōtabuit indies, doloréq; confectus è vita excessit. Tremendum istud Henrici tertii exemplum multùm auxit Papalis autoritatis opinionem. Eóq; magis, quòd * Vecilone, primario Germanorum Episcopo, in illis seditionibus & turbis negāte, Imperatorem regno suo & corona à Pontifice spoliari posse: conventus indictus sit, in quo (Pontificis legato præsente) Vecilo, quòd ita sentiret, * *hæreseos est notatus.* Nam quamprimùm etiam dogma istud (præter praxin ipsam) receptū esset, Pontificē jure posse Reges & Cæsares dejicere: altissimas *cedros Libani* quatefecit, & injecit ipsis timorem * *cynosbati*, ne ex ipsa ignis exiret, & illas absumeret. Quod in Henrico quarto proximo Imperatore apparuit. [z] Qui etsi Patris primò vestigiis insisteret, & Paschalem Pontificem captivum custodiret, adeò ut res ad pactionem rediret, Pontificis ipsius sacramento confirmatam; ut *Episcopos scilicet, & Abbates liberis suffragiis lectos Imperator sine simonia, annulo & virga investiret; Episcopiq; sic investiti liberè consecrationem ab Archiepiscopo ad quem pertinuerint, sumerent; qui verò à Clero & populo electus fuerit, verùm ab Imperatore non investitus, à nemine consecraretur:* quum tamen rursum solutus custodiis esset, & fœdera júsq; jurandum aperto perjurio violans, damnaret tùm privilegium quod Imperatori concesserat, tùm Imperatorem ipsum, ídq; complurium consensu Episcoporum, qui ex multis provinciis * in duabus Synodis Romæ habitis coierant; Imperator Patris sui exitum reveritus, privilegium à Paschali datum sibi, Calisto Pontifici remisit, eidémq; possessiones & *regalia Beati Petri* restituit. Atque hoc pacto, Papa æqualis saltem Cæsari factus est. Unum autem adhuc superest artificium, quo Cæsaris evasit Dominus. Quum primùm hereditatis jure Carolus magnus Rex Franciæ, Italiæq; jure victoriæ, post multa in Pontificatum collata beneficia, restituisset Leonem ejectum à Romanis; & ipse Romam advenisset, ut illum in sede Apostolica manibus quasi suis collocaret: [a] Pontifex de referenda gratia cogitans, commodum esse duxit ipsum Imperatorio titulo insignire. Quod amplis verò cum ceremoniis, solenníq; celebritate peregit, chlamydem Augustalem corpori ejus imponens, capitíq; coronam auream, perungens illum (ut olim [b] Sadok Salomonem) oleo, populo ter lætissimis vocibus acclamante; *Carolo magno, piissimo Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Hic honor, posteris Caroli qui ipsi successerunt, [c] quandoq; id Pontifice ab iis contendente, [d] quandoq; ipsis ambientibus præbitus est, ab iisque eadem cum solennitate & sancta pompa receptus, qua eum priùs Pater receperat. Aliquo verò temporis decursu à Caroli progenie regnum discesserat: quod Otho Germanicus (ut antè Carolus) armis assequutus est. [e] Eodem Otho solenni apparatu inauguratus Cæsar est. [f] Et, ab illo tempore, qui Rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ & Occidentale Imperium

(2) Petre, tu, Paulusq; frater tuus. Nomine vestro.

* Archiepiscop. Moguntin.

* Anno 1085.

* Iudic. 9. 15.

z Sigon. l. 10.

* Prior habita est Anno 1112. altera 1116.

a Sigon. lib. 4.

b 1. Reg. 1. 39.

c Sigon. lib. 5. in Carolo Calvo.

d In Ludovico Balbo, & Carolo Crass.

e Lib. 6.

f Lib. 7.

rium tenuit, ac propterea tres coronas accepit: unam Germaniæ Aquisgrani, ab Archiepiscopo Moguntino; alteram Italiæ Mediolani, à Mediolanensi; tertiam Imperii Romæ, à Pontifice. Neque ante Pontificis consecrationem Imperatoris nomen usurpabat: sed *Rex Germaniæ atq; Italiæ*, sive *Rex Romanorum, & Imperator designatus*, appellabatur. Verùm hanc ceremoniæ partem, Pontifex, ut prudens & ad res gerendas doctus Princeps, in aliam momēti alicujus technam, suo usus opportunè tempore, convertit: & quoniam Imperatorium nomen dare soleret, capitibúsq; Cæsarum coronam imponere; conabatur item imponere hominibus, se imperium, & jus coronæ concedere. Illa huic negotio opportuna tempora, quum tumultus à duobus Henricis excīti, Synodíq; contra Vecilonem Episcopū sententia, ingenuissent opinionem istam, penes Pontificem scilicet dejiciendi Cæsares jus manere. Hinc enim futurum, ut omnes conjicerent, penes ipsum quoq; illos creandi jus esse. Quum igitur [g] Lotharius, ab Henricis proximus, Imperator Romæ dictus esset: Innocentius secundus, qui illi coronam imposuit,* hujus facti seriem in regiæ suę Lateranensis pariete pingi, atq; hos versus subscribi mandavit.

> g Sigon. l. 11.
> * Anno Chr. 1133.

Rex venit ante fores, jurans priùs urbis honores:
*Pòst * homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.*

> * Papæ vasallus. Nam *homo* hîc eo sēsu usurpatur, quo inde *homagium* deducitur. Quare significat officium istud & servitium, quod cliētes, fiduciarii, & vasalli suis dominis debent.

Adeò affabrè Pontificis pigmentis, & poemate, res composita est, & quasi rota rerum conversa: ut, quum priùs Pontifex Principatum suum, beneficio Imperatoris possideret; nunc tandem beneficio Pontificis, Imperium suum Imperator occupare videri debeat. Nam etsi dici soleat, *Pictoribus* atq; *Poetis* quidlibet fingendi datam esse potestatem: tamen ille & gregales ejus, qui hunc ludum finxerant, volebant ut pro re gestâ acciperetur. Cujus documentum * non multos post annos in proximo Imperatore, qui coronatus Romæ fuit, Friderico illo primo apparuit.[h] Pontifex qui illi coronam imposuit, (erat hic Nicolaus * Hastifragus, dictus Adrianus quartus,) missis duobus ad illum legatis, Rolando, & Bernardo, Cardinalibus, cum literis quæ de mandato ipsis negotio perscribebantur: commemoravit in iis quàm honorificè Imperatorem accepisset, & *hoc illi dedisset beneficium*, quòd *Imperialis coronæ insigne ipsi contulisset*. His literis lectis, Imperator & Principes mirum in modum offensi sunt, quòd à Pontifice scriptum erat se *beneficii* loco Imperatori insigne Regium *contulisse*. Itaq; veriti ne id significaret, *quod quidam etiam dictitabant, Reges Germaniæ Imperium Pontificum Romanorum beneficio obtinere, (siquidem idem etiam picturâ Lateranensi ac versibus haud ambiguè erat expressum:)* dolorē suū continere non potuerunt, atq; *Imperium haudquaquā Pontificis beneficium esse*, dixerunt. Quibus unus ex legatis, Rolandus, *Cujus ergo tandem erit, si Pontificis non erit?* quum intulisset; Othonem, Comitem Palatinum, astantem, adeò irâ incendit, ut stricto eum gladio appetierit, ac mortem intentârit. Sed Imperator prohibuit, & legatis Romam properè redire præcepit, ac legationem Pontificis, dimissis per omnem Germaniam literis, significavit: adjiciens *se solùm Deo & Principibus Imperium acceptum referre; proinde eos orare, ne tanti Imperii majestatem, à majoribus eorum ingenti cum nominis gloria partam, imminui sua negligentia paterentur*. Pontifex, reversis legatis, quum & ipsorum periculum, & Imperatoris responsum cognovisset: ad Episcopos Germaniæ scripsit, ut Imperatorem ad officium redigerent. Episcopi ipsum alloquuti sunt, & ab eo responsum tulere; se *Pontifici Romano libenter obedientiam præstare: sed Imperii coronam Deo primùm, deinde Principibus Germaniæ Electoribus debere; Regalem unctionem, Coloniensi Antistiti; Imperialem, Pontifici acceptam referre. Cardinalibus à Pontifice missis, ulteriùs progredi non permisisse, quòd literas in detrimentum Imperii ipsos attulisse*

> * Anno 1157.
> h Sigon. l. 12.
> * Angli *Breakspeare* vocant.

lisse comperisset, Olim Imperium Ecclesiam extulit: nunc autem, inquit, *Ecclesia deprimit Imperium. Cœptum est à pictura: inde ventum est ad scripturam: nunc scripturæ autoritas comparatur. Non patiar, immo antè coronam deponam, quàm de Imperii autoritate detrahi ulla ratione permittam. Pictura deleatur, scriptura revocetur, ne inter Regnum & Sacerdotium æterna simultatum monumenta supersint: tum nemo erit, qui meum erga Ecclesiam Romanam desiderare possit officium.* Quæ Cæsaris responsio tam æqua visa est Germanis Episcopis: ut admonuerint Pōtificem, ut iram Imperatoris mitiori legatione permulceret. Præcipuâ autē Episcoporum Germanorum operâ, in Henrico tertio dejiciendo, Pontifex usus est. Quare, quum persentisceret Adrianus Pontifex, ipsis non eandem esse contra Fridericum, quæ contra Henricum fuerat, alacritatē, illorum consilio morigerari coactus est. Duobus igitur prudentioribus & majoris cōsilii legatis missis, scripsit; *nihil causæ fuisse, cur prioribus ejus literis Cæsar cōmoveretur. Licèt enim hoc* (inquit) *[beneficii] nomē apud alios in alia significatione sumatur; tamen accipiendū fuit in eā, in quā nos accepimus, & quā à prima institutione videtur habere. Est enim ex [bono] & [facto] junctū, diciturq́ nō feudū, sed bonum factū. Quomodo in universo Scripturæ sanctæ corpore invenitur: ubi ex beneficio Dei, nō tanquā ex feudo, sed tanquā ex benedictione, & bono facto ipsius, gubernari dicimur & nutriri. Nos autē, ut ipse optimè intelligere potes, bene adeò atq́ honorificè Imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, ut bonū factū possit ab omnibus judicari. Atq́ ita etiā illa in aliā significationē detorta sunt; CONTULIMUS TIBI INSIGNE IMPERIALIS coronæ. Quia hoc verbo [cōtulimus] nihil aliud intelleximus, quā imposuim⁹.* Postulârat verò Cæsar, ut *deleretur pictura, scriptura revocaretur.* Verùm ipsi acquiescendū erat, & quidē acquievit, in ista Papali *scripturæ* mitigatione, aliquātulū etiā à legatis emollitæ. *Pictura* autē majoris ponderis erat argumētum, quàm ut deleretur. Nec tamē, post tātopere mitigatā lenitámq; *scripturā*, cessabat Pontifex cum Cæsare litigare, & in ejus inferre se & intrudere possessiones. Cæsar ad *fodrum in urbibus Pontifici subjectis* exigendum misit: Pontifex remisit, *nō debere illū, nisi suscipiendæ coronæ tēpore, fodrū exigere:* Jussit Cæsar *Episcopos regalia renunciare, & sacramentū apud se dicere:* Pontifex super ea re literas plenas acerbitatis scripsit, & Cæsarem reprehendit. Quibus Cæsar commotus, graves ad eum literas rescripsit, ac [i] nomen suum nomini ejus præposuit, & singulari eum numero appellavit: rursus igitur ad illum Pontifex, *mirari se* scripsit, *quòd Beato Petro, & S. Romanæ Ecclesiæ, non, quantam deberet, reverentiam adhiberet.* Postulavit Pontifex, *ne Episcopos Italiæ hominio sibi obstringeret:* quibus Cæsar respondit, *se Episcoporum Italiæ hominium non quæsiturum, si illi à suis regalibus abstinuissent.* Noluit Pontifex, ut *nuncios ad Urbem ipso insciente mitteret, quum omnes magistratus S. Petri ibi cum universis regalibus essent:* Cæsar *id longiorem consultationem* aiebat *desiderare: Ita enim fieri, ut Imperator Romanus inane solùm nomen dominantis habeat, si Romanam urbem, unde Imperator Romanus appelletur, in potestate non habeat.* His responsis ultro citróq; datis, res ad disceptationem adducta est, inter Pontificis legatos (quatuor Cardinales) & Cæsarem, ut aliquando inter ipsos conveniret. Cæsar, *se judicium & daturum, et accepturum* professus est. Suscepêre Pontificii legati, *æquum esse, ut solùm acciperet: quum Pontifex non ullius hominis judicio subjaceret.* Ad quę, quum Cæsar *se sex Cardinalium, totidémq́ Episcoporum, aut Principum arbitrio usurum diceret:* se ad Pontificem legati scripturos subjecerunt. Scripserunt; conditionē Pontifex repudiabat. Denique, nunquā Adriano Pōtifice vivo inter eos cōvênit. Sed animosus ille Cardinalis Rolādus qui Adrianū sequutus est, & post creationē Alexander dictus, [k] adeò Fridericū veteri suā Papaliū

[i] *Fridericus Imperator Adriano Papæ.*

[k] Sigon, l. 13.

excommunicationum machinâ, & rebellionibus exagitabat; ut, [m] post multa status sui & vitæ discrimina, cedere impulsus sit, & veniam petere. Qua, cōditionibus interpositis, concessâ, * Rolando Venetiis occurrit, ibiq; ad pedum ejus osculū se inclinavit, & à dextra recepit, & *palafridū ascēdēti strepā tenuit*. Ita depresso Friderico Imperatore, Papatus evectus est, summúsq; in orbe terræ status evasit; & *Petri* cathedra jus *Cæsaris* occupavit. Si ambitionē istā [n] Henricus quintus (Friderici filius) impedire studuerit, *Petri patrimoniis* occupatis, iisq; beneficii nomine tribus Ducibus concessis: currentis aquæ impetū sistere conatus est, quæ quo fortiùs reprimitur, eo violenter magis erumpit. Nā Philippo fratri ejus, ex tribus illis potētissimo, statim cōmunione fideliū interdictū est: & Innocentius tertius (observato tempore suo diligenter) *geminos gladios illos* in omnes strinxit: subditos eorū obedientiâ & fide exsolvit; atq; tùm Clerū suum, tùm populum in illos concivit; neq; persequi ipsos desivit, donec partim anathematum, partim armorum viribus eos profligasset; & quod Rolādus benè inceperat, * id ad exitū ille egregiè perduxit. Hactenus temporalis statûs regniq; Papalis historiam strictim attigi, unde ad supremum ejus fastigium ascenderint. Cujus historiæ veritas contestata est monumentis historicorū fide dignissimorū, [o] Pauli Diaconi, [p] Othonis, [q] Radevici, [r] Aimoini, [s] Rheginonis, [t] Sigiberti, [u] aliorúmq; qui iisdem temporibus floruerunt, quibus singula gerebantur. Quin immo [x] illi, variis in rebus circūstantiisq; quæ pōdus habent, explicuerunt partim plura, partim eadē vehementiùs, quàm sunt à me perstricta. Verùm, ne quā tibi esset injecta suspicio, nonnullos eorum quædam fortassis ex animi affectione quadā loqui, adversus Papas, aut pro Cæsaribus: temperavi mihi ut non plura attingerē, nec ea cū majori causæ meæ cōpendio, quàm Sigonius in historiâ suâ de *regno Italiæ*, * filio Pōtificis dicatâ, & ad Pontificis cōscriptā gloriā (ut Pōtificis Lectorem decuit,) ex iis aliisq; monumentis, pro verissimis descripsit. Unde valde apertum clarúmq; est, sub prætextu *statûs Ecclesiæ*, disciplinæ Ecclesię in *excommunicationis* censurâ, doctrinæ Ecclesiæ in *meritis operū*, Ecclesię autoritatis in *remittendis peccatis*, *officiis* cuiq; suis exponendis, solvendis hominibus religione *sacramenti* obligatis, & postremò [y] solennitatum Ecclesię *in coronis Cæsarū capitibus imponendis*; gēmas Papā collegisse quibus triplicē mundani regni sui [z] coronā exornet, séq; nō Principē modò, sed Principum terrarum Principē cōstituisse. Erant enim mille ferme & ducēti à Christo anni, quum ad hāc summā ille potestatē aspiraret. Inde longè illustriùs *Babylonē* suā lapidibus *Sionis* exstruxit. Testis Respublica est, cujus civiles magistratus tot calamitates perpessi sunt. quos, per similium fraudū machinas, regnis, bonis, libertate, vitâ spoliavit, si quādo ei impedimento fuerāt: quod [a] Angliæ, [b] Franciæ, [c] Germaniæ, [d] Bohemiæ, [e] Navarræq; regna; & status [f] Florentiæ, [g] Urbini, [h] Venetiarum, in Italia, non sine dolore suo experti sunt. Ecclesia verò, majori cum dolore & cruciatu, in spiritualibus pastoribus suis periclitata est. Nā, ut Samuel, quum Regem in se regnare peterent Israelitæ, (aliarum nationum more,) [i] edixit iis, Regem, qui in ipsos regnaret, planè Regem se, ipsis ac posteris eorum præbiturum; *accepturum filios ipsorum, ut sibi disponeret in curribus suis & in equitibus suis, & currerent ante currum suum, & ut præfecti essent, & ararent arva sua, & messem suam meterent, facerentq; instrumenta bellica sua, & instrumenta curruum suorum; similiter filias ipsorum accepturum in unguentarias, in coquas, in pistrices; etiam agros eorum, & vineas, & oliveta, optima accepturum,*

[m] Lib. 14.
* Anno. 1177.
[n] Sig. lib. 15.
* Anno. 1198.
[o] Hist. Longobard. lib. 6. & Miscell. lib. 21.
[p] Otho Frisin. in Chro. l. 5. 6. & 7. & de rebus gest. Friderici Imper.
[q] De rebus gestis Frider. Imper.
[r] De rebus gestis Francorum.
[s] Chron. lib. 2.
[t] In Chronic.
[u] Ado Vienn. in chron. ętat. 6. Witichind. de rebus gest. Saxon. Gotti ofrid. Viterb. Chro. part. 17 Lambert. Schatnab. in hist. German.
[x] Ado. Vien. ętat. 6. Aimoin. lib. 4. c. 90. Rhegino. lib. 2 Otho Fris. de gest. Frideric. lib. 1. ca. 7. Radevic. lib. 1. ca. 10. 15. & 16. Sigebert. in Chro. ad ann. Christ. 1088. & sic in ceteris.
* *Jacobo Boncompagno, Gregorii decimi tertii filio.* Sigon. præfat. ad histor.
[y] Krantz. Saxoniæ li. 9. c. 15. *solennitates per Ecclesiam introductæ.*
[z] Quam coronam *Regnum* vocant. Plati. in Paul. secūd. Guicciar. in hist. ital. lib. 9.
[a] Polyd. Virg. hist. Angl. l. 15.
[b] Paul. Aemyl de rebus gest. Franc. l. 8. Gaguin. lib. 7. [c] Krātz. Saxo. l. 7. c. 54. & 58. & l. 8. c. 6. & l. 9. cap. 24. [d] Krantz. Wādaliæ l. 12 c. 36. [e] Bellai. comment. de reb. Gall. lib. 1. [f] Nic. Machia. hist. Flor. li. 8. [g] Iovius, de vit. Leon. decim. l. 3. & de vit. Adrian. sexti [h] Guicciard. hist. ital. lib. 8. [i] 1. Samuel. 8. 11.

datu-

daturúmq; servis suis; decimaturum quoq; semina, & vineas eorum, & daturum Aulicis suis, & servis suis; servósq; accepturum ipsorum, & ancillas, juvenes, & asinos, ad opus suum; greges ipsorum decimaturum; denique, ipsos ei in servos futuros: ita, postquam Papa Romanus adeptus esset regnum, hoc est, suprematum in Israelitas Dei, hoc est, Christianos; accepit filios & filias eorum, immo patres & matres, qui ipsos gignerent in Evangelio, ut Cancellarii ejus essent, ut fisci Præfecti, Secretarii, à libellis, Clerici Cameræ, Legati, qui pacis temporibus legationes obirent; in bello verò cohortibus ejus studerent; Episcopatus eorum, & beneficia accepit, prębendásq;, & in his omnibus optima, deditq; servis suis, etiam primitias & decimas possessionum ipsorum, quas Aulicis suis, servísq; largitus est; pastores accepit, doctorésq;, seniores, & diaconos, ad opus suum; decimas Ecclesiarum, immo integras eorum Ecclesias accepit; denique, ipsi cum suis omnibus, facti sunt ejus servi. Si tu, Harte, qui Romæ aliquãdo fuisti, Papámq; de facie nosti, nõ adhuc artificium istud Papæ perspexeris: quòd nõ satis expertus ista fueris, vel potiùs quòd in Pontificio Seminario educatus fueris, (ubi alius generis libri tibi legẽdi offeruntur, quàm qui ejusmodi prodant mysteria,) in eo omnis ignorationis tuæ culpa consistit. Verùm duo sunt vestræ professionis Itali, Frãciscus Sãsovinus, & Onuphrius Fraterculus: quorum [k] alter librum edidit *de administratione Romanæ Curiæ*; [l] alter, varia de *Pontificibus* & *Cardinalibus* volumina. Ex iis hoc ediscas licet. [m] Onuphrius enim docet tres esse Clericorum ordines, qui *Cardinalium* sibi cognomen assumunt. Primos, *Episcopos*; proximos, *Presbyteros*; tertios, *Diaconos*: *Presbyteros*, & *Diaconos*, parœciarum quæ in urbe Romana distinctæ sunt; *Episcopos*, civitatũ quæ urbi vicinæ sunt. Receptâ enim semel in Civitatem fide Christianâ, Ecclesiáq; indies magis crescẽte; fideles in parœcias varias, ut commodior esset & rectior administratio, divisi sunt; etiam *Presbyteros* atq; *Diaconos* habuerunt, qui ipsis præessent & attenderent. * *Presbyteri* illi erant, quibus sacramenta & verbum administrandi negotium; *Diaconi*, quibus pauperum Ecclesiæ cura, eorúmq; victus, committebatur. In initio autem, singulis parœciis unus tantùm *Presbyter* præpositus est, quum propter credentium paucitatem, unus ad negotium sufficere videbatur. Verùm nõ longè pòst, fidelium crescente multitudine, singulis plures dabantur. (1) Hine autem *Cardinalium* nomen manavit, ut is videlicet esset *Presbyter Cardinalis*, id est, principalis, qui ceteris *Presbyteris* ejusdem tituli præesset. Similiter, [z] quum non satis essent ad singulas urbis regiones singuli *Diaconi*, sed in unaquaq; plures crearentur: dignior, sive antiquior ejusdem regionis *Diaconus*, *Diaconus Cardinalis* appellatus fuit. Quod nomen, quũ dignitatem quandam apud *Presbyteros* & *Diaconos* urbis obtineret, ad (3) *Episcopos* tandem circumvicinos, etsi seriùs illud, manavit. Nam apud veteres inauditum fuit, *Episcopum Cardinalem* dici; neq; potuit ulla cum ratione fieri, quum illi, æqualis cum ceteris autoritatis, non possint eorum ratione *Cardinales* dici. Ceterùm processu temporis, more hoc invalescente, factum est nescio quo modo, ut obtinuerint. quare ex *Cardinalibus* Romanis, sex *Episcopi* sunt, Albanus, Tusculanus, Prænestinus, Sabinus, Portuensis, Ostiensis: reliqui, quorum numerus priscis temporibus, pro parœciarum & regionum numero certus erat, nunc plures aut pauciores sunt, Pontificis arbitratu, (tres & sexaginta fuerunt, * quando hęc ab Onuphrio scripta sunt;) sed omnes præterea, vel *Presbyteri* sunt, vel *Diaconi*. Et quidem ad mille & ducentos ferme post Christum annos, etsi multùm iis Pontifex in rebus suis expediendis uteretur, tamen plerumq; Ecclesiæ suæ aderant, & munus suũ locúmq; retinuerunt. Honor ille & potestas *Cardinalium Episcoporum*, eadem fuit quæ aliarum urbium Episcoporum. *Cardinales Presbyteri*, & *Dia-*

[k] *Sansovino del govern. de regni & delle republ. lib.* 11.

[l] *Onuph. de Roman. Pontif. De Episcop. tit. & diaconiis Card. De vitis Pōtif.*

[m] Li. de Episcopatibus, titulis, & diaconiis Cardinalium.

* *Presbyteri.*

(1) *Cardinales Presbyteri.*

(2) *Cardinales Diaconi.*

(3) *Cardinales Episcopi.*

* Anno. 1557.

coni, neq; ipsi Episcopi fuerunt, neq; pares illis dignitate. Si *Presbyter Cardinalis* electus esset (ut loco dignior ampliori,) ut Episcopatum aliàs capesseret: loco priori cessit, & Romæ Cardinalis esse desiit, quòd *antiquis canonibus cautũ fuerit, unũ hominẽ nõ nisi uno sacerdotio potiri posse*; ideóq; nemo poterat esse *Cardinalis Presbyter* urbis Romæ, & Episcopus alterius Ecclesię. Sed (1) cõculcato à Pontifice Imperatore, & sede suâ ad maximũ in terris fastigiũ evectâ: (2) *Cardinaliũ* simul ab eo evecta majestas est, tanquã Procerum suorum & Cõsiliariorum, iisq; ut præcipuis statús sui columnis usus est. Illis solis Põtificẽ creandi jus detulit: eodẽ, populo, Principi, Cleróq; erepto. Illos honore rubri galeri decoravit: cõcessítq; ut prçcederẽt, primò, Episcopis; deinde, Archiepiscopis; & ipsis postremò, Patriarchis.[n] Amplissimos dioecesium provinciarúmq; multarũ Præsules delegit, ut Eboracẽsem scilicet, & Cãtuariensem, Anglię; Rhemẽsem & Rhodum, Gallię; Toletanũ, Hispanię; Lisbonẽsem, Lusitaniæ; Mediolanẽsem, Ravẽnatẽ, Venetum, Italię; Germanię, Coloniensem, Treverẽsem, & Moguntinum; Bohemiæ, Pragensem; Cracoviæ, Polãdum; Strigoniensem, Hungarię: itẽq; ceteros eximios per universã Christianã Rẽpub. Antistites, qui ipsi Presbyteri Cardinales essent, Cardinalésq; Diaconi. Immo, ita esse ipsis placuit magnopere, quòd per Cardinalatũ ad Põtificatũ ascenderetur. [o] Neq; solebat eos ita instituere, ut Episcopatu suo cederẽt, quò alii in eorum loca subrogati munere illo defungerẽtur, & ipsi curæ Cardinalis Presbyterii & Diaconatus Romæ invigilarent: sed ut dignitatẽ suã meliùs tuerentur, & Papatum corroborarẽt, permisit, ut utrumq;, tùm Episcopatũ, tùm Cardinalitiũ honorẽ retinerẽt. Ubi, ne illã videretur disciplinæ regulã infringere, *unũ hominẽ nõ nisi uno sacerdotio potiri posse*; decreuit, ut non appellarentur *Episcopi*, etsi Episcopatibus fruerentur. Quomodo igitur? Scilicet, Episcopus, si Cardinalis Diaconus crearetur, *electus Episcopus* dicendus est: si Cardinalis Presbyter, *administrator perpetuus* sui *Episcopatûs*. Quemadmodum, verbi causã, Thomas Wolseus Archiepiscopus Eboracẽsis, quum jã Cardinalis Presbyter urbis Romanæ fact⁹ esset, appellãdus fuit, nõ Archiepiscop⁹, sed *Cardinalis Wolseus, Presbyter tituli S. Ceciliæ, et perpetuus administrator Archiepiscopatûs Eboracẽsis*. Et Æneas Sylvius, Senẽsis Episcopus, quum ordinatus esset *Cardinalis Diaconus*, nõ ampliùs dicendus Episcopus, sed *Cardinalis Sylvius, Diaconus S. Eustachii*, & *electus Episcopus Senensis*. Perfugium paulò insolentius, & cuj⁹ aliquãdiu Pontifices ipsos puditum est: quo parciùs saltem usi sunt, usq; ad Clemẽtis quinti tempora. Ille, post aditum factum, audaciùs progressus est. Et istum sequuti successores, qui in Gallia, ut ille priùs, commorati sunt, & Sedem Romanam Avinione collocabant, in morem & exemplum hoc perduxerunt: adeò ut nullus fere Cardinalis creatus sit, qui non haberet *Episcopatum* vel in *titulum*, vel in *commendam*, vel in *perpetuam administrationem*. Istis igitur artificiis (quæ omnia à Pontificibus Avinione inventa sunt,) multas Ecclesias *Episcopis* orbârunt, ut ornarent, verbo tenus, Romanam Ecclesiam *Presbyteris*, & *Diaconis*; re autem vera, Romanam Curiam opulentis & potentibus *Cardinalibus*. Hæc tamen minima illius abominationis desolationis pars est, quam isti in sanctis locis posuerunt. Nam in hanc se latebram conjicientes, sui officii esse, ut *provideant* ne ullis Ecclesiis idonei pastores desint; * *reservârunt* Ecclesiastica beneficia, quoties & quæ demum cunq; voluerint, sibi hæc conferendi potestatem assumentes, eáq; invaserunt, ut his etiam Cardinalium suorum dignitatem tutentur. Neq; hoc factum modò, sed in hunc finem etiam factũ esse Clemens quintus professus est. Qui novis Cardinalibus creatis, reservabat beneficia Angliæ quę vacabãt, quęq; proximè vacatura essẽt, (prçter Episcopat⁹ & Abbatias) ad duorũ milliũ marcarũ summã, iisq; providebat ut duob⁹

(1) Sub *Alexand. tertio Romana Ecclesia ad maximum in terris fastigium evecta fuit, Imperatore Friderico cõculcato.*
(2) *Cardinaliũ maiestas cum Romani Pontificis autoritate crevit.*
[n] Onuph. de Romanis Põtific. & Cardinalibus.
[o] De Episcopis & Diaconis Card.
* *Reservationes, & provisiones.*

Cardinalibus pastoribus suis fruerentur. Quod quum Edovardus tertius impediret, qui sentiens ex illis *provisionibus* quæ *alienis* distributæ sunt, Ecclesiam simul & Rempub. exhauriri, prohibuit ne concederentur: [p] Clemens Pontifex rescripsit, *æquũ esse, ut, creatis nuper à se Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, ipsis ille secundùm status sui decentiam provideret; et hoc præstitisse se quidem in elargiendis beneficiis aut vacantibus, aut vacaturis, in Anglia usq; ad certam summam, duobus ex Cardinalibus, reliquis verò in aliis regnis & partibus Christianitatis; in quibus omnibus consimilem gratiam novis Cardinalibus fecerat, nec in iis ullam rebellionem,* (sic appellabat,) *præter istam Angliæ audierat.* * Quos tũ Cardinales Clemens conscripsit, omnes duodecim fuere. Ex quibus duos tot beneficiis auxit, ut quæ duobus millibus marcarũ valerẽt. Nequeo definitè dicere, quotus ille beneficiorũ numerus fuerit. Sed observãdũ est beneficiũ aliquod, (pro numariâ ratione rerũq; pretio crescẽte) quod jam trecẽtis marcis aut ampliùs cõstat, vix tũ tẽporis cẽtũ valuisse; neq; verò pinguiora beneficia Põtifex delegit, sed ut ad manus proximè queq; occurrebãt; & hanc integrã ad Cardinales suos pẽsionẽ redire voluit, prẹter portiunculas illas quẹ eorũ decumanis, & vicariis, sive curatorculis destinatẹ sunt. Quare duo illi Cardinales (nõ sine probabili cõjectura) centũ beneficiis locupletari poterant, priusquã annuã suã duorũ millũ marcarũ pẽsionẽ assequerẽtur. Sed octoginta fuerint, aut septuaginta, aut verò sexaginta: etiã quinquaginta fuerint: aut, si hẹc impendio plura videantur, quadraginta. Quẽadmodũ istis, ita ceteris quoq; Põtifex providebat: hi quũ decẽ adhuc numero superessent, ducentis beneficiis, si ex proportione velimus ratiocinari, ditãdi erant. Ad quã proportionẽ si universã multitudinẽ, si dimidiã, si quartã partẽ Cardinaliũ revocemus, quos Clemẽs, Clemẽtisq; successores ab illo tempore per * ducentos hosce & quadraginta annos creârunt: subductis rationibus, in myriadas numerus parœciarũ illarũ crescet, quas illi desertas, tãquã greges orbos pastorib⁹ reliquerũt, ut Cardinaliũ suorũ statũ solùm adornarent. Nõ est hoc tamẽ nisi pars aliqua illius abominationis desolationis, quã isti in sanctis locis posuerũt. Quasi enim tot Ecclesiarũ cõmoda tenuiora essent, quã ut Presbyteris & Diaconis Romanẹ Curiẹ sufficerẽt: perrexerũt porrò à beneficiorũ pluralitate, ad pluralitatẽ Episcopatuũ. Et * *cõmẽdãdi* (ut vocãt) nomine, hoc est, cõmittẽdi eos alicuj⁹ fidei ad tẽpus aliquod, donec probi & pii Episcopi parari possent: [q] Duos uni Cardinali Episcopat⁹ cõmiserunt, etiã tres quãdoque, quatuor, quinque, vel sex etiã nõnũquã dederunt. Cardinalis Hippolytus, [r] qui Dominũ Juliũ fratrẽ suũ germanũ ambob⁹ erutis luminibus excæcavit, quòd puella quædã, quã adamârat, in fratrẽ suũ magis quã in ipsum amore incenderetur, eiq; cõfessa esset, fratris ejus oculorũ splendore & forma se tam valde capi: [f] iste Cardinalis, quum esset Diacon⁹ S. Luciẹ Romę, & Archipresbyter S. Petri, Episcopatum possedit Mediolanensem, Capuanum, Strigoniensem, Agriensem, Mutinensem, & Ferrariensem. Atq; ex senis istis, tres Archiepiscopatus in diversis regnis & ditionibus exsistunt; Mediolanẽsis, Lõbardiæ; Capuanus, Neapolis; Strigoniensis, Hungariæ; singuli à se aliquot centenis milliarium dissiti: tres alteri viciniores sibi invicem adjacẽt; unus in Hungaria, aliiq; duo in Italia siti. Atqui si Põtifices sex diœceses provinciasq; tãtis locorũ intervallis disjũctas acceperint, easq; destitutas & orbas omnes Episcopis, Archiepiscopisq; reddiderint, ut unius Cardinalis, (& is Diacon⁹ tãtũ) põpã eveherent: ad quã tandẽ vastitatẽ & solitudinẽ, diœceses & provincias, quẹ cõmodiùs cõjũgi poterãt, ipsos adduxisse putabim⁹, ut reliquos, eosq; majoris dignitatis, hoc est, Cardinales Presbyteros, & Episcop. amplificarẽt? Ecce majorẽ istã tamẽ desolationis abominationẽ, immo, cũctis istis majorẽ, quas hactẽn⁹ cõmemoravi. Nã [t] Cardinaliũ possessiones

[p] Epist. Clementis Papæ ad Regem Angliæ Edovard. tertium. Walsingham. hist. Angl. in Edovard. tert.

* Onuphr. in Roman. Pont. & Cardin.

* Ab An. 1343 quo anno Clemens illas provisiones pro suis Cardinalibus concessit.

* Commendare alicujus curæ. Vnde vox *commenda* derivatur. c. Obitum. cap. Catinensis. Distin. 61. ca. Clericum. ca. qui plures, 2. q. 1. c. dudũ. 2. de elect. c. Nemo. de elect. in Sexto.

[q] Onuphrius. de Episcopatibus, titulis & diaconiis Car.

[r] Guicc. hist. Ital. lib. 6.

[f] Onuph. lib. de Rom. Põt. et Card.

[t] Onuph. de Episcop. tit. et diac. Card.

(unà [u] cum emolumentis quę hinc manabant) erant per se amplæ satis, iisq; nonnulli fortassis cōtenti vixerunt: sin minùs, numerus tamen illorū bruchorū ad ceteram turbam exiguus fuit. Sed Pontificum tribunal alii canes lambebant, affines, officiarii, famuli, clientuli, vasalli, asseclæ, omnisq; caterva Curiæ, qui non ex micis à Cardinalium mensis cadentibus alebantur, quorum multitudo tanta fuit, quanta * locustarū illarū quæ totius Ægypti terræ superficiem operuerūt. Ac isti etiam pastores Ecclesiarū facti sunt, (non qui eas pascerent, sed qui degluberent) iisdem artibus Papaliū *reservationū, commendarum, provisionum*, aliisq; ejusmodi Ægyptiacis præstigiis. Documentum hujus tradunt [x] nostri Annales de Henrico tertio; quo regnante, Pontifex unico mandato suo emisso præcepit Episcopo Cantuariensi, Lincolniensi, & Sarisburiensi, ut *trecentis Romanis* in primis beneficiis vacantibus providerent, omni illis interdicta beneficiorum collatione, donec tot *competenter* provideretur. Sed quid trecentos commemoro? Romanorum & Italorū, qui in Ecclesiasticas Angliæ possessiones invecti sunt, adeò intra paucorū annorum spaciū aucta est multitudo, multùm quidem à Gregorio nono, sed multo magis ab Innocentio quarto: ut * quum eorum omnium per universam Angliam jussu Regis rationes collectę essent, summa redituum eorū inventa sit annuatim *sexaginta millia marcarum*; ad quā summā non attingebat reditus annuus totius regni Angliæ. Quam rerum perturbationem quū vehemēter Rex aversaretur, nec tamen ei obsistere auderet Pontificem reveritus, (cujus iræ adversus patrē suū Johannem, adversus cognatum Othonem Imperatorem, & Othonis successorē Fridericū secundū, plagæ recentes ob oculos ejus obversabantur:) * à Magnatibus & Popularibus regni missa epistola est ad Innocentiū & Synodū generalē, tū temporis Lugduni indictam. Ubi, post querelam habitam *de infinito Italicorum numero, qui ditabantur in Anglia gregibus, qui neq; pascebant, neq; cognoscebant, neq; curabant oves, sed fructus tantùm percipiebant, extra regnū asportantes*: de *annuis reditibus Italicorū in Anglia, qui summā sexaginta milliū marcarū, & ampliùs confecerunt, aliis perceptionibus diversis exceptis, quas metebant, ubi sementē nō jaciebant*: porrò, de *spe illa quā de gravaminū istorū remedio aliquo post Innocentii creationē cōceperunt, quū jā tamen opprimātur ultra modū à legato Pontificis, qui majori potestate quàm unquam habuit legatus, nuper Angliā ingressus, excedens excedit; quædā beneficia jā vacantia, triginta marcas vel amplius annuatim valētia personis Italicis confert; quædā, decedētibus prioribus, aliis Italicis suppositis cōcedit; quædā, quū ea vacare contigerit, Italicis nititur assignare; immoderatas insuper à viris religiosis pensiones extorquet; & contradictores & resistentes excommunicationis & interdicti sententiis passim supponit*: post hanc querelam habitam, Optimates & Populares Anglię paternitati ejus supplicabāt humiliter, ut *ad filios suos manū misericordiæ vellet extendere, & eos ab illis oneribus gravaminū et oppressionum, quæ tùm Deo, tùm hominibus erant detestabiles, relevare*. Nuncii, per quos ista mittebatur epistola, illam præsente Pontifice generali Synodo obtulerunt. Apud quam etiam conquesti sunt de *adjectione quadam Papalibus Bullis inserta, quæ dicta est* [*Non obstante*,] *cujus vi omnes ille leges & instituta Ecclesiæ perrupit, ut his conatibus suis prodesset*. Quicquid enim scripto Bullæ videbatur officere, id is amovere solitus est istā machinā suā [*Non obstante*.] Exempli causā: lex decretúmq; Ecclesiæ à Synodo confirmatum, cavebat, [y] ut *non nisi uno tantùm beneficio unus potiatur, neq; quisquam ullum possideret, nisi qui per seipsum curam ejus valeat exercere*. [z] Emittit bullas suas Pontifex, ut *quinq; Romanis, nato Rumfredi, et nato talis, et talis, in singulis Ecclesiis provisū sit, unicuiq; eorum in reditu centū librarum, non obstante lege*. Dolebat Innocentio Pontifici de hac supplicatione, & querela

[u] Decret. Nicolai quart. Consil. Basil. Sess. 23.

* Exod. 10. 15.

[x] Mat. Paris in Henrico tertio, an. 1240

* Ann. 1245.

* *Epist. magnatū & universitatis regni Anglię ad Innocent.* Papam in Concil. Ludg.

[y] Concil. Later. sub Alexand. 3. cap. 13.

[z] Mat. Paris in Henrico tertio, ann. 1231.

Anglicana, quippe quæ suprematum ejus ad vivum resecaret. Ceterùm in præsenti optima pollicitus est, & varia ipsis privilegia à Lugdunensi Synodo remisit: ut *Patroni beneficiorum Ecclesiæ deinceps liberè designarent, & Episcopi reciperent idoneas personas, quæ velint & possint in beneficiis utiliter deservire*: ut *Cameræ suæ Clericus* (legatus is erat) *non nisi duodecim pluribus, sine Patronorum consensu provideret; si Angli studiosos, honestos, & gratos se exhibere vellent (præsertim Nobilium & Magnatum filii,) se paratum esse provisionis Ecclesiasticæ dexteram liberaliter aperire, ac etiam cum illis quos velut nobiliores esse noverit, super beneficiorum pluralitate honorificè dispensare*: denique, *ne Italicus Italico immediatè succederet*; quod impetratum est propter fraudes eorum, qui mortuo beneficiato, alium furtim supponebant. Et ista quidem promissa fuerunt: sed promissa tantùm. Nam post discessum Synodi, Pontifex ad se rediit, & * omnia per hoc repagulũ [*Non obstante*] infirmavit. Et ut obduravit cor suum [a] Pharao contra Israelitas, atq; majora illis imperavit opera, quum servitutis onere levari cuperent: ita gessit se contra Anglos Innocentius. Adeò ut, quum sex aut septem post annos, rursum inquiri cœptum est in lateres, ab Anglicis nostris Israelitis Italico Pharaoni fabricatos: summa redituum illorum, quę priùs sexaginta millia marcarum confecerat, [b] ad plusquam septuaginta millia marcarum ascenderet. Quòd si verò importuna hujus abominationis libido, in una natione tam prodigiosa exstiterit: quam tandem fuisse censebimus in universis, totius reliquæ Christianæ ditionis? Si ante hos trecentos annos, in flore Pontificatûs sui, quum ejus adhuc vix connexi essent artus & confirmati, eousq; Pontifices provecti sint: quid postea ausos esse cogitabimus? Si unico artificio, vel parte ejus potiùs aliqua ad Italos suos locupletandos applicata, tantis opibus copiisq; Curiam suam & statum ditârint: quid de eâdem machinâ credi poterit, admotâ ad cujusq; regionis incolas, quosq; in patria sua ornandos? Quid de multis aliis technis, quarum aliæ non minores istâ, aliæ majores etiam fructus importârunt? Quid de universa administratione Papali: in qua *plenitudinem* sibi *potestatis* vendicârunt, omnia pro libidine sua faciundi, atque hanc vendicatam à se potestatem exercuerunt? Quibus demum verbis eloquamur prędas illas rapinásque, quas ex Ecclesia Christi ceperunt? Primùm, per administrorũ Ecclesiæ ordinationem, Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas creantes, pro illisq; *pallia* texentes; abrogantes nonnullorum electiones, qui ritè electi fuerunt; aliis verò concedentes (qui jure legi non poterant,) ut loca per *postulationes* occuparent: mutantes, traducentésq; tùm ipsos ab una Sede ad aliam per *translationes*, tùm diœceses ipsorum per *divisiones*; pastorum adhuc superstitum beneficia per *gratias exspectativas*, aut *advocationes*, in alios conferentes; fabricantes nova animalia, (1) *Prædicantes Fraterculos*, & (2) *Minoritas*, pastorali ipsis permissa potestate; per *dispensationes* suas indulgentes pueris, spuriis, fatuis, ut animarum curam possint obtinere; indulgentes homicidis, adulteris, simoniacis, ut beneficia sua retineant; indulgentes pluralitatibus, ut unus homuncio viginti augeatur beneficiis; indulgentes non-residentiæ, ut nihil sit opus illis greges suos invisere; denique, abundantes *reservationibus, accessibus, regressibus, coadjutoriis, unionibus, præventionibus, permutationibus*, & mille aliis id genus artibus, quæ ad forum beneficiorum pertinent, & Episcopatuum. Secundò, per causarum Ecclesiæ tractationem: ubi ab omnibus terris *appellationes* acceperunt, ut possent ipsi interea in perturbatis aquis piscari; per mille milliaria homines per *citationes* ad consistorium suum traxerunt; pacem disciplinámq; Ecclesiæ disturbârunt missis *legatis à latere*, commissis causis suis delegatis, munitis adversus legum autoritatem privilegio suo nocenti-

* *Omnia hæc & alia per hoc repagulũ [Nõ obstante] infirmavit. An. 1246.*

[a] Exod. 5. 9.

[b] Anno 1252.

(1) Dominicani, sive atrati Fratres (ut vulgò appellati sunt à nostratibus,) & (2) Franciscani, sive Fratres mendicantes, speculatores Papæ.

bus,& inferioribus à ſuperiorum imperio ſolutis; amplificârunt humana decreta, & tanquam laqueos appoſuerunt,quibus alites irretirentur; *leges*, ne ſit licitum ullis hoc vel illo gradu ſive ſanguinis,ſive ſpiritualis affinitatis conjunctis,nuptias contrahere; *canones*,ne fas ſit illis,quorum perſonæ hoc vel illo nævo laborant,ad ſacerdotales ordines aſpirare; *vota*,peregrinationis,caſtitatis,paupertatis,obedientiæ,vota Monialium,Monachorum,Fraterculorum; quorum omnium votorũ religionem pecuniæ remiſerunt; etiam,ſacramenta,illáq; graviſſimis verbis conceptis facta ſolverunt, & perjurium patrandi licentias dederunt: nundinati ſunt *peccatorum remiſsionem*,mercatíq; animas humanas; reſipiſcentiam in pœnas *pœnitentiales*,& *pœnitentiales* pœnas in argenteas aureáſq; fodinas tranſmutârunt; *indulgentiarum plenariarum*(quas appellant) *Jubilæos* proclamârunt omnibus,qui Romam centeſimo quoq; anno venirent,& Eccleſias illic * devotè inviſerent; *Jubilæos* iſtos contraxerunt, & à centum annis ad quinquaginta, à quinquaginta ad triginta & tres,à tribus & triginta ad viginti quinq; annos deduxerunt; & quoniam non omnes Chriſtiani Romam venirent ad indulgentias iſtas comparandas, circumforaneos ſuos ſarcinulis indulgentiarum onuſtos homulos in omnes oras emiſerunt,ut cunctis iſtæ ad fores numeratâ pecuniâ præſto eſſent: reſervârunt ſibi præterea caſus,maximíq; pretii crimina,ut Simoniam,Sodomiam,offenſam libertatis Eccleſiæ,à quibus nemini niſi ipſis ſolis quenquam licuit abſolvere; &,ut homines poſt pœnitentiam factam abſolvant,Papalem mercatum Romæ erexerunt,quem *pœnitentiarium* vocant,ubi abſolutiones iſtæ certis pretiis venduntur: neq; hoc apud vivos mercatu ſuo ſatiati,merces ſuas defunctis etiam venales propoſuerunt,(at viventibus tamen pro illis ſolvendum eſt,)quot aurei annumerantur,totidem animabus omnia peccata remittenda, ipſáſq; pœnis purgatorii liberandas eſſe. Tertiò,per bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem,quæ ſevocârunt(ut [e] injuſtus,ſed prudens diſpenſator)à Domino ad privatum quæſtum; Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum poſſeſſiones onerârunt, *penſionibus*, *tributis*,*ſubſidiis*: ab illis exegerunt,*decimas quintas*,*decimas*,*quintas*,*tertias*, *medietates* bonorum ſuorum, ad bella illa tuenda, quæ ipſi cum Cæſaribus geſſerunt: expilârunt beneficia ad Abbatias per *appropriationes* ditandas,ut ipſi poſtea in fructibus Abbatiarum grãdius ſpicilegium faciant: Prælatis,& iis qui Prælaturas affectabant imperârunt, ut cum ipſis *componant* pro *pallis*,pro *baculis paſtoralibus*, pro *mitris*, pro *annulis*, pro ſchedulis *ſignandis*; ac ut cum eorum ſervis quoq; componant, pro *ſcriptione*,pro *lectione*, pro *ſubſcriptione*, pro *approbatione*, pro *collatione* cum exemplari, pro *relatione in acta*,pro *taxatione*,pro *receptione*,pro *aſſervatione*, pro *traditione*, atq; etiam pro *funiculo* & *plumbo*,quibus bullę Papales ligatę obſignatæq; eſſe ſolent: novos excogitârunt officiarios,immo armenta nova catervâſq; officiariorum *Cancellariæ* ſuæ,hoc conſilio,ut illi loca iſta venundarent,quibus multis aureorum millibus venditis,exegerunt à miſeris clientulis, qui Romam propter *gratiam* aut *juſtitiam* itabant, ut pecunias illas annumerarent, auctis maximum in modum bullarum ſuarum pretiis & impenſis: exercitus illos *Regiſtrariorum* ſuorum,*Notariorum*,*Protonotariorum*,*Dictatorum*,*Scribarum*,*Abbreviatorũ*,*Datariorum*,*Reſcribendariorum*,*Rationalium*,*Sollicitatorum*,*Plumbatorum*, *Speculatorũ*,*Regẽtum*, *Viatorum*,ceremoniarum *Clericorum*,*Clericorum* cubiculi, *Clericorum* Cameræ,aliaq; extra numerum mancipia, precio ſanguinis ſervorum Chriſti aluerunt: annuum,ſtatúmq; imperârũt vectigal ex *primitiis*,ex *decimis*,ex *Abbatum*,*Epiſcoporum*,*& Cardinalium defunctorum fortunis*, in quas ut exſecutores invaſerunt, & quum illis teſtamenta faciendi licentiam conceſſerint,ſibi ipſis tamen partem ali-

* *Hîc des devotè: cœleſtibus aſſocio te. Mẽtes ęgrotæ per munera ſunt ibi lotæ. Ergo venitote gentes à ſede remotę. Qui datis,eſtote certi de divite dote.*

[e] Luc.16.8.

quam reservârunt, ut scilicet, ab unoquoq; Cardinale (præter quingentos illos ducatos, quo pretio * annulum suum quisq; mercatur) omnes *gemmas* ejus *capellares, ornamenta, vasáq,* tam aurea, quàm argentea, *cruces, candelabra, calices, Imagines,* aliáq; ejusmodi spolia: tot deniq; tendiculis hamísq; aucupati piscatíq; sunt, ad mortalium ubiq; terrarum bona in suas arculas corroganda, ut [d] Aulicus quidam Romanus asserat, *Cameram Pontificis mari assimilatam esse, in quod intrant omnia flumina, & non inundat.* Quartò, per censurarum Ecclesiæ abusionem: quo enim alio nomine appellem? Quum iis tanquam vis & violentiæ instrumentis usi sint, quibus omnis sui avarissimi voti compotes evadant. Si quis, sive Patronus, sive Episcopus, sive Archiepiscopus curam Anglorum gregum Romanis pastoribus, seu potiùs lupis tradere recusaret: si quis flagitiosam nundinationem, & auctionem impiam Papalium *dispensationum, absolutionum, indulgentiarum* reprehenderet: si quis renueret ea ipsis vectigalia pendere quæ per *legatos* suos, *mercatores, collectores, nuncios, speculatores,* & *viatores* exigebant: statim, pro hominis conditione, in ipsum *censura* emissa est, vel *suspensionis* ab officii sui administratione, vel *interdictionis* ab usu omni Ecclesiasticæ functionis, vel *excommunicationis* ex societate fidelium, vel *citationis* ut se Romæ sisteret, ibidem correptionis supplicium subiturus, vel *denunciationis pro hæretico* si obstinatus persisteret, deindéq; seculari potestati ignibus cremandus tradebatur. Quod in eam consuetudinem venit, ut usitatè Auditori Cameræ Papalis, autoritas data sit excommunicandi, aliásque censuras exercendi, si lupæ Romanæ, (quæ pendunt vectigalia ut ipsis scortis esse liceat) aliíq; sanctorum redituum mancipes, ad diem non dissolvant. Et quoniam non valuerunt perpetuò censuræ istæ satis ipsorum votis facere: idcirco, sicut eas adversus civiles potestates dilatârũt ut inde aliquid lucrarentur, (quemadmodum ab Angliæ Rege, præter *Petri denarios*, annuam mille marcarum accessionem, quę tamen non nisi expilatiuncula quædam erat:) eodem modo contra Ecclesiasticos Antistites eas firmârunt sacramento fidelitatis (quod à Præsulibus evicerunt,) ad *defendendum Papatum & regalia S. Petri.* Præcipuè verò hoc, dum intexunt pariter autoritatem, qua ipsis solis, & præterea nemini, liceat Episcopos deponere. Unde si gravantur Episcopi per omnia illis assentire, quum ex sacramento obedientiæ suæ ipsis imperetur: at possessiones tamen dignitatésq; suas, etiam libertatem, vitam deniq; ipsam (si in Pontificis sint ditione) amittendi metu, Domino suo servire discant. Sed quod caput omnium est, quo illi agrestes apri vineę Domini maximam vastitatem intulerũt, quintum est & ultimum: sanctiones scilicet eorum, cõfirmationésq; legum Ecclesiæ. Nam si patrassent, & solùm patrassent ista flagitia: quà homines, ista, non quà Pontifices, commisisse viderentur; & subesset adhuc spes quædam, uno tyranno sublato, proximum gubernacula Ecclesiæ rectè tractaturum. Sed facinora sua legibus suis confirmârunt, & effecerunt, ut leges illæ pro Canonibus & regulis Ecclesiasticæ disciplinæ acciperentur: *Decretales, Clementinæ, Extravagantes,* & verè quidem extra modum vagantes, *constitutiones Apostolicæ,* & irregulares, ut ita dicam, *regulæ Apostolicæ Cancellariæ.* Quorum omnium spectatus finis & usus adeò crassus est, adeóq; manibus ipsis attrectari potest, ut Budæus, doctus jurisconsultus, Gallorum Regis Secretarius, gravem quęrimoniam habens de magna Pontificũ, & Cleri iniquitate, culpam ejus omnem in leges eorum & jurisdictionem conferat. [e] *Pontificiam jurisdictionem ita degenerasse,* inquit, *cernimus ex caritate prisca, ut ubi æqui boniq; sinus solebat esse, ibi litium officina capturarúmq; improbiorum nunc esse videatur. Inde illa formularum aucupia, & rituum Pontificiorum cautiones, ad circumscribẽdam familiam Domini concinnatæ.*

* Papa Cardinalé à se creatum donat annulo: Cardinalis vicissim moriturus legat Papæ pro hoc munusculo, quingentos ducatos. Non tanti vendunt suos annulos aurifices Londinenses.

[d] Theodoric. à Niem. in Nemor. Vnion, Tract. 6. c. 37.

[e] Guliel. Budæus de asse & partibus ejus, lib. 5.

natæ. Inde mulctarum compendia Præſulibus enata. Indidem ſacrilegæ nundinæ earum rerum,quæ in commercio humano ſine piaculo eſſe non poſſunt: Mitto teſſeras non modò veniales,ſed etiam venales,impunitatem ſcelerum,& ſolutionem ſacrarum legum ſordidâ benignitate largientes. Itáq; ſacroſanctos Canones melioribus annis factos,ut iis velut regulis,vita Clericorum dirigeretur:jam in amuſſes plumbeas evaſiſſe quis non videt? Quales olim fuiſſe canones Leſbiæ ſtructuræ tradit Ariſtoteles. Nam ut canones plumbei & molles non ſtructuram operum tenore æquabili dirigunt, ſed ex ſtructorum commodo & libidine flexiles, ſtructuræ accommodantur: ſic canones Pontificii ex uſu flexibiles, plumbei, & cerei facti ſunt, ut jamdiu inſtituta majorum,& ſanctiones Pontificiæ non moribus regendis uſui eſſe,ſed (propemodum dixerim) argentariæ factitandæ autoritatem accommodare videantur. * Scripſerat iſta Budæus,antequam Lutherus quicquam tentaret contra Pontificis indulgentias. Adeò perſpicuè leges Pontificum ad ſua commoda,non Eccleſiæ, ipſis prudẽtioribus Pontificiis judicibus,vergere videbantur. Atq; ita tibi ſummam expoſui eorum,quæ dicebam ex ſcriptis veſtratium,Onuphrii,& Sanſovini tibi conſtare poſſe. Nam ubi Patres Baſileenſis Synodi, id meditantes conantéſq; ut Eccleſiam reformarent, plenitudinem Pontificiæ poteſtatis arctioribus limitibus concludebant, [f] amputando maximam partem *reſervationum* ejus,[g] omnéſq; *exſpectativas gratias*, & [h] *compoſitiones*; contrahendo etiam [i] *citationes*, [k] *diſpenſationes*, [l] *appellationes*, [m] *numerum poſſeſſionéſq; Cardinalium*; inprimíſq; [n] definiendo (ſecundùm [o] Conſtantienſem Synodum,) *Papam teneri Synodo obedire*,itáq; ei *ſubjici*: [p] Onuphrius hinc pronunciat,illos *ſub prætextu reformandi Rempub.Chriſtianam,pleraq; Eccleſiæ Romanæ privilegia,& ea quæ magis neceſſaria, omnino tollere & antiquare ſtuduiſſe.* Quæ quidem ſententia ſi diligenter attendatur,myſteria illa, de quibus loquutus ſum,prodit. Præſertim ſi adjungatur iſta [q] commentationi ejus de *Cardinalibus*, & illi [r] de *vitis Pontificum* hiſtoriæ: ubi narrat planè, in quem finem uſi ſint iis *magis neceſſariis privilegiis.* Quanquam in * turpiorum praxi eſt aliquanto tectior, eáq; partim fucat,partim prætermittit. Sanſovinus autem homo apertior eſt:ſed Pontificis tamen ſtatûs ſtudioſus. Nam, deſcribens [ſ] Romanæ Curiæ adminiſtrationem,primùm,in *Conſiſtorio*; deinde, in *Pænitentiaria*; tum, in *Curiis libellorum*, alterâ *gratiæ*,alterâ *juſtitiæ*; poſtea,in *Cancellaria*; & poſtremò,in *Camerâ*: tantundem re planè perſtringit,quantum à me dictum eſt de importuna Pontificum libidine,in officiariorum ordinatione,tractatione cauſarum,bonorum adminiſtratione,abuſione cenſurarum,& legum Eccleſiæ ſanctione. Etiam, hoc addit ampliùs; quo manifeſtò docetur,quàm degenerent ab Epiſcopali ſtatu, ad Regium: *eſſe certum* videlicet,*Præſulem conſtitutum,quem * Vicarium Romanum appellant,cui earum rerum omnium intra Romanæ diœceſeos fines curam mandârũt,quæ ad quemque in ſua diœceſi Epiſcopum ſpectant,& quæ ſimiliter ad ipſos in ſua pertinent, quà propriè ſunt Epiſcopi Romani.* Denique, ſi quid in ſingulis illis,quorum eos inſimulavi, non ita planè plenéq; à Sanſovino,aut Onuphrio explicetur: fuſiùs adhuc cumulatiúſq; id oſtendam,& evincam, veſtrorum [t] Chronographorum, [u] Ventilatorum antiquitatis, [x] Juriſconſultorum,[y] Doctorum, & [z] Pontificum commenta-

* Anno 1514. triennio ante illam Leonis decimi immoderationem, quam Lutherus reprehendit. Guicciard. l.13. Sleid. l. 1.

[f] Concil. Baſil. ſeſſ. 7.12. 23. 31.

[g] Seſſ. 31.

[h] Seſſ. 12. 21. & 23.

[i] Seſſ. 31.

[k] Seſſ. 26.

[l] Seſſ. 20. 31.

[m] Seſſ. 4. 23.

[n] Seſſ. 2. 3. 18. 26. 31. & 33.

[o] Concil. Cõſtant. Seſſ. 4. & 5.

[p] In Rom. Põtif. & Cardin.

[q] De Epiſc. titul. & Diac. Card.

[r] In vit. Pont. adjunctis Plat.

* Exempli cauſâ: in vitis Alexandri ſexti, & Leonis decim.

[ſ] Governo della corte Roman, Del gou. de reg. & delle repub: lib. 11.

* *Vicario di Roma.*

[t] Mat. Paris & Tho. Walſing, hiſt. Angl. Guicciardin. Ital. Æmyl. Gall. Krantz. Saxon. Theodoricus à Niem, de Pont. & ſic alii de aliis ſtat. & Reg.

[u] Franc. Picus Mirandula in orat. ad Lateran. Concil. de moribus reformandis. Polyd. Virgil. de inventoribus rerum. Magiſt. cerem. ſanct. Eccleſ. Rom. Taxæ Romanæ Pænitentiariæ. [x] Canoniſt. comment. & Gloſſ. in Ius Canonicum, Duaren. de ſacris Eccleſiæ miniſt. ac benef. Petr. Rebuff. Praxis beneficiaria. [y] Durand. de modo celebrand. Concil. gener. Pet. de Aliac. Card. de reformat. Eccleſ. Hieron. Pauli Barchinon. Practica cancellariæ. Apoſt. Fran. Victoria releċt. 2. & 4. Cõcilium delectorum Cardinalium. [z] Gregorius 9. Bonifac. 8. clemens 5. & reliqui, qui autores erant Decretalium, Clementinarum & Extravagantiũ. Pius ſecundus, in Epiſt. præſertim de moribus German. Leo decimus, in Concil. Lateran. Seſſ. 9. 10. & 11. Paulus tertius in Reg. Cancellar. Apoſt. Iulius tertius, in perpet. conſtitut. de quingentis ducatis Cardinalium. Pius quintus & Gregorius decimus tertius, in Ecloge Bullar. & Motu proprior,

niis & testimoniis. Quare non invitus, Harte, si quidē ipsum arbitrum judicémq; statuero, (nisi vaporibus Papismi omnes ubi scintillæ conscientiæ judiciiq; extinctæ fuerint,) utrum non deliquerit in officio Pontifex, & Sedem suam Episcopalem in Regalem Curiam converterit; & per Ecclesiasticæ administrationis fucos & larvas, Imperialis status potestatem usurpârit: dum adversus Imperatorem tumultus concitaret, ipsisq; de manibus territoria extorqueret; dum Regibus, & nationibus, tanquam vasallis servitutem imponeret; dum populos pastoribus, pastores Ecclesiis, rudes institutione, animadversione dissolutos, afflictos solatio, pauperes subsidio, & (ut finis sit) Ecclesiam ipsam Christianam doctrinâ, disciplinâ, & hospitali munificentiâ spoliaret.

IOHANNES RAINOLDVS
Lectori Christiano.

Quum hanc colloquii nostri partem ad Hartum mitterem, ut, si quid ipsi in sermonibus suis minùs arrideret, vel adjicere quicquam, vel immutare arbitratu suo liceret: non conscripsi ejus, ad superiorem sermonem meum responsionem, sed hæc tantùm verba subscripsi.

Responsionem, quæso, Harte, tuam ad hunc ultimum sermonem meum ipse conficias & conscribas. Si Papam eximere possis ab omni justa rerum illarum culpa, quarum illum insimulavi: universæ Pontificiæ doctrinæ sententiam meam ascribam. Sin hoc nequeas; suprematum ejus tandem minimè legitimum esse confitere.

Iohannes Rainoldus.

Ad hunc rogatum meum, & sponsionem, responsionem Hartus suam scripto remisit: Cujus ego exemplum hîc iisdem verbis subjeci, atq; ita in colloquio nostro, utì ab ipso rogatus sum, perrexi.

Si ex animo loqueris, Rainolde, quod spero facis; non possum non eo te nomine amare magis, quòd in re momenti tanti tam bonâ fide agas. Quòd verò minimè videas quâ possit ratione præstari Pontifex, (non de pravis ejus corruptisq; moribus loquor, sed de suprema summáq; autoritate, quæ, ut ego interpretor, Scripturæ est, ipsiúsq; Christi instituto consona:) mihi tuus hac in re error manare videtur ab iniqua opinione, qua persuades tibi illam autoritatem ipsum non obtinuisse jure, sed injuria usurpasse. Quod secus est: ut jam antè partem aliquam ostendi, & nunc tibi ampliùs sum probaturus. Nam ita longè abest, ut hæc autoritas usurpata sit, ut, modò æquis animis & justâ trutinâ librare omnia velimus, optimè sensurus sis Cæsares, aliósq; Principes illi vicinos, in ejus potiùs jus, quàm in illorum ipsum, invasisse. Adeò ut non nemo bonus author scribat, *Petri patrimonium, Pontificum ignaviâ, satis jam attenuatum esse.* Est, fortasse, multo minus angustiúsq; hodie est, (utcunq; grande & magnificum opinione tua putetur) quàm in optimis illis temporibus ante mille fere & trecentos annos exstiterit. Nam, ut à Constantini donatione ordiar; ille, (ut Eugubinus scribit) *dono dedit Sylvestro Pontifici & ejus successoribus Romam, & omnia Imperatoria indumenta, ac orna-* SECTIO SEPTIMA

menta, quum ipse Constantinopolim reverteretur, ubi tanquam in sede Imperatoria commoratus est, quod alii etiam multi Cæsares, qui per aliquot secula sunt consequuti, fecerunt, sedem suam vel Constantinopoli in Oriente, vel in Occidente Mediolani & Ravennæ perpetuò locantes. Atque hanc contestatam esse Constantini doni historiam, quo Episcopos Romanos ornavit, prætermissis plurimis testibus, quos hîc mihi ad probationem ejus citare liceret; quorum in numero sunt Ammianus Marcellinus Ethnicus, qui dolebat hoc aspicere, Photius Constantinopolitanus, nec ille Pontificis studiosus homo, & natione Græcus, Nicephorus, multiq; alii præterea, de quibus legas licet in Chronicis: S. Damasus, qui iisdem temporibus vixit, viditq; ipsum Constantinum, de eadem donatione & dono Constantini scribit. Quam donationem insuper, ut omnis tollatur controversia, centum pòst annis Justinianus Imperator confirmabat, deinde Arithpertus Longobardorum Rex, Pipinus Franciæ, Carolus magnus, Ludovicus Pius, Otho deniq; magnus in publico Ravennatensi Concilio, ut etiam Centuriatores vestri concedunt & fatentur. Nam etsi affirment unà, *hoc incrementum opulentiæ Romanæ Ecclesiæ post Gregorii tempus cœpisse*; à Gregorio ipso egregiè tamen refutantur, sub cujus regno, (ut probabiliter quidem cogitari potest,) possessiones Ecclesiæ ampliores fuerunt, quàm hodie sunt. Fidem faciunt variæ epistolæ ejus, in quibus ille disertè de *Petri patrimonio* in Africa, in Neapoli, in Campania, in Dalmatia, in Gallia, in Italia, in Sicilia, in Sardinia, multisq; aliis terris mentionem facit. Quãdo igitur pro istis quę maximam potissimámq; partem obtinent, cum tantis argumentis dici possit: non est dubium, quin pro multis aliis permagnis & amplis donis à variis Principibus, multis Nobilibus, viris fœminísque, in illam Sedem collatis; Pontifices ejus clarissima testimonia, quum ita opus fuerit, proferre valeant. Quòd si verò, ulli omnium Pontificum illorum qui unquam in illa Sede dominati sunt, hunc in modum affluentes opibus, iis ad libidinem aliquam suam abusi sint; aut etiam autoritate sua, quum tam potentes evaserint, in ullis earum rerum de quibus à te verba facta sunt: tam abest à me, ut eos in his præstare velim, ut potiùs eorum aspectu gemat animus, de iisq; ipsos condemnem. Sed de istis speciatim magis tractandi occasio nobis in sequentibus capitibus offeretur. Hoc tantùm in Pontificibus defendere nitor, quoniam scilicet promisit Christus, Ecclesiam suam se super petram illam ædificaturum; quoniámq; oravit etiam, ut fides eorum non deficeret, idcirco nunquam ipsos in judicio aut definitiva sententia errasse. Atque hoc nihil dubito, quin iidem ipsi autores, quorum tu hîc nomina contra me adducis, mecum pariter tueantur, utcunq; pravos Pontificum mores carpant & criminentur. Quare, ut finem faciam, utrùm ea omnia quæ hactenus dicta sunt, aut deinceps dicentur de praxi Pontificii primatús, autoritatem ejus supremam probent an secus: illud tibi ipsi, Rainolde, & cuiq; non iniquo lectori judicandum relinquo. Certè nonnihil conatus sum ipse ut id efficerem, etsi non satis, fateor, pro tantæ causæ dignitate. Verùm id ampliùs adhuc, uti dixi, probatum audies ex praxi ejus qua Romanus Pontifex perpetuò usus est, exhibens se supremum animarum nostrarum secundùm Christum pastorem: quod nunquam illi denegatum est, sed à cunctis sine ulla cunctatione concessum. Illùm dicta istorum, & facta præstent, mores denique, quibus erga ipsum gesserunt se universi, nobis documento sint, quos bene agendo imitemur.

Johannes Hartus.

RAIN. Si eo me nomine, Harte, amas magis, quòd in re momenti tanti tã bonâ fide agã, quod nõ posse te nõ facere affirmas: utinã eadẽ fide mecũ ageres, ut mihi itidẽ te amare magis liceret. Verũ neq; ei cedis, quod ego claro veritatis testimonio evici: & quãvis nõ possis argumẽta in eo mea infirmare, fraude tamẽ & falsitate cupis eludere. Ubi enim à me demõstratũ sit, Põtificẽ, sub prætextu defungẽdi officio suo in Ecclesię administratione, tẽporalẽ suũ dominatũ Cęsarib' per proditionem, rebellionẽq; eripuisse; & injustã potestatẽ in reb' spiritualib' exercuisse ad Christianam Rempub. opprimendam; ideóq; errasse in officio, etiam in suprematu, quem in utrumq; statum, spiritualem & temporalem usurpavit: tu, in prima quidem parte de dominatu ejus temporali, sophismatis, & mendaciis eum purgare studes; in proxima verò, de tyrannide ejus in rebus spiritualibus, fucas eam, tanquam legitimam autoritatem abusu dehonestatam; in ultima de aberratione ejus in officio, contrahis eam, & ad judicium sententiámq; definitivam reducis; involvísq; supramatũ ejus verbis generalibus ut ab omnibus cõcessum, quũ in singulis supremarûs partibus, nõ cujusquam eum suffragio valeas asserere.[a] Festus ille Romanus insanire Paulũ putabat: Festi ista, nõ Pauli, erat insania. Me ex iniqua opinione errare censes: tuus ille, Harte, non meus error est. Errata quę commisisti ut tuum errorem tueare, tibi ob oculos proponam: si fortè aperire oculos tuos Dominus, & linguam tibi solvere voluerit; ut tandem aliquando Pontificis suprematum minimè legitimum esse perspicias, & confiteare. Ut igitur à prima parte incipiam, ubi illum ab usurpati temporalis sui dominatûs crimine purgare contendis: ais, *si omnia æquis animis & justâ trutinâ librare velimus, me optimè sensurum esse tùm Cæsares, tùm alios Principes illi vicinos, in ejus potiùs jus, quàm in illorum ipsum, invasisse.* Quod sanè, nisi omnia à propôlis acciperes, nullísq; ponderibus examinares, nunquam affirmasses. Nam, quod in alteram trutinæ lãcem imposui, manifesta est annaliũ, & consignatarũ tabularũ veritas, cõfirmata maximæ fidei scriptorum testimonio, qui tempora, personas, rationes, circumstantiásq; omnes Pontificiæ usurpationis designant. Et quod tu in lance altera collocas, quo meum præponderetur, partim alienum est, nihilq; ad institutum: partim falsum est, & impudenter confictum. Quæ verò pars ejus maximum pondus habet, ea est quæ occurrit prima, scilicet, *autorem quendam bonum scribere, S. Petri patrimonium, Pontificum ignaviâ, satis jam attenuatũ esse.* Quis ille *bonus autor*, Harte, est, qui ita scribit? Cur hominẽ nõ nominas? Ideóne est, quòd vereare ne illũ nihil pro te facere comperirem, si scirem? aut verò, quòd hunc indagandi laborem mihi cupias facessere? Quin eò saltem usq; te in reliquis apertum, quæso, præbeas, ut autorum mihi nomina unà narres, quibus tuæ innituntur rationes: quum ego non nomina tantùm eorum, sed loca etiam ipsa designem, à quibus meas arcesso, ut eo meliùs illas excutere possis, & dijudicare. Autor ille, qui id quod tu adducis scribit, * Nicolaus Clemangis est, Doctor quidam Parisiensis, qui circiter annos abhinc centum & octoginta vixit, *bonus* quidem certè *autor*. Ille Ecclesiæ sui temporis miserum & corruptum statum deplorans, ostendit Papam calamitatum atq; perturbationum Ecclesiæ facem exstitisse, *qui*, [b] *emolumentis Romani Episcopatûs, Petriq; patrimonio super regna queq; amplissimo non contentus, in aliena ovilia lanâ & lacte copiosa incurrit;* [c] *omniumq; Præsulatuum, & Ecclesiarum vacantium, quacunq; per orbem terrarum Christiana religio protenditur, jura & collationes sibi attribuit;* & [d] *legitimas electiones pastorum, suis reservationibus,* [e] *provisionibus,* & [f] *advocationibus irritas fecit;* & [g] *Ecclesias annuâ, biennali, triennali, vel quandoq; quadriennali fructuum exactione, decimis, angariis, procurationibus, Prælatorum spoliis, & in-*

[a] Act. 26. 24.

*De corrupto Ecclesię statu: sive, (ut apud Gersonem inscribitur) De vitiis Ministrorum Ecclesiæ.
[b] Cap 4.
[c] Cap. 5 & 7.
[d] Cap. 5.
[e] Cap. 6.
[f] Cap. 7.
[g] Cap. 8.

finitis aliis oneribus oppreßit;& [h] *collectores ad hæc omnia exigēda per omnes provincias instituit,nō sine horribili abusu suspensionū,interdictionū,et anathematū,si quis solvere recusabat;*& *eā negotiationē per* [i] *Curiæ suæ,*[k] *lites,et Cācellariæ regulas exercuit,*[l] *ut domus Dei facta sit spelūca latronū;*& *Cardinales suos tanquā* [m] *sui pōpatus socios, ex sortis infimæ Clericatu in elationē evexit,ut Reges ipsos æquiparare contendant;* & *per dispēsationes suas locupletavit ipsos,ut* [n] *officia,beneficiáque,nō quidem duo, vel tria,decē, vel viginti,sed cētena,et ducētena,et interdū usq; ad quadringenta,vel quingenta, aut amplius,eáq; non parva vel tenuia,sed omniū pinguißima & optima possideant;* deniq;, qui replevit sactariū Domini *mutis canibus* & *malis bestiis,ab ipsis*[o] *summis Prælatis* [p] *usq; ad infimæ sortis Clericatū,per usurpationes,*[q] *exemptiones,cōpositiones,*[r] *Simoniā,* [s] *prostitutionē,et fornicationē cū Principib⁹ terræ cōmißā;*omniáq; hęc, [t] *ut tueatur superbiā,libidinē,luxūq; regificū status sui mūdani,quē ultra Reges et Imperatores extulit.*

h Cap.9.
i Cap.10.
k Cap.10.
l Cap.12.
m Cap.13.
n Cap.14.
o Ca.19. & 20
p Cap.7. & 24
q Cap.29.
r Cap. 42.
s Cap.18.
t C.3.4.5.& 7.

HARTUS. Verba Clemangis,ut *autoris boni*,probas explicásque, quibus Pontificū corruptelas reprehendit.Verùm quid ad illud dicis,de quo ipsum adduxi;[u] *Petri patrimonium,pontificum ignaviâ,jam satis attenuatum esse?*

u Cap.4.

RAINOLDUS. Dico tibi fraudē [x] Genebrardū fecisse,quo autore,& cujus fide nixus,illud Clemangianū accepisti tanquā huic instituto cōmodū, à quo lōgissimè recedit.Nā,[y] centū & octoginta sunt anni, nec multùm ampliùs, quum hoc Clemangis scriberet.Et verò,quid si temporalis Pontificum dominatus (qui *Petri patrimonium* dicitur)ignaviâ successorū fuerit attenuatus?Non igitur superiores Pōtifices poterant injuriâ eū extortum Cęsaribus longè ante illa tempora occupasse? Quanto mihi probabiliùs liceret Clemangem urgere ad contrariam partem arguendam: quum [z] dicat,*Ecclesiam Imperii multa sibi jura occupasse?* Sed quoniam non placet mihi tam firmas conclusiones ex præmissis tam infirmis astruere: mihi satis est *bonum autorem* illum,quo tuas fulcis, non liberasse Pontifices à crimine dominatûs sui temporalis per proditionem usurpati. Minimè enim hoc consequitur, nullos eorum ante octingentos annos fuisse proditores, quoniam ante cētum hos & octoginta annos nōnulli erāt ignavi:nihilo magis,quàm nō fuisse patrē fœneratorē,quia filius est decoctor.Quáobrē,illa maximi pōderis pars,quā premis pro Petri patrimonio,nō plumâ gravior ęst.Proxima verò,aliquāto levior.Etenim ais,*fortasse multo angustius esse hodie,quàm optimis temporibus ante mille pene & trecentos annos exstiterit:fortasse,multo angustius est.*Næ tu planè,nō dico fortasse, multùm de ingenii nostri inopia,tibi polliceris, si per dubiam & incertam conjecturam, à certa & explorata veritate abduci nos posse credas.

x Chron.lib 3 in Bonif. tert.
y Scripsit.Anno.1402.ut videtur ex verbis ejus, De corrupto Ecclesiæ statu, c. 16. post tres & viginti annos illius quinquaginta annorū Schismatis.
z Cap 45.

HA. Quin tu sentētiā meā nō rectè assequeris,si ita[*fortasse*]meū interpretaris.Nā illa sępissime vox modestię causâ adhibetur, quū minimè homines de eo addubitēt quod loquūtur.Neq; ego de isto quicquam dubius sum:quod ex argumentis meis potes colligere.

RAINOLDUS. At [a] ille,cujus tu insistis vestigiis,vocem illā astutię potiùs quàm modestiæ causâ adhibuit:ut,si argumēta ejus vacillarēt,veniā tamē aliquā cōsequerētur,quòd iis[*fortasse*]ancilletur.Quo subsidio argumēta etiā tui [*fortasse*] istic indigere senties,si nō iniquiùs expēdas:*Cōstantini donatio* in istis palmaris est.Nā *ille*, inquis,*dono dedit S.Sylvestro Pontifici & ejus successorib⁹ Romā,& omnia Imperatoria indumenta,& ornamenta,quum ipse Constantinopolin reverteretur, ubi tanquā in sede Imperatoria commoratus est:quod alii etiam multi Cæsares,qui per aliquot secula sunt consequuti,fecerunt;sedem suam vel Constantinopoli in Oriente,vel in Occidēte Mediolani & Ravennæ perpetuò locantes*. Et quî tu hæc à Constantino facta esse probas? *Eugubinus* scilicet *scribit*, ais : & *multis testibus* arguitur, in quorum numero

a Genebrard. Chron. lib. 3. in Bonifacio tertio.

sunt,

sunt, *Ammianus Marcellinus, Ethnicus, cui dolebat hoc aspicere; Photius Constantinopolitanus, nec ille Pontificis studiosus homo, & natione Græcus; Nicephorus; etiam S. Damasus, qui iisdem temporibus vixit, viditq; ipsum Constantinum; etiã Centuriatores nostri cõcedunt, illam Constantini donationem centũ pòst annis confirmatam fuisse à Iustiniano Imperatore, ab Arithperto Longobardorum Rege, à Pipino Franciæ, Carolo magno, Ludovico pio, ab Othone deniq; magno in publico Ravennatensi Concilio.* Rectè: testes igitur, quos pro Constantini donatione affers, sunt Eugubinus, Ammianus, Photius, Nicephorus, Damasus, nostræque Centuriæ. An hi tandẽ omnes sunt quos habes? Minimè. Addis enĩ, *multos præterea esse alios, de quibus legam licet in Chronicis.* Quibus in Chronicis? In Chronicis, intelligis, Genebrardi, quem in hoc vniuerso temporalis Papæ dominatûs negotio sequeris. At quæso, Harte, ne te dedas totum illi durissimi oris homini eludendum: cui nulla religio est autorum omne genus improbissimè tractare, ut ambitiosis tyrannis Romanis palpetur, eorúmq; nequitiam propugnet.

HART. Immo, ipse eluderis, aut illum potiùs industrium virum ludificare, qui nihil aliud agit, quàm ut fidem Catholicam defendat. Sed urit te, quod mendacia, maculas, & fraudes Centuriatorum vestrorum patefecerit, contra quos homines pręcipuè Chronica ejus scribuntur.

RAINOLDVS. Utrùm ego illum ludificer, an potiùs ille te eludat, nec te solùm sed omne genus autorum: facile est exploratu. Ais, *Constantinianam donationem ab iis confirmari*, quos nominasti, *& à multis aliis præterea*, de quib⁹ legã licet in Chronicis. *Multi* illi *alii præterea*, quos apud Chronographum tuum citatos lego, sunt Zosimus, Nauclerus, S. Isidorus, S. Hieronymus, Gratianus, Ivo, Picernus, Judæique, Rabbi Abraham, & Aben Ezra. Recita verò verba ejus, quibus istos reliquósq; quos nominabas, citat: & qualem illũ virum in omne genus autorum hac in re cõpereris, talem illum deinceps lauda, déq; aliis ei fidem habe.

HART. Nõ dubito, quin se, ut decet bonũ catholicũ, gerat. [b] Illius (de Cõstãtini donatione, & testibus iis, quibus eã probat) verba, quãdo ita vis, ista sunt. *Sylvestro Pontifici, et ejus successoribus, Constantinus Imperator dono dedit Romam & omnia Imperatoria indumenta ac ornamẽta; ut manifestè probat Eugubinus duobus libris, et testatur Photius Patriarcha Græcus, titulo octavo Nomocanonis, capite primo.*

[b] Genebrd. Chronog li.3. in Sylvestro primo.

RAIN. Rectè. Eugubinus & Photius probant. An verò illud probant, quod defendit Genebrardus?

HARTVS. Quid ni? Defendit enim Constantini donationem.

RAINOLDVS. Sed majorémne Constantini donationẽ, an minorẽ defendit?

HARTVS. Majorem, an minorem? Quid hoc est?

RAINOLDVS. De duabus Constantini donationibus mentio fit in jure Canonico: de altera in [c] Decretis, ubi dicitur, *illum concessisse Pontifici tam palatium suũ, quàm Romanam urbem, & omnes Italiæ, sive Occidentalium regionum provincias:* de altera in [d] Decretalibus, ubi nihil aliud refertur quàm *civitatem ipsam Romanã dedisse.* Hanc ego minorem Constantini donationem appello, quæ Romam tantùm cõcedit: illam, majorem, quę Italiam etiam, unà cum Occidẽtalibus regionibus largitur. Et quam tandem harum defendit Genebrardus?

[c] Distinct. 96. c. Constantin.
[d] C. Fundam. de elect. in Sext.

HARTVS. Quam dicis tu? Aut quid hoc interest?

RAINOLD. Per sanè multùm interest. Minor enim nonnihil majoris fidem & opinionem diminuere videtur: uti ab uno locupletissimorum testium quos Genebrardus citat, observatum est; [e] Nauclerum intelligo. Qui postquam ostenderat, *Constantinum Italiam, & alia Occidentis regna filiis suis testamento*

[e] Chron. Volum. 2. gener. 11.

reliquisse, ideóq; credibile esse, decretum illud, quod ipsum Pontifici refert ea concessisse, paleam esse, (vt vocant Jurisconsulti) *& nihil probare: ad quod* (inquit ille) *decretalis non facit modicum, quæ loquens de donatione Constantini, tantùm dicit de urbis Romanæ donatione; Italiæ et aliarum provinciarum nullam faciens mentionem.* Sed sive diminuat, sive secus, ista de minori in decretalibus sententia fidem opinionémq; majoris illius in decretis: major illa tam omnis cerebri expers omnibus visa est, qui ipsi nō expertes sensûs sunt & rationis, ut nō modò historici vestri eā vellicēt, ut [f] Otho Frisingēsis, [g] Platináque, & [h] Krantzius; sed Doctores etiā & Theologi, ut [i] Cardinalis Cusanus, [k] Hieronymus Paulus, [l] & Laurentius Valla, etiam ipse [m] Pius Pontifex, deditâ operâ adversus istā scripserint. Porrò verba Genebrardi innuere videntur, ipsum minoris suscipere defensionem. Etenim dicit *Constantinum Romam dono dedisse Sylvestro:* Romam, hoc est, urbem, ac nō totū Occidentale Imperiū Romanū.

[f] Chro. li.4.c.3.
[g] De vit. Pontif. in Iohan.7
[h] Saxon. lib.4. ca.11. Metrop l.2.c.1. & l. 11. cap.24.
[i] De concord. Cathol. lib.3. cap.2.
[k] In pract. Cācellar. Apost.
[l] De falsò credita & ementita Constant. donat.
[m] Papa Pius in Dialogo. Citatur à Hieronymo Paulo in Pract. Canc. Apost.

Hartus. Ita sanè verba ejus videntur: & illum non majoris patrocinium sibi proposuisse opinor.

Rainoldus. Opinare? Quin tu certò tibi persuadeas licet, non proposuisse. Nam eodem loco, statim post verba illa quæ recitasti, *Ego*, inquit ille, *semper negavi hanc consequentiam: Aliqua sunt ficta & addita ad donationem Constantini; ergo omnia sunt ficta. Nam certum est Cōstantinū multa donasse Romanæ Ecclesiæ; alia, & multo plura aliunde accessisse, sive largitionibus Principum & divitum, sive testamentis piorum, sive acquisitione Pontificum, permutatione, &c. et divinâ providentiâ & dispensatione.* Quare, Genebrardo judice, Sylvester ejúsq; successores multo plura aliis rationibus, quàm Constantini donatione comparârunt. At non plura comparârunt, quàm major illa in decretis donatio Constantini ipsis largitur. Ipsis enim largitur omnes provincias, locos, & urbes Italiæ, aliásq; Occidentis regiones. Genebrardo igitur judice, major Constantini donatio conficta est: & quam ille defendit, minor sola sit, necesse est.

Hartus. Sit sola minor. Quid inde colligis?

Rainoldus. Genebrardum sui similem prorsus esse colligo, quum affirmat *Constantini donationem probari à Photio Græco Patriarcha, & Eugubino duobus libris.* Nam Eugubinus majorem Constantini donationem tuetur: asserens [n] illum dedisse nō Romanā urbem solā, nec verò Italiā solā, sed totū Occidentē, ipsum Occidentale Imperiū; adeò ut nominatim [o] cōmemoret regna Angliæ, Frāciæ, Hispaniæ, Aragoniæ, Lusitaniæ, Daniæ, Norvegiæ, Suetiæ, Bohemiæ, Hūgariæ, Daciæ, Russiæ, Croatiæ, Dalmatiæ, Sardiniæ, & Corsicæ, *omniáq; ista Pontifici subjici* affirmet, *jure illius donationis.* Photius autē Patriarcha, ne verbū quidē de ulla donatione facit. Quod Genebrardus intelligit, id à [p] Balsamone quodā scriptū est, in Photiū cōmētāte: eadémq; donatio est pro qua scribit Eugubinus. Quid jam tandē de illo censes, qui ait Eugubinum & Photium Patriarcham manifestè probare illā donationem veram esse, quam ipse fatetur falsam esse & adulterinam?

[n] Aug. Steuch. Eugub. contr. Lauren. Vallā de falsa donatione Cōst. l.1.
[o] Lib. 2.
[p] Theod. Balsamon. in Nomocan. Phot. tit.8. cap.1.

Hart. Sed qui proximè ab ipso adducitur, Zosim', magis instituto ejus cōmod' est: quippe qui disertè de minori donatione loquatur. Nā [q] *Cōstātinus* (inquit) *cessit Româ, et Constantinopolin majestatem Imperii transtulit, quòd se Romanis sciret invisum ob mutatam religionem.*

[q] Zosim. hist. lib.2.

Rainoldus. Quid? An ista probāt Cōstātinū dedisse urbem Romanā Pontifici, quoniā Româ cessit Constantinopolin?

Hart. Quēadmodū inde Genebrard' colligit. *Nā cessit: cui? Nō Senatui, nō populo: nā nemo id scripsit. Sed nec Senatus, populúsve de eo unquā movit litē. Pōtifici igitur: qui ut suam ab eo tempore possidet, servat, de ea antiquas habet tabulas, testimonia, et census.*

RAINOLDVS. Sophistæ ingeniũ. Perinde dixerit aliquis: Henricus Rex Londino cessit Winsoriã, & eò Curiã suã trãstulit. Cessit: cui? Nõ Senatoribus, nõ Civibus: nã nemo id dicit. Sed nec Senatores, Civésue de eo unquã moverunt litem. Episcopo igitur: qui ut suam, ab eo tempore possidet, seruat, de ea antiquas habet tabulas, testimonia, & census:

HARTVS. Quin illud mendacium est, Londinensem Episcopum urbem ut suam ab eo tempore possidere.

RAINOLDVS. Mendaciũ quoq; hoc est. Imperatores enim per quadringentos annos post discessum Cõstãtini ad urbẽ Constantinopolitanã, Romã possederunt: ut [r] Sigonius vester in historiis suis testatur.

HARTVS. Atqui Henricus Rex perpetuò tamen Lõdini urbẽ per summũ illũ civitatis Magistratum regebat: quod Principes facere consueverunt.

RAINOLDVS. Ita Imperatores Romanã urbẽ per [s] Pręfectum regebant. Immo facile fuit Genebrardo apud [t] Zosimũ suum comperire, unum ex Præfectis illis Imperatorium sibi honorem assumpsisse. Si ex Zosimo idem de Pontifice aliquo liceret ostendere: quantum hoc argumentum esset ad Constantini donationem cõfirmandam?

HARTVS. Non freti sunt Pontifices aliquantisper plena potestate; quę tamen ad ipsos jure pertinebat. Quanquam Ammianus Marcellinus eâdem etiam ipsos fretos esse potestate innuit: ut postea docet Genebrardus. Sed primùm ex S. Damaso jus eorum confirmat.

RAINOLDVS. Ex Damaso? Quo modo?

HARTVS. *S. Damasus, qui Constantinum vidit, de ea scripsit: ut vel Centuriatores affirmant. Cent. 4. c. 7.*

RAINOL. Bina eodẽ spiritu efflat mendacia. Nã neq; de ea scripsit Damasus: neq; scripsisse, Centuriarũ scriptores affirmant. Immo cõtrariũ affirmant. [u] Nam eo ipso loco quem Genebrardus citat, aiunt, *neq; historicos ullam de ea mentionem fecisse, quales sunt Eusebius, Eutropius, Rufinus, Socrates, Theodoretus, Euagrius, Paulus Diaconus, Beda, Orosius, Zonaras, Nicephorus, et similes: neq; eos, qui vitas Imperatorum, aut Pontificum conscripserunt, ut sunt Hieronymus, & Damasus, et si quædam ille de donis Constantini dicit tamen: neq; alios insignes Ecclesiarũ Doctores, quorũ exstant monumẽta, ut sunt Athanasius, Basilius, Ambrosius, Optatus, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Augustinus, et Chrysostomus: nec ipsos Romanos Episcopos, in Conciliis, quũ onus probandi suũ primatũ sustinuerunt, de donatione illa, quæ sanè sacra ipsis fuisset anchora, verbum protulisse.*

HARTVS. Verba non ita planè plenéque loquuntur Latinè, ut à te convertũtur. Nam, post nomen Damasi, sequitur: *qui et si quædam de donis Constantini dicit, tamen alii insignes Ecclesiarum Doctores---*

RAINOLDVS. Verùm si eo modo legis: quæ consequitur clausula, imperfecta est, nullúmque omnino sensum habet. Quod manifesto indicio est aliquid illic malè se habere, vel librarii, vel Typographi, vel correctoris culpâ. quod ipsũ [*qui*] est, perperã pro [*neq;*] ut conjicio, et loco suo motũ: quũ debuerit potius post nomen Damasi sequi, *et si quædã de donis Constantini dicit tamen: neq; alii insignes Ecclesiarum Doctores-* Sed utcunque emendanda sint verba: sensus idem sit necesse est de Damaso, quem docui. Nam eò usque sententia aperta est; *neque Hieronymum, neque Damasum ejus donationis Constantini meminisse:* æquéq; aperta, atq; illa quæ consequitur; *neq; meminisse alios insignes Ecclesiarum Doctores.* Et cui illud demum in mentem venire potest, Centuriarum scriptores dicturos fuisse,

[r] De Occidẽtali Imperio; & regno Italię

[s] De officio præfecti urb. Dig. & cod. l. 1 Cor. Tac. Annal. l. 6. Amm. Marcel. 14. Notitia provinciar. Imperii Rom.

[t] Hist. lib. 6. de Attalo pręfecto urbis.

[u] cent. 4. c. 7. tit. de primatu.

x Practica Cancell. Apo.
y De concord. cathol. l.3.c.2.

Damasum de ea scripsisse: quum adeò constet nō scripsisse, ut vestri, x Hieronymus Paulus, & y Cusanus, autoritate ejus, tanquam singulari adversus donationem argumento nitantur. Non igitur jus ejus ex Damaso probatur. Num verò, quicquā meliùs possessio ejus ex Ammiano?

HARTUS. *Ammianus Marcellinus, Ethnicus, tale aliquid innuit, dum de opibus & potentia Romani Pontificis conqueritur & dolet, vicesimo septimo libro suæ historia.*

RAINOLDUS. *Ammianus* (inquit Genebrardus) *tale aliquid innuit*. Certè *tale aliquid*: sed ab eo ita longè aliud, ut præstaret nihil de eo dictum esse. Nam hæc Ammianus Marcellinus, Ethnicus, de Damaso Pontificatum petente loquitur. *Damasus & Ursicinus supra humanum modū ad rapiendam Episcopalem Sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflictabantur, adusq; mortis vulnerúmq; discrimina adjumentis utriusq; progressis. Quæ nec corrigere sufficiens Viventius, (qui Præfectus urbis erat,) nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanū: & in concertatione superaverat Damasus, parte quæ ei favebat instante. Constátq; in Basilica Sicinini (ubi ritūs Christiani est cōventiculū) uno die centū triginta septem reperta cadauera peremptorum: efferatámq; diu plebem, ægrè postea delinitam. Neq; ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarū, hujus rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni cōtentione laterum jurgari debere; quum id adepti, futuri sunt ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedántq; vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia regales superent mensas: qui esse poterant beati reverà, si magnitudine urbis despectâ, (quam vitiis opponunt,) ad imitationem Antistitum quorundam provincialium viverent; quos tenuitas edendi potandíq; parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia perpetuò, Numini, verísq; ejus cultoribus, ut puros commendant, & verecundos.* Ecce verò, hæ sunt opes & potentia Pontificis, de quibus Ammianus Marcellinus conqueritur & dolet. *Tale aliquid* est, quale *Constantini donatio*: sed non ipsa est. Nam *opes* sunt, pompa & ornatus ille, quem matronarum oblationibus fovebant. *Potentia*, factio quædam est sicariorum, adeò desperata, ut quum plures centum in una concertatione occiderentur, Præfectus urbis minimè furori tanto valeret obsistere. Verùm, vel ex hoc ipso quòd nominaretur *urbis Præfectus* (eò ab Imperatore legatus,) didicisset Genebrardus Imperatorem urbem perpetuò ut suam retinuisse, ejúsq; supremum Dominum fuisse. Quod igitur apud Ammianum Marcellinum, de *Pontificis opibus & potentia* reperit, illud, si opes respicias, *oblatio matronarum* est; si potentiam, *donatio sicariorum*; nullo autem modo *donatio Constantini*.

HARTUS. At in eo te magnopere falli arbitror, quòd Imperatorem dicis urbem perpetuò ut suam retinuisse, quoniam eò Pręfectum legabat. Nam Pręfecto aut Præsidi urbs custodienda fuit, non ad usum Imperatoris, sed solummodo ad præsidium.

RAINOLDUS. Non ad usum Imperatoris, sed ad præsidium?

HARTUS. Etiam: ne Pontifex indies opibus potentior factus, & illi vicinus, in ejus possessione, nactus occasionem, pedem poneret. Ut hodie sui Principibus solent esse Præfecti & Præsides, qui in urbibus, territoriis eorum finitimis resideant, quò ipsis præsidio sint, non ut urbes tanquam suas retineant, quæ non omnino in illorum sunt ditione.

RAIN. Sui fortassis ipsis legati, & Agentes in rebus sunt, qui in vicinis terris aut urbibus morantur. Verùm ut Gallorum Regi foret Præfectus aut Præses in urbe Londinensi; aut ut Anglorum Reginæ Præses in Hybernia, eā nō ad usum Reginę,

sed

sed ad præsidium tantùm servaret: non solent hodie, spero, Principes istum morem tenere; Imperatores quidem certè non solebant. Sui enim ipsis in urbe Romana Præfecti fuerunt, non tanquā in rebus Agentes, sed ut rerū summam regētes, & Præfecti cùm ad præsidium eorum, tùm ad usum eam custodierunt: quod [z] Symmachus, nobilis Præfectus urbis, & [a] Imperatores qui illum delegârunt, manifestò evincunt. Etiam, [b] Ammianus ipse (ne longiùs evager) tantundem denotat, eodem, qui à Genebrardo citatur, loco: ubi & Præfectus appellatur, *urbis moderator*; & *administratio* ejus nominatim designatur. Adeò alienus ille fuit ab omni ejusmodi somnio, quale vos de donatione Constantini animis effingitis.

[z] Epist. lib. 10. epist. 15. 16. 17. 27. 30. 34. & ceteris ad Valētin. Theodos. & Arcad. Imper.

[a] Valentinianus & Theodosius. In cod. Theodos. passim.

[b] Hist. lib. 27.

HARTUS. Non magni refert, si Ammianus Marcellinus, Ethnicus, non probet.

RAINOLDUS. Non ita magni, atq; Gilbertum Genebrardum, Christianum, falsò probationem ejus Ethnico ascribere. Placet verò ceteros testes ejus persequi?

HARTUS. *Justinianus Imperator, centum pòst annis, illam donationem confirmavit: deinde Arithpertus Longobardorum Rex, Pipinus, Carolus magnus, Ludovicus pius, Otho deniq; magnus in publico Ravennatensi Concilio, ut etiam Centuriatores totidem verbis referunt: Cent. 10. c. 10. pag. 538. in Leone 8. & Johanne successore: ex Authentica fortasse Justiniani, ut Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione.*

RAINOLDUS. Nonnullius sanè ponderis argumentum, si totum hoc verum sit, *Centuriatores referre, etiam totidem verbis referre, Justinianum Imperatorem, centum pòst annis, illam donationem confirmasse, & Arithpertum, Pipinum, Carolum, Ludovicum, Othonem.* Quid autem si his totidem verbis Centuriatores non referant? Quid si Centuriatores omnino non referant? Quemadmodum certè non referunt. Hæc enim illorum verba sunt; *Leo octavus Pontifex, gratitudinis erga Imperatorem declarandæ causâ* (cujus ope Pontificatum adeptus erat,) *Imperio reddidit, quæ vel Constantinus donavit, aut Carolus dedit Ecclesiæ, aut ante illum Justinianus confirmavit, aut Arithpertus Longobardorum Rex tribuit. Exemplar autem literarum Leonis supràposuimus, ex libro 4. cap. 10. Saxoniæ Krantzii.* Hactenus Centuriatores. Ubi, primò, non de donatione majori, minoríve Constantini loquuntur, sed generatim tantùm de iis *quæ donavit*. Quæ alia esse poterant, ac non urbs Romana. Secundò, non dicunt [*quæ ille donavit, & Carolus confirmavit,*] sed [*quæ vel ille donavit, aut Carolus dedit:*] ut nihil illi dicant, quin Caroli esse potuisset donatio, non Constantini. Tertiò, [*] verba eorum Krantzii verba sunt, quæ citant & [d] locum designant: & Krantzius illa per ironiam loquitur. Nam neque nominatur Constantinus in literis illis, in quibus ait eam gratitudinem à Leone Pontifice præstari: & [e] ex literis statim, donationis Constantini refutationem instituit. Quare, illis Krantzii verbis hanc donationem probare, perinde est, ac si Pharisæi traditiones suas illo Christi sermone probarent; [f] *Bene abrogatis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis.* Quartò, Centuriatores, Ludovici, & Pipini ne meminerunt quidem; neq; hîc, neq; [g] postea, ubi Othonem commemorant. Postremò, ne unus quidem ex omnibus qui nominantur, dicitur ab illis istam donationē confirmasse. Non Justinianus, cui maximè quidem favere videantur eorum verba, ut à Genebrardo citantur, *eum centum pòst annis illam confirmasse.*

[*] *Quæ vel Cōstantinus donavit, aut Carolus dedit Ecclesiæ.*

[d] Krantz. Saxon. lib. 4. c. 10.

[e] C. 11.

[f] Marc. 7. 9.

[g] In Iohanne, successore Leonis octavi.

HARTUS. Hæc tamen ipsorum verba sunt, *Justinianum quædam Ecclesiæ cōfirmasse.*

h Novell. constit. 9.

RAINOLDVS. Et verò confirmavit. Nam [h] constitutio ejus, quam Genebrardus ex Authenticis illius citat, *ut Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione*, hoc virium habet, ut, quum triginta annorum præscriptione, aliorum terræ & possessiones, in actionibus & litibus juris definirentur; non pauciorum quàm centum annorum præscriptio, adversus terras & possessiones Ecclesiæ valeret. Quamvis Centuriatores per [*confirmationem*] nihil aliud intelligerent, quàm firmitatem illis additam, quæ à Justiniano quovis modo provenerunt: [i] ut ex literis iis liquet, ad quas verba sua referunt. Sed Genebrardus, ut maximè causæ ejus (1) verbum istud commodare possit, ita accipit, juvátq; adjiciendo [*centum pòst annis*,] quod aptè & rotundè illi tempori quadrat, quo Justinianus post Constantinum regnabat: eo consilio, ut mentio centum annorum in Justiniani constitutione, putetur Constantini donationem respicere. Quo artificio suo, injuriam, nō solum ipsis, sed Justiniano etiam, facit singularem: Justiniano, dum illum improbè calumniatur, confirmasse, etiam lege confirmasse, supposititiam donationem, cōtra omnem legem excogitatam: ipsis, dum verba falsitatis illis affingit; nec eos falsos tantùm, sed & stultos testes reddit; quasi cogitassent illi id ab ista constitutione confirmatum fuisse, de quo ne verbum quidem in constitutione reperitur. Atque, ut quasi plenam faciat & cumulatam ad iniquitatem suam accessionem, addit, (2) *hoc eos totidem verbis referre*: quò fidem faciat hominibus credulis (uti fecit tibi,) *non posse de Constantini donatione ambigi, quum Justinianus Imperator, cētum pòst annis, illam confirmaret, ut nostri in Centuriis suis concedunt.*

i Epist. Leonis Papæ, apud Krantzium Saxon. l. 4. c. 10

(1) *Confirmavit.*

(2) *Vt etiam Centuriatores, totidem verbis referunt.*

HARTVS. Alius fortasse aliquis est apud Justinianum locus, qui hoc probat. Nam, quum tabulas illius libri Authenticarum versarem, qui accommodatus mihi erat ut istud exquirerem; me illæ ad locum quendam Justiniani remiserunt, ubi Constantini donatio apertissimè probatur: videlicet, in Gloss. sing. secundū Bald. in lib. 2. sect. Quum urbem. ff. de offic. præfect. urbis.

RAINOLDVS. Non apertè illic probatur, sed nudè asseritur; & asseritur, nō in contextu, sed in glossa tantùm; nec in glossa in Justinianum, sed in Digesta; & hoc quidem, nullo nixum, vel cujusquam Digestorum autoris, aut Justiniani fundamento.

HARTVS. Verùm in glossa in ipsum Justinianum edita, in ipsis Authenticis, alius quidam locus exstat, ubi eadem quæstio in utramq; partem agitatur: quo loco etsi dicat non potuisse Constantinum talem aliquam donationem statuere *de jure*, non negat tamen *de facto* statuisse.

RAINOLDVS. *Non negat tamen*: nec [*] affirmat verò: sed incertum, ut priùs, relinquit. Quid ita cum glossographo nugaris? Qui tametsi affirmasset donationem Constantini: num probatur inde quod Genebrardus asserit, Justinianum eam confirmasse? Si te tanti jurisperitorum verba facturum fuisse putassem: poteram magis gnaros antiquitatis homines, quàm sunt glossographi universi, contra illam Constantinianam fabulam producere. Nam non modò tales, [k] qualis erat Carolus Molinæus, qui forsan tibi de religione sua suspectus sit, scriptis eam oppugnant, & elevant: sed etiam dignissimus ille, doctissimúsq; jurisconsultus, [l] Andreas Alciatus, illam ex Eusebio, Theodoreto, Cassiodoro, Ammiano Marcellino, omniúmq; historicorum consensu refellit; & [m] Remundus Rufus (in defensione sua in Molinæum pro Pontifice, quā [n] Sanderus magnopere laudat) iisdēm quę ab Alciato scripta sunt, assentitur. Verùm quæcunq; demum jurisperitorum fuerit de donatione sententia, sive de *facto*, sive de *jure*: vides à Justiniano non confirmatam esse, ut tibi imponitur.

* *Licèt solutio facti ad nos non pertineat, solvimus quòd de jure nō valuit talis donatio.*

k Comment. in antiqua edict. & Senatusconsulta Franciæ, contra abusus Paparum.

l Parergôn juris. l. 7. cap. 19

m Defension. in Molinæum pro Pont. Max

n De visib. Mon. Eccl. l. 7.

Hartus. Immo, minimè mihi dubium est, quin valeat Genebrardus pro se plura adducere, quàm ego aut viderim, aut apud Justinianum reperire potuerim.

Rainoldus. Neq; mihi dubium est, quin si plura valuisset adducere, * illud ejus decennale studium quod in Chronicis suis elucubrandis contrivit, ea intertexuisset. Interea verò, sive plura valeat, sive non valeat adducere: tu diffiteri nequis, quin Justinianum falsò citârit, ad illud efficiendum in cujus gratiam adduxit.

* *Diuturno decem annorum studio.* Genebr. præfat. Chronog. ad Pontacum.

Hartus. At reliquos scriptores, quos citat, sine dubio verè citat; S. Gregorium, S. Isidorum, Naucletum, Photium, Nicephorum, S. Hieronymum, Ivonem, Gratianum, Picernum, Rabbi Abraham, & Aben Ezra.

Rainoldus. Verè eos citat, fateor, eorum saltem plerosq;. Sed an probât illud, cujus causâ ipsos citat?

Hartus. Planè, & directò: quod ex verbis ejus constabit tibi. *D. Gregorius sub anno sexcentesimo, in epistolis, patrimonium Ecclesiæ amplissimum, & per Occidentem latè patens, quo ipse frueretur, demonstrat. Quo tempore D. Isidorus in historia sua, (ut Nauclerus citat generatione undecima Chronicorũ;) Constantinus, inquit, urbe cessit Pontifici, ornamentisq; Imperialibus, diademate videlicet, & albo equo quo vectabatur. Planè ut Photius Constantinopolitanus, Romanæ Sedis alioqui æmulus, in Nomocanone sub anno octingentesimo sexto.*

Rainoldus. Cave verbum præterea facias de Photio. Non enim ille (sicuti ostendi) ait, sed Balsamon qui in illum commentatur. Et Balsamon trecentis annis recentior est.

Hartus. Hic etiam Græcus erat, & Sedis Romanæ adversarius: ideóque minimè probabile videtur, hoc illum, si falsum esset, asserere voluisse.

Rainoldus. Atqui Genebrardus id falsum esse confessus est, quod ille asseruit. Nam ait *Constantinum Sylvestro Pontifici tradidisse totius Italiæ, seu Occidẽtalium regionum provincias, loca, & castra, non solùm Romanam civitatem.* Neq; hoc in Romæ, sed Constantinopolis gratiam asserit: cui quum fruenda essent privilegia Romana, [o] ex decreto quodam quod Photius in Nomocanone suo recenset; *Cujusmodi autem sint privilegia Romæ*, inquit Balsamon, *ostendit decretum quod à Constantino ad Sylvestrum factum est.* Quare studio Sedis Patriarchæ Constantinopolitani, non Pontificis Romani inductus asserit: ut quemadmodum hinc Romæ Occidentem omnem, ita Constantinopoli Orientem universum liceret possidere. Illa igitur circumstantia, *fuisse* scilicet *Balsamonem Sedis Romanæ adversarium*, nequicquam opinionem Constantinianæ donationis juvat. Nec multo profectò magis ei Isidorus prodest, ut à [p] Nauclero citatur. Nã, nõ sine animadversione citat, ut evertat. *De dono Constantini, aut concessione* (inquit Nauclerus,) *apud nullos exstat autores, præterquam in libro decretorum: idq; in antiquis voluminibus minimè contineri, autor est Antoninus, Præsul Florentinus, in Chronicis. Quod valde miror, quum Isidorus in historia sua apertè dicat, eum urbe Româ Pontifici cessisse, ornamentisq; Imperialibus omnibus, diademate videlicet, habitúque, & albo equo quo vectetur.* Nauclerus igitur Isidorum hoc dicentem inducit: sed ita, ac si vereretur ne non omnia rectè apud Isidorum se haberent, quum nulla ejus mentio sit apud ullos alicujus fidei, aut antiquitatis autores. In [q] superioribus tibi ostendi, quomodo priscorum scripta Patrum vitiata fuerint, ad Pontificiam potestatem venditandam. Eodem modo tractari poterat Isidori historia, ad tuendam pompam Pontificiam; triplicem ejus coronam, vestes Imperiales, * equósq; Pa-

[o] In Nomocã. Phot. tit. 8. c. 1.

[p] Chronog. volum. 2. generat. 11.

[q] Cap. 5. Div. 2

* *Equi albi phaleris aureis copertisq; de cremosino ornati* Sacr. cerem. Rom. Eccl. l. 1. tit. 2.

pali majestati destinatos. Quod ita fuisse, eo probabilius est, quòd contestatum sit ab [r] illis, quibus ad tam vetusta monumenta indaganda videndáq; adjumenta suppeditabant, *in vetustis Isidori exemplaribus non reperiri.* Et fortasse, si illa Isidori historia typis divulgata esset, ut nobis eam legendi daretur copia: non adeò difficile foret indicia quædam fraudis ibidem explorare. Videtur saltem, Genebrardum ipsum infirmitatem quandam in hoc Isidori dicto subveritum esse: ideóq; non illū aliter quàm ex Nauclero citare, & addere, *illum eo tempore scripsisse, quo Gregorius multa de patrimoniis Ecclesiæ prædicavit.* Nam, si rectè artem Genebrardianam capio, meminit *amplissimi Ecclesiæ patrimonii per Occidentem, Gregorii temporibus, longè latéq; patentis*: ut hinc colligeretur, urbem Romanam illius patrimonii partem fuisse, quum Isidorus, qui eodem tempore scripsit, affirmet Pontifici datam esse. Sed observatio ista quam adhibuit ad autoris sui sermonem firmandum, eum potissimùm infirmat. Neq; enim Gregorius mentionem facit de urbe Romana, ut parte quadam ejus patrimonii, quod in epistolis suis per totum Occidentem Ecclesiæ datum esse ostendit.

[r] Illyricus, Wigandus, Iudex & Faber. hist. Eccles. Magd, cent. 4. c. 7.

HART. Facit verò, pace tuâ dixerim. Nam, *libro 5. epist. 12. Montanum, & Thomam, inquit, liberos & cives Romanos efficimus. Unde* [s] *Romam Pontificii fuisse juris declarat*, ut inde Genebrardus concludit.

[s] Chronog. l. 3. in Bonif. tert.

RAINOLDUS. Ignorationem antiquitatis Centuriatoribus Genebrardus exprobrat. Sed dum hoc adducit, ut illorum ignorantiā evincat, suā prodit. Thomas enim, & Montanus, quos Gregorius effecit liberos & cives Romanos, * servitia ejus, sive mancipia fuerunt. Licitum autem cuiquam apud Romanos erat, servos suos libertate donare: & quos libertate, eos etiam civitate donabat; juxta legem [t] tùm antiquam, tùm etiam [u] Justiniani, qui senior Gregorio fuit, & eam [x] restituit. Quare, Thomam Montanúmq; civitate donatos fuisse, nihil argumenti est, Romam in Pontificis, magis quàm in cujusquam Romani potestate fuisse. Atq; ita circumstantia à Gregorii tempore testimonióq; ducta, qua fabulæ suæ robur addere Genebrardus contendit, vires ejus enervat. Nam neque Gregorius mentionem facit de urbe Romana in patrimoniis Ecclesiæ, sicut dicturus eram: & eo ipso tempore, quo Gregorius Pontifex sedebat, Cæsares urbem possidebant, eámq; (ut soliti sunt) per * Præfectum regebant. Hactenus igitur quos pro Constantini donatione testes produxit, eidem parum spei animíve addunt. Numquid magis ceteri?

* *Servitutis jugo: &, Famulos Ecclesiæ.*
[t] Dionys. Hal. Antiquit. Rom lib. 4.
[u] Cod. de lat. libert. tollend.
[x] Institutionū lib. 1. tit. 5. libertinorum.

* *Germanus præfectus urbis.* Iohan. Diac. in vit. Gregor. l. 1. c. 40.

HARTUS. *Nicephorus ait l. 7. c. 49. Constantinum Lateranense Palatium Christo sacravisse & dedisse. Quod antea attigerat D. Hieronymus, epistolâ ad Oceanum: & usq; hodie experientia probat, dum ea est præcipua Romani Pontificis Sedes.*

RAINOLDUS. Video * aut vulpem aut filicem fuisse, quod cernebat Genebrardus. Videbatur sibi cernere totam urbem Romanam à Constantino datam Pontifici: & nunc tandem invênit, Constantinum palatium suum in Ecclesiam convertisse, ut illic Pontifex doceret, & Christiani ad orandum, Deóq; serviendum convenirent. Nam nihil præterea [y] Hieronymus & [z] Nicephorus loquuntur.

* Proverbium Anglicanum.

[y] Epist. 30. ad Oceanum.
[z] Histor. Eccl. lib. 7. c. 49.

HARTUS. *At Nicephorus præterea dicit capite quadragesimo sexto, Constantinum ex ærario suo, dotavisse omnes orbis Ecclesias, & Episcopatus, pro ratione & dignitate cujusq; . Multo igitur magis Romanam quàm Eugubinam, &c.*

RAINOLDUS. *Nicephorus* ait, *Constantinum in omnibus provinciis partem aliquam publicorum vectigalium Ecclesiis tribuisse*: non autem, *pro ratione & dignitate cujusq; eas dotavisse.* Illud Genebrardus (ut sit semper sui similis) adjicit. Quā-

quam, ut dixisset Nicephorus, illum dotavisse eas pro ratione & dignitate cujusque, ideóq; multo magis Romanam, quàm Eugubinam: non tamen ex Nicephoro probatur donatio.

HARTVS. *Sed consule illum etiam libro octavo capite tertio & quarto; & libro decimo capite quinto.*

RAINOLD. Et illic tantundem, quantum in prioribus reperies.

HARTVS. *Ivo in Pannomia, circa annum millesimum centesimum decimum, ex privilegii formula quaedam citat. Gratianus, circa millesimum centesimum & quinquagesimum. Bartholomaeus Picernus, & plerique alii, vel totam, vel partes proferunt.*

RAINOLDVS. Picernus? Qualis ille ad hoc arguendum autor? Graeculus esuriens, qui nuperrimè vixit: &, ut iniret gratiam à Julio Pontifice, libellum quendam Graecum Constantinianam donationem complectentem, in Latinum sermonem convertit, quem invênit: ubi? [a] *In Pontificis Bibliotheca.* Gratianus vetustior est: & universum [b] apud illum donationis diploma exstat. Sed neq; in vetustis exstat Gratiani exemplaribus, [c] quemadmodum testantur qui viderunt: neq; ex ipsis sive vetustis, sive recentibus, in quibus exstat, certi reddimur, Gratiani manum ibidem hoc inseruisse. Etenim in utrisque, tùm manuscriptis, tùm excusis, *(Palea)* inscribitur: quae nota (ut [d] eruditus & celebris Jurisconsultus arbitratur) *illis capitibus praefigitur, quae non à Gratiano primitus libro inserta sunt, sed ab interpretibus, prout cuiq; commodum videbatur, ad marginem Gratiani adscripta, & plerunq; in emendatioribus & antiquioribus exemplaribus prorsus omissa.* Jam, si in Gratiano ex margine in textum irrepserit: multo probabilius est, [e] Ivoni eodem modo accidisse. Nam, si à priscis temporibus apud Ivonem comparuisset, quum Gratianus librum Decretorum componeret: minimè credendum est Gratianum, qui vir frequenter confingit autores, & privilegia etiam cum minori Pontificis compendio adulterat, omissurum fuisse tam regale privilegium, si apud autorem aliquem id occurrisset.

HARTVS. Nihil factu proclivius quàm cavillationibus & conjecturis autorum fidei detrahere, quomodo tu Picerno, Gratiano, & Ivoni detrahis. Aut, si verum istud sit, Ivonem & Gratianum ipsos non retulisse donationem: nihil tamen causae est, cur Graeco exemplari quod vertit Picernus, eo nomine detraheretur, quòd inventum sit in Pontificis Romani Bibliotheca. Multi enim in Pontificis Bibliotheca rarissimi libri repositi sunt, qui nusquam aliàs reperiantur.

RAINOLDVS. At Graecum Constantinianae donationis scriptum aliàs licebat reperire. Nam apud Balsamonem exstat, conversum etiam à Gentiano Herveto. Et hoc eo magis opinionem rei elevat: quoniam Latinum diploma (seu *Palea*) quod apud Gratianum est, à Graeco in multis differt. Praeterea, Picernus singularem quandam in eo Pontifici gratiam praebuit: nisi Graecum exemplar quod ille in Pontificis Bibliotheca invênit, aliquanto artificiosiùs limatum fuerit, quàm illud in quod Hervetus apud Balsamonem incidit. Ubi enim in Gratiani Latino scripto legitur, *Imperatorem dedisse Pontifici loca, civitates, & provincias Italiae, sive Occidentalium regionum;* quod etiam apud * Hervetum legitur: correxit Picernus, & effinxit; *Italiae, & Occidentalium regionum.* Quod quidem exiguum fuit benevolentiae non exiguae indicium, quam Picernus Pontifici contra [f] Vallam praestitit: qui observavit voculam illam [*sive*] perperam usurpatam loco [*&*,] quasi minùs verisimile esset, vel ab Imperatore, vel ab ejus Secretario aliquo, in tanti momenti diplomate, & in tam ampla donatione ita scriptum esse.

[a] Barthol. Picern. in praef. Donat. Const. ad Iulium secundum. Pont Max.
[b] Distinct. 96. c. Constant.
[c] Antoninus hist. part. 1. tit. 8. c. 2. Illyr. in testibus veritatis, tit. Donatio Constantini.
[d] Antonius Contius. c. quia enixa. dist. 5. in Annotat.
[e] Pannorm. l. 4. cap. 1. de privilegiis Cōstantini Imperatoris & eccl. sis Sylvestro Papae.
* Italiae seu Occidentalium.
[f] Declam. de falsò cred. & ement. donat. Constant.

Quan-

Quanquam minima hęc sit ex multis conjecturis, quas Valla ex stylo facit, ut adulteratam esse donationem arguat. Quas omnes, partem maximam, eluit Picernus suâ versione. Sed si tu ista, quæ à me dicuntur de Gratiano, aut Ivone, aut Picerno, *cavillationes* esse putas & *conjecturas*: orabo igitur memineris horum scripta pro majori donatione loqui, quam Genebrardus ipse affictam esse assentitur. Quare ad nullum finem, Picernus, Ivo, & Gratianus, ab illo citantur, qui non majoris, sed minoris donationis Constantini causam agit.

HARTUS. At, quid ad postremos ejus testes respondes, qui directè pro minori loquuntur? Judaici isti scriptores sunt, Rabbi Abraham, & Aben Ezra. Nam, Rabbi Abraham, in *Zikron Dibre Romi*, ait *Constantinum exiisse Româ, & dedisse eam sacrificiis Idumæorum* (sic Christianos appellant) *ad hunc diem, ædificatâ Constantinopoli*. Et Aben Ezra, in 11. Danielis, ad illud; *Et super ullum Deum non intelligit*: *sensus*, inquit, *est, Constantinus decoravit locum Romæ quæ erat sedes ejus, & reliquit eum iniquitati* (sic impiè de sanctis Apostolis loquuntur,) *quæ vocatur Petrus*.

RAINOLDUS. Rabbi Abraham, & Aben Ezra, pene æquales Gratiani fuerunt, aut potiùs illi suppares; quum Pontifex jam Imperatorem, dominatu & summâ urbis Romanæ potestate prorsus ejecisset. Illi suorum temporum conditionẽ respexerunt; & urbem viderunt, quam Constantinus rexerat, nunc Pontificem possedisse. Quare, quum rumor Constantinianæ donationis tum expromeretur: minimè mirum est, si eum gustabant; præsertim quum historiarum parum periti essent.

HARTUS. Peritissimus, Rabbi Abraham. Nam conscripsit Chronica, quæ Genebrardus de Hebræo convertit, quæ *Cabbala historica* inscribuntur.

g R. Abraham Levita, in Cabbala historica.

RAINOLDUS. In quibus verò summam peritiam suam prodit. Nam g illic comminiscitur Rabbinus, Servatorem nostrum (*Jesum Nazarenum*, ut appellat,) *non fuisse diebus Augusti Imperatoris, & Herodis Regis Judææ natum, sed ante illud tempus ampliùs centum annis*. Atq; inde aliarum gentium historias erroris arguit, quòd ita de Christi ætate tradant: *sed nos* (inquit)* *veram traditionem & historiam ex Misna & Talmud habemus, quorum autores nihil quicquam rerum mutârunt*. Quare, si Rabbi Abrahã non magis Judæorum historiæ gnarus fuerit, in eo ipso, cujus veritatem ex h populari suo Josepho didicisse poterat: liceat illi bona tua cum venia, in Romanis historiis falli. Verborum autem, quæ ex Aben Ezra affers, vera sententia reddi potest; Romam, scilicet, ab ea discedente Constantino, postea tẽporis decursu *ad eam iniquitatem pervenisse, quæ vocatur Petrus*, hoc est, ad Papam. Etenim revera, Imperatore Constantinopoli commorante, expeditius Pontificibus iter factum est ad proditiones illas exercendas, quæ tandem Romam ipsis paraverunt. Verùm fac istam ejus sententiam fuisse, *Constantinum Romam dedisse iniquitati quæ vocatur Petrus*. Num fatebitur Genebrardus, Pontificem (*Petrum Romanum*) iniquitatem esse, quòd ita Aben Ezra asserat?

* מסורת אמת

h Antiquitat. Judaic. l. 18. c. 6

HARTUS. Nequaquam. Hoc enim ex Judaica quadam malitia asserit.

RAINOLDUS. Et illud alterum vicissim asserit, errore quodam falsus Pontificio. Quare, si suum Genebrardus testem rejiciat, quòd ex animi morbo loquatur: majori mihi cum ratione licet illum repudiare, quòd ex mentis lapsu hallucinetur. Atq; ita perspicias licet, quàm rectè Constantiniana donatio ab iis testibus confirmata sit, quos aut tu, aut Chronographus tuus produxistis. Ubi, quàm improbè omne genus autorum tractet, & inde tibi imponat, magis elucebit, si cum Episcopo quodam comparetur, qui non minùs illo Pontificius est, sed multo magis modestus est. Is i Melchior Canus est, qui commemorat *Eusebium*, *Rufinum*, *Theodoretum*

i Locor. Theolog. lib. 11. c. 5.

odoretum, Socratem, Sozomenum, Eutropium, Victorem, Ammianum Marcellinum, & *omnes* denique *historicos*, unà cum *ceteris probæ fidei autoribus*, ut commentitiam esse donationem Cõstantini demonstret: illam ipsã donationem, per quam [k] Pontifices temporalem urbis Romanæ potestatem sibi vendicant, vósq; cum Chronicis vestris in eo falsitatem eorum assentamini. Quòd si porrò, istam supposititiam donationem Constantinus verè statuisset: tamen non ita latè patet ut istud probet, cujus causâ eam objecisti, videlicet, *temporalem Pontificum ditionem multo nunc angustiorem esse, quàm ante mille pene & trecentos annos exstiterit*. Nam, urbs Romana, quæ in donatione ipsis data fuisse dicitur, punctum tantùm est illius ditionis qua hodie sibi subditâ fruuntur.

k c Fundamenta de elect. in Sext.

HARTUS. Verùm, si adjungis quod ego de *Petri patrimonio* adjeci, quo intra ducentos aut trecentos post Constantinum annos dotati sunt: cumulatè probat istud quod ego proposui; saltem, illud refutat quod vestri in Centuriis suis asserunt. Nam etiamsi dicant, *hoc incrementum opulentiæ Romanæ Ecclesiæ post Gregorii tempus cœpisse*: à Gregorio ipso egregiè tamen refutantur, sub cujus regno, (ut probabiliter quidem cogitari potest) possessiones Ecclesiæ ampliores fuerunt, quàm hodie sunt. Fidem faciunt variæ epistolæ ejus, in quibus ille disertè de Petri patrimonio in Africa, in Neapoli, in Campania, in Dalmatia, in Gallia, in Italia, in Sicilia, in Sardinia, multísq; aliis regionibus, mentionem facit.

RAINOLDUS. Audivisti de Thoma Moro: & fortasse historiam ab ipso scriptam de Richardo tertio legisti.

HARTUS. Præclarum sanè præclari viri opus. Qui, si eodem modo nostram Anglicanam historiam absolvisset, liceret nobis cum Græcis Romanísve contendere. Sed quid de historia illa?

RAINOLDUS. In illa refert, Richardum tyrannum fuisse, & sibi regalem dignitatem arrogasse, spoliato eâdem Edovardo Principe, ad quem jure pertinuit. Num hoc verè de Richardo tradit Morus, aut falsò?

HARTUS. Verè, sine dubio: ut ex cunctis historicis nostris constat, qui in eo consentiunt.

RAINOLDUS. Autor tamen quidam est, qui ait Richardum Regem coronam tyrannicè non occupasse. Quod ut probet, multas vetustas tabulas & monumenta Eboracensis familiæ producit: quibus ostenditur Richardo patrimonium fuisse Caletis, Cantuariæ, in Cantii comitatu, in Northumbria, in Hybernia, in Anglia, in Garnsæa, Jersæaque, ante natum Edovardum Principem, quo tempore illum regnum usurpasse Morus affirmat.

HARTUS. Ista fortassis patrimonia, dum Glocestriæ Dux erat, ac non Rex Angliæ, tenuerit. Quamobrem, autor iste, qui istud affert, quo ipsum non usurpasse coronam probet, non historiam Mori refellit, sed perversitatem suam aut inscitiam omnibus exponit.

RAINOLDUS. Autor iste, Harte, ipsus es. Ego ex Sigonii historia, & ex aliis, fide dignissimis viris docui, Pontifices Romam usurpasse, Romaníque Ducatûs ditionem; Imperatori jure suo per proditionem erepto. Tu his adversa affirmas. Quæ ut probes, varias Gregorii Epistolas profers, unde apparet, illis possessiones fuisse in Africa, in Neapoli, in Campania, in Dalmatia, in Gallia, in Italia, in Sicilia, & Sardinia, ante tempora illa quibus eos imperium injuriâ occupasse Sigonius ostendit. Sed, ut tute re-

sponderas, istas fortassis possessiones, dum Episcopi essent, ac non Principes, tenuerint. Quare hoc quum afferas, quò arguas eos Principatum (ut sic appellem,) & temporalem dominatum Pontificalis statûs non usurpasse: non historiam Sigonii refellis, sed perversitatem tuam aut inscitiam omnibus exponis. Immo graviores pravæ & dolosæ operæ culpas prodis, quemadmodum tu quidem illud tractas. Etenim quum Sigonius, cetérique, quos ad Tyrannicam Pontificum occupationem arguendam produxi, religione Pontificii sint, ideóq; majorem fidem contra Pontifices mereantur: non quicquam tu ad illos dicis, sed eorum loco, nostros Centuriarum autores objicis. Perinde facis, atq; si autor ille (de quo significâram tibi,) Mori Anglorúmq; historicorum autoritate pressus, responderet, etsi Funccius, Germanus, in Chronicis suis tradat Richardum usurpasse, tamen egregiè illum Eboracensis familiæ monumentis & tabulis refutari. Rursum, quum conclusioni tuæ præcisè affirmandum sit, Ecclesiæ possessiones Gregorii têporibus ampliores fuisse, quam hodie sunt; ais, *ampliores fuisse, ut probabiliter cogitari potest*: ut probabilitate veritatem, & similitudine veri verum opprimas; & tibi latebram reserves, quò, etiamsi rem falsam esse evincatur, effugere tamen possis, qui eam non ut veram, sed ut probabilem asserueris. Tempus insuper Pontificatûs Gregorii, *regnum* ejus appellas: ut inde hanc opinionem mentibus hominum ingeneres, illum temporalem dominatum, quem hodie capessunt Pontifices, habuisse. Quo loco verbum istud eo magis fraudulenter usurpatur: quoniam aditum facit ad illa perperam interpretanda, quæ tu ex Gregorii Epistolis de *Petri patrimonio* objicis. Nam, *Petri patrimonium* temporalem Pontificum dominatum, in illis [1] Clemangis verbis designat, à quibus tu responsionem tuam exorsus es. Atq; in eundem sensum aliquis hoc [*regni*] vocabulo deceptus, istîc facilè interpretaretur: quum tamen Gregorius terras Ecclesiæ Romaníq; Episcopatûs, per *Petri patrimonium* significet; non temporalem dominatum, ad quem tum temporis non aspirârunt. Sed habes in culpis istis aliquid excusationis, quòd Genebrardi vestigia sequare: cujus [*Centuriatores*,] & [*fortasse*,] & [*regnum*,] & [* *dolus*] in eas te minimè cogitantem poterant impellere. In proximâ verò, nullum superest latibulum, quo fraudem tuam tegere & velare queas. Ubi enim ductor tuus, scrutatus datâ operâ Gregorii Epistolas pro *Petri patrimonio*, illud nullis aliis in locis, nisi in iis solis quæ nominatim recensuisti, valeret invenire: tu istas minutiores esse muscas cogitans, quàm quæ Pontificem satient, adjicis, (non sine apertâ falsitate) *& in multis aliis terris*: porrò [*alias terras*] sic induxisti, ac si Campania, Neapolis, & Italia diversæ terræ essent; quum Neapolis oppidum sit, Campania Italiæ comitatus. Et tamen, quasi nobiscum bonâ fide & honestè ageres, hoc pacto concludis; *quando pro istis* scilicet, *quæ maximam potissimámq; partem obtinent, cum tantis argumentis dici possit: non esse dubium, quin pro multis aliis permagnis & amplis donis, à variis Principibus, multis Nobilibus, viris fœminísque, in illam Sedem collatis, Pontifices clarissima testimonia, quum ita opus fuerit, proferre valeant*. Quærimus de temporali Pontificum dominatu. Quam tu ejus probationem arcessis à Constantino, ficta est; illa verò à Gregorio petita, inepta. Quare nulla ejus adhuc pars probata est, nedum maxima. Quod in reliquis pro imperio suo potissimum afferre possunt Pontifices, Pipini est, successorúmque Pipini donatio. Hîc etiam ipsos injustæ occupationis convici: qui primùm emendicârunt & precariò acceperunt territoria, & ditiones, quæ ad veterem Dominum suum Imperatorem redire debuissent; & postea Domino suo novo tanquam vasallo usi sunt; & se ipsos ejus Dominos constituerunt, quod ipsis ut beneficiariis

[1] De corrupt. Eccl. stat. c.4.

* Petri patrimonium.

possidendum feudi jure tradebatur. Denique, qua vanitate de *clarissimis* illis *testimoniis* glorieris, *quæ Pontifices, quum opus fuerit, valeant proferre*; ex [m] Eugubino intelligere liceat, summo illorum procuratore, & primario in hac causa advocato. Qui inflammatus Pontificiæ superstitionis zelo, ut velit quæ iis commodissima sciret, dicere; & Pontificiæ Bibliothecæ thesauris instructus, ut possit, quæ dici possent commodissima scire: tamen, post multas oratorias prolusiones factas pro Cõstantinianâ illâ amplissimâ donatione, in extrema parte & conclusione [*] addit, *Gregorium tertium Pontificem excommunicasse Leonem* (Imperatorem,) *& ab ejus imperiis Romam Italiámq; avertisse, omnibus juramento fidelitatis absolutis.* Atq; hoc modo mendacium illud convellit, quo ipse, & Genebrardus nituntur; Romam scilicet, post Constantini imperium, non Cæsarum fuisse, sed Pontificum: indéq; (quod necessariò consequitur) assentitur, Pontificis temporalẽ in Italia dominatum injustè fuisse conquisitum, & per hanc proditionis machinam iniquè occupatum.

HARTUS. Atqui, aliis [n] Genebrardus abundat rationibus ad jus Pontificis tuendum, si nõ faciant vobis priores istæ satis. *Nam ego, inquit, hereticis, Constãtini donationem labefactare conantibus unum id respondeo, quod* Jephte (*Judicum undecimo*) *Regi Ammonitarũ, sibi reddi terram Galaad postulanti: Quod Dominus Deus noster Victor obtinuit, in nostram cedet possessionem. Nisi fortè docere potes, quòd quisquam de ea jurgatus sit per trecentos annos: (hîc per mille & ampliùs.) Quare tanto tẽpore, nihil super hac repetitione tentasti? Quibus hæc addo: In fundis præscriptio aliquot annorum sufficit. Deinde arma, legitima successio, populi consensus, sat dant juris Regi Francorum, ut Franciâ justè potiatur: & consensus Italiæ, atq; adeò Ecclesiæ, totiúsq; orbis, ad idem jus dandũ Pontifici nõ valebit? Præterea, hinc appâret non sine Dei numine Constantinum Imperii terreni sedem Constantinopolim transtulisse, ut regnum Ecclesia à Daniele prædictũ Romæ haberet sedem; quòd mox Occidentis Cæsares, Constans & ceteri, qui per aliquot secula sunt consequuti, Româ semper cesserint, & Imperii Occidentalis sedem alibi locârint, ut Mediolani, aut Ravennæ; quòd denique, Constantius Heraclii nepos, Michael, & aliquot alii eam voluerunt Romam rursum quidem inferre, sed non potuerunt.* Quare, utcũque, aut quo demum cunq; tempore temporalis Pontificis dominatus ortum habuerit: certum est ad ipsum jam jure pertinere.

RAINOLD. Non hoc verò est de quo ambigimus, Harte, quo jam jure ad illũ pertineat: sed quã ille priùs injuriam Cæsaribus intulerit, ut hoc jus obtineat. Quãquã neq; istis rationibus justam ejus possessionem præstare valeas. Nam, quas terras [o] Jephte ab Israelitis partas commemorat: eas illi justis armis pepererunt. Suas Pontifex injustâ peperit proditione. Et quidem *præscriptio* in rebus surreptis, & vi possessis nequicquam valet: si tu quicquam [p] legi credas. Ad illos verò *mille & ampliùs annos* quod attinet, quorum spacio Genebrardus adjicit, *neminem de iis litigasse*: si de Constantini donatione hoc loquatur, nihil miri est si de ea quæ omnino non erat, non litigarent. Sin de iis intelligat, quæ ex donatione, Pontifices sibi vendicant: geminas falsitates loquitur; unam, ea illos per mille & ampliùs annos tenuisse; alteram, de iis neminem cum illis litigasse. Nam, ut illos prætereamus Cæsares quos [q] superiùs attigimus, & nominatim Fridericum primum: [r] sæpissimè ad manus ventum est, inter ipsos & Romanos, de temporali regimine & administratione civitatis; quum Romani contenderent, Pontifici, tantùm spiritualis ditionis gubernacula tractanda esse. Unde appâret pariter, quàm inanis sit illa *consensus Italiæ, Ecclesiæ, totiúsque orbis*, ostentatio. Quanquam neo consensus

[m] Augustinus Steuchus Eugubinus, Apostolicæ Sedis Bibliothecarius.

[*] Cõtra Laurent. Vall. de fals. donat. Constant, li. 2.

[n] Chronog. li. 3. in Sylvest. I. prim.

[o] Iud. 11. 20.

[p] L. sequitur. paragraph. Quod autem L. Non solum. paragraph. Si Dominus.

[q] Cap. hujus sectione sextâ

[r] Platin. in Alexand. 3. Onuph. ann. in Plat. Clement. tert. Sigon. de regno Italiæ lib. 11.

 tantus

tantus Pontifici id juris largiri valeat; nisi etiam Romani Cæsares (veri ejus possessores) huic consensui suffragentur. Et, quo modo illi suffragentur, ostendant tibi recentiores Cæsares; quorum, [s] unus cupiebat Romam recuperare, omnémq; Pontificis ditionem, ut quæ ad ipsum jure spectaret; [t] alius non cupiebat solùm, sed amplius etiam aliquid tentabat: aut potiùs recentiores Pontifices ostendant, qui [u] nihil magis, quàm Cæsarum in Italiam profectionem pertimescunt. Ultima autem, Dei numine nixa ratio, *cujus providentiâ Imperii Occidentalis sedes Constantinopolim translata est; ut regnum Ecclesiæ à Daniele prædictum Romæ haberet sedem*: ut omittam illam conditam esse (more Genebrardiano) historiæ falsitate, scilicet, *Occidentis Cæsares qui Constantinum per aliquot secula consequuti sunt, Româ semper cessisse*, quod [x] Honorii exemplum redarguit; Divinum planè detorquet vaticinium ad humanam superbiam efferendam. Nam regnum Ecclesiæ à Daniele prædictum, [y] regnum Judæorum est, si temporalem statum spectamus; si spiritualem, [z] regnum Sanctorum quod usq; in seculum permanet. Et verò, si audemus ex arcanis Divinæ providentiæ operibus colligere, quod libido fingat humana, non quod divina sapientia patefecerit: Turcica perinde impietas, atq; Papale regnum confirmabitur; quoniam, ut Occidentalis Imperii sedes Pontifici contigit, ita Constantinopolis, Orientalis sedes, in Turcæ potestatem venit. Sed quale demum cunq; jus rationes istæ Pontifici nunc impertiri valeant: nequaquam eum liberant ab injuriæ jam antea illatæ Cæsaribus criminatione, quòd temporalem sibi dominatum ab illis, per proditionem rebellionémq; acquisierit. Et hoc primum caput fuit, in quo suprematum ejus præstare enixus es. Proximum, ejus est in rebus spiritualibus tyrannis. In quo, defensionem ejus quam suscepisti, eum in modum temperasti, ut, etiamsi non possis non culpam ejus agnoscere, in immoderatis illis cupiditatibus quas exposui; eas mollias tamen, tanquam depravationes solummodo justæ autoritatis, ac non usurpatæ potestatis injustas actiones. Nam dicis, *si ulli Romanorum Pontificum, opibus ad libidinem aliquam suis abusi sint, aut etiam autoritate sua; in ullis earum rerum de quibus ego verba fecerim; tam abesse à te ut eos in his præstare velis, ut potiùs horum aspectu gemat animus tuus, de iisq; ipsos condemnes*. Per quidem brevis hæc tenuísq; responsio, ad omnia eorum crimina quæ persequutus sum. Ceterùm; si ex animo, Harte, loqueris, quod faxit Deus: lætor sanè, te non conari Pontifices, in ullis earum rerum præstare, quarum eos ego coargui; sed gemere potiùs animo, eorúmq; in iis depravatos mores condemnare. Ego enim illos arguebam, tùm civilem, tùm Ecclesiasticum statum oppressisse: civilem, dum sibi potestatem arrogârunt Imperia largiendi, ejiciendi Principes, subditos obedientiâ suâ & fide solvendi; Ecclesiasticum, in Ecclesiæ administris designandis, constituendis Ecclesię causis, Ecclesiæ bonis administrandis, exercendis Ecclesiæ censuris, legibúsq; Ecclesiæ confirmandis, ut maximè illorum cupiditatibus & libidinibus inserviant. In his omnibus si facta eorum condemnes, tanquam suæ abusus autoritatis: universi eorum suprematûs praxin condemnas, ut quæ nihil aliud in summa sit, quàm cumulus quidam abusuum.

Hartus. Nequaquam verò suprematûs universi. Nam etsi nonnulli eorum variis in rebus, quarum memineras, autoritate sua abusi sint, tamen nō ita alii se gesserunt. Cujus documenta nobis erant Mariæ temporibus: quando non adeò multæ possessiones Ecclesiæ in Anglia, collatæ sunt in pastores Italicos, atq; tu collatas esse dixeras, Gregorio nono, aut Innocentio quarto Ponti-

[s] Maximilian. primus, Guic. hist. Ital. lib. 9.
[t] Carolus 5. Onuph. in vita Clement. sept. & Paul. tert.
[u] Guicciard. hist. Ital. l. 16.
[x] Zosim. hist. lib. 5. Sigon. de Occident. Imper. lib. 10.
[y] Dan. 7. v. 18. & 21. & 25. 1. Macc. 1. 12.
[z] Dan. 7. v. 18. & 22. & 27. Hebr. 12. 28.

ficibus. Verùm, utcunq; praxin potestatis suæ tractârint, quâ abusos ipsos esse fateor: potestas ipsa non ideò injusta censenda est; neq; idcirco eam *usurpârunt* illi, quoniam sunt *abusi*. Suâ enim Principes crebrò potestate abutuntur ad subditos suos opprimendos. Non dices tamen, illos potestatem Regalem suam usurpare.

RAINOLDUS. Neq; Episcopalem suam Pontificem usurpare dico, sed suprematum. Cujus iniquam occupationem *abutendi* caligine conaris obscurare; dum justam potestatem, quâ injustè utuntur Principes, ab injusta potestate non discriminas. Edovardus quartus Burdetum (mercatorem quendam Londinensem) morte plectebat, quòd filium suum jocosè affatus sit, *se illum Coronæ heredem facturum*: perperam verba ejus interpretatus, quasi Imperii coronam Burdetus designasset; quum ille domum suam, cui pro foribus affixum erat coronæ signum, intelligeret. Hîc potestate suâ Rex abusus est, non eam usurpavit: quoniam gladius ei à Deo datus est, ad exsequendam justitiam & judicium in subditum suum; etsi eum ille injustè strinxerit in innocentem. Quòd si verò Regis Hispani subditum aliquem capitis supplicio mulctasset, aut suorum aliquem excommunicasset, & hoc quidem pro utriusq; merito; hanc ille potestatem usurpasse, nō abusus fuisse diceretur: quoniam non Hispaniæ clavum tenebat; & censuræ Ecclesiæ ad Episcoporum, non ad Principis munus spectant. Similiter poterat Romanus Pontifex Imperatorem Romanum à sacrâ communione removere: ut [a] Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, Theodosium remôvit, qui curæ ejus in Mediolanensi Ecclesia committebatur. Hoc si Pontifex injustè, ac non ut Ambrosius, fecerit: potestate suâ abutebatur. Verùm, si alios Reges excommunicare ausus sit, aut Romanum Imperatorem imperio movere: injustam in hos exercebat potestatem, eámque planè usurpabat. Quo quidem exemplo Pontificiæ molitionis rerum in statu civili, facilè ejusdem in Ecclesiastico perturbationis rationem discimus. Nam, si * temerè alicui manus imponeret, quem consecrādi penes ipsum jus esset: potestas ejus justa fuit, quâ tamen abutebatur. Sin autem arrogaret sibi jus pastores designandi, aut beneficia & Episcopatus per universum orbē distribuendi: injustā potestatem usurpabat. Quum igitur tyrannis illa, cujus ipsum ego in spiritualibus rebus poscebam, ad suprematum spectaret, quem in totam Christianam vendicat Rempub. non ad Episcopalem, in privatam suam & propriam diœcesim, potestatem: potestate illa spiritualis imperii, quam in utrosq; status, Ecclesiasticum juxtà civilémq; exercuit, non abusus est, sed eam per nefas usurpavit. Neq; huic tu mederi valeas, culpâ in nonnullos priorum Pontificum translatâ: ac si successores jam ab ea liberi essent atq; integri. Nam, etsi non eò usq; omnium eorum cupiditates provehantur, in usurpatæ potestatis suæ gestione: omnes tamen eadem factitandi libertatem tuentur, eadémq; faciunt quum libuerit. Quemadmodum ab illis Mariæ temporibus, unus ex optimis Pontificibus vestris, Pius quintus, testis est: qui [b] movit communione, etiam (1) imperio, serenissimam Principem nostrā Elisabetham; [c] & reservavit sibi beneficia, dignitates, & (2) Episcopales Ecclesias largiendi jus, quod illis eripuit, quibus pastores suos eligendi potestas lege est concessa. Ubi, quum in altero injustā sibi potestatem assumeret, ad Principes dejiciendos, in qua te sententia esse tute mihi significâras; in altero, [d] autor ille, ille *bonus autor* (quem dilaudabas) confirmat, Pontifices, dum ita Ecclesiæ possessiones distribuunt, omnino facere quod non licet: conscientiæ, Harte, tuæ testimonio, autorísq; tui judicio inductum te fateri decet, suprematū eorum nō minùs in rebus spiritualibus usurpatū esse, quàm in temporalibus fuisse demōstravi. Verùm si minùs hoc fortasse

[a] Sozom. hist. Eccles. lib. 7. cap. 24.

* 1. Tim. 5. 22.

[b] Bulla Pii quinti contra Elisabetham, Angliæ Reginam.

(1) *Privamus Elisabethā prætenso jure regni.*

[c] Regulæ Cācellariæ Pii Papæ quinti in Eclog. Bullar. & Motu-propriorum.

(2) *Reservavit generaliter omnes Ecclesias Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales.*

[d] Nicolaus Clemāgis de corrupto Ecclesiæ statu, c. 5. & 7.

adhuc daturus sis, ut qui assensum tuum sustinere velis, donec ad ea quæ sequuntur capita accedamus, ad quæ remittis nos: tertium & ultimum tamẽ, in officio scilicet ipsos errasse, ex iis quæ das probatum est. Unde profiteris *hoc te solum in Pontificibus defendere, quoniam* nimirum *promisit Christus, Ecclesiam suam se super petram illam ædificaturũ, quoniã oravit etiã ut fides eorum non deficeret; idcirco nunquam ipsos in judicio, aut definitiva sentẽtia errasse*. Ubi, quũ vi perspicuę veritatis repulsus sis ab illa primaria distinctione tua, Papam errare in persona posse, non in officio; quà privatus est, non quà Papa est: ab omnibus arcis tuæ propugnaculis in cellã quasi regredieris, aisq; in angulo quodam uno officii sui nunquam ipsum errasse; alioqui in officiõ, omniq; ejus parte lapsum esse.

HARTUS. Immo, illud ego ab initio volui, quum distinctionẽ illam adhiberẽ. Ut tibi cõstare potest, ex eo quod disertè de *definitiva sententia* loquutus sim: [e] dicerémque, illum *in errorem non posse incidere judicialem*.

[e] Suprà, sectiõn. 3.

RAINOLDUS. Voluisti igitur Herculis cothurnos Pygmæo induere. Officiũ enim Pontificis longè latiores terminos habet, quàm ut *judicii* & *definitivæ sententiæ* finibus circumscribatur. Et quum diceres pariter, *Evangelistis, & aliis Scripturæ sacræ scriptoribus, ad functionem illam exsequendam divinum auxilium fuisse, & eàusq; errare ipsos nullo modo potuisse*: innuere videbaris, Pontificibus item Dei numen adesse ad functionem suam exsequendam; neq; in munere suo præstando magis errare posse, quàm Evangelistæ poterant in Evangeliis exarandis. Quum autem perspicias nunc tandem, in functione & officio tam eos falsos esse posse, quàm ipsum verax sit Evangelium; quod ego in omni ejus parte evici: tantundem etiam in reliquis istis *judicii*, & *definitivæ sententiæ* perspicies, nisi velis oculos tuos adversus manifestæ probationis lucem clausos esse. Quid enim vis, quum dicis, *promissum* & *orationem Christi* servare ipsos, quò minùs *in judicio aut definitiva sententia errent*? Non hic tibi in illis verbis sensus est, non posse ipsos in quæstione fidei contra veritatem docere, quoniam super ipsos ædificabitur Ecclesia Christi, & fides eorum non defectura est, ut possint fratres suos confirmare?

HARTUS. Ille mihi sensus fuit, quem dixi, non posse ipsos judicialiter concludere, nec unquam conclusuros esse, daturósve definitivam sententiam pro falsitate aut hæresi adversus fidem Catholicam, in Consistoriis suis, in Curiis, Conciliis, decretis, deliberationibus, aut consultationibus habitis ad ejusmodi decidendas & determinandas controversias, dubia, aut quæstiones fidei, quæ ipsis proponentur: quoniam Christi oratio & promissio in his munit eos, ut fratres sui confirmentur.

RAINOLDUS. Colloquii nostri conclusio exploratum faciet, hoc modo errasse ipsos in singulis Catholicæ fidei partibus, in quib' doctrinã nostræ contrariam tradunt: uti in primâ istâ sui supremat⁹s. Sed in pręsenti ostendam in iis rebus lapsos esse, quas ipsi falsas & hęreticas doctrinas esse confitemini. Et hoc ex illis autoribus (aut saltem ex æquè dignis fide viris) ostendã, de quib⁹ tam audacter asseris, *te nihil dubitare, quin illi hoc pariter tecum tueantur; Pontificem* videlicet, *in judicio, aut definitiva sententia errare non posse*. Nam [f] Sigebertus, [g] Martinus Polonus, & [h] Sigonius contestati sunt, *Stephanum sextum Pontificem in Concilio decrevisse, eos qui ordinati sunt à Formoso Pontifice Episcopi, non legitimè ordinatos fuisse, quòd impius fuerit qui illos ordinavit*.

[f] In Chronic. [g] Suppur. Roman. Pontif. [h] De reg. Ital. lib. 6.

HARTUS. *Stephanus deposuit illos gradibus suis, & (ut Sigebertus loquitur) exordinavit ordinatos à Formoso*. In re facti, non fidei errabat.

RAINOLDVS. Ille verò in facti, fideiq; pariter negotio errabat. Nam non solùm *privavit, & exordinavit ordinatos à Formoso*: sed *decrevit* etiam, (ut Sigebertus simul observat) *omnes Formosi ordinationes irritas esse debere*. Ubi Donatistarum errorem sequutus est: [i] qui (quasi sacramento vires ab hominibus qui ministri ejus sunt, non à Deo autore, adderentur,) eos non ritè sacro tinctos esse lavacro putârunt, qui à ministris improbis tincti sunt; ideóq; repetito baptismate, eos denuo sacris aquis immerserunt. Indéq; etiam, factum illud ipsum Stephani reprehendit [k] Luitprandus, (gravis & eruditus scriptor, ejus fere ætatis æqualis.) etsi in * nomine quidem ejus lapsus, sed rectam tamen de re sententiam ferens. Nam post commemoratum facinus, *cunctos* scilicet *ipsum*, *quos Formosus ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinasse: quod quàm malè egerit*, (inquit) *in hoc animadvertere poteris, quoniam & hi, qui à Juda Domini nostri Jesu Christi proditore, ante proditionem salutem seu benedictionem Apostolicam perceperant, eâ post proditionem, propriiq; corporis suspensionē, minimè sunt privati. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum qui videtur, sed qui non videtur, sacerdotem infunditur. Neq; enim qui rigat est aliquid, neq; qui plantat, sed qui incrementum dat, Deus.* Adeò manifestè Stephani Pontificis factum Donatismum, hoc est, singularem in fide errorem redolebat, quamvis id decreto suo non comprobasset. Multo magis igitur, quum, ut verum & justum, decreto suo sciseret.

HARTVS. Istud quidem asserere, sacros ordines à quovis Episcopo, ut etiam improbissimus ille fuerit, concessos, irritos esse, nullarúmq; virium: errorem in fide quendam esse assentior. Sed istud Luitprandi à [l] Sigeberto negatum est, *illum iterum ordinasse eos quos deposuit*.

RAINOLDVS. An ordinârit eos iterum, nécne: ad rem nihil. Quamvis, ex [m] Concilio illo, in quo Johannes nonus Stephanum, Synodúmq; ejus damnavit; videtur potiùs eos, ex iis saltem aliquos, ordinasse. Nam illic *reordinationes* nominatim prohibentur, & cum *rebaptizationibus* comparantur. Quod, nisi in eo similiter offensum fuisset à Stephano, ut à Donatistis, cur ita perstringeretur? Sed sive iterum ordinavit eos, sive secus: decrevit sanè illud, quod vos ipsi in fide errorem esse agnoscitis; & in Concilio quidem decrevit.

HARTVS. Atqui Concilium non comprobavit decretum illud, libero suffragio & judicio. Consensum illorum metu expressit Pontifex: [n] ut ex Synodo appâret, quæ ipsum damnavit.

RAINOLDVS. Non hoc est evincere, Pontificum decreta in Conciliis sana integráq; esse: sed illam potiùs infirmare certitudinem, quam iis in Consistoriis, Curiis, & Conciliis dedisti. Non enim Episcopi modò in Concilio convocati, sed Jurisconsulti etiam in Curia, ipsi Cardinales quoq; in Consistorio, metu in eā sententiam cogi possunt, quam non probant: sicut à [o] Leone decimo cogebantur. Quòd si Pontificum decretorum integritatem ista queat inquinare affectio: aliæ similiter causæ & impedimenta idem valebunt. Quid [p] enim si Cardinales, irati Pontifici ipsorum vitia increpanti, [q] ab illo discedāt, (ut olim ab Urbano sexto) & [r] novum Pontificem renuncient? Quid verò si minimè fideles sint, adeò ut illorum consilio & monitis fidem adhibere non audeat, [s] ut Adrianus sextus non audebat? Quid etiam si pravum illi, improbúmq; dent consilium, unde in fraudem credulus inducatur? Quale fuit Cardinalis [t] Pucii consilium, qui hortabatur Pōtifices, ut omnem quæstum facerent, nullúmq; iis illicitum esse prædicabat. Chabrias, homo in re militari exercitatus, [u] aiebat, *magis cervorum exercitum, duce leone metuendum esse, quàm leonum, duce cervo*. Tu nobis narras Pontificem leonem

[i] Aug. cont. ep. Parmen. lib. 2. cap. 13. & 14. De baptism. cont. Donat. lib. 1. c. 1. & 2.

[k] Rer. per Europ. gestar. lib. 1. c. 8.

* Appellat enim Sergium; sed Stephanus is erat, ut ex Concilio Ravennat. sub Johan. 9. constat. Sigon. de regn. Ital. lib. 6 Sergii ingeniū cui in hoc serviebat Stephanus (quippe quem Sergiana factio evexisset) occasionē aliquam, huic nominis errori videtur præbuisse.

[l] In Chronic.

[m] Concil. Raven. ann. Dom. 898. Sigon de regn. Ital. lib. 6

[n] Sigon. de reg. Ital. lib. 6.

[o] Guicciard. hist. Ital. lib. 13

[p] Theodoric. à Niem de schis. lib. 1. c. 5.

[q] Cap. 7.

[r] Cap. 10.

[s] Iovius de vita Adrian. sext.

[t] *Laurentio Pucio Cardinale, nullum omnino quæstum Pontificibus illicitum esse prædicante. Cujus, ut divini juris peritissimi, Leo fidem ob- status est, ne se imprudenter in errorem labi pateretur.* Iovius de vita Leon. decim. lib. 4.

[u] Plutarch. in Apoph. Reg. & Imperat.

esse, aliósq; homines cervos exsistere. Sed ipsum (utì mihi videris) cervum facis, & illos leones, quum affirmas ipsum errare & labi posse in fide, sed non hoc in Consistoriis, Curiis, & Conciliis. Quasi Christus pro fratribus ejus orasset, ut ipsum confirmarent; ac non pro ipso, ut confirmaret fratres.

HARTVS. Non eam verò de *fratribus* ejus mentionem feci, quasi veritatis in decretis ejus certitudo ipsis inniteretur. Nam, etsi deceat illum eorum uti cōsiliis, eáq; re de Consistoriis, Curiis, & Conciliis loquutus sum: tamen, sive horum pareat consilio, sive secus, decreta ejus vera sunt. Sed nequeo in animum inducere, Stephanum istum errorem decrevisse. Aut, si decreverit, non tamen decretum ejus aliquod, ad Ecclesiam docendam promulgavit.

RAINOLDVS. At verò si decreverit, *in judicio & definitiva sententia erravit:* quod ipsum est, quod tu inficiatus es. Quanquam ut ab isto etiam refugio pellare; Cælestinus Pontifex tertius [x] decretum edidit, *quum alter conjugum ad hæresin transeat, solvi conjugium, & catholicum posse ad secundas nuptias convolare.* Cui Scriptura prorsus reclamat; [y] *Quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, eum mœchari: & qui dimissam duxerit, mœchari.*

HARTVS. Hæc Cælestini opinio fuit, non decretum. Nam [z] Innocentius tertius, qui ejus meminit, non dicit illum ita *definivisse*, sed *sensisse*.

RAINOLDVS. At Innocentius tamen, qui dicit *sensisse*, eo vocabulo utitur, unde [*sententia*] deducitur: ut ex eo, definitivam Cælestini sententiam, non opinionem annotaret. Verùm, qualis demum cunq; unius Pontificis de altero exstiterit opinio: Alfonsus, Papatûs illustris patronus, eum definivisse ostendit. [a] Nam *Cælestinum Papam errasse* (inquit Alfonsus) *circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresin, res est omnibus manifesta. Neq; hic Cælestini error talis fuit, qui soli negligentia imputari debeat, ita ut illum errasse dicamus velut privatam personam, & non ut Papam, qui in qualibet re seria definienda consulere debet viros doctos: quoniam hujusmodi Cælestini definitio habebatur in antiquis Decretalibus, quam ego ipse vidi, & legi.* Atque hæc Alfonsi verba confirmat insuper [b] Hostiensis Cardinalis: qui ipsum (1) paragraphum (2) capitis designat, in quo exstitit, & de illa tanquam decretali loquitur. Quare, etsi capiti abscissus sit paragraphus [*] post Hostiensis tempora, satis tamen argumenti dant testimonia ista, decretum fuisse Cælestini Papæ ad Ecclesiam docendam promulgatum.

HARTVS. Sunt ex Doctoribus nostris [c] nonnulli, qui (ut [d] Canus testatur) *Pontificem in fidei judicio errare posse* arbitrantur. Cui fortassis opinioni Alfonsus & Hostiensis favebant. Sed si decretum (de quo loquuntur) editum fuerit forsan ad Ecclesiam docendam: non tamen, ut hoc ipsum doceret Ecclesiam. Nam in quæstione aliqua quæ attingitur, aut obiter injicitur in orationem, Pontifex errare potest, (ut [e] Canus & [f] Stapletonus docent:) at non in conclusione, id est, præcipuò capite quod discendum proponit.

RAINOLDVS. Jam demum intelligere potes, quàm inaniter & frustra pro Pontifice contendas. Nam hoc ipsum, ad quod tanquam ultimum asylum tuum, ceteris desperatis omnibus confugis; [g] ego in initio, Honorii exemplo evertebā. Cujus [h] decretorum, quæ ad Ecclesiam docendam divulgabantur, conclusio præcipuúmq; caput, hæresis fuit Monothelitarum. Unde ille non fratres suos in fide confirmavit, sed [i] impios eorum confirmavit contra fidem errores, sicut de illo [*] Synodus pronunciabat.

HARTVS. Quare igitur *Patres universi hoc non deficiendi, & alios in fide confirmandi privilegium, ad Romanam Ecclesiam Petriq; in eadem successores accommodant?*

[x] c. Laudabilē de conversione infidelium.
[y] Mat. 19. 9.
[z] c. Quanto. de divortiis.
[a] Alfons. à Castro advers. hæres. lib. 1. cap. 4
[b] Super quarto decretalium. c. quanto, de divortiis.
(1) Parag. Idem siquidem,
(2) De conversione infid. c. Laudabilem,
[*] Post. ann. christi. 1260.
[c] Gratianus. dist. 19. c. Ita Domin. parag. Hoc autē. Adrianus. in 4. sentent. de confirmat, quæst. ult. Gerson. & Almain. Parisiēs. Theologi.
[d] Locor. Theolog. lib. 6. c. 1.
[e] Lib. 6. cap. 8.
[f] Princip. doct. lib. 8. cap. 14.
[g] In 2. Sect. hujus capitis.
[h] Dogmatica scripta Honorii ad Sergium Sext. Synod. Constantinop. act. 12.
[i] Impia Sergii dogmata confirmavit.
[*] Sext. Synod. Constantinop. act. 13. Invenimus.

RAINOLDVS. * Non accommodant. Sed [k] Rhemenses vestri qui hoc de illis tradunt, impudenter comminiscuntur. Nam [l] Augustinus, [m] Chrysostomus, [n] Prosper, & [o] Theophylactus, per [*fidem,*] vivam Christianam fidem intelligunt; &, ut in ea fide ad finem Petrus persisteret, Christum orasse dicunt. Quam gratiã neq; illi, neq; quisquam Patrum ait, cunctis Pontificibus adesse. Quin [p] tu ipse, [q] Doctores vestri, etiam [r] Rhemenses contrarium confitentur.

HARTVS. Ceterùm * *Petra* illa, sine dubio, super quam Ecclesiam suam ædificaturum se Christus promisit, & portas inferorum in eã non esse prævalituras, à Patribus ad Petri in Ecclesia Romana successores accommodatur. Testis [a] Augustinus adversus Donatistas, quos jubet *numerare Sacerdotes*, hoc est, Pontifices, *vel ab ipsa Petri sede; & in illo Patrum ordine, quis, cui successit videre:* asserens *ipsam petram esse, quam superbæ non vincunt inferorum portæ.* Et [b] Hieronymus in epistola ad Damasum Papam, non minora loquitur: *Beatitudini tuæ,* (inquit ille) *id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.*

RAINOLDVS. Misera & afflicta Christi navis naufragium pene ad hanc *petram* vestram fecit. [c] Jam pridem edocui vocem [*petram*] quam vos [*rocke,*] id est, [*rupem*] interpretamini, in Christi sermone [*lapidem,*] non [*rupem*] denotare. Sed sive *lapis*, sive *rupes* fuerit, ad Patrum dicta nihil interest, quæ tu objicis. Nam, sive lapidem intellexerunt, qui vocis proprius significatus est; sive rupem, ut fortasse interpretati sunt, (saltem [d] Augustinus,) ambiguitate vocis inducti: non inde Papatum erigere voluerunt. Quare, si existimes [*lapidis*] nomen, vel non tam commodum esse proposito tuo, vel non tam plenè sensum Patrum explicare: licebit per me tibi, (modò nihil hinc præjudicati afferatur, adversus ea quæ ego de germanã ejusdem in Christi sermone sententiã disserui,) loco ejus [*rupem*] tuam usurpare.

HARTVS. Et verò hoc tibi facere necesse est, si cum argumento meo tibi res futura sit. Multùm enim Romanæ Ecclesiæ majestas [*rupis*] nomine evehitur: & tantundem Patres, meo judicio, voluerunt, quum verba Christi ad Sedem illam accommodarent.

RAINOLDVS. A Patribus quidem verba ista, ad majestatem Romanæ Ecclesiæ evehendam usurpata sunt: sed, neq; ut hinc solam Romanam Ecclesiam eveherent; neque ut suprematum Põtificis, per majestatem illam inferrent. Quod perspicuè colligi potest ex [e] Cypriano, qui, etiamsi [f] singularem honoris & præeminentiæ titulum Romanæ Ecclesiæ ascribat; illud tamen de rupe, ad Ecclesiam universam applicat. Siquidem affirmat, *Dominum nostrum, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponentem, Petro dicere; Tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: &, tibi dabo claves regni cælorum, & quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunq; solveris super terram, erunt soluta & in cælis. Inde per temporum & successionũ vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super ipsos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.* Quibus verbis Cyprianum vides sentire, omnes Episcopos *petram* esse Ecclesiæ. Ut, quemadmodum per Ecclesiam super petram ædificatam, universa Ecclesia, ac non Romana, aut Carthaginensis tantùm designatur: ita neq; Episcopi Romani, neque Carthaginensis solius, æquè tamen Carthaginensis atque Romani, personam *petra* repræsentet.

HARTVS. Utcunq; Cypriani judicio videatur ad omnes Episcopos pertinere,

[k] In Annotat. suis. Luc. 22. 31
[l] De corrept. & gratia c. 8.
[m] Hom. 83. in Matt. & 72. in Iohan.
[n] de vocat. gẽtium cap. 24.
[o] In Luc. 22.
[p] In prima sect. hujus cap.
[q] Turrecrem. in sum. de Eccle lib. 2. cap. 112. Canus Loc. Theolog. lib. 6. cap. 1. Bellar chr. 4. p. 2. q. 1
[r] In Annot. suis in Luc. 22. 31.

SECTIO OCTAVA.

* St apl. princ doct. l. 6. c. 15.
[a] In Psalm. cont. partem Donatist.
[b] Epist. 57.
[c] Cap. 2, sect. 1
[d] Qui accommodat petram Christo. de verbis Domini, serm. 13. Retract. l. 1. c. 21.
[e] Epist. 27. ad lapsos.
[f] Epist. 55. ad Cornelium.

nere;atq; ita quodam modo ad Carthaginensem Episcopum,* ut ipse accommodat: alii tamen Patres speciatim petram ad Romanum Pontificem referunt, & particulatim Ecclesiæ illi, Sediq; attribuunt.

RAINOLDVS. Attribuunt verò: sed eo modo, quo cuivis fideli Ecclesiæ, vel ipsi quidem Carthaginensi Ecclesiæ, cum Cypriano poterant ascribere. Nam quod de re qualibet in genere verè affirmatur, id etiam in specie verum esse reperitur. Verbi causâ: *Ecclesia Catholica* generatim appellatur [g] *domus Dei*, & [h] *sponsa Christi*. Referuntur isti ab Apostolo tituli speciatim, [i] alter ad Hebræos, [k] alter ad Corinthios, si in fide perseverent. Pari quoq; ratione, quod Christus de tota Ecclesia sua dixit, *inferorum portas adversus ipsam non prævalituras*: id in singulis Ecclesiæ ejus partibus verum esse deprehenditur. Quòd si Petrum, *petram* nominaret, (fidei causâ quam professus est,) super quam Ecclesiam suam ædificaturum se promittebat; omnes igitur, super quos (eandem Christi fidem profitentes) Ecclesia ejus ex parte aliqua ædificatur, possunt ex proportione quadam, *petræ* quoq; nominari. Quare, quum Patres de Ecclesia Romana, dum sancta esset; & de Romanis Episcopis, dum profiterentur fidem Petri, sint loquuti: minimè mirû est, si dicerent *Ecclesiam super illam petram ædificatam esse, nec eam inferorum portas vicisse*. Quanquam non inficior, quin in sermonibus suis de Ecclesia Romana, amplius ei tribuant, quàm liceret cuivis fideli Ecclesiæ tribuere. Ubi enim ex variis Christi Ecclesiis, aliæ ab Apostolis ipsis satæ sint, ut [l] Jerosolymitana, [m] Antiochena, [n] Corinthiaca, [o] Romana; aliæ autem ab ipsis quas serebant Apostoli, fidem receperint: priores illas magno honore [p] Patres prosequuti sunt, eásq; Apostolicas Ecclesias vocârunt; in quibus Romanam Ecclesiam [q] quandam primariam censuerunt, [r] quippe quæ à præcipuis Apostolis, Petro & Paulo sata fuisset. Et, quoniam celebre fuit, ibidem Evangelium Petrum prædicasse, (de quo ut primo Apostolo, magis quàm de Paulo Romanos gloriatos esse videtur;) hinc enatum est, ut ubi de Romana Ecclesia loquantur, frequenter de Petri sede & cathedra mentionem faciant. Nam qui docebant, sedentes docere solebant: quemadmodum * superiùs, [s] Christi exemplo, [t] verbísq; de Scribis & Pharisæis ostendi. Unde, sicut Scriptura de Paulo loquitur, [u] illum *sedisse Corinthi annum & sex menses, docentem eos sermonē Dei*, hoc est, commoratum esse ibidem, illísq; concionatû esse: [x] ita Patribus similiter, ut significent Petrum commoratum esse, & docuisse Romæ, ista familiaris est loquendi consuetudo, eum *Romæ sedisse*. Ita Augustinus successionem Episcoporum commemorat, *à sede Petri*. Ita Hieronymus illius Sedis Episcopum, *Petri cathedrâ* honorat. Sed quid hoc ad suprematum? Nam à [y] Patribus etiam dicitur, Petrum sedisse & *cathedram* suam Antiochiæ habuisse: immo, Antiochiæ (ut [z] quidam loquuntur) *excelsam* certè *cathedram habuit, in qua exaltatus est*. Et de *cathedra* ejus *Antiochena*, [a] dies apud vos antiquitus festus est; de *cathedrâ* ejus *Romæ positâ*, [b] novus est, & nuper adornatus. Quamobrem si *excelsa cathedra* Petri Antiochena, unà cum die à priscis temporibus festo, non potis sit Antiochenum Episcopum supremum Caput creare: qua tandem ratione poterit Romanum Episcopum Petri cathedra (& illa forsan inferior) Romana, cum die suo recenter festo, supremum Caput constituere? Si novum istud festum negotium totum expediat: non ego imprudentem Pontificem dixerim, qui hoc festum statuerit. Quin plura statuere ipsi futurum est non incommodum.

HARTVS. Festivè te oblectas festis nostris, Divi Petri cathedræ consecratis: ac si ego asseruisem, idcirco Romano Pontifici suprematum tribuendum

esse,

* Epist. 27, ad lapsos.
[g] Heb. 10. 21.
[h] Cant. 4. 12.
[i] Heb. 3. 6.
[k] 2. Cor. 11. 2.
[l] Act. 2. 41.
[m] 11. 26.
[n] 18. 8.
[o] 28. 30.
[p] Tertullian. de præscript. advers. hæret. August. ep. 162. & 164. & de doctr. Christ. l. 2. c. 8.
[q] Cypr. ep. 55.
[r] Irenæ. adver. hæres. l. 3. c. 3.
* Sect. quart. hujus capitis.
[s] Matth. 26. 55. Luc. 4. 20. Ioh. 8. 2.
[t] Matth. 23. 2.
[u] Act. 18. 11. ἐκάθισε.
[x] Damasus in Pontificali. Hieron. de script. Eccles. verbo Petrus. August. contr. liter. Petilian. lib 2, cap. 51.
[y] Euseb. in chron. Damasus in Pontificali.
[z] Durand. in Rational. divin. offic. lib. 7. cap. 8.
[a] Febru 22. cathedra S. Petri Antiochiæ. Durand. lib. 7. cap. 8.
[b] Ianuar. 18. cathedra S. Petri Romæ. Onuphr. annot. in Plat. vit. Petri.

esse, quoniam Patres Sedem Romanam, sedem & cathedram Petri appellant. Quum eos ego adduxerim, ut ostẽderẽ Episcopos & successionem in illa Sede Episcoporum, esse petram illam, super quam Hieronymus ait, *scire se Ecclesiam ædificatam esse*; quam affirmat Augustinus, *superbas non vincere inferorum portas*.

RAINOLDUS. Verùm * tu hinc Pontificis suprematum concludis; aut verò à quæstione evagaris.

* Stapl. princ. doct. l. 6. c. 15.

HARTUS. Cur autem non concludam?

RAINOLDUS. Si lubet: sed festum istud cathedræ S. Petri, eundem magis splendidè effecturum est. Etenim si testimonia, quæ adducis, Hieronymi & Augustini, examinentur: pro eo nihil dicunt. Hieronymus, in juventute versatus cum hæreticis Arianis in regionibus Syriæ, ab Episcopo eorum rogatus est, ut sententiâ suâ comprobaret professionem quandam fidei de Trinitate, in qua occultũ aliquod venenum reconditum latuisse suspicatus est. Quare, ne temerè & inconsultò ei assentiretur, cupiebat Damasi Romani Episcopi consilio & præceptis cõfirmari: quippe quem tùm suum agnosceret Episcopum, tùm etiam eum Episcopum esse sciret, qui fidem Catholicam tenebat; quam laudem titulo illo *petræ* ei impertit. Africa autem, aliis hæreticis, quos Donatistas vocant, vexabatur: quæ secta Sanctorum sprevit communionem, eáq; re dissecuerunt se disciderúntq; à cœtibus Christianorum, quòd *quidam ex iis mali essent*, (ut aiebant,) *quorum societas ipsos inquinabat*. Adversus istos psalmum edidit S. Augustinus pro Catholicis: ubi, quum primùm ex Scripturis arguisset, nobis non ideo communionem Ecclesiæ esse deserendam, quòd in ea quidam mali appareant, quoniam Christus ita fore prædixit, tanquam *zizania* cum *frumento*, in *agro*: tanquam *paleam* cum *tritico*, in *area*; tanquam *malos* cum *bonis*, in *rete*: hanc doctrinam ille consensu & judicio Romanæ Ecclesiæ confirmat, cujus Episcopi ab ipso Petro perpetuò eam amplexati sunt, constanterq; defenderunt, frustra eos oppugnantibus portis inferorum. Ita Augustini & Hieronymi verba quandam fidei sinceritatem quidem in Ecclesia Romana Romanisq; Episcopis, adversus Arianos & Donatistas denotant: sed neuter eorum suprematum illum, qui summa quædam potestas est, verbis suis designat.

HARTUS. Si non potestatem summam, ęquè ac fidei sinceritatem intellexissent: cur tandem illius Ecclesiæ, ac non aliarum etiam meminissent? Nullíne verò per orbem terrarum Episcopi sinceri, præter solos Episcopos Romanos exstiterunt?

RAINOLDUS. Exstiterunt verò vel plurimi, & eorum illi quoq; meminerũt. Nam Hieronymus, etiamsi Damasum consulat, senẽ juvenis, Episcopum Romanum * Romanus, cujus [c] erat religio sana, cujus [d] magna autoritas, eóq; apud Hieronymum major, quòd eum optimè sciret, [e] edoctus nempe Christi fidem Romæ, ubi sacro lavacro est initiatus: tamen nominat Ambrosium (Mediolanensem Episcopum,) non minùs item in fide sanum; etiam Ægypti, ipsiúsq; generatim * Occidentis Episcopos. [f] *Nunc in Occidente* (inquit) *sol justitiæ oritur, & apud vos solos incorrupta Patrum servatur hereditas*. Et eodem modo, [g] Augustinus observat contra Donatistas, (quorum cancro pars tantùm Africæ erosa fuerat,) Episcopos regionum terrarúmq; *transmarinarum*, & Ecclesias per *universum mundũ*, ab illorum hæresi puras fuisse atq; illibatas. Quanquam, ut Hieronymus Damasi consilium aliis anteposuit, quo seipsum confirmaret: ita præ ceteris Ecclesiam Romanam delegit Augustinus, qua confirmaret fratres. Hunc enim Psalmum (in

* Epist. 57. *à me homine Romano.*
[c] Theod. hist. Eccl. l. 2. c. 22. & lib. 5. c. 10. Symbolũ Damasi apud Hieron. Tom. 9.
[d] Theod. lib. 5. cap. 2. & 3.
[e] Hier. ep. 57. & 58. Damaso.
* Theodoret. hist. Eccl. l. 5. cap. 6.
[f] Hier. ep. 57.
[g] In Psalmo contr. part. Donat.

quo hoc scriptum est,)deditâ operâ [h] composuit ad eorum,qui in populo rudissimi & simplicissimi fuerunt,ingenia:ut intelligerent & reminiscerentur status controversiæ illius cum Donatistis habitæ. Veritatem igitur, Ecclesiæ Romanæ autoritate commendat;[i] quæ,ex omnibus Ecclesiis quas serebant Apostoli,vicinissima ipsis erat,& in maximo apud illos honore ponebatur.Verùm,quàm fuerit Augustinus à vestro,de Pontificis supprematu commento alienus, quum in hunc finem Romanam Ecclesiam citaret: illud argumento sit,quòd,quum eruditis scriberet qui majoris acuminis fuerunt,Ecclesiam [k] Jerosolymitanam, [l] Corinthiacam,Antiochenam,Ephesinam,Smyrnæam, Pergamenam, Ecclesias Asiæ, Bithyniæ,Galatiæ,Cappadociæ, [m] omnes deniq; reliquas, perinde ut Romanam producat.Quod similiter observari potest in Hieronymo.[n] Qui,quum ipsum Ariani hæresis insimularent,fidem suam vindicabat per communionem illam, quam cum Ecclesiis Occidentis & Ægypti,Damasi Episcopi Romani, & Petri Alexandrini habebat. Nihil [o] legi Theodosii Imperatoris convenientiùs factum: quæ jubet, *cunctos Catholicorum nomen amplecti,qui idem,quod Petrus & Damasus,de Trinitate credunt; reliquos verò hæretici dogmatis infamiam & pœnas sustinere.* Magna quidem,fateor, fidei Damasi Romani laus ista,quòd à tam pio Imperatore,is,tãquam exemplar Christianis imitandum proponeretur: sed laus illi cum Petro Alexandrino communis; & utrisq; eorum [p] communis cum pluribus Orientis Episcopis,Nectario,Pelagio,Diodoro, Amphilochio, Helladio, Otreino, Gregorio Nysseno,& aliis. De quibus idem postea Imperator aliam legem tulit, *nullos ad Ecclesias Episcopales obtinendas admitti oportere, nisi quos constiterit horum communione esse sociatos.* Unde perspicias, laudem Damaso datam ab Hieronymo, sanã fidem arguere, Romano Episcopo cum multis aliis communẽ; non summam potestatem,ipsi soli præ cunctis aliis peculiarem.

HARTUS. Hoc,saltem,igitur concedis,Romanum Pontificem in fide, Hieronymi judicio errare non posse.

RAINOLDUS. Aut,saltem,hoc tu arripis,etsi id neq; ego concedam, nec ex Hieronymo evincatur. Sed hoc evincitur,quod etiam concedo, non in fide errasse de Trinitate,quum Damasus Romani Episcopi personam sustineret.

HARTUS. Quum Damasus Romani Episcopi personam sustineret? Quorsum adeò restringis? Hieronymi verba generatim efferuntur. *Beatitudini tuæ, id est,cathedræ Petri,communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Ecce,*cathedræ Petri.* Non Damasum sic alloquitur, Damasum ipsum respiciens, sed *cathedram*,itáq; Romanorum Pontificum successionem: ut,quod uni dicit,ad omnes pertineat.

RAINOLDUS. Si verba ejus istis affixa uncis distendas,nunquam consistent, Nam,[q] ipse refert nominatim Liberium, Romanum Episcopum, qui proximè præcessit Damaso, *Arianæ hæresi subscripsisse.*

HARTUS. Ita refert Hieronymus: sed falso quodam rumore falli poterat. Nihil enim de re ipsa, præter auditum,habuit dicere.

RAINOLDUS. Sed quum illi ætati suppar esset, eodémq; in loco diversaretur,atq;Romanam Sedem diligeret,& hoc tamen de Liberio referat, & quidẽ constanter referat,non solùm in libro suo de Ecclesiasticis scriptoribus edito, sed etiam in [r] Chronico: verisimilius est,illum tùm scivisse veritatem, tùm testificatũ esse; quàm [s] Pontacum,(qui hanc tuam adversus illum exceptionem interponit,) aut quemvis alium horum temporum.

HARTUS. Quid? non tu fidem cuiquam horum temporum adversus Hieronymum

[h] August. Retract.l.1.c.20.
[i] Tertull.de Præscript. advers. hæret.
[k] August.cõtra lit. Petil.lib. 2. cap.51.
[l] Epist.164. ad Emeritum. De unitate Ecclesiæ c.11. & 12.
[m] Cont. Cresco. gramm. l.3.c.18.& ep. 161.ad Honoratum.
[n] Epist.77.ad Marcum Presbyt.
[o] Sozom.hist. Eccles.l.7.c.4. L. Cunctos. cod.de summa Trinit.& fide catholica.
[p] Sozomen. lib.7.c.9 L. Episcopis,In codice Theodosiano,lib.16. tit.de fide catholica.
[q] De scriptor. Eccles. Verbo, Fortunatianus
[r] In adject.ad Chron.Euseb.
[s] Chron.l.2.

ronymum adhibebis?

RAINOLDVS. Adhibebo verò: si satis justam mihi afferat ad ipsum convincendum rationem.

HARTVS. Atque hoc facit Pontacus. Nam ostendit [t] Basilium, [u] Ambrosium, & [x] Epiphanium, appellare Liberium *beatum hominem*: etiam [y] Athanasium ab Arianismi labe illum liberare.

RAINOLDVS. Basilius, Ambrosius, & Epiphanius, Liberium *beatum hominem* appellant. Quid? Non igitur Arianæ hæresi subscripsit? Quin dicas pariter, Petrum non abnegasse Christum. Nam, [t] Basilius, [u] Ambrosius, & [x] Epiphanius, Petrum *beatum hominem* appellant. Beati sunt, quos peccatorum suorum pœnitet, ut Petrum abnegationis suæ pœnitebat: & ita forsan suæ [y] Liberium pœnituerat subscriptionis. Sed [z] Athanasius, etiamsi dicat *Liberium damnasse Arianorum hæresin, ideóq; in exilium relegatum esse*: affirmat tamen pariter, *non perseverasse ipsum in exilio ad finem usq; perferendo, sed* [a] *mortis metu hæresi illi manu suâ subscripsisse, licèt corde semper eandem aversaretur*. Hoc igitur modo Athanasius ipse, qui æqualis fuit Liberii, & cui optimè totius vitæ ejus ratio conditióque nota fuit, fatetur illum subscripsisse: quanquam amicissimè judicârit (cùm illius, tùm causæ gratiâ,) non consensisse. Verùm, [b] Damasus Episcopus Romanus, qui Liberio successit, & rem potuit accuratiùs cognoscere quàm Athanasius, scribit *Liberium consensisse etiam Constantio Ariano*.

HARTVS. Quamvis hoc in libro Damasi scriptum sit: tamen illud à Damaso scriptũ esse nõ est verisimile. Siquidẽ, [c] Carranza observat, *multos esse qui de illa historia dubitãt*. Et [d] Onuphrius, homo valde gnarus antiquitatũ, inprimísq; Romanarũ, tùm rumorẽ ipsum, tũ autorẽ ejus infamat: dicens, *hæc Anastasiũ Bibliothecariũ (ut ipse opinatur) primùm credidisse, et ut pleraq; alia, Damasi libro interposuisse*.

RAINOLDVS. Quid Anastasius fecerit, nescio. Sed, si de suis Damasum refersserit: iis potiùs probabile est refersisse, quæ amplificant, quàm quæ diminuunt Põtificis dignitatẽ. Quanquã, si Onuphrius, quũ negat Liberiũ Arianũ fuisse, intelligat nec illũ subscripsisse Arianæ hæresi, & hujus rumoris interpretẽ primũ fuisse Anastasiũ: quid respondet Hieronymo, & Athanasio, & [e] Sozomeno, (& [f] Marcellino quoq; re idẽ affirmãti,) qui unanimi cõsensu omnes hoc scripserũt; quorũ qui adolescẽtiores, centũ annos ante natũ Anastasiũ floruerunt. Quòd verò Carranza observet, *multos esse qui de illa dubitant historia*: doceat qui sint oportet, & quas dubitationis causas habeant. Alioquin *multi* illi tales esse possunt, qualis ipse & Onuphri⁹: quorũ dubitatio nihil præjudicati afferre debet fidei historicorũ illorum, qui mille ante ipsos annos scripserunt. Si præsertim, nõ majoribus causis & momẽtis nitantur, quàm Carranza: qui, ut refutet historiã, objicit, *Liberiũ unã epistolã scripsisse ad Athanasiũ, et Ægyptios Episcopos contra Arianos: et alterã ad omnes Episcopos, ipsos ad cõstãtiã adhortantẽ*. Quæ rationes adeò tenues sunt, ut [g] Joverius vester, Parisiensis Doctor Theologiæ, eas obiter recensens, simul refutârit. Sed vide ad quã misera effugia detrudamini, ut superbiã Romani hominis fulciatis. Quoniã suprematui ejus hoc dedecori futurũ esset, si prædecessor ejus Liberius, contra fidẽ Catholicã subscripserit: in eã igitur sententiã potiùs discessistis, ut id negetis; quo autẽ modo? Primùm quidẽ, Hieronymi autoritas objicitur id in Chronico suo asserentis. [h] Pighi⁹ vester respondet, *aliquem, verba illa per ignorantiam aut fraudem, Chronico ejus inseruisse*. Quũ hęc respõsio duriuscula videretur, quòd idẽ etiã alibi Hieronym⁹ affirmasset: Põtac⁹ vester (ut rẽ juvet) occurrit, *nihil potuisse de hac re Hieronymũ, præter auditum dicere*. Quũ auditũ hoc ex Damaso etiã probatũ fit: Onuphrius vester opinatur

[t] Epist. 74.
[u] De Virg. l. 3.
[x] Hæres. 75.
[y] In Apolog. 2.

[t] Serm. de humilit.
[u] De fide li. 5. in præfat.
[x] In anchor.
[y] Socrat. hist. Eccl. l. 4. c. 11. Sozo. l. 6. c. 12.
[z] In Apol. 2.
[a] Athan. in epist. ad solitar. vit. agent.
[b] In Pontific.
[c] Summ. Cõc. in vit. Liberii.
[d] Annot. in Plat. vit. Felicis secund.
[e] Hist. Eccl. l. 4. cap. 15.
[f] In Chronic.
[g] Sãction. Ecclesiast. class. 3 in vit. Liberii.
[h] Hierarch. Eccl. lib. 4. c. 8.

illum ab Anaſtaſio Bibliothecario, depravatum eſſe. Quum Sozomenus, Græcus ſcriptor, Damaſum & Hieronymum confirmet: veſter Chriſtophorſonus, qui illum cõvertit, tacere illum cogit, aut potiùs contrà teſtari. Nam ubi patrio ſermone dicit, *Imperatorem (1) compuliſſe Liberium, ut ſubſcriberet*: ait, per interpretem veſtrum, *Imperatorem tentaviſſe compellere.* Et ubi patrio ſermone dicit, *quoſdam Arianos Epiſcopos (2) effeciſſe ut conſentiret:* ait, per interpretem veſtrum, *conatos eſſe ut conſentiret.* Quum porrò Marcellinum cum Sozomeni narratione conſentire appareat: [i] Genebrardus veſter animadvertens Hieronymum ab utriſq; confirmatum eſſe, eradit illud Pontaci (*Hieronymum* ſcilicet *de eo nihil potuiſſe præter auditum dicere,*) & illum Patribus adoritur. In quibus, (præter illos quos tu ex Pontaco afferebas,) Socratem citat & Theodoretum: [k] Socratem, qui declarat *Liberium non fuiſſe ſub Valente hæreticum*; quaſi verò hoc argumento eſſet, illum ſub Conſtantio Arianæ hæreſi non ſubſcripſiſſe: [l] Theodoretum, qui affirmat *Occidentem ſemper ab Arianiſmi labe liberum fuiſſe*; quod à propoſito eſt alienius, Theodoreto pro maxima ejuſdem parte loquente generatim, & comparatè etiam ratione Orientis. Nam ipſe [m] priùs docuerat, Auxentium quendam, Occidentis Epiſcopum, fuiſſe Arianum. Quod autem ad Athanaſium attinet, qui antiquiſſimus hujus rei teſtis eſt, tantíque pretii vir, ut [n] Andradius veſter non valeret, quin ſe illi dederet: Genebrardus tamen & Pontacus hoc optimę artis eſſe putârunt, illum tanquam Hieronymo in eo adverſantem adducere; quum Hieronymus idem cum illo, adeò planè & plenè aſſerat, ut [o] Hoſius veſter ſatis habeat unam ad utrumq; efformare reſponſionem, *ipſos falſo rumori credidiſſe.* Quibus verbis quoq; à [p] Bellarmino veſtro ſunt rejecti. Atq; iſtud effugium culpam omnem in *falſos rumores* conjiciendi, ita ſcitum videbatur [q] Surio veſtro, ut (averſatus fortaſſis illud Onuphrii de Anaſtaſio diverticulum,) eodem ad Damaſum quoq; eludendum abutatur. Quod ut fuco quodam illinat, ait, *pervetuſtos hiſtoricos & ſcriptores teſtari, Liberium in Catholicæ fidei aſſertione conſtantiſſimè permanſiſſe.* Verùm quum non poſſit ne unum quidem horum *pervetuſtorum hiſtoricorum & ſcriptorum* nominare, de quibus cum impudente mendacio gloriatur: lectorem ſuum remittit (quod maximè ridiculum eſt) ad * Nicephorum recentem ſcriptorem, *qui* (inquit ille) *utiq; ex veteribus hauſit ſcripta ſua.* Hauſit certè Nicephorus totum quod de hac re habet, ex Sozomeno: & verò, ſi ſcriptum exſtaret Græcum, veritas facilis foret exploratu: nempe, aut tribus in (*1*) verbis immutavit autorem ſuum, quod minimè eſt veriſimile, quum per univerſum caput ſingula ejus premeret veſtigia; aut (quod ſimilius vero eſt) Langus veſter, qui ex manuſcripto exemplari illum (*2*) convertebat, tantum in illo auſus eſt, quantum Chriſtophorſonus in Sozomeno. In tantas ineptias fraudéſq; voſmet ipſi inducitis, ut homines ab hac opinione arceatis; Pontificem Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe. Quod, niſi ora veſtra ſilicis inſtar dura perfricuiſſetis, ut illi informatæ animis veſtris Papalis Sedis opinioni lenocinemini, nihil cauſæ video cur faceretis: quum præſertim ipſi docetis (ut * oſtendi) Pontificem hęreticum eſſe poſſe, non modò hęreſi ſubſcribere. Verùm ſi adeò in Pontificem indulgenter afficiamini, ut velitis potiùs quamvis in aliis culpam, quàm in eo labem talem concedere; ſi ſine rubore eloqui poſſitis, Damaſum depravatum fuiſſe, Athanaſium credulum, Marcellinum falſum Chronici ſcriptorem; Sozomenũ Latinum, quàm Græcum; in verſione veſtra, quã ſermone ſuo, eſſe veriorẽ; [r] Marianũ Scotũ, [ſ] Martinũ Polonũ, [t] Adonẽ, [u] Rheginonẽ, [x] Antoninũ, [y] Platinã, [z] alióſq; recẽtiores ſcriptores, deceptos fuiſſe ab Hieronymo; Hieronymo ipſi falſis rumoribus fucũ factũ eſſe; deniq; Papiſtas noſtræ ætatis

(1) ἐβιάζετο.
(2) Παρασκευάζουσι συναινέσειν.
[i] Chron. lib. 3.
[k] Hiſt. Eccl. l. 4 cap. 11.
[l] Hiſt. Eccl. l. 5. cap. 6.
[m] Lib. 4. ca. 5.
[n] Defen. fid. Trident. lib. 2.
[o] Cont. Brent. lib. 2.
[p] Prælect. Rõ contro. 4. p. 2. q. 1.
[q] Annot. in vitam Liber. conc. Tom. 1.
* Nicephor. Calliſt. hiſt. Eccleſ. l. 9. c. 37.
(1)
1 ἐβιάζετο.
2 παρασκευάζουσι.
3 συνῄνεσεν.
(2)
1 Suadere tentavit.
2 Studuêre.
3 Conabantur.
* Sect. 2. hujus capitis.
[r] Chron. li. 2.
[ſ] In supputat. Rom. Pontif.
[t] Ado Vienn. in Chron. ætat. 6.
[u] Chron. lib. 1
[x] Hiſt. part. 2. tit. 9. cap. 2.
[y] In vit. Liberii, & Felicis ſecund.
[z] Cuſan. de Concord. Cathol. lib. 2. ca. 5. Alfonſus à Caſtr. contr. hær. l. 1, c. 4. Albert. Krãtz. Metrop. lib. 2. cap. 1.

ætatis posse nobis quid ante mille & ducentos annos factum sit narrare, veriùs ipsis qui iisdem temporibus, & deinceps sequentibus seculis viguerunt: nihil tamen potestis afferre, quin Hieronymus senserit Liberium subscripsisse hæresi Arianæ: etiã, [a] Felicem (proximum à Liberio Pontificem Romanum,) fuisse Arianũ, idẽ ille sentiebat. Quare, si de universa Episcoporum Romanorum successione id intelligi voluisset, quod scripsit ad Damasum, *Beatitudini tuæ, id est, cathedra Petri, cõmunione cõsocior; super illã petrã ædificatã Ecclesiã scio:* intelligat necesse est, ante Damasi Põtificatũ, debuisse se cõsociari cõmunione Arianis, & Arianorum beatitudinẽ cathedrã fuisse Petri, & Ecclesiam super petram Arianorum fuisse ædificatam. At ista longè aberat ab Hieronymo abominatio. Hieronymus igitur nõ successionem intellexit, sed Damasum, qui Petro, ut in cathedra, ita in doctrina successit; & eandem quam Petrus, fidem docuit: quæ fides tam contraria prorsus fidei Arianorum erat, quàm lux est tenebris, quàm est vita morti.

[a] Hieron. de script. Eccl. verbo, Acacius.

HARTUS. Verùm procul dubio D. [b] Augustinus universam Romanorum Põtificum successionẽ designabat animo, quum adversus Donatistas scriberet; *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in illo Patrũ ordine, quis, cui successit videte: ipsa petra est, quã superbæ non vincunt inferorum portæ. Portæ inferorum*, inquit Augustin⁹, *non vincunt Sacerdotes*, hoc est, Pontifices, qui Petro succedunt. Ejus igitur judicio, omnes Romani Pontifices ab omni hæresi sunt liberi. Portæ enim inferorum hæreses sunt, & principales autores hęresium, ut [c] Epiphanius testatur. Quamobrem, si inferorum portæ non vincant Romanorum Pontificum successionem: consequens est, (utcunq; Hieronymum declinas,) neq; Arianos, neq; Donatistas, neq; ullas alias hæreses illam vincere.

[b] In Psalm. cont. part. Donat.

[c] In Anchor.

RAINOLDUS. Vicisse illam Augustini temporibus: ita tibi esset concludendũ. Elegante verò arte, in citandis Patrum, de Romana Ecclesia testimoniis, & dictis, uteris: ut, quod illi de suo tempore loquuntur, id tu de hac nostra ætate acceptum velis. Nobilis quædam urbis Romanæ erat fœmina, Fabia dicta: [d] quæ jam senior facta, nec tamen non adhuc adoloscentior videri cupiens, dixit, præsente Cicerone, *triginta se annos habere*. *Verum est*, inquit Cicero; *nam hoc jam viginti annis audio*. Ecclesia Romana se idololatriâ inquinavit, & scortata discessit à Domino: cupit tamen adhuc virgo videri, & esse quidem se dicit. Non te ita cum illa jocari spero, ut est cum Fabia jocatus Cicero: virginitatem tamen ejus, ut Cicero Fabiæ juventutem, probas. Verum est, inquis: nam hoc jam ante mille ducentósq; annos de illa scriptum est. Sed ut videas quantum tibi causæ detur, cur innitereris tantopere verbis illis, *Inferorum portæ non vincunt successionem Romanorum Episcoporum:* cogites modò quid per *portas inferorum* intelligatur, & jam te confitentem habemus, illas nonnullos Romanos Episcopos vicisse. Fidelium & electorum Dei in præsente vita sors & conditio [e] militia quædam est: unde Ecclesia militans appellatur. De adversariis & hostibus quibuscum dimicandum nobis est, Servator tanquam de potente regno loquitur, quod inferos appellat, quoniam pro inferis omnino præliatur, ejúsque princeps [f] diabolus est. *Inferorum portæ* igitur denotant [g] castella illa, propugnacula & munitiones, quibus copiæ inferorum nos oppugnãt & adoriuntur: hoc est, quicquid demum potis sit Dæmon vi aut fraude patrare. Quod omne *portarum* nomine exprimitur, quoniam portæ castellorum præstantissimâ solent munitione defendi, firmissimísq; prędiis vallari. Quare *inferorum portæ* nõ solùm hęreses sunt, (etsi sint quoq; in earũ numero hęreses, ut [h] Epiphanius, & [i] Augustinus docẽt:) sed persequutiones etiã, inprimísq; peccata, &, ut verbo dicã, cuncta deniq; mala, sive

[d] Fab. Quintilian. lib. 6, ca..

[e] 2. Cor. 10. 4.

[f] Eph. 6. 11.

[g] ὀχυρωμάτων 2. Cor. 10. 4.

[h] In Anchor.

[i] De Symbol. ad catechum. lib. 1. cap. 6.

dulcia sive acerba, sive secunda sive adversa, quæ conatur nos in æternæ mortis redigere potestatem; ut [k]Origenes, [l]Chrysostomus, [m]Gregorius, [n]Theophylactus, [o]aliiq; rectè observant. Jam, si ad Romanos Episcopos istud accommodes: tuus tibi error constabit. Etenim apud te tuósq; confessa res est, peccata multos eorũ vicisse, & prodigiosũ quidẽ in modũ vicisse. Unde consequitur, portas inferorum vicisse multos, qui in cathedra Petri successerũt. Quòd verò Augustini judiciũ opponis, *neq; Arianorũ, neq; Donatistarũ, aliorũve hæreses ipsos vicisse*: nihil ego causę scio, quin hoc jure potuerit tũ tẽporis affirmare. Nã, etsi hæresis Ariana Liberiũ atrociter invaderet, subverterétque, [p]quũ *defatigatus tædio exilii sui ei subscriberet*: tamen, quoniã se recepit à lapsu suo, & eidẽ deinceps strenuè [q]restitit; nõ potest dici, illum ab hęresi ista victũ esse. An verò Felicẽ illa vicerit, quẽ [r]quidã tradũt fuisse Arianũ; [s]alii, cõmunionẽ solũmodo cũ Arianis celebrasse: nihil istud ad [t]Augustinũ, qui eũ in Romanis Episcopis non recenset. In quo etsi ab eo Genebrardus vester discedat, quoniã per martyriũ sublat' est, ut ille [u]asserit, & ad idẽ cõfirmandũ Sozomenũ citat (sed emẽtitur Sozomenũ,) ut ex illo mẽdacio inferat, *tãtã vim fuisse Petri cathedræ, ut martyrẽ potiùs, quàm hæreticũ, vel hæreticis favẽtẽ Põtificem sustinere potuerit*: [x]alii tamen (non hoc mysterii forsan in morte Felicis animadvertẽtes,) Augustino se adjũgunt; ipse etiã [y]Onuphri' vester, qui neq; Pontificatum ejus agnoscit, neq; martyriũ. Jã, Donatistarũ hæresis minùs in illos prævaluerat. Nã ut [z]priùs restiterãt Novatianis, cognatis Donatistarũ: ita [a]Donatistis ipsis, cũ per cõmunionẽ suã cũ Catholicis, tũm per doctrinã restiterunt. Atq; hoc est quod pręcipuè respexit animo Augustin', quum eorũ successionẽ cõmẽdatione sua honestaret. Queadmodum adhuc ampliùs appâret ex respõsione quadã, [b]quã ad Donatistæ cujusdã epistolã rescripsit: ubi numeratis omnibus Romanis Episcopis, à Lino qui successit Petro, ad Anastasium tũ superstitẽ, his verbis cõcludit; *In hoc ordine successionis, null' Donatista Episcopus invenitur*. Quo loco si pariter cogitemus, quo modo pro veritate pugnarent [c]adversus hæreses Carpocratis, Valentini, Marcionis, [d]Sabellii, Macedonii, Photini, Apollinaris, reliquorúmq; nebulonum, qui in fundamentum Christianæ fidei, doctrinam de beata Trinitate traditam, cuniculos egerunt: ratio manifesta patebit, quare, ut cõmoveret Donatistas Romanorũ Episcoporum successione & autoritate, Augustinus hanc ei laudem tribuerit, *inferorum portas eã nõ vicisse*.

HARTUS. Rectè.[*] Successio igitur Romanorum Pontificum exhibita est ab Augustino, ut certa quædam nota Catholicæ religionis, verę Ecclesię, germanęq; fidei. Neq; ab Augustino solùm, sed à reliquis item Patribus. Nam [e]Epiphanius etiam contra Carpocratianos profert: *Et ne quis miretur quidem*, inquit, *quòd singula ita exactè recensemus: per hoc enim, semper id quod manifestum est in fide, ostenditur*. Et [f]Tertullianus, quum de ipsis qui in Africa fuerunt dixisset, *à Romana Ecclesia præstò esse ipsis autoritatem statutam: illius Ecclesiæ & Sedis Episcoporum successionem omnibus hæreticis opponendam* docet. Et [g]Irenæus, omnes Romanos Episcopos, à Petro usque ad Eleutherium tum Romæ sedentem enumerans, adjicit, *plenissimam esse Apostolicæ fidei à se stantis contra Valentinianos ostensionem*. Et [h]Optatus ampliùs enumerat à Petro usque ad Siricium sui temporis Papam, contra Donatistas. Ut etiam longiùs adhuc progreditur [i]Augustinus, à Petro usq; ad ætatis suæ Pontificem Anastasium, *idq;* (ut ait) *multo certiùs, & verè salubriter*. Romana igitur Ecclesia, nósque, qui illi Ecclesiæ inserimur, certissimo testimonio fruimur, fidem illam quam profitemur, veram fidem esse. Successione enim muniti sumus Romanorum Pontificum, à Petro ad Gregori-

um

[h] In Matt. Tract. primo.
[l] Contra Gẽtiles, quòd Christus sit Deus.
[m] In quint. psal. pœniten.
[n] In Mat. 16.
[o] Hieron. & Raban. comment. in Mat. 16.
[p] Hieron. in Chrõ. Eusebii.
[q] Socrat. hist. Eccle. l.4 c.11 Soz. li.6.c.12.
[r] Hier. de scri. Eccl. verbo, Acacius. Socrat. lib.2. cap.29.
[s] Theod. hist. Eccl. li.2.c.17. Sozom. l.4. cap.10.
[t] Epist 165.
[u] Genebrard. Chro. lib.3.
[x] Optat. Milevit. cõtra Donatist. lib.2. Marcell. Comes in Chron.
[y] Annot. in Plat. vit. Felic. secund.
[z] Euseb. hist. eccl. li.6.c.42. Cypr. ep. ad Cornelium, & Lucium.
[a] Aug. in brevi collat. cũ Donatist. collat. diei tert. cap. 12. & epi. 162.
[b] Epist. 165.
[c] Iren. advers. hær. lib.3.c.3.
[d] Theod. hist. Eccl. l.5.c.10.
[*] Staplet li.4. c.5. & 19. & 20

SECTIO NONA.

[e] Hæres.27.
[f] De præscrip. advers. hæret.
[g] Lib.3. cap.3.
[h] Lib.2.
[i] Epist.165.

um decimum tertium nostri temporis Pontificem: quod inexpugnabile opponitur adversus omnes hæreticos castellum, sicut Patres, Epiphanius, Tertullianus, Irenæus, Optatus, & Augustinus, testificantur.

RAINOLDVS. Nunquam tu cum Ecclesia jocari desines, ut cum Fabia est jocatus Cicero. *Successio Romanorum Pontificum argumentū est veræ fidei: ita enim fuit temporibus Augustini, Epiphanii, Optati, Tertulliani, & Irenæi, ante mille ducentosq; annos & amplius.* Argumentum sanè veræ fidei exstitit *successio*, donec Episcopi, qui à veritate discesserunt, succederent: sicut *vestitus ovium verorum Prophetarum nota fuit, donec eū falsi Prophetę induerent. Verùm neq; jam vestitu ovium veri Prophetæ dignoscuntur, nec vera fides successione. Episcoporum successio veræ fidei argumentum fuit, non in Romana sola Ecclesia, sed in omnibus, dum qui Apostolis loco successerunt, succederent etiam doctrinâ, illúdq; quod [k] Paulus Timotheo, & aliis [l] Timotheus tradidit, custodirent. Sed postquam rapaces lupi invexissent se in sedes pastorum, & [m] illud impletum esset quod Ephesinis Episcopis Paulus prędixit; *Ex vobis ipsis exorituri sunt qui loquātur perversa, ut discipulos post se abstrahāt:* desiit tum successio veræ fidei argumentum esse, quum jam non ampliùs veritatis propria esset, sed ei cum errore communis, adeóq; neutrius, quia utriusq; nota. Hoc verò successionis inter posteriorem ætatem atq; priorem, primævæ Ecclesiæ tempora & nostræ, discrimen; ex iis ipsis Patribus perspicuum est, quos adducis. Nam [n] Irenæus (ut ab illorum antiquissimo Patre ordiamur) ait, *successionem Episcoporum, in omnibus Ecclesiis per universum mundum, custodire & docere doctrinam ab Apostolis traditam.* Nō ita hodie custodit: neq; verò his jam multis seculis, à defuncto Irenæo custodivit. An custodivit?

*Mat. 7. 15.
[k] 2. Tim. 1. 14
[l] 2. Tim. 2. 2.
[m] Act. 20. 30.
[n] Lib. 3. c. 3. et lib. 4. cap. 63.

HARTVS. Non in *omnibus Ecclesiis* sed in Romana Ecclesia; & hodie, & priùs custodivit, semperq; futurum est ut custodiat.

RAINOLDVS. At, si tibi placeret idem pro omnibus Ecclesiis dicere, liceret quidem non minùs scitè hoc ex Irenęo, pro iis disserere, quàm pro Romana Ecclesia jam disseruisti.

HARTVS. Istud verò negatur. Non enim ille successionem veræ doctrinæ ab ulla alia, nisi à Romana Ecclesia, contra Valentinianos arcessit.

RAINOLDVS. Ita tibi [o] narravit Stapletonus, & tu illi credidisti. Nescio planè, utrùm tuam credulitatem miserer magis, an illius detester impudentiam, qui te tam improbis commentis abusus est; & contrà quidem quàm sciret ipse, nisi quid scripserat ipse, nesciret. [p] Ipse enim verba Irenæi citârat, quæ contrarium affirmāt: videlicet, [q] *Habemus enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, &c. Sed quoniā valde lōgum esset omnium Ecclesiarū enumerare successiones: maximæ & antiquissimæ, et ab omnibus cognitæ, Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ fidem, per successiones Episcoporum ad nos usq; pervenientem indicamus. Et rursus;* [r] *Agnitio vera, est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in universo mundo, & charactere corporis Christi, secundùm successiones Episcoporum quibus illi eam, quæ in unoquoq; loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit usq; ad nos custodita, &c.* Quibus sententiis liquidum est Irenæum, quamvis non enumeret *successiones omnium Ecclesiarum, quoniam valde longum esset*: veræ tamen doctrinæ successionem ab *omnibus Ecclesiis*, in *omnibus locis*, per *universum mundum* arcessere. Aut verò, si adhuc non satis ex istis sententiis liqueat, in aliis multo reddit apertius, cùm ex sermonibus generatim habitis *de* [s] *Ecclesia in universo mundo*, quos sæpius repetit; tùm ex nominatis particulatim variis Ecclesiis, quæ [t] Smyrnæ, quæ Ephesi, quæ in

[o] Prin. Doctr. lib. 4. cap. 19.
[p] Princ. doct. lib. 4. cap. 5.
[q] Iren. l. 3. c. 3.
[r] Lib. 4. c. 63.
[s] Lib. 1. c. 2. & 3. li. 3. c. 12. l. 5. c. 1. & 17.
[t] Lib. 3. c. 3.

Asia, [u] quæ in Germania, Hispania, Gallia, in Orientis regionibus, in Ægypto, in Libya, in mundi medio fuerunt. Quare successiones Episcoporum per omnes Ecclesias, veræ fidelesq; Apostolicæ doctrinæ testes Irenæi tempore extiterunt. Quod [x] Eusebius insuper Hegesippi testimonio edocet, qui illi ætati par fuit, & Romam versus proficiscens, *plurimos Episcopos convênit: apud quos eandem, etiã apud eos universos, doctrinam deprehendit*, convenienter iis quæ scripsit, *in singulis successionibus, & in singulis civitatibus, doctrinam ita habere, sicut & Lex, & Prophetæ, & Dominus prædicant.*

HARTVS. Ceterùm [y] Irenæus numerat præcipuè *successionem Romanæ Ecclesiæ, ut maximæ, & antiquissimæ, et ab omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo, fundatæ & stabilitæ.*

RAINOLDVS. Nec mirum. Nam præter autoritatem illam qua floruit, quippe quæ Apostolica, ampla, celebris, antiqua extiterit: maximè etiam situ propinqua fuit (ex omnibus Apostolicis Ecclesiis) Irenæo, Lugdunensi in Gallia Episcopo, itáq; & meliùs cognita, & magis frequentata. Quo nomine, ab aliis item Patribus præcipuè citatur. Quod ex [z] Tertulliano appareat, quem proximum adducis. Ille enim eandem proponens adversus hæreticos præscriptionem, quam ante ipsum Irenæus proposuerat, de eadem hunc in modum loquitur. *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur: apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusq;. Proxima est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam: unde nobis quoq; autoritas præstò est.* Unde *nobis autoritas præstò est*, inquit Tertullianus, *in Africa*: fuit enim Carthaginensis presbyter. Ita Episcopus fuit Milevitanus in Africa, [a] Optatus. Ita [b] Augustinus, Hipponensis in Africa Episcopus. Quòd si expendas animo, nonnihil in eo causæ dispicere possis, quare Optatus & Augustinus Romanæ potiùs Ecclesiæ, quàm aliarum successionem numerarent. Quum [c] præsertim Augustinus non solùm eam, sed omnes pariter Ecclesias adversus Donatistas urgeat: & cum [d] *cathedra Romanæ Ecclesiæ, in quâ Petrus sedebat, et Anastasius jã sedet*; conjungit *Jerosolymitanæ Ecclesiæ cathedram, in quâ Jacobus sedebat, & jam sedet Johannes.* Epiphanio verò, quem Orientis Ecclesiæ Episcopum ad illos Occidentis adjũgis, ut qui similiter fidei integritatem per Romanã successionẽ probet: facis injuriã. Nã neq; ejus meminit, nisi ut tẽpus designet, quo hæresis quædã herbescebat; atq; hoc est illud * *manifestũ*, quod ab ipso intelligitur; (Stapletoni tui artis est hoc * *manifestũ in fide* effingere:) & quicquid de ista dicit, id omne ab [e] Irenæo mutuatur, ideóq; paucos ex Romanis Episcopis recenset, quum [f] omnes tamẽ Jerosolymitanos Episcopos in eũdẽ finẽ repetat cõtra Manichæos; adeò ut Jerosolyma (si more vestro nugari placeret) apud illũ majoris quã Roma, pretii sit. Sed ut verbo cavillationẽ illã vestrã de Episcoporum in Ecclesia Romana successione præcidam, qua cupitis fidei vestræ sanitatẽ ostendere, quòd inde Patres suis temporibus fidẽ probarẽt: [g] vetustissimus Patrũ, quos citas, illã omniũ Ecclesiarũ successione cõfirmavit; [h] proxim[us], Apostolicarũ omniũ; [i] novissimus, re quidẽ ipsa, omniũ successione, nõnullarũ verò nominatim. Quare, si Romanæ successio Ecclesiæ, evincat Romanos ad hodiernũ usq; diẽ in vera fide perstitisse, quoniã per eam successionẽ Patres verã fidem probant: Ecclesiarũ igitur Orientis, Ephesinæ, Smyrnææ, Corinthiacæ, Philippẽsis, atq; Thessalonicẽsis successione evincitur, ipsas ad hũcusq; diẽ in vera fide perstitisse, quoniã per illarũ successionẽ verã fidẽ Patres probant. Atqui [k] vos ipsi scribitis, *Græcos* (quorũ Orientales istæ Ecclesiæ sunt,) de-

[u] Lib. 1. cap. 3.
[x] Hist. Eccle. l. 4. c. 21.
[y] Lib. 3. cap. 3.
[z] De præscrip. adver. hæret.
[a] Optat. Epis. Milevitanus.
[b] Aug. Episc. Hipponensis.
[c] De unitat. Eccl. c. 11. & 12
[d] Contr. liter. Petilian. l. 2. cap. 51.
* τὸ σαφὲς Epiphan. hær. 27.
* Staplet. li. 4. cap. c.
[e] Lib. 1. ca. 24. & l. 3. c. 3. & 4.
[f] Epiphan. hær. 66.
[g] Irenæus.
[h] Tertullianus.
[i] Augustinus.
[k] Alfons. à Castr. advers. hæres. lib. 5. de Deo lib. 6. de Eucharistia, l. 12. de Papa & Purgatorio. Canus Locor. Theol. l. 4. c. 6. Sander. visib. monar. lib. 7. Genebrard. Chronog. l. 3. & 4.

defecisse in fide, & variis hæresibus assensos esse. Dicta Patrum igitur de Romanorum Episcoporum successione [l], Romanos veram fidem hodie profiteri non evincunt.

Hartus. Romanorum Pontificum successionis series perpetuò historiarũ monumentis consignata est, nec adhuc abrupta est. Possumus eos à Petro Apostolo, ad Gregorium qui hodie sedet, numerando percensere. Non sic Græci Episcopi, Orientalium Ecclesiarum percensentur. Quin, series successionis in præcipuis earum interrupta est, ut de Alexandrina, Antiochena, & Jerosolymitana, Chronica testantur.

Rainoldus. Quid autem hoc ad propositum facit, si quædam successionum illarum minimè consignentur historiis: quædam, quæ consignantur, interruptæ ad tempus fuerint calamitatibus illis in quas inciderunt? Quamvis enim [l] Eusebius quatuor solummodo Ecclesiarum successiones commemorârit, in provinciarum urbibus (quas *metropoles* appellat,) Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, Jerosolymæ; & [m] Nicephorus iis Constantinopolin adjecerit: illæ tamen quas nominavi Ecclesiæ, successionibus Episcoporum fretæ sunt, sicut ex [n] Patribus demonstravi. Et verò in iis, in quibus observas successionem cessasse, sæpenumero fides defecerat, ipsâ etiam durante successione: quod mihi ad argumentum meum stabiliendum satis est. Verùm si Ecclesiam vestram hac prærogativâ securam existimes, quòd Romanorum Episcoporum successio perpetuò vigeat, eósq; possitis à Petro Apostolo ad Gregorium qui hodie sedet, numerando percensere: quid ad Ecclesiam Constantinopolitanam respondes? In ea Episcopi ad hunc usq; diem successerunt, & eos numerando percensere possunt, ab [o] Apostolo Andrea ad ipsum qui hodie sedet, [p] Hieremiam. Ceterùm, ut taceam de priscis hæresibus, à quibus successores liberi sunt, quæ nihilominus à majoribus ipsorum, [q] Macedonio, [r] Nestorio, [s] Sergio emanârunt: [t] universa series eorum, per multa continenter secula, negavit Romani Pontificis suprematum, eumq; sibi ipsis omnes, ut hodie etiam [u] Hieremias, vendicârunt. Unde aut ratio vestra quam ex successione confecistis, aut suprematus vester Pontificius concidit. Nam, si successio, veritatis atq; sanitatis fidei argumentum est: suprematus vester damnatus est. Si suprematus vester legitimus est, non igitur fidem ex successione sanam esse probatum est. Utri cedis? Nam uni quidem necesse est.

Hartus. Haud sanè bonum argumentum est [*] Episcoporum in eodem loco successio, nisi cum successione in eadem doctrina conjungatur. Ait enim [x] Irenæus, *illis presbyteris obaudiendum esse, qui cum Episcopatûs successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patris acceperunt.* Quare Constantinopolitana successio, etsi eam ab Apostolis derivent, non tamen fidem probat (quam profitentur illi) veram esse, quoniam à doctrina Apostolorum discesserunt, in qua maximè ipsis succedendum erat.

Rainoldus. Jam quidem rectè loqueris. Illa revera localis successio nihili est: doctrinæ successio est, in qua omnia consistunt. Sed quorsum igitur nos remittitis ad ejusmodi [y] tabulas nomenclatrices vestrorum Pontificum Romanorum, à Petro ad Gregorium, tanquam persuasissima Catholicæ fidei argumenta: quum nos possimus vobis non minus solennes Constantinopolitanę successionis tabulas, ab Andrea ad Hieremiam deductas afferre, nec quicquam tamen inde efficere? Quàm verò hoc nugatorium est, dicere primùm quidem, Episcoporum localem successionem doctrinæ probare veritatem: atq; deinde adjicere, probare certè, si cum doctrinæ successione conjungatur? Perinde hoc re profectò, ac si diceres,

[l] In Chronic.

[m] Niceph. Episcop. Constantinop. Chronolog. tripar.

[n] Iren, l. 3. c. 3. Tert. de præsc. Eus. lib. 4. c. 21.

[o] Nicephor. Chronol. tripart.

[p] Genebrard Chronol. l. 4.

[q] Socrat. hist. Eccl. l. 2. c. 35.

[r] Lib. 7. cap. 33

[s] Hist. Miscel. Pauli Diac. l. 18.

[t] Leo nonus epist. ad Michael. c. 9. Sigebert, in Chron.

[u] In censura Ecclesiæ Orientalis c. 23.

[*] Stapl. princ. doct. l. 4. c. 9.

[x] Irenæ. lib. 4. c. 43. & 44.

[y] Bristous in suis postulatis. Kilhton. Tabulæ, à Bristoo commendat. Genebrard. in Chronic.

ceres, loci successionem doctrinam veram esse probare, si est vera: & binas aures probare animal hominem esse, si sunt aures hominis. Patres successionem loci objecerunt, non conditione interpositâ, si conjuncta esset; sed ratione adjectâ, quòd conjuncta esset cum successione doctrinæ. Ostende mihi, doctrinæ vobis successionem esse: & tum postea Patres pro successione objice. Nam, si ut [z] Augustinus asseruit adversus Donatistas, postquam enumerasset romanos episcopos à Petro ad Anastasium, *In hoc ordine successionis nullus Donatista Episcopus invenitur*; ita tu possis, enumerans illos à Petro ad Gregorium, asserere similiter, *In hoc ordine successionis nullus qui usurpavit, Episcopus invenitur*: non minùs certè apta foret vestra contra nos, pro Pontificis suprematu ratio; quàm Augustini fuit pro Ecclesia, contra Donatistas.

[z] Epist. 165.

Hartus. Possum similiter idem asserere. Augustinus enim tam de hac re, quàm de omnibus aliis loquutus est, quum diceret de Episcoporum Romanorum successione; *portas inferorum eam non vicisse.*

Rainoldus. Si hæc inferorum porta ipsos non vicerit Augustini temporibus: multa tamen inter labra & calicem possunt cadere, (ut est in proverbio,) multo magis inter Augustini ætatem & nostram. Sed non erat Augustino in animo de usurpandi tyrannide in illis verbis adversus Donatistas loqui: quòd si fuisset, at postea tamen expertus didicit, potuisse ipsos, adeóq; etiam voluisse usurpare, nisi ipsis fræni injicerentur. Ex ipsis enim tres isti, Zosimus, Bonifacius, & Cælestinus, dominatum in Ecclesias Africæ, adhuc superstite Augustino, usurpârunt: qui, cum universa Synodo ducentorum & ampliùs ejusdem gentis Præsulum, obstitit pro virili parte suâ illorum conatui, & superbiam cohibuit.

Hartus. Superbiam? Sanctos illos Episcopos, dum sic loqueris, calumniaris.

Rainoldus. Quos tandem sanctos Episcopos? Africanos? Ipsi in [a] epistolis suis ad Romanos Pontifices, eodem [*] nomine appellant: quos si calumniati sunt, veritatem sanè exprobrando calumniati sunt. Sed de hoc, [b] deinceps magis commodùm. Quod ad rem præsentem attinet, satis est Augustinum accommodantem contextûs verba illa ad Romanam Ecclesiam, *portas inferorum eam non vicisse*: de doctrinæ sanitate loquutum esse, in qua deliquerunt Donatistæ; non de summa potestate, de qua nulla cum ipsis orta est controversia.

[a] Epist. Concil Afric. ad Bonifacium. & Cælestinum.
[*] Τὸν τύφον. Latinè, nonnullæ editiones habent, *typum*: sed legendum tamé, *typhum*.
[b] Cap. 9. sect. 3

Hartus. [*] Gregorius Magnus de summa potestate loquitur; & ex hoc eodem loco probat [c] *Romanam Ecclesiam esse Caput omnium Ecclesiarum*, quia Christus *hanc B. Petro Apostolo specialiter commisit, dicens; Tibi dabo Ecclesiam meam.*

[*] Stapl. princ. doct. l. 6. c. 15.
[c] Greg. in Psal. 5. pœnitent. super versum illũ; *Tota die.*

Rainold. Ex hoc eodem. Quomodo? Christus Petro non dicit; *Tibi dabo Ecclesiam meam*: dicit, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ubi (si Gregorii judicium tibi imperare possit;) [d] *Christus petra est, à qua Petrus nomen accepit, & super quam se ædificaturum Ecclesiam dixit. Ecclesia, sancta Ecclesia est, (* [e] *hoc est, cœtus electorum Dei) quæ in hoc seculo à Catholica fide nequaquam deficiet, & in futuro cũ Deo æterna stabilitate permanebit. Nam portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Affectu quodam perturbata fuit mens Gregorii, quum contextum immutaret, & proprium quasi Romanæ Sedi adjudicaret: & quodam etiam affectu captum fuit cor Stapletoni, quum Gregorium citaret, ut inde propositum suum confirmaret. Nam neq; titulus ille *omnium Ecclesiarum Capitis*, Romanum Papatum probat: neq; Gregorius, licèt hunc titulum Romanæ Ecclesiæ ascribat, ex hoc eodem tamen loco probat. Quod autem probat, istud est; [f] Imperatorem, qui Ecclesiæ possessiones acceptâ pecuniâ vendidit, & Ecclesiam per Simoniacas corruptelas

[d] In eundem. Psalm. super vers. illum; *Initia tu Domine.*
[e] In Canticum canticorum c. 4. & passim.
[f] In Psalm. 5 pœnitent. super versum illum, *Tota die.*

spo-

ſpoliavit, in Eccleſiam præſertim Romanam, hæc committere non debere. Nam poſt Imperatoris commemoratam turpiſſimi hujus lucri cupiditatem, *Immo in tãtum* (inquit Gregorius) *ſua temeritatem extendit veſania, ut Caput omnium Eccleſiarum, Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in Domina gentium terrenæ jus poteſtatis uſurpet. Quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens; Tibi dabo Eccleſiam meam.* Ubi, quid quidem vellet Gregorius dicere, perſpicuum ſatis eſt, ex verbis quæ præceſſerunt. Ipſe verò dicendi probandíque modus, durior eſt. Nam affirmat de Eccleſia Romana, *in ea Imperatorem jus terrenæ poteſtatis uſurpare.* Unde colligeret aliquis, illum denegare voluiſſe civile imperium & adminiſtrationem urbis Romanæ Imperatori: quod hodie faciunt Pontifices. Quo ſanè nihil minùs voluit: [g] ſe enim Cæſari ſubditum eſſe agnovit, atq; ita ſe erga illum geſſit. Volebat autem per [*jus terrenæ poteſtatis in Eccleſia uſurpatum,*] deſignare jus illud tractandi terreno more poſſeſſiones Eccleſiæ, quum eo modo venales proponebantur, ut ſolent homines prædia & fundos venundare: quod omnino prophanum eſt & deteſtandum. Jam verò dolenter *&* ægrè ferens Gregorius, [h] Cæſarem ab ipſo etiam Epiſcopo Romano pecuniam exigere, [i] cujus electionem regali ſuo aſſenſu confirmabat: commodum duxit, atrocitatem facinoris amplificare, quippe quòd in Romana Eccleſia longè iniquiſſimum improbiſſimúmq; appareret. Atq; inde ſubjicit, *illud fieri Chriſtum prohibuiſſe, qui hanc B. Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens; Tibi dabo Eccleſiam meam.* De Petro legimus in Evangelio, [k] *neſciviſſe eum quid diceret,* quum ad Chriſtum diceret, quẽ in gloria ſua ſplendentem eſt intuitus; *Magiſter, bonum eſt hîc nos eſſe: atq; adeò faciamus tria tabernacula.* Peramanter erga Romam Gregorius afficiebatur. Dabis mihi hanc veniam, ut de illo, ſicut de Petro ſentiam, ipſum neſciviſſe quid diceret? Nam, quæ ille verba recenſet, non ſunt Chriſti verba, quod fateri tibi neceſſe eſt. Quod verò ex iis colligit, cum verbis Chriſti pugnat: qui univerſim [l] omnes Eccleſias Petro commiſit (erat enim Apoſtolus;) &, ſi ullam ſpeciatim, [m] illa Judæorum fuerit, quum [n] Romana Eccleſia una ex Gentium Eccleſiis eſſet. Quare, neq; habebat Gregorius in animo ſuprematum Pontificis ex verbis Chriſti ad Petrum evincere: neq; Chriſtus ſpeciatim Romanam Eccleſiam intelligebat, ſed generatim Eccleſiam Catholicam, omnes electos, quum de Eccleſia ſua affirmabat; *portas inferorum adverſus eam non prævalituras.* Et verò, ſi, ut [o] quidam à Philippo ad Philippum provocavit, à Philippo dormiente, ad Philippum vigilantem; ita mihi liceat à Gregorio provocare ad Gregorium, à Gregorio nonnihil perturbato, ad Gregorium magis conſideratum: ipſe ſtatim ſecundùm meas partes judicabit. Nam in eadem explanatione, hunc locum [p] paulò pòſt rectè citat, ſanéq; exponit, de *illis ſolis, illiſq; univerſis, qui ſuper Chriſtum in ſoliditate fidei ædificati ſunt, & nihil ipſos ab eo valebit dimovere.* Quam germanam verborum Chriſti ſententiam eſſe: ſenſibus ipſis patens eſt & obvium. Nam inferorum portæ in illos prævalent, qui æternæ morti adjudicantur. At huic, [q] hypocritæ, maliq; ſervi adjudicantur: in ejuſmodi ergo homines prævalent portæ inferorum. Tales verò fuerunt, et eſſe poſſunt, membra, immo Capita Eccleſiæ Romanæ. Nõ illis igitur hoc privilegium Servator noſter aſſignavit. In electos tantummodo Dei, inferorum portæ non prævalent. Nam [r] *quos prædeſtinavit, eos etiam glorificavit.* Quare electorum Dei Eccleſia eſt, cui illud Servator noſter aſſignavit. Et illos hoc in loco, *Eccleſiam meam* appellat, ut alibi poſtea eodem ſenſu, [ſ] *oves meas.* Quod itaq; illic voluit, quum de ovibus ſuis loquebatur; *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum:* idem hîc etiam voluit, quum de Eccleſia ſua pronuncia-

bat;

[g] Gregor. Regiſt. l. 4. epiſt. 31. & 32. &c. paſſim.

[h] Anaſtaſ. Bibliothecar. in vita Agathon. Sigebert. in Chron. ad an. Chriſt. 680.

[i] Iohan. Diacon. in vit. Greg. l. 1. c. 40.

[k] Luc. 9. 33.

[l] Mat. 28. 19.

[m] Gal. 2. 8.

[n] Rom. 11. 13. & 15. 16.

[o] Plutarch. in Apophtheg. Reg. & Imper.

[p] Super verſu illum; *initium Domine.*

[q] Mat. 24. 51.

[r] Rom. 8. 30.

[ſ] Ioh. 10. 28.

t In Mat.c. 16.
u In Mat. tractatu.1.
x Nicol.Liran. in Mat.c.16.
* Cap.8. sect.5
y Melc.Canus locor.Theol. lib.6.cap.8.
z Roberti Bellarmini Lectione, de Pontif.cont.4.q. 5. finitæ 26.Maii. an.Dom.1578, Romæ.
y *Licèt Romanos Episcopos Petro succedere, in sacris literis non habeatur scriptum: ab Apostolis tamen Ecclesiæ quasi per manus traditum est.*
z *Romanum Pontificem esse Petri successorē in Pontificatu totius orbis, habetur ex Apostolica traditione Petri.*

bat; *Adverſus eam portæ inferorum non prævalebunt.* Quod ita ab omni prorſus controverſia remotum eſt, ut, ne quid dicā de [t] Theophylacto, & [u] Origene, quorum ille ſcribit, *quemq; in fide Christi confirmatum intelligi per Eccleſiam, & portas inferorum adverſum eum non prævalituras*; hic, *portas iſtas adverſus omnes prævalere, qui non ſunt Eccleſiæ membra, & illum, neq; Eccleſiam, neq; partem ejus eſſe, adverſus quem prævalent*: [x] Liranus, multorum poſtremus, hoc modo locum interpretetur, quòd *Portæ inferi non prævalebunt adverſus Eccleſiam, à vera fide ſubvertendo. Ex quo* (inquit) *patet, quòd Eccleſia non conſiſtit in hominibus ratione poteſtatis, vel dignitatis, Eccleſiaſticæ, vel ſecularis; quòd multi Principes & ſummi Pontifices inventi ſunt apoſtataſſe à fide: propter quod Eccleſia conſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt notitia vera, & confeſſio fidei & veritatis.*

Hartus. Utcunq; Gregorius vel malè intellexerit Scripturæ verba, vel ad ſuprematum fortaſſis non accommodârit, illo tamen titulo ſuprematus evincitur, quem Eccleſiæ Romanæ is aſſignat. Si enim Romana Eccleſia *Caput* eſt *omnium Eccleſiarum*: cur non Epiſcopus Romanus Caput omnium Epiſcoporum?

Rainoldus. Quæ hujus rationis vis ſit,* poſtea videbimus. Sed primùm concludendum mihi eſt, non ex ſacris Scripturis probatum eſſe: neq; ex iſtis locis quæ ex Patribus adduxiſti; neq; ex ullo alio, quem poſſis adducere. Atq; hæc jam antea hominum apud vos doctiſſimorum fuit opinio: ut ex [y] Cano veſtro appâret. Qui quum hanc excuſſiſſet quæſtionem majori cum judicio, quàm ſolent Stapletoni: concedit, *non eſſe in ſacris literis ſcriptum, Pontificem Petro in primatu ſuccedere.* Sed quod in Cano forſan unius Doctorculi privatum dogma videri potuit, id nunc multis deliberatum eſſe videtur, & in vulgus docetur. Nam Lector veſter Romanus, [z] Jeſuita Pater Robertus, in lectionibus ſuis de Pontifice, quæ propter excellentiam præſtantiámq; ſuam ſcripto mandatæ ſunt, & tāquam magni pretii gemmæ divulgatæ: non modò idem edocet, ſed argumentis etiam probat. Et verò, ubi Canus exiſtimârit, ſatis hiſtoriis virium eſſe, ad jus Petri revocâdum ad Pontificem, quæ dicunt *Petrum cathedram ſuam Romæ poſuiſſe, & illic mortuum eſſe*; aut, ſi illud minùs viris doctis probatum fuerit, aliud hujus rei aſtruendæ argumentum eſſe, [y] *Eccleſiam id, licèt non ſcripto, traditione tamen recepiſſe*: Pater Robertus omnem tollens controverſiam, definit, [z] eſſe revera *traditionem*, non Chriſti, ſed *Apoſtolicam*: & ne fortè cujus tandem Apoſtoli fuerit dubitaremus, hominem nominat, Petrum, *ex ipſius Petri traditione.* Liceat mihi te exorare, Harte, ut ſi omnia quæ à me dicta ſunt, non poſſint apud te valere; tamen ad doctrinam, doctrinam Romæ prædicatam, à veſtrate, à Doctorum veſtrorum principe, reſpectum habeas. Ineruditas Stapletoni ineptias, & vertiginoſos Rhemenſium tuorum furores ipſis renuncies: qui deſperatâ violentiâ Chriſti verbum torquent, ut Antichriſti ſuperbiæ faciant accommodatum. Agnoſce tandem, vobis ne unum quidem per univerſas Scripturas locum ſuppetere, quo Pōtificis ſuprematum evincatis: vóſque, quoties narratis hominibus iſta, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*; &, *Ego oravi pro te Petre*; &, *Petre, paſce oves meas*: hominum ſimplicitate confiſos hoc audere: minimè re quidem verâ, id ex locis iſtis effici; conſilii tamen hoc eſſe, ut aliquid dicatur, ne aliàs non tam multis imponeretur. Denique, Papatum, Paparum & Papiſtarum commentum eſſe; cui, quoniam fraude jam deprehenſâ & perſpectâ, Scripturarum autoritate abuti ampliùs non licebit, novum nunc pallium comparârunt, & deinceps *traditio Petri* perhibebitur.

Cap. 8.

Autoritas 1 traditionum & Patrum prætenditur, ad Papæ ſuprematum confirmandum: fruſtra; præter Scripturam, quæ unica eſt fidei regula. Patres, 2 auditi cum juſtis exceptionibus, quæ jure adverſus ipſos dantur, 3 non confirmant. Ut *oſtenditur, primùm, ex Patribus Romanæ Eccleſiæ. Obiter, 4 nomen* * Prieſt, *Sacerdotale Chriſtianorum ſacrificium, Pontificium Miſſificorum ſacrificium, argumenta adducta pro Miſſa, ejuſdémq; ſubſtantia & ceremoniæ, aperiuntur. Atq; ita demonſtratur, 5 neq; ipſos Romanos Epiſcopos antiquitus, 6 neq; ullos alios ex Patribus, Põtificium ſuprematum confirmare.*

* *Prieſt*, verbũ eſt Anglicanũ; deductum quidem ab Apoſtolico verbo, πρεσβύτερος. Sed in ejus uſu peccant Papiſtæ Anglicani, qui non diſtinctè Apoſtolicam presbyteri ſignificationem, ſed illam etiam Sacerdotis Moſaicam, promiſcuè obſervant.

SECTIO PRIMA.



HARTVS. Fruſtra planè laboras, ſi mihi perſuadere niteris, non poſſe ex *Scripturis* probari Pontificis ſuprematum. Et verò, quàm hæc noſtros, ut id evincas, Canum, & Patrẽ Robertum producendi injurioſa ratio eſt? Quaſi ſcilicet ii contra nos facerent, qui nobis ſummè favent.

RAINOLDVS. [a] *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrũ, neq; ſervus ſupra Dominum ſuum.* Si Dominus meus & Magiſter Chriſtus, neceſſe habuerit *fruſtra laborare:* quid ego in eo faſtidirem? Quum præſertim, pariter mihi me ſolari liceat, ut illi; [b] *Fruſtra laboro, inaniter & vanè vires meas conſumo: veruntamen officium meum penes Jehovam eſt, & opus meum penes Deum meum.* Sed quæ tandem injurioſa ratio eſt, ſi ego, eniſus te ad veritatem reducere, afferam tibi veſtrorum hominum confeſſiones, qui veritatem teſtantur?

[a] Mat. 10.24.

[b] Iſai. 49.4.

HARTVS. Veritatem? Quid? aſſentierísne nobis, viam Pontificis ſuprematui per *traditionem* patuiſſe: ſi aſſentiri tibi velimus, non poſſe probari ex *Scripturis*?

RAINOLDVS. Per *traditionem*? Certè: ſi eo ſenſu [*traditionem*] quo Divus Petrus, accipias, ubi Chriſtianos edocet, [c] *ipſos redemptos eſſe ex vana ſua converſatione * paternæ traditionis.*

[c] 1. Pet. 1. 18.
* Vulgat. edit. ſic legit.

HARTVS. Placet tibi cum tuis commentis ludere. Quid ego ſentiam, ſatis tenes. Num aſſentieris per *traditionem* Apoſtolicam, viam illi patuiſſe?

RAINOLDVS. Omnino ſanè cum tuis commentis luderem, ſi hoc tibi aſſentirer.

HARTVS. Verùm illi, quos tu objeciſti, hoc affirmant: uti ipſe oſtendiſti.

RAINOLDVS. Atqui probabo nihilo illos in eo veriùs, quàm te in altero loquutos eſſe.

HARTVS. At quàm hoc injurium eſt, me prioribus eorum de *Scriptura* verbis premere, quum ipſe poſtremis de *traditione* nullam fidem habeas?

RAINOLDVS. Quid de Paulo cenſes? Num fidem ille ullam habuit iis quæ profani poetæ, de Diis & Deabus, Baccho, Diana, Minerva, Mercurio, canunt?

HARTVS. Non habuit. Quid deinde?

RAINOLDVS. Eos tamen [d] citavit ille ut Atheniensibus persuaderet, per Deum nos *vivere, moveri, & esse*. Quàm illud injurium fuit, Athenienses Poetarũ verbis de Deo premere, quum ipse verbis illorum de Diis Deabúsq; nullam fidem haberet?

[d] Act.17.28.

HARTVS. Rectè fortassis dixerint Poetæ, & dixerunt quidem, in prioribus: quamvis in postremis aberrârint.

RAINOLDVS. Jam verò, tam amicè mecum, atq; cum Divo Paulo egeris? Causæ ejus mea est affinis.

HARTVS. Immo, tu in eadem ipsa nostratium sententia partem ejus decerpis, & tamen alteram ejus partem non amplecteris.

RAINOLDVS. Divus Paulus simillimè. Nam quod ex illorum Poetis adduxit, (sensus ejusdem apud [e] plures legitur, verba ipsa apud [f] Aratum;) id illi de Jove cecinerunt, qui homo improbus fuit, sed ab illis pro Deo habitus: Divus Paulus, nullo modo errorem de persona Jovis amplectens, sententiam tamen eorum de re quidem ipsa decerpsit, indéq; veritatem confirmavit.

[e] Homer. Odyss.lib.1. Orpheus, & Callimachus hymnis in Iovem.
[f] In phænom. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

HARTVS. Age: si ita tibi liceat Cani & Patris Roberti sententiam in duas partes dividere, & alteram de *Scripturis* accipere, alteram rejicere de *traditione*: idẽ mihi quoq; licebit. Quare, id ego amplectens quod à te rejicitur, rejiciénsq; quod tu amplecteris, ea quibus illi suprematum ex *traditione* probant, ad priores rationes quas objeci ex *Scripturis* adjungam. Atque ita * duo mihi ad arcum nervi suppetent.

* Proverbium Anglicanum, ductum à sagittariis.

RAINOLDVS. Nonnunquam sanè sagittario opportunum est, duos sibi ad arcum aptatos nervos suppetere. Sed complures franguntur arcus, dum alter nervus eliditur. Ita tuo Pontificii suprematûs arcui accidit. Nervus ille *Scripturæ* quem ei injecisti, ruptus est; unáq; cum nervo arcus ruptus est. Serò nimis nunc ei *traditionis* nervus injicitur.

HARTVS. Immo: scias velim, nervum & arcum, utrumq; juxtà salvum esse. Scriptura huic favet, Pontificísq; firmus stat suprematus, sempérq; stabit, utcunq; tu totáq; tuorum turba commilitonum oblatretis.

RAINOLD. Uti dicis certè. Pontifex animosus lupus est: iísq; non latrare modò, sed mordere etiam opus est, qui illum ab ovilibus Christi fugaturi sunt. Tãtam is dulcedinem ex sanguine ovium agnorúmq; gustavit. Sed quid dicit Servator? [g] *Omnis planta, quam non cœlestis pater meus plantavit, eradicabitur*. Si non possis probare à Deo suprematum vestrum plantatum esse: possum ego probare Hartum Prophetam falsum esse, qui semper eum staturum vaticinatur.

[g] Matt.15.13.

HARTVS. Narro tibi, id jam antea me ex Scripturis probasse: ideóq; denuncio, neq; nervum arcûs nostri ruptum esse, neq; omnes hæreticorum copias arcũ unquam rupturas esse. Nam etsi Lutherus, Calvinúsque, & commilitones eorum, ictibus eum, quo modo tu, invaserint: Stapletonus tamen, & Turrianus, aliíq; docti Catholici eum propugnârunt strenuè, totúmq; restituerunt quod ab illis diminutum est. Et quamvis tantopere videri velles ad argumenta quæ adduxi, respondisse: non tamen vel fecisti mihi satis, vel ea solvisti. Id tibi facere est adynaton.

RAINOLDVS. Perinde adynaton hoc, atq; Anaxagoræ Philosopho *nivem albam* probare, [h] qui illam asseruit esse *nigram*. Et quum objiceretur, sensui, oculisq; judicibus eam albam videri: respondebat ille, *sibi, quia sciret aquam nigram esse, unde illa concreta esset, albam ipsam esse ne videri quidem*. Licebat aliis quicquid

[h] Cic. in Lucull. Academ. quæst.lib.4.

demum

demũ vellent,contrà dicere:sed neq; facere illi satis potuerunt,neq; argumenta ejus solvere. Christus Servator noster (quem Samaritanum vocârunt [i] Judæi) manu servorum suorum,(quos *hæreticos* vos appellatis) fregit arcum Antichristi hostis sui, suprematum Pontificis. Stapletonus,& Turrianus,& alii ex artificibus Pontificiis, rursus eum conglutinârunt : & verò, te judice, optimè conglutinârunt ; sed re quidem ipsa, ad usum nihili est. Quemadmodum autem illi arcum tractârunt, ita tu nervum, contextum specie,ex Scripturis ; sed reipsa, ex humanis opinionibus, dum Scripturas prætexis. Adeò corrupta materies est, & ita malè texta, ut vix arcum intentum sustineat, angustiùs verò adductum statim deserat & rumpatur. Tu tamen eganis nervum salvum esse,optimæ materiæ,& affabrè elaboratæ,nec ullo modo rumpi posse: quum cuivis,non oculis capto,disrupti fragmenta obversentur. Vetamur ab [k] Aristotele *cum iis disputare & disserere, qui in quæstionem vocant, sitne alba nix necne: quoniam sensu carent qui inficiantur.* Ab [l] Apostolo majus præceptum imbibimus,*ut cum lenitate erudiamus eos qui contrario animo sunt affecti, ecquando det eis Deus,ut resipiscentes agnoscant veritatem.* Quare,etiamsi perinde mecum absurdè agas, atque si *nivem albam* esse denegares : tamen libenter in colloquio nostro progrediar, si quid aliud habes dicere. Sed à perversitate, quæso, istâ abeas, ut Scripturam à te facere dicas ; quum non facere,jam a me probatum sit. Atque, vel partem confirmationis meæ aliquam refelle,juxta rationis regulas: vel conclusioni, quæ ex argumentationis vi consequitur,cedas.

[i] Ioh.8.48.
[k] Topicor.l.1.
[l] 2.Tim.2.25.

HARTVS. Conclusionem argumentorum concedendam esse scio, nisi aut totum formâ peccet,aut pars ejus aliqua in materia. Sed idcirco à me negatur, (quo sensu etiam volo me ubicunq; negantem accipias,) quoniam in priorum partium aliquâ,unde consequitur,peccatur.

RAINOLDVS. Illud ergo peccatum tu ostendas oportet.

HARTVS. Non illi nunc insistam.

RAINOLDVS. Neq; igitur nunc conclusionem nega.

HARTVS. At negabo tamẽ. Verùm certò tibi persuadeas,(video ornatissimum Walsinghamũ ideo petiisse colloquiũ nostrũ scripto mandari,ut in vulgus edatur,) certò hoc tibi persuadeas,non defuturos mihi,qui causam meam suscepturi sint, aliúmq; in modum excussuri sermones tuos,ac à me excussi sunt.

RAIN. Quod vellem sanè. Veritas enim Chamæmelo simillima est:quo magis deprimitur,eo crescit magis,& speciosiùs se propagat,suaviúsq; redolet.

HARTVS. Ista igitur *de Scriptura* dicta sint. Jam ad *traditionem* : qua Pontificis suprematus liquidò probari potest.

RAINOLDVS. *Traditione?* quid? Fateris igitur probrari non posse ex *Scripturis?*

HARTVS. Minimè ; quod jam rursus tibi affirmo. Quoties hoc mihi dicendum est?

RAINOLDVS. Semel dixisse suffecerit,nisi dictum revoces. Hîc autem,meo judicio,revocare videris. Nam deseris jus illud,cui *Scripturam* prætendis,quum idem per *traditionem* vendices.

HARTVS. Quid ita? Non verò idem & in *Scriptura* perscribi poterat,& verbo etiam *tradi?*

RAINOLDVS. Verò poterat,& tradebatur certè;quod ostendunt [m] *traditiones* illæ,quarum D. Paulus meminit : quæ doctrinam denotant,quam ipse ex [n] *Scripturis* tradidit. Tu autẽ doctrinã nõ scriptã in Scripturis intelligis, quum de *traditione* loqueris. [o] Vos enim opinamini Evangelium Christi partim contineri [*] in

[m] 2.Thess.2.15.
[n] Act.17.2.
[o] Conc.Trid. Session.4.
[*] *In libris scriptis,& sine scripto traditionibus.*

libris scriptis, hoc est, *Scripturis*; partim in rebus non scriptis, hoc est *traditionibus*: quemadmodum [p] Judæorum Rabbini loquuntur, *Deum per Mosem tradidisse, non legem solùm, quæ scripta est; sed etiam legem non scriptam, quam illi Cabalam appellant.*

[p] קבלת אבות Cap.1. Elias Levita in Tisb

HARTUS. Ecce verò: *quemadmodum Judæi Rabbini.* Linguam habes in tam virulentis sermonibus exercitatam----

RAIN. Cave dixeris: aut amicum tuũ per latus meũ sauciabis. Nã [q] Peresius Episcopus, vester primarius *traditionũ* patron⁹, eas ex hac Judaicorũ Rabbinorũ sentẽtia, & *Cabala* graviter cõfirmat. Neq; verò est ista cõfirmatio, si expẽdatur, incõmoda. Nã, ut hoc fundamẽtũ *Cabala* prętẽdũt, eã abditos *Scripturæ* sensus aperire: ita vos etiã pro *traditionib⁹* loquimini. Et ut illi [r] tẽporis progressu, doctrinã *Scripturis* repugnantẽ invexerũt, sub prętextu *traditionum*: ita vos pariter in vestra *Cabala* facitis. Et vt apud Judæos *Cabalistæ (1) Scripturarios* eos appellant (per cõtumeliã) qui rejiciũt traditiones, & solis *Scripturis* adhærescũt: ita apud vos *traditionistæ* nos (2) eodẽ nomine calũniantur. Immò à [s] Lindano, & [t] Prateolo, pro singulari hæresi observatur. Verùm (ut hunc *virulentũ sermonẽ* missũ faciã) manifestum est, te *Scripturæ* nuncium remittere, in confirmatione ullius juris quod per *traditionem* vendicas. *Scriptura* enim scripta est; *traditio*, non scripta. Quare, si per *traditionem* Pontificis suprematum probare statuas; fateare primùm necesse est, non posse probari per *Scripturam*. Si illud fateri nolis: interdicam tibi oportet *traditione*.

[q] Martin. Peresius de divinis, Apostolicis & Ecclesiasticis traditionibus part. 3. assert. 1.
[r] Mat. 15.3. Mar. 7.13.
(1) קראים Elias Levita in Tisbi.
(2) *Scripturarii*, Albert. Pigh. Eccl. hier. l. 1. c. 2.
[s] Dubitantii Dialog. 3.
[t] De vitis, sectis, & dogma. hæret. l. 17. hær. 16.

HARTUS. Ex *Patribus* igitur probabo.

RAINOLDUS. Ne hoc quidem licebit; nisi à *Scriptura* velis desciscere.

HARTUS. Quamobrem verò?

RAINOLDUS. Quoniam illi affirmant, scilicet, per *traditionem* suprematum teneri. Quare illorum contra te faciunt testimonia, si ejus ex *Scriptura* causam agas.

HARTUS. Falsissimũ illud sanè. Nam ex verbis, *Tu es Petrus, & super hanc petrã*, decimo sexto Matthæi, primi Romani Pontifices, sanctissimi martyres, ipsum probãrũt: [u] Anacletus, [x] Alexãder primus, [y] Pius prim⁹, [z] Victor, [a] Zepherinus, [b] Marcellus, [c] Eusebius, [d] Melchiades, [e] Julius, & [f] Damasus; atq; similiter ex locis aliis alii, quemadmodum [g] Stapletonus ampliùs commemorat. Patres igitur censuisse (quod tu dicis,) *per traditionem ipsum teneri*, prorsus mendacium est.

RAINOLDUS. Ais verò? [h] Canus igitur, & Pater [i] Robertus prorsus mẽtiuntur, (sed minimè hoc quidẽ mirũ est,) quorũ utriq; per *traditionẽ* ipsũ stabilientes, alter testes ejusdẽ profert *primos Pontifices Romanos, sanctißimos Martyres, Anacletũ, Sixtũ primũ, Eleutheriũ, Victorẽ, Sixtũ secundũ, Zepherinũ, Marcellũ, Melchiadẽ, Marcũ*, & *Julium*: alter neutiquam in singulorum commemoratione acquiescens, generatim citat, primò, *generales Synodos*; deinde, *Pontifices*; & postremò, *Patres*.

HARTUS. Etiámne adhuc plura de Cano, & Patre Roberto? Non illorum ego defensionem suscipio: & quorsum eos mihi rursum objicis?

RAINOLDUS. Ut videas quomodo [*] Dominus gladios Madianitarum in ipsorum lateribus recondat, ad exitium eorum, qui metantur castra contra Israelem. Nam illi ipsi Pontifices qui citantur à Cano, ut evincatur *suprematum eorum esse non-scriptam veritatem*: iidem ipsi Pontifices à Stapletono citantur, ut scriptũ esse probetur. Nempe *Anacletus, Victor, Zepherinus, Marcellus, Melchiades*, & *Julius*. Etiã, quod magis est, eædem ipsæ epistolæ à Stapletono afferũtur, quæ à Cano. Si rectè à Cano: quomodo credamus Stapletono? Si à Stapletono rectè: quomodo Cano? Si rectè ab utrisq;: quàm sunt illi sciti Pontifices, qui eodem flatu idem & *scriptum* esse, & *non-scriptum* affirmant? At prudentiùs tamen Pater Robertus, & tu

[u] Epist. prima.
[x] Epist. ad omnes Orthodoxos.
[y] Epist. ad omnes Ecclesias.
[z] Epist. ad Theophilum.
[a] Epist. ad Siciliæ Episcop.
[b] Epist. ad Episcopos Antiochenę provinciæ.
[c] Epist. ad Episcopos Cãpaniæ & Tusciæ.
[d] Epist. ad Hispaniarũ Episcopos.
[e] Epist. ad Orientales Episcopos.
[f] Epist. ad triũ Conciliorum Africanorum Episcopos.
[g] Princ. doct. lib. 6. c. 15.
[h] Locor. Theolog. l. 6. c. 8.
[i] Rob. Bellar. controver. 4. quæst. 4.
[*] Iud. 7.22.

decet Jesuitā:qui,dispecto periculo illo,quod in singulis hominibus locísq; designādis accidit,se in latebras generaliū nominū,*Synodorum*, *Pontificū*,& *Patrū* cōjicit. Ut si quispiā prædator equorum,cui rationes reddendæ sunt à quibus,& quibus in locis equos suos comparârit,responderet eos se ab urbium societatibus, equisonibus,& honestis in orbe Christiano hominibus emisse.

HARTUS. Placétne tibi tandem istum tuum errandi,vagandíq; morem relinquere,& ad metam accedere?

RAINOLDUS. Næ errans ipsa est & vaga meta,ad quam sagittas dirigimus: & ego accessi propiùs,quàm tu volebas. Sed quod tandem à te proximum expectabimus * telum bulbaceum?

HARTUS. Dixeram tibi proximè ex *Patribus* me confirmaturum. Pulchrè admodum spiritui tuo accommodatum est, ut *bulbaceum telum* appelles.

RAINOLDUS. Satis pulchrè, ut à te emittitur. Etsi enim à Domino scripta Patrum,ut arbores,in Ecclesia sua,tanquam in Paradiso sata sint; ex quibus commodæ *sagittæ* possint confici;*Beatus vir ille,qui impleverit pharetram suam illis: non erubescent, sed periment inimicos in porta ipsorum*:non omnes tamen commodę sunt sagittæ,quibus illorum nomine uteris; [k] artifices vestri (quorum fide fretus uteris) illas dum poliunt,perdunt,ut jure liceat mihi ipsas potiùs Papistarum *tela bulbacea*, quàm Patrum *sagittas* appellare.Qui,si viverent,vos eodem modo,quo poeta quidam *Fidentinum*, possent alloqui:

Quem recitas, meus est (ò Fidentine)libellus:
Sed malè quum recitas, incipit esse tuus.

* *Bolt* Angli vocant genus quoddam sagittæ,quod Latini nesciunt;ideoq; à *bulbo*, cui caput hujus teli assimile est, nomen emendicavi. Sæpius autem apud Anglos in deteriorem partem accipitur, quia obtusum est,nec,ut aliæ sagittæ,ferro acuminatum.

k Stapletonus,Torrēsis, Canisius,& reliqui Rabbinorum Pontificiorum.

HARTUS. Spondebis igitur Pontificis suprematui cessurum te, si eum ex judicio dictísque *Patrum*, iísque rectè quidem citatis accommodatísque probem?

RAINOLDUS. Omnino. Sed cum protestatione quadam hoc à me faciendum est, ut me contra ejusmodi litigiosos homines defendam, in quos Juellus Episcopus inciderat.

HARTUS. Qua demum protestatione?

RAINOLDUS. Istâ: me scilicet,spondere Pontificis suprematui cedere, si eum possis ex *Patribus* probare; non quòd illam confirmationem sufficere existimem ad res in religione dubias probandas, sed quòd ex his te non posse probare sciam.

HARTUS. Utrùm ego possim probare nécne,res ipsa docebit. Verùm si confirmationē illā non sufficere existimes,quorsum igitur aiebas *scripta Patrū tanquā arbores esse,ex quibus cōmodæ sagittæ possint confici,quæ perempturæ sint inimicos in porta ipsorum*:etiam,*beatum illum esse,qui illis pharetram suam impleverit.*

RAINOLDUS. In Psalmis scriptum est; [l] *Nisi Jehova custodiat civitatem, frustra sedulus sit custos.* Quibus verbis videtur Propheta existimasse, custodiam vigiliásq; hominum non sufficere ad civitates defendendas, nisi Dominus ipsis custodiā suā vigiliísq; adsit.quid ais?Non hoc verum est?

l Psal. 127. v. 1.

HARTUS. Verum. Quid deinde?

RAINOLDUS. Illud inde ad quæstionem tuam responsum advenit. Nam adjiciens Propheta, [m] *Beari à Deo homines,quibus filios largitur*,ait, [n] *ipsos ut sagittas esse ad manū robusti:* [o] *beatus vir ille,qui impleverit pharetrā suam illis;non erubescēt, sed periment inimicos in porta ipsorum.* Si verè hoc de filiis rectè institutis dicitur, qui tamen sine divino auxilio ad civitatem defendendam non sufficiunt: cur non de Patribus rectè tractatis similiter dici posset, ut tamen illi ad controversiam

m Vers. 3.
n Vers. 4.
o Vers. 5.

decidendam, sine divino verbo non sufficiant? Nam licèt non diffitear, aliquam utilem in illis materiam esse ad sagittas fabricandas, quæ Jehovæ præliis inserviat: non tamen omnis ejusmodi est; quædam nodosa, quædam lenta, quædam curva. Et, quæ ex illis optimæ sagittæ fabricantur, nisi capitibus fortioribus, quàm sunt ipsi, ex Jehovæ armamentario acquisitis acuantur: non acutæ satis sunt, ut infigi queant *cordi inimicorum Regis*, ut sunt [p] *sagittæ Salomonis* nostri. Quemadmodum igitur, ad te quod attinet, si [q] nolis *Mosem & Prophetas audire*, non mihi magna spes est fore ut tibi Patres persuadeant, *ne si à mortuis quidem resurgerent*: ita de meipso affirmabo tibi, neque mortuos neq; vivos, Patres nec filios, quicquam mihi in religionis causis persuasuros, quod non ex Mose & Prophetis probare valeant. Non enim quicquam [r] Apostoli prædicabant, extra ea, quæ *Prophetæ ac Moses futura prædixerunt*. Quòd si Patrum aliquis, si Divus, si [s] *Angelus è cælo evangelizet præter id quod Apostoli evangelizârunt, anathema esto*. Hoc me præceptũ Paulus Apostolus docuit: & eidem ego assentior. Si idem tibi ex Patris ore magis placeat, disce à B. Augustino.[t] Ille Donatistas scripto oppugnans, qui errorem suum ex Scripturis confirmare non valebant, eâdem ipsos premit sententiâ, omnibúsq; Christianis idem præceptum tradit: *Proinde, sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidem vitámq; nostram; non dicam, si nos, sed si Angelus de cælo vobis annunciaverit præterquã quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis*, (hoc est, vetere & novo Testamento,) *anathema sit*.

[p] Psal.45.5.
[q] Luc.16.31.
[r] Act.26.22.
[s] Gal.1.8.
[t] Contr. liter. Petil. Donatist. lib.3. ca.6.

HARTVS. Non rectè interpretaris sensum verborum S. Augustini: ita enim Latinè habent; *Proinde, sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitámq; nostram*—

RAINOLDVS. Horum verborum, opinor, genuinum sensum teneo: perspicua enim sunt *de quacunque re, quæ pertinet ad fidem vitámq; nostram*.

HARTVS. Esto: at reliqua accipias. *Non dicam, si nos, nequaquam comparandi ei qui dixit, licèt nos, sed omnino quod sequutus adjecit, si Angelus*—

RAINOLDVS. Neq; ista non rectè interpretor. Alludit enim ad verba S. Pauli ad Galatas.

HARTVS. At non rectè interpretaris sensum verborũ sequentiũ, *si Angelus de cælo vobis annunciaverit præterquam quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit*.

RAINOLDVS. Quamobrem? Non ille vetus & novum Testamentum (quod appellamus,) per *Scripturas Legales & Evangelicas* designat?

HARTVS. Certè: sed error tuus in voce illa [*præterquam*] latet, per quam intelligit ille [*Contrà quàm*;] non [* *besides that*,] ut tu Anglicè vertebas. Nam multa sunt quæ ad fidem & vitam spectant, *præter* ea quæ in Scripturis Legalibus & Evangelicis leguntur, sed non *contra* illa. Quare, si constaret non posse Pontificis suprematum ex Scripturis effici: quæ tamen ejus confirmatio ex Patribus adduceretur, bona esse poterit. Non enim *contra* Scripturas; etiamsi *præter* Scripturas foret.

* Hæc tamen Anglicana verba latinum [*præterquam*] propriè exprimunt, ut cuivis hujus linguæ perito constat.

RAINOLDVS. *Præterquam*; id est, *contrà quàm*: *præterquam quod in Scripturis accepistis*, id est, *contrà quàm*. Hæc [u] Lovanistarum vestrorum glossa est—

HART. Immo, B. Augustini est: quod ex ipsius verbis de re eâdẽ alibi tibi cõstet, [x] ubi ita loquitur. *Nõ ait Apostolus, Si quis vobis Evãgelizaverit plus quã accepistis, sed præter quod accepistis. Nã si illud diceret, sibi ipse præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses*, [y] *ut suppleret quæ eorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit: non quod inerat tollit*, & cetera. Unde Augustinus ostendit

[u] Annot. in Tom.7. Aug. script. à Gravio, probat. à Mola. & Theologis Lovan.
[x] Tract.98. in Iohannem.
[y] 1. Thess.3.10

posse nos *plus* quàm complectitur Scriptura, prædicare: sed non *præter* eam, id est, *contra* eam.

RAINOLDUS. Quo nihil minùs ostendit: quod cuiquam tractatum ejus perlegenti, liqueat. Nam, *plus* illud, eaq; *quæ defuerunt*, de quibus Augustinus, non de Scriptura, hoc est, verbo scripto, sed de verbo quod prædicatum est, & ore Apostolorum dictatum, accipienda sunt. Ibi commonstrat, *hanc Apostolo in instruendis hominibus consuetudinem fuisse*, [a] *ut primùm lacte, non cibo solido*, ipsos aleret. Quod igitur Thessalonicensibus deerat, solidior fuit doctrina fidei: quod autem jam didicerant, facilior. Quamvis autem in altero, plus quàm in altero ipsis tradidit: in neutro tamen, plus quàm tradit [a] Scriptura. Augustinianum verò *plus*, non esse *plus* quàm Scipturam, ipse appositione exempli illustrat. Doctrinam enim de *humanitate Christi*, *lac* appellat; illam autem *de Divinitate*, *cibum solidum*. Jam qui edocti illum Deum agnoscunt, plus discunt, quàm quum priùs ipsum hominem agnoscerent. Sed non plus discunt tamen, quàm quod Scriptura complectitur, [b] quæ illum Deum simul & hominem nobis prædicat. Quamobrem, B. Augustinum condemnantem omnes qui præterquam quod in *Scripturis Legalibus & Evangelicis* scribitur, annunciant, in ea sententia fuisse, ut liceat nobis *plus* quàm Scripturas, sed nihil *contra* Scripturas prædicare: non est B. Augustini, sed Lovaniensium vestrorum glossa, & planè à B. Augustini textu aliena. Nam [c] ibidem B. Augustinus verba faciens, quo illum odio prosequerentur, veritatis prædicandæ & ipsorum hæresis confutandæ causâ, Donatistæ; *quasi nos*, inquit, *mandaverimus tanto antè Prophetis & Apostolis, ut in libris suis nulla testimonia ponerent, quibus pars Donati Ecclesia Christi esse doceatur*. quę verba dilucidè commonstrant illum, ut per *Scripturas Legales et Evangelicas Prophetarum & Apostolorum* libros denotabat: ita, dum omnia *præterquam quod in Scripturis est* condemnat, intellexisse, non, quod *contra Scripturas*; sed, quod *non in Scripturis* reperiatur. Quam ipsi sententiam fuisse, etiã adhuc dilucidiùs exponit, dum *illos doctrinam suam ex Testamento probare jubet*: quod ipsum [d] Lovanienses Doctores vestri (quo turpius illis est, Augustini verba contra sensum Augustini torquere) observant. quemadmodum enim apud homines usu venit, ut testamentum voluntatem ejus à quo factum est, explicet: ita censuit Augustinus controversiam Ecclesiæ cum Donatistis natam, ex Scripturis fuisse decidendã, quas Christianis Christus tanquam testamentum suum reliquit. [e] *Christus* enim *nobiscum egit, quo modo cũ filiis suis terrenus pater: qui, timens ne post mortẽ suã, ruptâ pace, litigent, adhibitis testibus voluntatẽ suã transfert in tabulas, & si fuerit inter fratres cõtentio nata, quæritur testamentũ. Ille, cujus verbo controversia nostra definienda est, Christus est. Voluntas ejus in testamẽto ejus inquiratur*, inquit Optatus. quam Optati rationem, ut sæpè aliàs, urgens adversus Donatistas [f] S. Augustinus: *Fratres sumus*, inquit; *quare litigamus? Non intestatus mortuus est pater: fecit testamentum & sic mortuus est. Tam diu contenditur de hereditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum, & quum testamentum prolatum fuerit in publicũ, tacent omnes ut tabulæ aperiantur, et recitentur. Judex intẽtus audit, advocati silẽt, pracones silentiũ faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui, nõ sentientis in monumento. Ille sine sensu jacet in monumento, & valent verba ipsius. Sedet Christus in cælo, et contradicitur testamẽto ejus? Aperi; legamus; fratres sumus: quare contendimus? Placetur animus noster: non sine testamento nos demisit Pater. Qui fecit testamentum vivit in æternum. Audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus: quid litigamus?* Nónne iste futilis nulliúsq; cõsilii foret Augustini sermo, si sensisset, vobis interpretibus, integram Domini voluntatem

[a] 1. Cor. 3. 2. Heb. 5. 12. & ca. 6. 1.

[a] Act. 26. 22.

[b] Ioh. 1. 15. Rom. 9. 5.

[c] Cont. lit. Petilian. Donatist. lib. 3. c. 6.

[d] Annot. in Tom. 7. Aug. contr. lit. Petili. lib. 1. ca. 23.

[e] Optat. lib. 5. contra Parmenianu Donatistam.

[f] Aug. in Psal. 21. exposi. 2.

in Testamento ejus non exponi: posse quædam præter verbum ipsius ex hominū verbis probari? *Anathema sit, qui quicquam, quod vel ad fidem, vel ad vitam pertinet, annunciat, præterquam quod in Scripturis est.* Rectè: *præterquam quod in Scripturis est*, id est, *contrà quàm in Scripturis est*, inquiunt Lovanienses vestri Doctores. Vide quid ars valeat. Egregium verò nobis jus diceretur, si isti apud nos de * *Arcubus Doctores* essent. Prosilierit enim circumscriptor aliquis, cui liceret pro millenis libris ex defuncti bonis contendere, qui ipsi viginti tātùm drachmas testamento legārat: huic eas isti possent salvis conscientiis adjudicare, quippe quod nihil esset *contrà quàm* in testamento, etsi *præterquam* quod in testamento reperiatur. Immo, hoc facere tanto majori cum ratione ipsis, quàm qua alterum faciunt, liceret; quanto Testamentum Dei perfectius est, quàm cujusquā hominis esse queat: & quod Christus Pontifici legavit, longè minutius est si ad suprematum referatur, quàm viginti drachmæ ad millenas libras comparatæ. Quare, loquantur Lovanienses Doctores quicquid ipsis collibuerit, (fortassis pretio conducti loquuntur:) S. Augustinus apertè sensit, quū *Donatistæ hereditatem Christi sibi vendicarent, ipsis jus suum ex voluntate & Testamento ejus probandū esse*. Quod si non valerent, aut potiùs quoniam non valerent facere: de illis pronunciat, *illā nullo eos jure poscere*. Proindéq; ad illam generalem cœlestis Judicis sententiam accedit, ipsis *Anathema* denuncians, *qui in ulla re, quæ ad fidem vitámve pertinet, annunciant, præterquā quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis est acceptum*. Ubi, si [*præterquā*] significet [*contrà quàm:*] illud omne igitur, hac ratione, contra Testamentū est, quod præter Testamentum adjicitur.

* ita apud Anglos appellātur legū Doctores, qui in Curia de arcubus (à eo sic dicta) sunt advocati. Cōsule Camdeni Britāniam.

HARTUS. Omnino cum ratione loquuntur Optatus, & Augustinus, contra Donatistas: quòd, nisi jus suū Testamento Christi confirmare valeant, non possint Catholicos ab hereditate ejus excludere, bonáq; ejus sibi ipsis vendicare. Est enim consentaneum, voluntatem ejus, qui testamentum facit, observare. Verùm doctus quidā Jurisconsultus, [g] Franciscus Baldwinus, qui Optatum emisit, & in ipsum annotationes scripsit, docet, *testamentum esse posse vel nuncupativum*, (ut appellat) *vel scriptum*. Quid ad *testamentum nuncupativum* dicis?

[g] Annotat. in Opt. lib. 5.

RAINOLDUS. Assentior posse [h] testamentum sine scripto confici, modò id coram solenni testiū numero fiat. Sed Christi Testamētum, spero, scriptū est: atq; perinde de eo Optatus & Augustinus loquuntur. Quare doctus tuus Jurisconsultus illam legem apud se asservet licet, donec clienti suo eâdem sit opus.

[h] L. Heredes. Dig. Qui testamētum facere possunt.

HARTUS. Quasi verò non potuerit ex parte, ac non totum scriptum esse Testamentum Christi. Quæ Baldwini sententia est, ut appáret ex loco, non Optati, sed Augustini; ad quem accommodat.

RAINOLDUS. Quòd si ita senserit Baldwinus, Baldwinū meminisse oportuit, testamentum hoc modo factum nō esse *nuncupativum*, ([i] illud enim non scriptum est, quod illum [k] rudimenta ipsa juris docuerint,) sed imperfectum potiùs; etsi scriptum, tamen imperfectum. Et spero equidem non dicturum te, esse imperfectum Testamentum Christi. Optatus sanè noluit.

[i] L. Hac cōsultissima. para g. per nuncupationem. cod. de testamētis.
[k] Institut. lib 2 tit. 10. Sed hæc quidem.

HARTUS. Nec ego, etsi tu id libenter inferre cupias, ac si ego ita dicerem. Nam si Christo voluntatem suam partim scriptam esse placuerit, partim verbis traditam: utrumque connecte, & perfectum testamentum conficit.

RAIN. Scriptū igitur Christi Testamētū imperfectū est. Pulchrū verò perfectūq; futurū, si traditiones vestræ assuantur. Atqui Optatus censuit *scriptum ejus Testamētum per se perfectum esse*. Quod totam Papismi fabricam penitus convellit. Atq;

hic est Optatus ille, de quo S. [l] Augustinus loquitur, tanquam *egregio Episcopo Catholico, non Ambrosio, aut Cypriano impari*; de quo [m] Fulgentius tanquam *sancto & fideli Pauli interprete, Augustino, & Ambrosio non dissimili*; de quo [n] magnus ille pugil vester tam magnificè gloriatur, illum, nec illum solum, sed etiã *Patres* reliquos *tam esse vestros, quàm Gregorium ipsum decimum tertium*: quum revera, non unus ex omnibus illis hoc modo vester esse comperiatur. Gregorius enim decimus tertius religioni vestræ in Pontificis suprematu, præcipuo quidem Papismi dogmate, adhærescit: quemadmodum [o] *regula* ejus *Cancellaria pro reservationibus & provisionibus*, [p] *anathemáq; ab illo* omnibus indictum, *qui à Pontificibus ad Concilium provocent*, [q] Bullæq; ejus emissæ *contra decreta Conciliorum, cùm provincialium, tùm generalium*, demonstrant. A qua abominatione quàm alieni Patres fuerint, comparebit, quum à te illi proferuntur. Verùm Optatus adeò apertus religioni vestræ adversarius est pro *Scripturis*, earúmq; ad omnes *controversias decidendas sufficientia*, ut provocatorem vestrum (si illum legeret, ac non potiùs locis communibus Canisii, aliorúmq; institorum, fidem credulus haberet,) erubuisse necesse sit, qui de illo tanta prædicavit. Quæ enim [r] ille ex Optato objicit, ne cutem quidem religionis nostræ lædunt, quamvis lippientibus ita videantur. Istud autem, de *Scripturis solis*, tuum illud prorsus subvertit. Quam ita liquidò Optati sententiam esse constat, ut [s] Baldwinus tuus, (in annotationibus suis) de isto necesse habeat dicere, *eum non tam cautè uti illâ de testamento institutâ comparatione*.

HARTVS. *Non tam cautè*, atq; Augustinus utitur. Nam Augustinus eam adhibet, quum ex Scripturis probaturus sit, *Ecclesiam esse Catholicam*: quod unum fuit ex controversiæ illius capitibus, quam cum Donatistis habuerunt.

RAINOLD. Sed in illo capite tractando hanc generalem regulam sciscit, *sive scilicet de Christo, sive ejus Ecclesia, sive de quacunq; alia re, quæ pertinet ad fidẽ vitámq; nostram, nihil præter Scripturas, hoc est, Testamentum, annunciandum esse*.

HARTVS. In alio verò agitatæ ab ipsis controversiæ capite, de *Baptismo*, [t] Augustinus non tam *Scripturam* affert, quàm *traditionem Apostolorum*.

RAINOLDVS. *Non tam Scripturam*; *Scripturam* igitur affert: etsi *consuetudinem Ecclesiæ* simul *ab Apostolis traditam* commemoret. Sed quid hoc contra Testamentum facit?

HARTVS. Immo, præter Testamentum, quod verbum scriptum est, *traditiones non scriptas* aliis in locis commendat. Ex quo efficitur, non censuisse illum, Testamentum sufficere ad controversias omnes decidendas.

RAINOLDVS. Næ tu benevolus es Augustino, qui idem illum dicentem & negantem fingis. Verùm ubi negat tandem Scripturas sufficere?

HARTVS. Illud cernas licet in [u] Augustiniana Torrensis Confessione, in capite de *traditionibus*.

RAINOLDVS. Atqui hoc ego vellem apud S. Augustinum cernere. Torrensis Jesuita est, quem sæpe in mendaciis deprehendimus. Non possum illi fidem dare.

HARTVS. Quare? Ipsius S. Augustini verba citat. Quemadmodum in [x] primo loco, (ubi etiam Cyprianus adducitur,) *Quod autem nos admonet Cyprianus ut ad fontem recurramus, id est, Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est & sine dubitatione faciendum*. Hæc ipsius S. Augustini verba sunt.

RAINOLDVS. Ipsius quidem certè S. Augustini verba. Sed quid apud S. Augustinum sequitur? *Traditum est ergo nobis (sicut Cyprianus ipse commemorat)*

Cap. 8. *Sect. 1.*

[l] Cont. epist. Parm. l. 1. De unitat. Eccl. c. 16. de doctr. Chri. l. 3. c. 40.
[m] Ad Mon. l. 2.
[n] Edmund. Camp. Rat. 5.
[o] Regul. Cancell. Apost. Anno 1572. edit.
[p] Anno 1575. Liter. processus. Greg. decim. tert. lect. die. Cœn. Dom.
[q] Bulla confirmat. privil. ord. Minor. de observant. Non obstantibus &c. & in aliis Bullis passim. Eclog. Bullar. & motupropriot. Gregor. decim. tert.
[r] Edmund. Camp. Rat. 5.
[s] Annotat. in Optat. l. 5.
[t] De Baptismo contr. Donat. l. 4. c. 6.
[u] Confess. August. lib. 1. c. 8.
[x] De baptismo contra Donat. lib. 5. cap. 26.

ab Apostolis, quòd sit unus Deus, & Christus unus, & una spes, & fides una, & una Ecclesia, & baptisma unum. Hæc ipsius S. Augustini verba sunt, & ex S. [y] Cypriano quoq; stabilita. Quare ipse, & Cyprianus, illud per [*traditionem*] denotabant, quod *traditum est*: illúdq; *traditum esse*, quod in *Scripturis scriptum est*, sentiebant. Nam hæc ipsa res, qua de loquuntur, scripta est in [z] Pauli ad Ephesios epistola. Illorū igitur *traditio*, *traditio scripta* est, hoc est, *Scriptura*: non autem non scripta materies, qualem cupit vester Jesuita. Quin Cyprianus adeò disertus est pro controversiis per hanc solam *traditionem* decidendis, ut in eadem epistola (unde hæc Augustinus affert) ad verba illa Stephani, *Traditum est*; *Unde est ista traditio*, inquiat? *Utrúmne de Dominica & Evangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atq; epistolis veniens? Ea enim facienda esse quæ scripta sunt, Deus testatur, & proponit ad Jesum Nave, dicens;* [a] *Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, sed meditaberis in eo die & nocte, ut observes facere omnia quæ scripta sunt in eo. Item Dominus Apostolos suos mittens, mandat* [b] *baptizari gentes & doceri, ut observent omnia, quæcunq; ille præcepit. Si ergo hoc (de quo Stephanus ait, traditum est) aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis, aut actibus continetur: observetur divina hæc & sancta traditio.* Non tu vides Cyprianum censuisse, omnia quæ Christus docenda mandavit, scripta esse? Etiam hanc scriptam doctrinam per *traditionem* denotasse? Ejúsq; de ista *traditione* verba Augustinum approbasse? Quâ igitur fide Jesuita vester illud pro *traditionibus* præter *Scripturas* adduxit, quod tam apertè illi de *Scripturis* ipsis intellexerunt.

[y] Epist.74.ad Pompeium.
[z] Eph.4.4.
[a] Jos.1.8.
[b] Matt.28.20.

HARTUS. Non ego quidem istuc video, neq; in Augustino, neq; in Cypriano.

RAINOLD. Eo mihi dolet magis ita te lippire. Res enim adeò liquida est, ut [c] Pamelius vester exponat Cyprianum ibidem *sacras Scripturas per traditionem significasse.*

[c] Annot.in ep. 74.ad Pōpeiū.

HARTUS. Subjicit tamen Pamelius, *Si instructus fuisset diligentiùs Cyprianus, nihil efficaciæ habere Scripturas illas: non dubitare D. Augustinum, quin contrariam traditionem acceptasset.*

RAINOLDUS. Id quidem fieri potest. Eam enim Scripturis confirmatam comperisset, ut docet D.[d] Augustinus. Verùm hoc interea tibi ex Pamelio videre licet, Torrensem Cypriani, Augustiníq; autoritate abusum esse dum illud ad suas *traditiones* detorqueret.

HARTUS. Minimè verò. Sed quem proximè affert [e] Augustini locum, plenior est: *Ecclesiæ regula, sanctáq; Patrum traditio atq; judicia, in perpetuum firma solidáq; permaneant.*

[d] De baptism. contr. Donat. li.1.c.7.& deinceps passim.
[e] Sermon. de temp. 191. qui est tertius de Trinitate.

RAINOLD. Nihilo locus iste plenior quàm superior. Nam sequitur continuò: *Est autem Patrum nostrorum fides hæc; Credimus in Deum patrem omnipotentē, cunctorum visibilium & invisibilium conditorem*: atq; ita in Christianæ fidei capitibus recensendis pergit. Unde apparet illum per [*traditionem Patrum*] fidem Patrum intellexisse. Sed fides illorum scripta est (ad substantiam ejus quod attinet) in Scripturis. Quare in hac etiam *traditione* tuus Jesuita vacillat. Præterea S. Augustinus, si tamē is sermonem illum scripserit, de quo à [f] vestris Lovaniensibus cēsoribus dubitatur, sed is, qui sermonem illum scripsit, de Trinitate tractat. Atqui de Trinitate nihil dicendum præter regulam fidei, quæ in Scripturis descripta est: ut [g] ostendi ex Augustino. Quare, si Augustinus illic de traditionibus non-scriptis loquutus fuisset: id Augustinus quidem vellet retractare. Sed certè Jesuita valde artificiosè Augustini opera evolvit. Qui, apud alios præ se ferens *summam doctrinæ Augustinianæ* ex cunctis operibus ejus se collegisse, istud tamen [h] in capite

[f] In censur. generali Tom.10 operum D. Augustin.
[g] Cap.2. sect.2
[h] Confess. august.lib.1.c.9

de Scripturis celat, quod de sufficientia ipsarum tradit Augustinus: & illud impudenter venditat in [i] isto de *traditionibus* capite, quod obliterandum erat ex iis quę edisserit Augustinus de Scripturis. Ceterùm, ut verum fuerit, *Scripturas* absque *traditionibus* imperfectas esse, minúsq; sufficere ad voluntatem Dei probandam: nihilo propiùs ab instituto tuo abes, ut ad eam probandam Patres sufficiãt. Quod enim testamentum verbis traditum est, nec consignatum scriptis, solennibus testibus confirmandum est. Testes *testamenti* Christi solennes, Prophetæ sunt, & Apostoli. Nisi igitur per Prophetas, & Apostolos probes, partẽ *testamenti* Christi non esse scriptam, & illâ in parte Pontifici ipsum dedisse, supprematum: tua à Patribus deducta confirmatio, nunquam apud juris tribunal est valitura. Nihilominus, etiamsi cum jure & ratione pugnet, Pontificem universam sibi Christi hereditatem assumere, omnibúsq; Episcopis legata describere, nisi jus suum ex *testamento* Christi probet: tamen, si potes (uti dixi) ex *Patribus* probare, ei cedere non recuso.

[i] Cap. 8.

HARTVS. *Si ex Patribus possum probare?* Illos ego sanè proferam, ut hoc contestentur. Quando autem illud tu *probatum* censebis? Quum ego id probârim, tu fortasse me non probasse affirmabis.

RAINOLDVS. Et fortasse quidem, quum non probâris, tu tamen te probasse affirmabis.

HARTVS. Cui igitur judici stabimus? Et qua demum ratione disceptabitur?

RAINOLDVS. Optatus in quæstione illa, quam Catholici cum Donatistis agitârunt, *An liceret eidem semel sacro baptismate initiato, rursus initiari:* [k] *vos* (inquit ille) *dicitis, Licet: nos dicimus, Non licet. Inter* [*licet*] *vestrum, &* [*non licet*] *nostrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices. Si Christiani: de utraq; parte dari non possunt; quia studiis veritas impeditur. Deforis quærendus est judex. Si Paganus: non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus: inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium, de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, quum habeamus hîc in Evangelio testamentum?* Quare, ex Optati sententia, eáq; quam affert ipse, ratione, nullum possimus in terris idoneum judicem obtinere: Deus de nobis ex verbo suo sententiam ferat oportet. Veruntamen si velit Pontifex * *Deo populóq;* stare judicibus: sistat se igitur in * *Assisis*; ego illum latrocinii postulabo, quòd Christi servorum bona sit deprædatus; & verò *Patrum* solùm testimoniis, ut hoc convincam, utar.

[k] Lib. 5. contr. Parmenian. Donatist.

* *By God and the Countrie.* His conceptis verbis apud Anglos reus examen causæ suæ, Deo populóq; subjicit

* *Assisas* appellant Angli juridicũm conventum, ubi duo Justitiarii ad hoc deputati cum Eirenarchis de causis civilibus & criminalib. cognoscit. Vide Camdenum in Britãnia sua.

HARTVS. Quin, à nobis vos ipsi potiùs postulandi estis, quòd impetum feceritis in possessionem ejus, in suprematum dico, eúmq; his jam viginti & ampliùs annis, per injuriam illi ereptum occupetis. Quanquam (ut quod res est dicam,) actũ agimus, si vos nunc postulemus: jam pridem de vobis judicium latum est.

RAINOLDVS. A [l] Pontifice scilicet, in suo Consistorio. Res quidem proclivis factu, ubi idem ipse accusator, testis, & judex.

HARTVS. Nequaquam verò solus *ipse* istic judex sedet: omnia enim exsequitur ex communi sententia.

RAINOLDVS. Ex confessus Cardinalium sententiâ, quibus prædas suas dispertit. Illinc tandem dabuntur judices, qui, utrùm tu Pontificis probes suprematum, decernant?

HARTVS. Clarissimi verò Præsules sunt, quocunq; demum à te loco habeantur.

[l] Pius Pontifex quintus in Bulla sua contra Angliæ Reginam.

antur. Sed quos tandem judices, si non illos, adoptabimus?

RAINOLDVS. Quum inter eos, qui de jure suo ambigunt, constituitur disceptatio, populi sententiis discernenda,* duodecim viros, quibus ea discernenda est, ex iis esse oportet, qui ipsis proximè vicini sunt, & maximè idonei, minimèque suspecti. Ista Anglorum lex est. Ut tibi patria lex probatur? Non illa ratione nititur?

HARTVS. Nititur. Sed hanc nostram disceptationem Ecclesia, non populus discernat oportet.

RAINOLDVS. Assentior. Verùm patriæ legis æquitas, in Ecclesia quoque valebit.

HARTVS. Vis igitur causam tuam Catholicis Episcopis committere, Papæ vicinis, Gallis, Hispanis, Italisque, quales in Tridentina Synodo convenerunt?

RAINOLDVS. Apage: minimè omnium mortalium idonei sunt isti, qui disceptationem nobis cum Pontifice constitutam discernant.

HARTVS. Quamobrem?

RAINOLDVS. De multis causis. Non sunt * homines legales. Papæ inquilini sunt, jurati ejus beneficiarii, nobis adversarii jurati: [m] sacramento obligati, *ut Papatum defendant*. Istíne idonei maximè viri sunt, miniméq; suspecti?

HARTVS. *Maximè* quidem illi *idonei* sunt. Verùm si suspiciones tuæ satis sint futuræ ad ipsos rejiciendos, rejicere tibi quosvis licebit.

RAINOLD. Si inficiare causas, quas adduxi: illas argumentis probo. Si illas ego omnes probâro: nullus est in Anglia universa Justitiariorum consessus, quin rejectionem meam legitimam putaturus sit.

HARTVS. Quin tu ipse igitur nomina illos, quos in *duodecimvirûm* numero esse patieris.

RAINOLDVS. Nolo verò quenquam ipse nominare. Est autem mihi animus in omnes æquus, qui ipsi sunt æqui: quibus & prudentia inest ad dijudicandũ de tabulis quæ producuntur, & religio ad litem dandam secundùm veritatem.

HARTVS. *Secundùm tabularum veritatem*, dicis. Hoc enim *duodecimviris* officii imponitur. Atq; ita per me omnes æqui viri pro *duodecimviris* habeantur. Nam illorum, quos afferam, testium verba, ita plena, ita sensu plana, ita ad arguendum fortia sunt futura, ut necesse habuerint contra te judicium ferre: nisi velint illi adversùs tabulas, conscientiásq; juxtà suas judicare.

RAINOLDVS. Suos cornicula pullos censet pulcherrimos. Verùm à me orãdi sunt *duodecimviri*, ut cogitare velint testes illos, quorum tu verba produces, nequaquam in vivis esse.

HARTVS. In vivis? quid illud ad disceptationem nostram discernendam?

RAINOLDVS. Multùm. Nam si viverent illi, & coram *duodecimviris* comparerent, primùm, juramento astringerentur * *ut veritatem, & totam veritatem, nihilq; præter veritatem* dicerent. Unde commoveri poterant cùm ad verbum omne cautiùs enunciandum, tùm etiam ad rem totam *duodecimviris* pleniùs cumulatiúsq; exponendam, quàm hactenus explicârunt. Deinde, faciliùs foret ab ipsis quærere de ætate ipsorum, conditione, circumstantiísq; personarum, de verbis, de sensu, causa & occasione. quæ omnia adjumenta sunt ad rerum, quæ controversę sunt, dispiciendam veritatem. Tertiò, si post inquisitionem habitam constaret, ipsos, personarum suarum, vel sermonum ratione, nequaquam fide dignos esse: liceret utiq; eosdem, *exceptione* factâ, rejicere. quam rejiciendi testes potestatẽ [n] leges

faciunt,

* Duodecimviri apud Angl. à populo ritè evocantur, qui in Assisis jurati in causis de facto cognoscũt & verè de facto sententiã dicunt apud Iustitiarios, qui de jure tũ demum judicium ferant.

* Ita appellãt leges Anglicanæ eos, qui ex fundo suo quotannis summam triginta solidorum possunt erogare.

[m] c EgoN extra de jurejurando.

* His conceptis verbis juramentum testimonium dicturis apud Anglos datur.

[n] L. Testium facil. D. de Testibus.

faciunt, si justæ *exceptionis* causa detur. Ceterùm tu fortassis (sicut solent vestrates) hoc clamore exciperes, si idem adversùs defunctos & absentes adhiberem. Quare nisi illud *duodecimviri* prudentiâ suâ & æquitate suppeditent, quod in ipsâ experiundi juris formâ desideratur, quoniam quos testes adducturus es, è vivis discesserint; in fraudem impelli possint nominibus adumbratâque testium ostentatione, atq; ita *sententiam* dicere veritati repugnantem.

HARTVS. Verbum honesti viri idem habet, quod juramentum, pondus. Nam ut minimè pejerabit ille: ita neq; ementietur. Nihilo igitur minor fides *Patribus* danda est, quòd non jurati dicant.

RAINOLD. Atqui vir honestus tamen pleniùs maturiúsq;, juratus, quàm injuratus loquetur. Et illud aliquando conjecturâ nixus dicat, quod non diceret astrictus juramento.

HARTVS. Illud verò ex *Patrum* scriptis intelligi poterit, quando de re aliqua, ut certâ, judicium pronuncient suum; quando eam, ut incertam, ex conjectura augurentur. Atq; hinc aliæ item (quas tu requiris) circumstantiæ dignoscantur non minùs commodè atq; si adessent ipsi.

RAINOLDVS. Immo minùs commodè. Nam nihil illorum scripta ad multas quæstiones respondent, quas vellem, si adessent, ex ipsis sciscitari. Ceterùm iis ego contentus ero, quæ ita poterunt cognosci. Expendant ea *duodecimviri*, atq; ita de fide illorum dijudicent.

HARTVS. Quid? An verò homines horum temporum mediocres de *Patrum* fide dijudicabunt, qui ita longè tempore, ita multùm dotibus ipsis præcesserunt?

RAINOLDVS. Evagrius, homo mediocris, ad Hieronymum scripsit, ejus de *Melchisedec* poscens sententiam, *utrùm is Spiritus sanctus esset*. Cui [o] Hieronymus respondens, postquam ostendisset sententias scriptorum veterum, Origenis, Didymi, Hippolyti, Irenæi, Eusebii Cæsariensis, & Emisseni, Apollinaríque, & Eustathii, doctissimorúmq; Judæorum, quorum alii *Melchisedec*, Angelum esse arbitrati sunt; alii, hominem: *Habes* (inquit ille) *quæ audierim, & quæ legerim de Melchisedec. Meum fuit recitare testes: tuum sit de fide testium judicare.* Hieronymo videbatur rationi esse consentaneum, ut de testibus quos adduxerat, Evagrius judicaret. Quid amplius *Patres* habent, quàm testes illi habuerunt? Quid habuit amplius Evagrius, quàm quod apud multos horum temporum reperiatur?

o Epist. 126. ad Evagrium.

HARTVS. Verùm tu fortassis vel personas, vel dicta *Patrum* cavillabere, & quasque nugas satis causæ esse putabis, cur illis non crederetur.

SECTIO SECVNDA.

RAINOLDVS. Utrùm, quas adversus aliquem *exceptiones* habiturus sum, cavillationes sint & nugæ: *duodecimvirûm* esto judicium. Immo, ausim penè dicere; judicium esto adversarii. Quid enim tute arbitraris, si quis id *Scripturæ* nomine afferat, quod omnino *Scriptura* non est: non illa rectè autoritas rejicietur? ut si exempli gratiâ, scriberet aliquis, Christum dixisse discipulis suis; *Quod uni vestrûm dico, omnibus dico.*

HARTVS. Illud sanè [p] Juellus *Scripturæ* nomine adduxit, quò evinceret Christi ad Petrum verba, *Pasce oves meas, Pasce agnos meos*, non illi soli, sed & ceteris Apostolis dicta esse. Quare justissimè illum [q] Hardingus hoc nomine redarguebat. Nō enim aiebat Christus; *Quod uni dico, omnibus dico*: sed, *Quod* [r] *vobis dico*, (Apostolos designans,) *id omnibus dico* (Christianis,) *vigilate*. Quæ fuit nostræ causæ æquitas, ut adversùs eam ne speciem quidem aliquam veritatis valeret Juellus objicere, nisi turpiter depravatis adulteratísq; *Scripturis*.

p In Apologiæ Defens. part. 2.
q In Defensione sua lib. 3.
r Mat. 13. 37.

Sect. 2.

RAINOLD. Obsecro verò bonus sis Juello, Optati, Fulgentiiq; causâ: qui perperam [f] ambo eadem Christi verba citârunt; alter etiam planè eodem modo, quo à Juello Episcopo sunt citata. Nam, ut probet illa Domini ad Esaiam verba, [t] *Clama, ne cesses*, non Esaiæ soli dicta esse, sed omnibus prædicatoribus Ecclesiasticis, hac ratione contendit; *quòd Christus discipulis loquatur, Quod uni vestrûm dico, omnibus dico.* Ubi, ut doctrina de cujusq; divini præconis officio vera est, etsi falsũ argumentum sit, quo id contenditur: similiter vera apud Juellum doctrina traditur de officio Apostolorum. Et quidem argumentum Juelli *ab uno Apostolo* ad *omnes* ductum, rectiùs verbis ipsis nititur, quàm alterum illud ab *Esaia* Propheta ad omnes *verbi præcones* accommodatum. Præterea non correxerunt erratum illud Fulgentius & Optatus; Juellus correxit. Quare, si condemnatur à te ille turpiter depravatæ adulteratæq; *Scripturæ*, quoniam Christi illam sententiam perperam recensuit: quod tandem de Fulgentio & Optato judicium laturus es?

HARTUS. Quin, verisimile est illos lapsu quodam memoriæ sic errasse.

RAINOLD. Quod tu itidem de Juello censueris, nisi aliquid oculum tuum occæcaret. Verùm ex isto judicio tuo intelligo, ubi Patres perperam Scripturæ verba afferunt, licere nobis ipsos repudiare. quid autem si perperam, non verba, sed sensum reddant: istîc etiam nobis eos deserere concedetur? quo in genere peccârunt [u] Justinus Martyr, [x] Irenæus, [y] Papias, [z] Tertullianus, [a] Victorinus, [b] Lactantius, [c] Apollinarius, [d] Severus, & [e] Nepos, quòd opinati sint *Christianos post resurrectionem cum Christo in terris mille annorum intervallo regnaturos, in quadam aurea Jerosolyma, illicq; uxores ducturos, procreaturos liberos, esuros, bibituros, vitámq; acturos in deliciis corporisq; oblectamentis.* quem quidem in errorem, quamvis è regione [f] Scripturis sacris repugnantem, inciderunt tamen; partim, quòd [g] *primam secundámq;* confunderent *resurrectionem*: partim etiam, quòd illud [h] crassè ex sensu interpretati sint, quod Apocalypsis mysticè significabat.

HARTUS. Hæresis ista fuit *Millenariorum*, ut vocantur. quanquam in Patribus, etsi hoc error fuerit, hæresis tamen non fuit.

RAINOLDUS. *Hæresin* fuisse non aio. Aio *Scripturæ* sensum illos perperam accepisse: quod tu diffiteri nequis. Etiam nonnunquam illi, quum neq; in verbis, neq; in verborum sensu errarent, ex iis tamẽ dogmata falsa collegerunt. quẽadmodũ [i] *Deum sex diebus mundũ creasse*, rectè hoc quidẽ intellexerant. Verùm ex eo concludere, *mundum sex tantùm annorum millibus duraturum, quoniam* [k] *unus dies apud Dominum perinde est, ut mille anni; & mille anni ut dies unus*: hoc erroris fuit. Nam si verũ hoc esset, quod ex verbis istis illi collegerunt: ergo [l] tempora illa habere explorata poterimus, de quibus Servator ait, *non nostrum esse illa nosse*. Atq; hoc argumento ductus S. [m] Augustinus, istud de *sex annorum millibus* commentum, ut temerarium & arrogans redarguit.

HARTUS. Quod nos itẽ facimus. [n] Lindanus enim, & [o] Prateolus id, in Lutheri & Melancthonis Chronicis, tanquam Judaicam quandam hæresin notant.

RAINOLDUS. Et rectè, quum illud Lutherus & Melancthon scribant. Verùm quum idem scribant [p] Irenæus, [q] Hilarius, [r] Lactantius, [s] Patrésq; alii, quo tãdem illud notant nomine?

HARTUS. Puta errorem fuisse. Sed quorsum opus hæc omnia? Quasi verò id tibi dubium esset, ne in iis rebus Patrum causam tueremur, in quibus erroris ex *Scripturis* convincuntur?

RAINOLDUS. Est sanè cur id dubitem. Nam etsi nemo fere adeò profanus sit, qui velit id facturum se profiteri: tamen (quæ cæcitas est superstitiosæ

illius

f Optat. contr. Parmen. lib. 1. Fulgent. ad Thrasimũdum Reg. l. 1.
t Esai. 58. 1.
u In dialog. cũ Tryphon. Iud.
x Hieron comment. in Esai. l. 18. in præfat.
y Euseb. hist. Eccle. l. 3. c. 36
z De spe fidelium: ut citatur ab Hieronymo
a Hier. de scrip Eccles. in verbo, *Papias*.
b Divinar. institut. l. 7. c. 23.
c Hier. in comment. in Esai. l. 18. in præfat.
d Hier. comment. in Ezek. lib. 11.
e Euseb. hist. Eccl. l. 7. c. 23
f 1. Thess. 4. 17 Mat. 22. 30.
g Apoc. 20. 5.
h Apoc. 21. 10. & 22. 12.
i Exod. 20. 11.
k 2. Pet. 3. 8.
l Act. 1. 7.
m In enarrat. Psal. 89. & de civitat. Dei. lib. 18. c. 53.
n In Dubitant. Dialog. 2.
o De vit. sect. & dogmat. hæret. l. 9. tit. Iudæorum hæreses.
p Advers. hær. l. 5. c. 33.
q Divinar. institut. l. 7. c. 14.
r In Matt. canone 17.
s Hier. ep. 139. ad Cypr. Iustin Martyr, respõs. ad orthodox. quæst. 71.

illius pietatis, qua Divos homines prosequuntur) exstiterunt jam antea qui fecerũt, & etiamnum exsistunt. Quædam exstat perinsignis fabula, de *beatæ Virginis assumptione*: *Apostolos* scilicet, *ejus appropinquante obitu*, (*per totum orbem tum disseminatos ad prædicandum Evangelium*,) *elevatos in nubibus fuisse*, *& miraculosum in modum raptos Jerosolymam*, *ut in Mariæ funus venirent*. Hæc multis jam elapsis seculis conscripta fuit in libro quodam, sub nomine *Melitonis*; [s] prisci & docti Episcopi Asiatici, edito: quanquam eum ille fortassis non composuerit. Verùm, quicunq; scripsit, *mendacium scripsit* (inquit [t] Beda,) *quòd verba ejus illis Lucæ verbis in Actis Apostolorum adversantur*. Quod postquam Beda in variis ejus fabellę partibus edocuisset, ait, *hæc se ideo commemorare*, *quia nonnullos novit præfato volumini contra autoritatem Beati Lucæ*, *incautâ temeritate assensum præbere*. Quare vides exstitisse eos, qui *Patri*, (vel balatroni etiam alicui fortassis, non *Patri*) fidem adversus *Scripturas* habuerint. Atq; etiamnum ejusmodi homines exsistere, constat mihi ex popularibus nostris, [u] vestris Rhemensibus Theologis: qui eandem fabulam majori autoritate Patrum, quàm alter ille, sed non majori cum veritate asserunt.

[s] Euseb. hist. Eccle. l.4. c.13 & 25.
[t] Retract. in Act. Apost. c.8.
[u] In Annotat. suis in Act. Apost. 1. 14.

HARTUS. *Fabulam*, tu illam Dominæ nostræ *assumptionem* appellas? Quæ istæc est adversus matrem Domini, præcellentissimum illud gratiæ vas, impietas? [x] quam *omnes generationes, beatam vocare* debent. Vos verò laudes ejus & honores ferre non potestis. Quin, delevistis etiam, non solùm amplissimum ejus *assumptionis* festum, sed & illa quoq; *conceptionis* ejus & *nativitatis*. Adeò ut verisimile quidem sit, diabolum singulari quodam odio fœminam istam prosequi, cujus semen caput ejus infregit.

[x] Luc. 1. 41.

RAINOLDUS. Est quidem verisimile, [y] *diabolum, quum certaret cum Michaele de Mosis corpore*, ([z] quem *Dominus in ignoto Judæis loco sepelivit*;) [a] *certasse ut corpus ejus Judæis patefieret*, *quò illud colerent atq; idololatriam patrarent*. Sed certum est, illum, quum instigaret [b] Lystrenses ut sacrificarent Paulo & Barnabæ, eósq; *Deos* vocarent; dedecorare Dei gloriam, nimios Sanctis honores laudésq; deferendo, molitum esse. Possumus nos *laudes* Barnabæ & Pauli ferre: sed non ut *Dii* vocentur. *Honores* illorum ferre possumus; sed non ut illis *sacrificetur*. Non nescimus, *singulari quodam odio diabolum tùm fæminam*, *tùm fœminæ etiam semen prosequi*. Verùm, utrùm illud odium in semen effundat magis, dum *offeruntur* à vobis laudes precésque fœminæ, vel dum à nobis *non offeruntur*: [c] judicent illi, [d] qui istius machinationes non ignorant. Prisci ævi Christiani [e] *impietatis* arguebantur, quòd *nullos*, *præter unum*, *Deos* habuerint. Nostra istæc est *impietas*. Nam quicunque honos, quæcunque laus Sanctis Dei deferri possit tanquam sanctis creaturis, sed creaturis: eam libenter [f] deferimus. Nos de ipsis universis, & nominatim de beata Virgine, reverenter & honorificè sentimus. Cupimus ipsi, aliísque præcipimus, piam illius fidem sanctámque vitam ut imitentur. Illam præcellentissimum gratiæ vas perhibemus. Illam (uti nos Scriptura edocet) [g] *beatam* vocamus: etiam, *beatissimam inter mulieres*. Vos autem illam & nominari, & haberi vultis, non modò *beatam*, sed etiam aliis *beatitudinis largitricem*; non vas, sed fontem, vel (ut eam insignitis vos) [h] *matrem gratiæ & misericordiæ*. Et in solennibus vestris precibus [i] eum illi defertis honorem, qui [k] soli creatori nostro Redemptorique debetur. Nam illam invocatis ut *vos ab hoste protegat*, & *horâ mortis suscipiat*. Unde, etsi verborum specie id diffiteamini, re tamen verâ parem illam Christo facitis: ut illum, *Dominum*; ita illam, *Dominam*: ut *Deum*, illum; ita *Deam*, illam: *Reginam*, illam; ut illum, *Regem*: illam *mediatricem*; ut illum,

[y] Jud. 1. 9.
[z] Deut. 34. 6.
[a] Nic. Lyr. in Deut. 34. & epist. Judæ.
[b] Act. 14. 11.
[c] Exod. 22. 20 Mat. 4. 10. Col. 2. 18. Apoc. 19. 10. & 22. 9.
[d] 2. Cor. 2. 11.
[e] Tertull. in Apol. Euseb. hist. Eccl. l.4. cap. 13.
[f] Conf. Helv. c.5. Confess. Bohem. Aug. Saxon. &c. in Harmonia cõfessionũ fidei. Section. 2.
[g] Luc. 1. 28.
[h] *Maria, mater gratiæ, mater misericordię*
[i] *Tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.* Offic. B. Marię Virg. refor. & edit. à Pio quint.
[k] Psal. 31. 5. Act. 7. 59. Psal. 50. 15. Luc. 11. 4.

mediatorem: ut [l] illum *per omnia tentatum, sicut nos, peccato excepto*; ita illam *immunem ab omni corruptione peccati*: ut illum, *solum illud nomen quo servari nos oportet*; ita illā, * *vitam nostram, dulcedinem, spem, veram matrem orphanorum, levamen oppressorum, medicamen infirmorum*, deniq; * *omnibus omnia*. Quem Divæ impium cultum quoniam amplificastis, *dies feriarum* illi consecrantes, *Conceptionis* ejus scilicet, *Nativitatis*, & *Assumptionis* festa: idcirco rectè à reformatis Ecclesiis abolentur. Non enim hic *feriarum* usus est, ut colantur Sancti, sed ut colatur Deus, à quo suam Sancti sanctitatem habent. Quem planè in finem eas [m] Dominus instituit, *ut ad ipsum colendū, verbúmq; ejus audiendum omnes convenirent*.

HARTUS. Quorsum igitur adhuc retinetis *festa* Apostolorum, Evangelistarū, aliorúmq; Divorum, ac non illa item aboletis? Quod nonnullę ex *reformatis* vestris, vel *deformatis* vestris potiùs Ecclesiis, fecerunt.

RAINOLDUS. *Deformata* nostræ *Ecclesiæ* illustres & gloriosæ in conspectu ejus resplendent, qui [n] jubet ut *in spiritu ipsum & veritate adoremus*: etsi tu, meretriciâ Synagogarū vestrarum formâ infatuatus, illarum derideas simplicitatem, ut Davidem [o] superbus Micalis spiritus, quum *abjiceret se coram Domino*. Quę sunt in Scotia, Flandria, Gallia, [p] aliisq; locis Ecclesiæ, idcirco non probant *Sanctorum festa*, quòd nullus possit dies nisi in Dei ipsius honorem, *festus* haberi. In eadem prorsus sententia, Anglicana Ecclesia de *festorum* usu constituitur. Quare, etiamsi dum nomina dierum qui *Sanctis* consecrati sunt, retinemus, in honorem *Sanctorum* retinere videamur: tamen re quidem verâ *Deo* soli *sacros* dies illos habemus, ut laudibus celebremus nomen ejus, pro beneficiis, quæ nobis Sanctorum suorum ministerio impertivit. Atq; in hunc sensum sententiam nostram [q] Ecclesiæ Belgicæ & Gallicæ rectè exposuerunt, quum observârint *Ecclesias nonnullas, eousq; sese committere eorum infirmitati quibuscum versantur, ut ista, quamvis longè dispari, immo prorsus repugnāte Papistis ratione, observent*.

HARTUS. Verùm si aliorum Divorum festa eo modo agitatis, cur non ejus etiam, à qua carnem sumpsit Servator, & in mundum productus est?

RAINOLDUS. Agitamus verò: illa, *Annunciationis beatæ Virginis*, & *Purificationis festa*.

HARTUS. Immo, aliorū Sanctorum dies, quos celebratis, ut nominatim Petri, Pauli, & Johānis, obitûs eorū dies sunt, itáq; illorū proprii sunt. Quare æquū est ut *Assumptionē* saltē Dominæ nostræ, tanquā obitûs ejus diem, solēnē ageretis. Quamvis enim ejus assumptū corpus esse non credatis, nō tamen, opinor, illam mortuam esse, ejúsq; animam in cœlo triumphare negabitis. Sed neq; istud profectò, neq; ullū aliud ex iis festis quæ ejus propria sunt, celebratis. Nam illi quidem *Purificationis* ejus *Annunciationisq; dies*, Dominæ nostrę nequaquam proprii sunt & peculiares: sed alter conceptionis Christi est, alter is quo in templo sistebatur. Illa igitur hac ratione ornabitur nullius prorsus festi solennitate.

RAINOLDUS. *Nullius prorsus festi solennitate?* Quàm insulsum hoc est [r] Rhemensium vestrorum delirium? Perinde scilicet, atq; si beata Virgo esset * Dianæ similis, Sanctíq; Christi Diis gentium: quorum unicuiq; suum festum esse oportet, & verò siquorum oblitus fueris, eósve præterieris, illorum hinc planè læsus honos est. Verùm ex ista sententia reformatas absolvis Ecclesias: cùm ceteras, tùm nostras. Ceteras, quòd existimes *Sanctorum festa ad honorem ipsorum esse instituta*: quæ depravata opinio, quæque ex ea nascitur superstitio, satis esse causæ potuit cur abolerentur. Nostras, quòd affirmes *Annunciationem & Purificationem, Dominæ nostræ* (ut appellas,) *propriás non esse*, *sed Christi*. Quibus

[l] Antonin. in summa par. 4 tit. 15. cap. 44. Chassanæus in Catalogo glorię mundi, part. 3. consid. 4.
* *Vita, dulcedo, spes nostra salve.*
* *Omnibus es omnia.*
[m] Lev. 23. 2 4. Nehem. 8. v. 2. 6. 8. & 18. Act. 20. 7. 1. Cor. 16. 2. Apoc. 1. 10.
[n] Joh. 4. 23.
[o] 2. Sam. 6. 20
[p] Conf. Helv. c. 24. cui subscripserunt Ecclesiæ Sabaudicæ, Polonicæ, Hungaricæ, Scoticæ, Gallicæ, & Belgicæ. In Harmonia confessionum fidei.
[q] In observation. suis in Harmoniam confessionū. Section 16. ad Bohemicā observat. 1.
[r] In Annot. in Act. 1. 14.
* Ovi. Met. l. 8. *Superos pervenit ad omnes Ambitiosus honos. Solas sine thure relictas Præteritas cessasse ferunt Latoidos aras. Tangit & ira Deos.*

verbis agnoſcis, *feſtos illos Sanctorum dies*, qui à nobis agitantur, Chriſti, non illorum, honori eſſe conſecratos. Quemadmodum enim *Annunciatio beatæ Virginis*[f] Chriſti *concepti* propria eſt, ejuſq; [t] *Purificatio* Chriſti quoq; propria, qui tum *in templo ſiſtebatur*: ita Petri dies [u] Chriſti *profeſſi* propria, Pauli dies [x] Chriſti propria *prædicati*, Johannis dies [y] Chriſti propria *ſcripto Evangelio promulgati*. Atque hoc quod de ipſis dicitur, non minùs liquidò conſtat, quàm illud alterum de *beata Virgine*, ex [z] precibus quas habemus, & Scripturæ partibus quas illis diebus lectitamus. Quamvis igitur harum geſtarum ab Apoſtolis rerum memoriam, illis diebus celebramus, quibus ipſi mortem obierunt, fortaſſe, (nam neque vobis illud certò conſtat, etſi dies iſtos in mortis illorum memoriam celebratis:) non tamen hoc, ratione aliquâ ipſorum habitâ facimus, quaſi hinc aſſumptionem illorum honore proſequamur; ſed iis rebus inducti facimus, quas per illos Chriſtus viventes geſſit. Et ſanè eodem argumento liceat vobis efficere, nos nullum *diem Sanctorum* ulli *feſtum* habere; quo colligitis *Annunciationem & Purificationem Virginis*, nequaquam ejus proprias eſſe. Quod re quidem ipſâ dicitis, non quòd idem cogitetis, aut certè aliquid cauſæ cur id cogitetis habeatis: ſed ut in nos odium ſtruatis, imponentes aliis, nobis deſpectui eſſe *beatam Virginem*. Nam & vos ipſi hæc habetis appellatiſque [a] *Mariæ feſta*, perinde ut ex ceteris illis ullum, quæ ejus nomini inſcribuntur: & plebs ipſa, quum *Annunciationis* diem, *Dominæ diem* (ſecundùm veſtram depravatam conſuetudinem) nuncupent, non minùs proprium hunc illi eſſe putat, quàm Petro ſuam: & [b] reformatæ Eccleſiæ, quæ reprehendunt *feſta Sanctorum*, in illis iſta reprehenderunt, quum tamen feſta Chriſto conſecrata, *Nativitatem*, *Circumciſionem*, *Paſſionem*, *Reſurrectionémque*, *Aſcenſionem*, *miſſionémque Spiritûs ſancti* amplexentur.

[f] Luc. 1. 31.
[t] Luc. 2. 22.
[u] Mat. 16. 16.
[x] Act. 9. 20.
[y] Ioh. 21. 24.

[z] Ex Collectis Epiſtolis & Evangeliis (ut vocatur,) quæ in Liturgia Anglicana habentur.

[a] *Feſta Sanctæ Mariæ: Purificationis, Annunciationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Nativitatis, Conceptionis: & S. Mariæ ad Nives.* Miſſale Romanum in ordinatio Miſſæ.

[b] Confeſſio Helvetica cap. 24. Sect. 16, in Harm. confeſſ. fid.

HARTUS. Atqui ſi illud reformatis veſtris Eccleſiis periculoſum videatur, ullum *beatæ Virginis feſtum* agere: quorſum vos ex illis duo, ac non etiam cetera, ut nos, in Eccleſia veſtra retinetis?

RAINOLDUS. Rationem hujus ediſcas licet ex Portiforio veſtro, recèns à Pontifice reformato. In vetere [c] Portiforio hæc oratiuncula ad Pontificis martyrem, *S. Thomam Cantuarienſem* ſcripta fuit:

Chriſte Jeſu,
per Thomæ vulnera,
Quæ nos ligant
Relaxa ſcelera.

[c] *Portiforium ſeu breviariũ, ad uſum Eccleſiæ Sarum: in feſto S. Thomæ Cantuarienſis.*

Aut verò, ſi meliorem rithmum malis, cum non meliori ratione:

Tu per Thomæ ſanguinem
Quem pro te impendit,
Fac nos Chriſte ſcandere
Quò Thomas aſcendit.

HARTUS. Iſta vulgaris veſtra objectio eſt adverſus *noſtras ad Sanctos orationes: ſed quæ ſutorem, non Theologum deceat objectio*, ut Juello [d] Hardingus ſignificavit. Hac enim in oratione, Chriſtus, ut unicus ſalutis mediator adhibetur: D. Thomas interceſſionis apud Chriſtum mediator?

[d] In detect. li. 5. c. 10.

RAINOLDUS. Obſecro, Harte, verba bona. Tuum, de *interceſſionis & ſalutis mediatoribus* cataplaſma anguſtius eſt, quàm ut huic ulceri inſerviat. Facit commotiuncula tua, ut illud non diſpicias.

HARTUS. Haud quaquam eſt anguſtius. Nam quod *Sanctis* aſcribimus *me*-

diatoris officium, id ita longè superatur à Christi divino illo & singulari, ut ubi istos compellemus, *Orate pro nobis*, non eo illum modo affari soleamus, non adeò illum dejicimus opinione nostra, sed obtestamur illum, *nostri velit misereri*. Quarè, illum *unicum salutis mediatorem*, & *intercessionis*, istos constituimus.

RAINOLDUS. Etiam angustius adhuc est cataplasma, quàm ut commodet ulceri, cui illud adhibes. *Sanguis* enim *Thomæ* & *vulnera* memorantur, in precibus illis de quibus ego verba feci. Quamvis autem non accipias *intercessionem* generatim, quomodo accipit [e] Scriptura, quæ propriam illā adjudicat [f] *uni mediatori Dei & hominum, homini Christo Jesu*: tamen ita, spero, illam *per sanguinem & vulnera intercessionem* interpretaris, ut quæ illius propria sit, qui se pretium pro nobis dedit, & [g] *pretioso suo sanguine nos redemit*. Verùm, ut potuerit esse *Thomas* hoc præcellente modo *intercessionis mediator*: non potest tamen istud Portiforio vestro mederi. Nā Portiforiū illum *salutis planè mediatorem* prædicat: non qui pro nobis oret solùm, sed qui nostri quoque misereatur.

e Heb. 7. 25.
f 1. Tim. 2. 5.
g 1. Pet. 1. 18.

Opem nobis
O Thoma porrige:
Rege stantes,
Jacentes erige:
Mores, actus,
Et vitam corrige:
Et in pacis
Nos viam dirige.
Salve Thoma,
Virga justitiæ,
Mundi jubar,
Robur ecclesiæ,
Plebis amor,
Cleri deliciæ:
Salve gregis
Tutor egregie,
Salva tua
Gaudentes gloriæ.

Ista verò oratio, quæ honorem Dei creaturę defert, in [h] reformato vestro Breviario non apparet: [i] ubi tamen quædam oratiuncula exstat, quæ non minorem honorem alii creaturæ, ligneæ scilicet cruci, impertit.

h Breviarium Romā. ex decret. sacrosanct. Concil. Trid. restitut. & edit. à Pio Quinto.
i Sabbato in hebdomada quarta Quadragesimæ.

O Crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore,
Auge piis justitiam,
Reisq; dona veniam.

Quando igitur reformata nostra Ecclesia impium esse censuit ullas ejusmodi preces offerre creaturis: quid vos istam, ad *crucem*; ac non illam pariter, ad *D. Thomam* retinetis?

HARTUS. Utrùm illa ad *D. Thomam Cantuariensem* oratio, in Romano Breviario, antequam ab ipsis reformatum sit, exstiterit: nihil certi habeo; fortassis non exstitit; etsi in nostro ad usum Ecclesiæ Sarum comparuerit.

RAINOLDUS. Verisimillimum quidem est in Romano etiam exstitisse: quum ille Romani Papatûs martyr obierit. Utcunq; fuerit: alia illic reperta sunt *incerta aliaq;*, quæ reformatores omiserunt, ut [k] Pontifex confitetur. Qui etiam [l] confitetur

k Pius Quintus Præf. Breviar. Rom. reformat.
l Præfat. offic. Beat. Mar. Virg. nuper reformat.

fitetur *omnia ferè Breviaria, Latina etiam, vanis superstitionū erroribus fuisse referta, priusquam ab ipso reformata sint.* Quum igitur alia *superstitiosa & aliena* omiseritis in reformatis vestris Officiis: cur istam ad *crucem* orationem retinuistis, quæ cum ceteris poterat rejici?

Hartus. Altera, tanquam minimè idonea, jure sublata sunt. Hæc autem non ejusmodi est. Quid enim est, cur displiceret vobis facta ad *crucē* oratio, de qua [m] Paulus ait; *A me verò absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi?*

Rainoldus. Hoc est, *in Christo crucifixo*, ut à Paulo intelligitur: non in (1) *ligno*, (2) *patibulo*, (3) *arbore*, (4) cui vos vota facitis. Absit enim ut nos *in quoquam gloriemur, nisi* [n] *in Domino*: quem redemisse nos mortem crucis subeundo, quoniam offendiculum erat Judæis; [o] *crucem offendiculum* fuisse ait Paulus, * tropico quodam loquendi modo, quum intelligat quidem (sicut ipse id explicat) [p] *Christum crucifixum*. Atq; ita Christi sanguinem, [q] *crucis sanguinem* appellat; & Evangelii prædicationem, [r] *prædicationem crucis*; & inde ortam persequutionem, [s] *persequutionem crucis*: & adversus illos qui in circumcisione gloriabantur & Lege, ait *se non gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*. Verùm, ut ad id veniā quod à me quæritur, si vestrates, qui vestra Officia & Breviaria correxerunt, existimârint licere sibi ex illis quas nos improbamus, orationibus, alias expungere, alias retinere: quid si ex *festis* illis, quæ aliis displicent, illi qui ceremonias nostras correxerunt, *Annunciationem* & *Purificationem Virginis* retinuerint, etsi *Conceptionem* quidem, *Nativitatem*, & *Assumptionem* antiquârint? Quum præsertim, in iis, quæ retinuerunt, Christi *concepti* & *in templo exhibiti* honorem respexerint, quod ipsi agnoscitis: in iis verò, quæ antiquârunt, superstitiosum removerint creaturæ cultum, quod res ipsa testatur. Nam & putabantur illa quidem *festa* fuisse Divæ honori consecrata, uti revera fuerunt: neque quicquam de iis in Scripturis exstat, ut in aliquo possent institui homines, cujus in istis memoria celebrabatur: & vitiosas de *Virgine* opiniones, cum honoris Christi diminutione, confirmant. Vos enim [t] per ista *Nativitatis* ejus & *Conceptionis* festa intelligitis, illam *neq; natam nec conceptam fuisse in peccato*. Quod si ita se haberet: ergo neq; Christi indigebat, [u] Servatoris, *qui ad servandos peccatores venit*: & porrò prærogativa Christi, [y] *segregatum esse à peccatoribus, Virgini* foret cum Christo communis. Quod tam absurdū est contrariúmq; Scripturis, (quæ commonstrant [z] *omnes peccasse*, & [a] *naturâ filios iræ esse*,) ut non [b] Patres modò, sed & principes [c] Scholæ vestræ Thologi, [d] Canonésq; etiā contradicant. Quin *Conceptionis* ejus festum, quum jam irrepturum esset, eo nomine est [e] reprehensum: & ipsa [f] Canonici juris vestri glossa varias damnavit regiones & verò nominatim *Angliam*, quòd illud observarent. Ceterùm *Conceptio* & *Nativitas beatæ Virginis*, vix illum cum Christo æquant: *Assumptionis* festo paulo altiùs evehitur. Quando enim *Christus* susceptus est in cœlū: [g] *educebantur paulùm Apostoli* pedibus egressi, quo illud conspicerent & testarentur. Verùm ad *Virginis assumptionem, non sine miraculo in nubibus, tanquam in curribus, ab omnibus terrarum orbis finibus, per quos dispersi sunt, reducebantur*. Hoc est quod appellâram, iterúmq; appello, *fabulam*, aut si velis, *mendacium*, ut [h] Beda: etiamsi id Rhemenses vestri Theologi pro vera historia asseverent.

[m] Gal. 6. 14.
(1) *Regnavit à ligno Deus.*
(2) *Suspensus est patibulo.*
(3) *Arbor decora & fulgida, Ornata regis purpura, Electa digno stipite, Tam Sancta mēbra tangere:*
(4) *Beata, cujus brachiis Secli pependit pretium, Statêra facta corporis, Prædámq; tulit Tartari,*
O Crux, ave spes unica, & quę sequūtur.
[n] 1. Cor. 1. 31.
[o] Gal. 5. 11. τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ.
* Μετωνυμία.
[p] 1. Cor. 1. 23. Χριστὸν ἐσταυρωμένον σκάνδαλον.
[q] Col. 1. 20.
[r] 1. Cor. 1. 18.
[s] Gal. 6. 12.
[t] Tho. Aquin. summ. Theol. part. 3. quæst. 27, art. 1. Sixtus Papa quartus c. cū præexcelsa. Extravag. de reliquiis & veneratione Sanctorum.
[u] Luc. 1. 47.
[x] 1. Tim. 1. 15.
[y] Hebr. 7. 26.
[z] Rom. 5. 12.
[a] Eph. 2. 3.
[b] Ambr. lib. 2. comment in Luc. c. 2. & in Psalm. 118. serm. 6. August in Psalm. 34. concion. 2. & contr. Julian. l. 5. c. 15. & De perfect. iustit. c. 21. Leo de nativitat. Dom. Serm. 1. & 2. Fulgent. de fide ad Petrum, c. 26. Damascen. de orthodox. fid. lib. 3. c. 2. Beda lib. 1. in Luc. c. 1. Anselm cur Deus homo. l. 2. c. 16. Bernard. ad Canon. Lugd. epist. 174. [c] Thō. Aquin. part. 3. q. 27. ac. 2. Bonaven. in 3. Senten. dist. 3. ar. 1. q. 2. Anton. Summ. par. 1. tit. 8. c. 2. [d] De consecr. dist. 4. c. Firmissimè. [e] Bernard ad Can. Lugd. epist. 174. Beleth. in explicat. divin. offic. 146. Durand. in Rational. lib. 7. cap. 7. [f] De consecrat. dist. 3. cap. pronunciandum. [g] Luc. 24. 30. Act. 1, 12. [h] Retract. in Act. Apost. c. 8.

HARTVS. Vera sanè est historia, ut à Rhemensibus nostris Theologis asseveratur: quanquam, ut eam ille cōmemorat, quem venerabilis Beda reprehendit, mēdacium fuerit. Siquidem [i] ille commemorabat factum hoc *secundo post ascensionem* Christi *anno*, quo Beda fieri non potuisse probat: At Theologi nostri ad *quintum decimum* pòst annum referunt. Communem enim amplectuntur sententiam, illam *tres supra sexaginta annos* vixisse. Jam verò, [k] *Christum quinto decimo ætatis suæ anno peperit*. Quare *assumptio* ejus erat annos quadraginta & octo post natum Christū. Atq; hoc Eusebio consonat, qui quosdam ait scribere, *ipsis revelatum fuisse eā quadragesimo octavo Christi anno fuisse assumptam*: quod post quindecim annorum intervallum à Domini ascensione contigit.

RAINOLDVS. Ergo mentiri illos concedis, qui id *secundo pòst anno* fuisse affirmant.

HARTVS. Concedo. Non enim potest illa circumstantia cum Scripturis constare: ut venerabilis Beda confirmat.

RAINOLDVS. Mentiebatur igitur [m] sancta quædam monacha, aut Angelus, [n] aut Dæmon, qui Virginis speciem simulans comparuit, & ipsi fabulam istam comminiscebatur.

HARTVS. Quid si errârint nonnulli in temporis circumstantia? Est nihilominus vera *assumptionis* ejus historia, quemadmodum à * Rhemensibus nostris Theologis commemoratur. Nā in obitu ejus, (ut [o] Dionysius primùm, & post illū [p] Damascenus scribit,) omnes Apostoli, tum toto orbe divisi ad prædicandum Evangeliū, miraculosum in modū cōducebātur (præter D. Thomā, qui triduū pòst venerat) Jerosolymā, ad divinā ejus celebrādā discessionē & funus, ut idē Dionysius scriptis tradidit. Qui asserit insuper se, S. Timotheū, & S. Hierotheū, præsentes affuisse: testatur præterea, ipso audiente, tùm ante obitū ejus, tū postea per triduū, nō Apostolos modò aliósq; sanctos homines adstantes, sed Angelos etiā cœliq; virtutes suavissimos hymnos cecinisse. Sacrū ejus corpus Gethsemani sepeliverunt. Verùm, S. Thomæ causā, qui illud videre & venerari avebat, sepulchrū tertio die recluserūt: quod quū cōperissent derelictū à sacro corpore, sed omni quidē cū suavitate redolens, redierunt, certò autumātes fuisse in cœlū corpus ejus assumptū. Quod Ecclesia Dei amplectitur, tanquam singulari matris Dei privilegio maximè consentaneū: ideóq; valde solenni more ejus *assumptionis* diem celebrat. Atq; non hoc solùm eidem Dionysio, Damascenóq; consonat, sed [q] Athanasio etiam, qui id ipsum affirmat. De qua etiam corporis ejus assumptione, quinq; conscripsit S. Bernardus Sermones illustres, qui in operibus ejus exstant.

RAINOLDVS. Verùm in universis illis S. Bernardi quinq; Sermonibus, ne unū quidē verbū de vestra miraculosa fabula habetur. Tantūdem, in Athanasio: præterea, Sermo ille, quē tu ac si ejus esset, citas, in [r] vestrâ editione, ut suppostitius rejicitur. Plura vero apud Damascenum: non tantum tamen, quātum istic [s] Breviariū vestrum complectitur: verùm ille * recentior infirmiórq; testis est, quàm ut rem dubiam probet, quæ annis fere ante ipsum quingentis facta venditatur. Optimum verò, seu potiùs unicum, quod vobis suppetit testimonium, Dionysius est: quem insigniter ementimini. Ubi enim hoc ille asserit, quod vos ei affingitis?

HARTVS. Ubi? In * quadam ad Timotheum epistola.

RAINOLDVS. Nulla est hujusmodi ab illo conscripta epistola. Breviariū suū Rhemenses vestri perperā intelligebāt, unde hoc sunt mutuati. Hîc enim edocti de hoc scripsisse Dionysium ad Timotheum, illi in quadam *epistola* ad Timotheum fuisse crediderunt. Est vero is, quem volebant locus, in [t] quodam *libello*, qui

---

[i] Melito, de transitu, S. Mariæ.
[k] Nicephor. hist. Eccle. l. 2. cap. 3.
[l] In Chronic.
[m] *Beata Elisabet.* Anton hist. part. 1. tit. 6. cap. 3.
[n] Vincent. speculi hist. l. 1. cap. 80.
* Rhem. Annot. in Act. 1. 14.
[o] Dionys. ep. ad Timotheū.
[p] De dormitione Deiparæ.
[q] Serm. in Evang. de Deipara.
[r] In edit. Petri Nannij Lovan. præf. ad Episcopum Arebat.
[s] Breviar. Romanum in festis Aug. quarto die infra octavam assumpt. Beatæ Mariæ.
* Circiter annum Christi, 740.
* Dionys. ep. ad Timotheū.
[t] Dionys. ad Timotheum de divinis nomin. cap. 3.

qui inscribitur *De divinis nominibus*: qui à Dionysio scribi fingitur ad Timotheũ.

HARTVS. In *libello*, sive in *epistola*; grave quidem certè crimen, quare ipsos mendacii argueres.

RAINOLDVS. Ego quidem non eâ re ipsos arguo. Neq; vellem certè hujus meminisse, nisi ut tibi locum monstrarem ubi mentiuntur. Nam *Dionysium hæc & illa scribere* asserunt: quum neq; autor is qui scribit, Dionysius sit; neque scribat *illa*, quæ ab ipsis proferuntur. Ad *illa* enim quod attinet, primùm, nihil aliud loquitur, quàm *inter Episcopos Spiritu sancto afflatos, Hierotheum reliquis omnibus (extra Apostolos) antecelluisse in prædicanda Christi bonitate, quum ipse, & Timotheus, multiq; ex sanctis ipsorum fratribus, * ad intuendum corpus illud quod in se recepit Deum, & in quo vitæ Princeps fuit, convenirent*. De miraculo verò *Apostolorum in unum locum conductorum*, de *Thoma tertio post die veniente, Angelis per triduum hymnos canentibus*, de *corporis Virginis sepultura*, de *Thomæ illud videndi desiderio, ejusq; in gratiam recluso sepulchro, & corpore in cœlum assumpto*: non unum quidem de istis cõmentis verbum, non unum facit. Immo potiùs quod cum istis pugnat, loquitur. Nominatim enim significat *Jacobum quoq; adfuisse fratrem Domini*, & *Petrum coryphæum & antiquissimum Theologorum verticem*. Quod ipsum de duobus Apostolis ita significare voluisse non est verisimile, si universi adfuissent. Illud multo minùs verisimile, de tanto miraculo nihil ipsum dicturum fuisse, si ullum ejusmodi contigisset.

HARTVS. In alia fortassis aliqua operum Dionysii parte scribitur.

RAINOLDVS. In nulla prorsus eorum, quæ Dionysii nomine insigniuntur.

HARTVS. Non eorum quæ nunc exstant. Verùm multo plura scripserat, ut [u] Nicephorus ostendit: & [x] Damascenus hujus ad *Timotheum epistolæ* cõmeminit.

RAIN. Quinimmo, cujus Damascenus cõmeminit [y] libellus is est quem dixi: unde omnia quæ citat, ad verbum depromuntur. Etiam [z] Nicephorus idem affert (* caput ipsum designans) tanquam unicum illum locum, in quo *assumptio beatæ virginis* per Dionysium confirmatur. Quo demiror magis dicere Rhemenses vestros, *Dionysium scribere testariq; omnes Apostolos miraculosum in modum conductos fuisse, ad divinam ejus discessionem celebrandam*; etiam *testari, ipso audiente, tùm ante obitum ejus, tùm postea, per triduum, Angelos suavissimos hymnos cecinisse*: nisi animus ipsis esset * mentiendo cotem reportare. Sed hactenus de *illis* quæ scripta sunt. Alterum, de *autore*, non tam in vitio est, in vitio tamen. Hoc enim cupiunt persuasum hominibus, eum qui istud edidit opus *De divinis nominibus*, aliaq; *De cœlesti & Ecclesiastica hierarchia*, (ut appellat) [a] celeberrimum illum fuisse *Dionysium* [b] Pauli discipulum: quum planè adumbratus fuerit, qui illius *Dionysii* nomen sibi ascivit.

HART. Fuit sanè celeberrimus ille *Dionysius*, [c] qui ista nobilia & divina opera, aliaq; exaravit: quibus confirmat & evidenter evincit omnia propemodum, quibus nunc Ecclesia in administratione sanctorum Sacramentorum utitur; & affirmat ab Apostolis ea se accepisse: impertit quoq; Catholicæ fidei testimonium in plerisq; rebus quæ hodie veniunt in controversiam, ita perspicuè, ut vestrates nullum reperiant præterea diverticulum, quàm ut negent illum *Dionysium* autorem horum fuisse, alterius scilicet recentioris hæc esse comminiscentes. Quæ hæreticorum est antiqua machina: sed vobis maximè præ reliquis omnibus peculiaris. Quiquum omnem contra vos stare antiquitatem intelligatis, cogimini hac in parte, aliis audaciores, vel potiùs impudentiores esse.

* ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος συνεληλύθαμεν.

[u] Hist. Eccles. l. 2. c. 20.
[x] De dormition. Deiparæ.
[y] De divinis nominibus ad Timotheum.
[z] Hist. Eccles. lib. 2. c. 22.
* In tertio capite ad Timotheum.
* Proverbium Anglicanum, quo aliquem insigniter mẽdacem innuunt.
[a] Dionysius Areopagita.
[b] Act. 17. 34.
[c] Vt Rhemenses affirmãt in Annot. suis in Act. 17. 34.

RAINOLDVS. Istos vestri Seminarii flores, nos *hereticos esse, audaces, impudẽtes; omnem contra nos stare antiquitatem*: facere missos possis, sunt enim obsoleti; felle tincti sunt & lixinio. Illum ais, *evidenter evincere omnia propemodum, quibus nunc Ecclesia in administratione sanctorum Sacramentorum utitur.* Si per *Ecclesiam*, non nostram intelligas Ecclesiam, sed vestram: illud [*propemodum*] benigniùs interpretandum est; alioquin, non tu propemodũ, sed supra modum veritatis limites transgrederis. Nam etsi is plura complectatur, quàm quæ vel habuerit Apostolorum Ecclesia, vel nostra probet: tamen neq; quæ vos habetis omnia, & multa quæ non habetis, & quædam vestris prorsus contraria complectitur. Quemadmodum, verbi causâ, in Dominicæ cœnæ Sacramento, in quo maximè nobis estis adversarii: [d] ille neq; scenicos vestros gestus nugásq; habet, nec invocationem Divorum, nec adorationem creaturarum, nec immolationem Christi Deo exhibitã, nec fusas pro animabus sepultis in Purgatorio preces, nec solitariam Sacerdotis participationem, nec illam sub una specie cœnæ administratiōnẽ iis oblatam qui participant, nec exhortationes, lectiones, orationésq; linguâ habitas ignotâ & peregrinâ. Quare in substantiæ rebus, non ceremoniæ modò, tam à vestra longè abest blasphemâ Missâ, quàm ad nostram propè accedit Cõmunionem. Verùm *quæ habet ille, ea se ab Apostolis accepisse*, ais ipsum *affirmare*. Fateor quidem affirmare: utì decebat ipsum [e] qui volebat haberi ille *Dionysius*, qui à D. Paulo ad Christi fidem est conversus. Verùm, quod usu solet venire supposititiis, sui ipse alicubi oblitus est, atq; ita fraudem prodidit. Nam, [f] ubi de infantibus sermo est, quamobrem baptizentur: *de hoc*, inquit, *dicimus, quæ divini nostri magistri*, (1) *antiqua edocti traditione, nobis attulerunt.* Quibus verbis, homo inconsultò prodidit non ab Apostolis ea se accepisse. Apostolos enim Christus ipse de baptismate instituit: non ab antiqua illud *traditione* hauserunt.

[d] Dionys. hierar. Ecclesiast. cap.3.

[e] De divin. nomin. cap.2. & 3.
[f] Eccl. hierar. cap.7.
(1) πρὸς τῆς ἀρχαίας μυηθέντες παραδόσεως.

HARTVS. Ista infirma est conjectura, quare is supposititius censeretur. Nam Apostolorum traditionem poterat *antiquam traditionem* appellare: etiamsi aliquot tantùm annis, aut mensibus ante ipsum exstiterit.

RAINOLDVS. Ægrè hoc quidem: si illorum æqualis vixerit. Verùm ut poterat; non potuit tamen dicere Apostolos edoctos fuisse *antiquâ Apostolorum traditione*. Credo magistros ejus homines adolescentiores fuisse.

HARTVS. Nos nostræ fallere possunt conjecturæ: non ejusmodi in rebus nos inniti illis oportet. Patres illum germanum *Dionysium* opinantur. Nam [g] Gregorius Nazianzenus, [h] Origenes, [i] Sophronius, [k] Agatho, Damascenus, [m] Euthymius, aliíq; illum *Dionysium Areopagitam* nominant, si quando ejus aliquid proferunt.

RAINOLDVS. Gregorius quidem Nazianzenus autorem (2) quendam cõmendat, quem non omnino nominat. *Dionysium* ipsum intelligere, est [n] unius tãtùm hominis conjectura. [o] Alius verò asserit eum (quod est * verisimilius) intelligere Athanasium. Origenes certè antiquus est: si *Dionysium* is citasset, centũ aut ducentis annis foret antiquior *Dionysius*, quam ille mihi de facie videatur. Verùm illud Origenis opus, ubi ipsum citatum offendis, Origenis esse non potest. In eo enim Manichæorum, & Arianorum fit mentio: quorum hæreticorum nomina diu post defunctum Origenem nascebantur. Quare quum iste Origenes producatur ad illum liberandum *Dionysium*: fur ad furem liberandum producitur. Ceteri, quos affers, Sophronius, Agatho, Damascenus, & Euthymius, recentiores sunt, & qui facilè credere possent ipsum *Dionysium* esse, qui se ita appellavit. Complures honesti homines [p] *Perkinum Warbeckum* arbitrati sunt Richardum fuisse, Eboracensem

[g] Orat. in Nativitat. Christi.
[h] Homil. 2. inter homil in varios locos novi Testam.
[i] Ad Sergium Patriarch. Cõstantinop.
[k] Ad Constantin. Heracl. & Tiber. August.
[l] De orthod. fid lib. 1. c. 12. & lib. 2. cap. 18.
[m] In Panoplia part. 1. tit. 2.
(2) ἄλλῳ τινί.
[n] Budæ. in cõmentar. linguæ Græc.
[o] Nicet. comment. in Greg. Nazianzen.
* Gregor. Nazian. orat. in laudem Athan.
[p] Polyd. Virg. hist. ang. l. 26.

censem Ducem, Edovardi quarti filium, quem se ipse esse venditabat, quanquam re quidem ipsâ esset suppofititius.

HARTVS. Si licebit tibi autorem aliquem tanquam suppofititium rejicere, tantum contra consensum scriptorum: quivis planè Patrum tanquam de fæce homulus rejiciatur.

RAINOLDVS. Si licebit tibi aliquem suppofititium pro legitimo recipere, quòd multorum de illo melior sit opinio: quivis planè Perkinus Warbeckus pro Eboracense Duce recipiatur.

HARTVS. Immo, certum erat argumentum, illum Ducem esse non potuisse. Dux enim unà cum Principe fratre suo, in arce Londinensi à Richardo regnum per tyrannidem occupante interemptus est, decennium ante auditum *Perkini* nomen.

RAINOLDVS. Certiora verò sunt argumenta, illum cujus tu causam agis, esse non posse *Dionysium Areopagitam.*

HARTVS. Quænam? Qualia [q] Erasmus, [q] Vallaq; proferunt, *Hieronymum* scilicet, *& alios illum non nominare?*

RAINOLDVS. Illud, utcunq; à te minoris putetur, Cardinalem [q] Caietanum commôvit, quo magis de homine dubitaret. Verùm, quod ego cogitâram argumentum, ejusmodi est, quale tuum adversus *Perkinum*: videlicet è vivis discessisse *Dionysium Areopagitam*, multos annos antequam scribi potuerint opera illa, quæ nomine ejus honestantur. Nam [r] in illis sententia quædam Ignatii commemoratur, ex epistola quadam quam scripserat (*ad Romanos*,) quum jam ad martyrium obeundum profectus erat, [s] Trajano imperante. Jam *Dionysius* [t] Domitiani têporibus, aliquot antè annis, mortuus est. Et verò [u] quum illam Ignatius scribebat, Onesimus Episcopus fuit Ephesinus, qui Timotheo successit. Quam [x] adumbratus vester *Dionysius* commemorat *Timotheo Ephesino Episcopo*, vel post defunctû ipsum, vel ante illam scriptam. Præterea, *Dionysii* temporibus Christiani convenerunt ad preces fundendas, cùm iis in locis, tùm verò simplicitate eâ [y] prout Apostoli convenerunt, & persequutionum tempora ferebant. Verùm, quum scribebat adumbratus vester, templa illis erant celebria, Judæorum templo similia: & [z] *adytum* sanctificatione tanta ab omni reliquo templo separatû, ut *nefas esset monachis*, nedum aliis de populo, *eò ingredi*. Rursus, illo scribente, [a] jam nata fuerat monachorum familia, istiq; alicujus autoritatis erant in Ecclesiis, multæq; ad ipsos consecrandos adhibitæ ceremoniæ. De quibus, Apostolorum temporibus, quum florebat *Dionysius*, nihil auditum est: quantum quidem ex vetustatis monumentis ullâ ex parte potest colligi.

HARTVS. Quid? non de *monachis*? Philo de illis mentionem facit, ut ostêdit [b] Eusebius. Et quidem florebat [c] Philo imperante Caio, in ipsis primordiis Apostolorum.

RAINOLDVS. Quod à Philone scribitur, non de Christianis *monachis*, sed de Judaicis *Essenis* scribitur: quod [d] ipse quidem demonstrat. Errabat Eusebius. Quòd si hîc me teneri à te arbitreris, quòd repudiem Eusebium: perinde à me tu teneberis, nisi illum voles repudiare quê pluris æstimas, ipsum Thomam Aquinatem. [e] Ille enim de ijsdem ipsis temporibus de quibus scripsit Philo, dicit, *non tum fuisse aliquos religiosos determinatos*. Sed, ut illa mittam argumenta, quæ res alias attingunt, aut hominum nituntur conjecturis, aut contra quæ specie exceptionis aliqua armeris: illum ego suppofititium esse ea ipsa in re, pro quâ illum objecisti, præstabo; idq; per demonstrationem à sacris codicibus arcessitam; idq; ipsorum

[q] Annot. in c. 17. Act. apost.

[r] De divin. nomin. cap. 4.

[s] Euseb. in Chronico.

[t] Methodius in martyrio Dionys. Areop.

[u] Ignat. ep. ad Ephesios.

[x] Dionys. Areopag. Episcopus Athenarû, ad Timotheû Episcopum Ephes.

[y] Act. 1. 13. & 12. 12. & 20. 8.

[z] ἅγια ἁγίων ἄδυτα. Dionys. epist. ad Demophilû

[a] Dionys. Ecclesiast. hierar. c. 6.

[b] Hist. Eccles. lib. 2. c. 17.

[c] Eusebius in Chronico.

[d] Ἐσσαίων πέρι, Quòd quisq; probus, liber. ... De vita contêplat. &, Quòd quisq; probus, liber.

[e] Tho. Aquin. quodlib. 7. art. 17. resp. ad 4. argumentum.

Rhemensium confessione. Tu illum tanquam testem *beatæ Virginis assumptionis* objecisti. Narrat ipse *Timotheum eum pariter comitatum esse, & multos ex sanctis ipsorum fratribus, ad corpus Virginis contuendum.* Testantur Scripturæ [f] Paulum cõversum esse ad Christum, post Christi ascensionem. Post conversionem [g] tres annos Damasci & in Arabia constitit, antequam [h] Jerosolymam proficisceretur. Illinc [i] in Syriæ & Ciliciæ fines, [k] vicinásq; regiones concessit. Deinde [l] interjectis annis quatuordecim rursum ascendit Jerosolymam, unà cum Barnaba, [m] ad Concilium. A Concilio [n] pervênit Derben, & Lystram: ubi Timotheum assumpsit. Et peragratis jam Phrygia, Galatia, Mysia, Macedonia, postremò Athenas contendit: ubi [o] *Dionysium* Areopagitam convertit. Quare *septendecim*, aut *octodecim*, ut minimùm, fuerunt anni ab ascensione Christi, antequam *Dionysius* Christum agnoscebat. Jam verò, *decimo quinto* ascensionis Christi anno, *beata Virgo* diem suũ obiit, ut vestri Rhemenses asserunt: qui tamen longissimum vitæ ejus terminum accipiunt; [p] alii enim annales constituunt breviorem. Non potuit ergo unus ex sanctis fratribus esse D*ionysius*, qui convenerunt ut morti ejus funeriq; interessent. Atq; hoc totum confessum est, probatúmq; à Rhemensibus vestris: etsi id minimè ipsi cogitârint. Nam, in [q] illo suo rerum à Paulo gestarum indice ostendunt, *fuisse quinquagesimum primum annum Christi, quum ille Dionysium Areopagitam convertit*; & in sua [r] de Virgine fabula ratiocinantur, *illam quadragesimo octavo Christi anno assumptam esse.* Quamobrem magnam nobis facitis injuriam, qui dicitis, *nos ideo inficiari illa à* D*ionysio fuisse conscripta opera, quòd testimonium impertiat suum Catholicæ fidei in plerisq; rebus, quæ hodie veniunt in controversiam.* Nam, quod nos *inficiamur*, id veritatis causâ facimus, quoniam re quidem verâ ista non conscripsit. Verùm, ad *testimonium* ejus quod attinet, *quod Catholicæ fidei impertit*, utinam mihi liceret salvâ conscientiâ concedere ista ipsum scripsisse. Adeò apertus adversarius est plerisque vestris hæresibus: in primis verò Pontificis suprematui.

Hartus. Neq; hoc hæresis est, neq; huic ille adversarius est: immo apertè in hoc noster est. [s] Ait enim (sicut tu ex illo commemorasti) *Petrum esse coryphæum, & antiquissimum Apostolorum verticem.*

Rainoldus. Atqui ait insuper, [t] *Quoniam Scripturæ Petrum alloquuntur, Quodcunq; ligaveris in terris ligatum erit in cœlo, & quodcunq; solveris in terris solutum erit in cœlo:* [*] *idcirco illum, & (secundùm illum) quemq; Episcopum pios recipere, exheredare impios, sententiam declarando & administrando verbum Dei.* Hoc verò radicitus evellit Pontificis suprematum. Vestri enim [u] magistri eum stabiliunt ex illo *ligandi solvendiq; negotio, Petro commisso*: quasi ad Pontificem secundùm Petrum propriè pertineret. Contrà verò ait D*ionysius*, *omnibus Episcopis esse commune.* Unde cernas licet præterea, si titulus ille quem ascribit Petro, ejus suprematum argueret, tametsi [x] non arguere ostenderim, sed si argueret; tamen vulgarem illam rationem vestram, à Petri suprematu ad Pontificis, esse enervatam. Idem enim, qui *Petrum coryphæum Apostolorum* appellat, *Episcopos* tamen *pares* facit; neq; Romæ privilegium majus, quàm Antiochiæ, aut Jerosolymæ largitur. Sed ut concludam illud, quod nos ad istud Dionysianum provexit: vides Rhemensium tuorum de *assumptione beatæ Virginis fabulam*, Scripturis repugnare. Quam nihilominus illi, Patrum inducti autoritate, amplectuntur. Unde id mihi jure dubium esse poterat, utrùm in iis fidem Patribus esses habiturus, in quibus erroris à Scripturis convincuntur.

Hartus. Non possum quidem credere Scripturas huic adversari. Nam Ecclesia tuetur: Ecclesiam dico Catholicam Romanam.

[f] Act. 9. 5.
[g] Gal. 1. 18.
[h] Act. 9. 26.
[i] Gal. 1. 21.
[k] Act. 13. 4.
[l] Gal. 2. 1.
[m] Act. 15. 4.
[n] Act. 16. 1.
[o] Act. 17. 34.
[p] Marian. Scotus Chron. l. 2. Nicephorus hist. Eccl. l. 2. c. 3. ex Evodio.
[q] Qui Actis Apostolorum subjicitur.
[r] Annot. in Act. 1. 14.
[s] Dionys. de divin. nom. c. 3.
[t] Eccles. hier. cap. 7.
[*] ὡς ἐκεῖνον καὶ πάντας κατ' αὐτὸν ἱεράρχην
[u] Francis. Sansovin. de regnis & rebusp. l. 11. Sander. de visib. monar. Eccl. lib. 7.
[x] Cap. 5. sect. 3

RAINOLDUS. In eo quoq; Rhemenses vestri veritatis fines prætereunt. Quamvis enim *mendaces Græci* (ut à [y] Molano vestro vocantur) hoc [z] audacter valde asseverent: [a] Latini tamen scriptores *incertum* esse affirmant. Etiam ipsum Ecclesiæ Romanæ [b] Martyrologium asserit, *Ecclesiam mortis Mariæ memoriam festivam agere: ubi autem corpus ejus occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid frivolum & apocryphum tenendo docere*. Quo turpior est improbitas, primùm quidem, [c] Papistæ, qui *certum* ait *esse ipsam morte assumptam fuisse, non animam ejus modò, sed corpus etiam*: deinde, [d] ipsius Papæ, qui, novum suum edens Breviarium, ait *remota esse illa, quæ sunt incerta*: ubi tamen hoc retinetur, quod ipsi *incertum* esse nequeant diffiteri. At vincunt omnes, Rhemenses vestri. Qui, quasi non satis audax esset Breviarium in Damasceno commemorando, [e] cujus tamen fabulam non uno tantùm juvat mendacio: illi quod Breviarium ipsis suggerit, unà cum mendacio, arripiunt, & *Dionysio* ascribunt, quo majorem fidem assequatur.

HARTUS. Rhemenses nostri justam, scio, reddituri sunt rationem ejus, quod scripserunt, quum quid contrà dictum sit acceperint. Et quod tu ex sacris Scripturis de *tempore Dionysianæ conversionis* exposuisti, argumentum maximum quod adhuc adduxeras ad illam refutandam historiam, quæ *præsentiam ejus in Dominæ nostræ discessione* affirmat: illis relinquam oportet. Nam ego quidem certè quo pacto inter se conciliem ista nescio. Sed quorsum hoc premis de *lapsu Patrũ, sive in verbis is sit, sive in sensu, sive in consequentiis Scripturarum*? Nos prætervecti sumus Scripturas, & argumenta quæ inde Patres colligunt.

RAINOLDUS. Verùm si quid illi perperam colligere possint ex Scripturis, & sibi ipsis in verbo Dei imponere: in hominum quoq; verbo falli poterunt, & aut non rectè assequi, aut non meminisse rectè, aut non ex eo rectè concludere. Quod Hieronymo eàdem in re contigit, quam modo in Eusebio reprehenderam. [f] Ille enim Philonem Judæum in Christianis Ecclesiæ scriptoribus recensens, ait id se hac ratione adductum facere, *quia Philo librum de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in Christianorum laude versatus est: non solùm eos ibi, sed in multis quoq; provinciis esse memorans, & habitacula eorum dicens Monasteria. Ex quo apparet, talem primùm Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur, & Psalmis, doctrina quoq; & continentia: quales* [g] *& Lucas refert, primùm* Jerosolymæ *fuisse credentes. Et iste Philonis liber de vita nostrorum, id est, de Apostolicis viris, inscribitur* περὶ βίου θεωρητικοῦ ἱκετῶν, *quòd videlicet cœlestia contemplentur* (studeant, & meditentur) *& semper Deum orent*. Hactenus Hieronymus. Ubi, illa *contemplationis* & *orationis* studia, quum aliquanto similiora essent in iis de quibus scripsit Philo, & in Christiana Ecclesia, in causa fuisse cur illos malè confuderit, ut *similitudo* (quod aiunt) *mater est erroris*: non fuisse autem Christianos, de quibus in libro illo loquutus est Philo, quatuor circumstantiis, nominum, actionum, temporum, & locorum facilè constiterit. Illi enim, de quibus Philo scribit, *Esseni* sunt appellati: qui quædam secta fuerunt Judæorum, quorum (1) *alii in actione*, (2) *alii in contemplatione* vitã suam contriverunt. Nunquam Christiani agnoscebantur nomine *Essenorum*, sive contemplantium, sive agentium. Rursus, Philonis illi *bona sua & possessiones filiis, aut filiabus, aut propinquis, aut si deessent propinqui, amicis suis reliquerunt*. Christiani sua *pauperibus* dederunt, iisq; qui auxilii indigebant. Præterea solennis ille dies quo illi apud Philonem *publicè convenerunt ad verbum Dei audiendum, septimus fu-*

it heb-

Cap. 8. *Sect. 2.*

[y] Præfat. in censuram, D. Hessels de historiis Sanctorum.
[z] Simeon Metaphrastes, de vita & dormit. S. Mariæ. Nicephorus hist. Eccles. l. 2. c. 21. 22. & 23. Micha. Syngelus in Dionysii encomio.
[a] Ado. Trevir. in Martyrol. Fulbert. Serm. 83. in append. D. Aug. tom. 10. Beleth. in explicat. divinor offic. c. 146
[b] Vluard. Martyrolog. Aug. 15.
[c] Richardus Bristous Motiv. 32.
[d] Pius quintus in præfat. Breviar. Rom.
[e] Narrat enim Damascenus, *Angelos triduum ferè cecinisse*: Breviarium, *integrum triduum*. Damascenus, *Reliquos Apostolos cupere monstrare corpus uni ex sociis qui aberat*: Breviarium, *Thomam (qui aberat) cupere corpus adorare*.
[f] Hier. de scriptoribus. Eccl. verbo Philo.
[g] Act. 4. 32.

(1) Philo in libro, Quòd quisque probus sit liber.
(2) Philo de vita contemplativa.

it hebdomadis dies: qui Judæorum Sabbatum fuit, quem nos appellamus Saturni. Christianis in more fuit [h] *die primo hebdomadis* convenire, hoc est, [i] Solis die, [k] *Domini die*, ut appellat Johannes. Denique, illi, de quibus commentatur Philo, *nullis in oppidis aut urbibus vixerunt*, sed *foras, in hortulis locisq; desertis*. In *urbibus* vexati sunt Christiani. Illi ipsi quorum nominatim Hieronymus commeminit, Christianam dico Ecclesiam Alexandriæ à Marco fundatam, in [l] *urbe ipsa Alexandrina* sunt locati; quum disertis verbis observârit Philo, suos Judæos monachos [m] *circa illam*, & [n] *extra illam* habitasse. Quare manifestum est Hieronymum aut malè assequutum esse, aut planè oblitum esse, verba Philonis. Quanquam si rectè ille & assequutus fuisset, & meminisset: tamen inde perperam induxit, monachos sui temporis tales fuisse, quales Lucas refert primùm Jerosolymæ fuisse credentes. Nam iis qui Jerosolymæ fuerunt credentes, sua, modò vellent, licebat retinere: quemadmodum ait [o] Ananiæ Petrus; *Nonne si servasses, manebat tibi: & venundatum, in tua erat potestate?* At [p] Hieronymus *suis* ait, *non licere monachis de suis quidquam habere rebus*. Præterea, monachi illi Hieronymiani in continentia vixerunt. Jerosolymitani credentes & fruebantur uxoribus, & utebantur: quantùm quidem S.Lucas ostendit. Quanquam, ut notemus obiter hoc inter monachos Judæos & Christianos discrimen, (qui aliàs impendiò forent similiores:) ex Christianis monachis [q] nonnulli Hieronymi temporibus conjuges habuerunt, & genuerunt liberos; quod nunquam legi ex Judæis quenquam fecisse. Postremò, monachi de quibus loquitur Hieronymus, (ut ei loqui necesse est sequenti Philonem) [r] nomini suo convenienter monachi fuerunt, hoc est, eremitæ, non cœnobitæ. Verùm Jerosolymitani credentes, Jerosolymæ fuerunt, in urbe, & in societate conjuncti vixerunt. Non vides Apostolos Apostolicósq; viros nequaquam tales fuisse, quales postea erant monachi quos Hieronymus intelligit: ideóq; Hieronymum deceptum esse?

HARTVS. Non tibi credam affirmanti, esse tam illustrem Patrem deceptum.

RAINOLDVS. Si nolis mihi affirmanti credere, at illum ipsum affirmantem producam, ut credas. Nam, [s] ad Paulinum scribens de *institutione monachorum*, affirmat *non habere illos in exemplum Apostolos & Apostolicos viros: sed Antonios, aliósq; qui habitabant in agris & solitudinibus*.

HARTVS. Affirmat, *Apostolos & Apostolicos viros, Presbyteros, & Episcopos habere in exemplum, non monachos*. Verum: aliquo modo. Et tamen, mihi videtur. Sed quid si Patres, ex ingenii lapsu aliquo, falli poterant?

RAINOLDVS. Si poterant illi ex ingenii lapsu falli: falli quoq; ex animi affectu poterant. Homines enim erant, affectuíq; subditi. quemadmodum [t] Cyprianus, ex nimio hæreticorum odio, *hæreticorum baptisma, pro illegitimo* damnabat: in quo [u] Synodus quædam cum illo aberravit. quemadmodum [x] Origenes, ex nimia miseratione impiorum, existimavit *dæmones ipsos tandem servatum iri*. quemadmodum [y] Tertullianus, ex invidia Romani cleri, ad Montani dogma est delapsus: & [z] Catholicos, *carnales* homines appellabat, quòd non perinde essent atq; Montanistę, in matrimonii jejuniíq; negotiis superstitiosi.

HARTVS. Istos in illis errores, nos pariter vobiscum condemnamus: in iisq; illos exceptione excludimus.

RAINOLDVS. Excluditis etiam, opinor, ([a] Doctores certè vestri excludunt,) [b] Damascenû, ob fabellam illam suam, quam commentus est de Gregorio Pontifice, & Trajano Imperatore; *Gregorium* scilicet, *dum per forum Trajani iter faceret*,

[h] Act.20.7. 1.Cor.16.2.
[i] Iustin. Martyr. apol:2. ad Antoninum.
[k] Apoc.1.10.
[l] ἐν αὐτῇ τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Euseb. l.2.c.15.
[m] περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν.
[n] Τειχῶν ἔξω
[o] Act.5.4.
[p] Epist.1. ad Heliodorum.
[q] Athanas. ep. ad Dracontiû.
[r] Hier. ep.1. ad Heliodorum. & 13. ad Paulin.
[s] Epist.13. ad Paulin. de institut. monachorum.
[t] Epist.73. ad Iubaian.
[u] Concil. Carthag. Episc.87. sub Cypriano.
[x] August. de civitat. Dei. lib.21.c.17.
[y] Hier. in Catal. script. Eccles. verbo, *Tertullianus*.
[z] Tertullian. de Monogam. de jejunio adversus Psychicos.
[a] Canus locor. Theol. lib.11. c.2. D. Hessels censur. de hist. Sanctorum. c.3.
[b] serm. de defunctis in fid.

preces habuisse ad Dominum pro Trajani anima: & ecce, vox divinitus allata, Preces tuas audivi, & Trajano veniam do: tu verò non amplius me pro impiis erat. Per quidem magnus erga preces pro defunctis affectus, qui Damascenum ad hoc scribendum impulit. Nam [e] Scholasticorum dogmati repugnat, *valere preces ad extrahendas animas ex Inferno.* Ad illas ex Purgatorio extrahendas valere dicunt.

HARTUS. Idem D.[d] Thomas confirmat. Illud nihilominus Damasceni amplectitur. Sed ait, Gregorium hoc fecisse *ex speciali privilegio, quod communem legē non violat.*

RAINOLDUS. Verùm [e] Canus vester refert, *juvenem tum temporis fuisse Thomā:* preterea, plurimū Damasceno deferebat. Et facilè quidem Damascenus homini benevolo persuaserit: ita magnificè affirmat, *testem * Orientem esse omnem & Occidentē, hoc verū esse.* Quod tamen commentū ejus demiratur Canus: quum illud *historia omnis Latinorū ignoret.* Canus verò, (quippe qui melioris mentis saniorisq; judicii fuerit, quàm sunt pleriq; Doctores vestri Pontificii,) prudēter animadvertit, liberéq; adnotat, *non modò recentiores, minúsq; prudentes autores, (ut qui Legēdam aureā texuerit:) verū graves etiā, antiquos, eruditos, sanctos Patres, in Divorum prodigiis describēdis se fefellisse: partim, dum inde veritatē petunt, ubi rarò est eam invenire, nēpe ex dissipatis pervagatisq; rumoribus: partim, dū indulserunt fideliū vulgo, atq; esse licitum historiæ scriptoribus crediderunt, ea pro veris scribere, quæ vulgò vera haberentur.* Huic ordini ascribit *Gregorium* & *Bedam:* alterum in *Dialogis*, alterum *in Anglorum historia.* Ad quos poterat Damascenum adjunxisse. Nisi eum fortasse ex illorum potiùs numero esse censeret, qui non solùm aliorum sermone quędam acceperunt, sed ipsi quoq; *cuderunt mendacia: & ea de Divis scripserunt quæ animus scribentis dictavit, licèt neque vera illa, neq; verisimilia.* Ut D.*Franciscum pediculos semel excussos, in seipsum solitum esse immittere; sordidum fuit, nec factum à Francisco: sed ad sanctitatem viri scriptor pertinere putavit:* Illud item, *Diabolum D.Dominico obstrepentem, à* Dominico *coactum esse, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa absumpta incredibilem dolorem afferret;* Diaboli scilicet combustis digitis. *Non possunt hujusmodi exempla numero comprehendi: sed hæc duo quoddam affectus illorum specimen præbeant, qui Sanctorum historias commentitiis fabulis contaminârunt.* Ex hujusmodi tamen historiis, in quotidianis vestris Officiis multa leguntur. Et [g] Canus quidem, quanquam hoc ut manifestum fatetur: tamen, (quod mirum est,) illos *parum prudentes* putat *Pontifices*, qui hoc corrigere conantur. Nam *dum reduviam*, inquit, *curant, capiti incommodant: videlicet, historias graves pro apocryphis reddunt quidem; sed divinum Ecclesiæ officium usq; eò præter solitum immutant, ut vix ulla forma antiquæ religionis in quotidianis precibus relicta esse videatur.* Cui malo ab ipsis rectè prospectum est, qui Romanum vestrum Breviarium reformârunt. Nam tametsi quasdam ex iis historiis deleverint, quas Canus asserit esse *incertas, apocryphas, leves, falsas:* parcè tamen id præstiterunt. Quòd si omnes illas tritas Legendarias exclusissent: Breviarium eorum nostro publicarum precum libro fuisset quàm simillimum, quod risuri fuissent hæretici; nec ullam propemodum *antiquæ religionis formam*, nisi quòd Latinè omnia celebrent, reliquissent.

HARTUS. Prorsus sunt hæc aliena, nisi quòd tibi cordi sit sacrum Breviarium, scurrarum more vellicare. Nam quid opus D.Francisci vitæ scriptorem objicere? aut Dominici? aut auream Legendam, *illum veterem* συτόβρωτον *librum* (ut appellat [h] Hardingus,) *de vitis Sanctorum?* Non est animus premere te recentiorum scriptorum testimoniis, sed veterum & antiquorum: de quibus meliùs Canus,

[c] Petr. Lomb. Sent. l. 4. dist. 45. Tho. Scotus, Bonaven. & ceteri Scholast. in eas distinct.
[d] In. 4. sent. distinct. 45. quest. 2.
[e] Locorum Theol. li. 11 c. 2
* μάρτυς ἑῴα πᾶσα καὶ ἑσπέριος.
[f] Locor. Theolog. li. 11. c. 6.
[g] Locor. Theolog. li. 11. c. 5.
[h] In detect. l. 4.

quàm de recentioribus censet. Nam [l] de Vincentio Beluacensi, & Antonino, ait, *nō tam illos dedisse operam ut res veras certásq; describerent, quàm ne nihil omnino præterirent, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur.* Verùm de Beda, & Gregorio, mitiorem fert sententiam: quos potiùs excusat, quàm reprehendit. Quanquam, judicârit ille, ut ipsi collibitum fuerit, unus tantummodo Doctor est: & aliis fortassis eruditis viris, ejus, cùm de recentioribus scriptoribus, tùm de antiquis judicium displicet.

[l] Locor. Theolog. li. 11. c. 6.

RAINOLDVS. Qui in cicurandis leonibus exercentur, solitos esse accepi, si quando ipsos aliquanto perturbatiores reperiant, canes in illorum conspectu verberare: ut in cane suum leo meritum agnoscat. Ita, quum ego scriptorem reprehēdo vitæ Francisci, aut Dominici, aut verò illius, ut appellas, συνεβρώτου *libri*, (quanquā qui illum scripsit, * Archiepiscopus erat, & homo suo seculo celebris, liberq; ejus *Legenda*, lectitata publicè in Ecclesiis, dictáq; propter excellentiam *aurea*;) sed quum reprehendo illum αντιβρωτον scriptorem, aut Antoninum (si placet,) Vincentiúmq; Beluacensem, qui non multùm illi cedunt: non existimes oportet, hoc me canis gratiâ, sed leonis potiùs facere, priscos scriptores intelligo, qui reprehensionem quoque merentur. Nam, ut non [k] Rupertus solùm, sed & Sedulius, [l] scribunt *Servatorem nostrum, post resurrectionem suam primùm apparuisse beatæ Virgini*, quod falsum est; sed illi ex suo in ipsam affectu, ita apparere oportuisse putârunt: pari modo, propensus quidam in Divos affectus, complures, non recentiorum modò, sed & veterum scriptorum, à veritate ad commenta transvexit. Gelasius, & illi septuaginta Episcopi, qui cum ipso in Synodo quadam convenerunt, circiter mille & centum abhinc annos sunt coacti. Quàm multæ tamen, etiam illis temporibus, historiæ Divorum, commentitiis intextæ fabulis divulgabantur? Catalogus quidam fere totus [m] damnatus à Concilio. In quibus quædam ex illo affectu conficta esse, uti ex aliis quædam: [n] historia illa, quæ *Liber Actuum Pauli & Teclæ* inscribitur, esse potest documento. Historiam quandam *Actus* isti continebant, (quæ credebatur omissa in [o] Actis Apostolorum,) quemadmodum scilicet, *Paulo Evangelium prædicante Iconii, Tecla virgo generoso cuidam desponsa, quum illum de virginitate concionantem audivisset, virum confestim suum deseruerit, & cum Paulo discesserit: indéque persequutionem passa fuerit, à magnisque periculis liberata, multáque miracula ediderit, & multas regiones cum Paulo peragrârit.* Quod etiamsi improbum sit figmentum, quod neq; cum [p] circumstantia Paulinæ historiæ, neq; cum [q] doctrina ejus & [r] prudentia consentiat: tamen pro vero est in vulgus editum, etiam Apostoli temporibus, *à quodam* [s] *Presbytero, qui convictus fuit à* Johanne, *& confessus est, se hoc Pauli amore fecisse.* Eam existimationem fortasse allaturum hoc D. Paulo putabat, virginem viro locupleti & honesto desponsam, (adeóque jure [t] *uxorem ejus*) deseruisse maritum suum, & cum illo discessisse. Quare, etsi *non sit animus tibi premere me recentiorum scriptorum testimoniis, sed veterum & antiquorum*, ut dicis: tamen non alienum fuit, Breviarium vestrum; ejusdemque autoritatis historias commemorare. Nam neq; cognitum habeo, quem tu annorum numerum, ad antiquitatem autoris comprobandam sufficere arbitreris: & quamvis neminem pro *antiquo* habueris, nisi eos qui multis abhinc seculis vixerunt; sunt tamē in Breviario vestro fabulæ (ut [u] hæc nominatim Teclæ,) etiam ex illis quoq; decerptæ. Immo pleraq; illorum, non hoc Teclæ solùm, sed pleraq; illorum quæ Gelasius Episcopus Romanus, & Synodus, ut insana damnârūt: pleraq;, inquā, illorū in vestris Legendis, & in plerisq; Breviariis vestris recensentur. Quod non ego, aliquā fretus

* Jacobus Archiep. Genuensis.

[k] De divinis officiis, li. 7. c. 25.

[l] Oper. Pascal. l. 5.

[m] c. Sancta Romana, distinct. 15.

[n] Liber actuum Teclæ & Pauli

[o] C. 14. Act.

[p] Act. 16. 2. & 17. 14. & 18. 1. &c.

[q] 1. Cor. 7. 13.

[r] 1. Cor. 9. 5.

[s] Hieron. de scriptoribus Ecclesiast. verbo *Lucas*, ex Tertulliano.

[t] Mat. 1. 20.

[u] *Thamiride sponso relicto.* In Brev. Rom. edit. à Pio quinto. In festis Septembr.

cognitione meâ affirmo, non enim ita multa Breviariorum genera vidi, ut de plerisq; id possim asserere: sed [x] Claudius Espenceus, Doctor quidam Parisiensis, acer Bezæ adversarius, (eóq; nomine hac in re fide dignior,) idem affirmat, & magna asseveratione affirmat, ita esse *indubiè*. Neq; illa de istis tantùm, tam antiquis mendaciis perstringit, sed de multis aliis, quæ minoris sunt antiquitatis, idq; multorum doctissimorum hominum judicio, ac non opinione nixus suâ. Nam [y] Petrum profert, venerabilem Abbatem, (qui ante quadringentos annos floruit,) dicentem, *cantica & hymnos Ecclesia multas habuisse nugas: ut nominatim, quendam in laudem Benedicti hymnum, in quo, quanquam illum citato percurrens animo, mendacia ad minus viginti & quatuor reperit.* Alium quoq; [z] Petrum profert conquerentem similiter, & redarguentem *ineptum & falsum hymnum, in laudem D. Mauri super aquas currentis* confictum. Profert [a] Aliacensem Cardinalem Constantiensi Synodo suggerentem, ut *provideatur ne* [*] *Scriptura apocrypha, (*depravata & frivola cōmenta,) *in Ecclesiastico servitio legantur.* Profert orationem [b] Comitis Mirandulani ad Leonem decimum, & Concilium Lateranense habitam, Aliacensis Cardinalis consilium refricantem. Profert [c] Raphaelem Volaterranum, magnum certè historicum, si non Theologum, dolentem *aperta in horis canonicis legi mendacia.* Profert [d] Adrianum (qui postea erat Adrianus sextus Papa,) *in sacris superstitiosa figmenta* improbantem. Denique, ait *Catholicos habere quod lamententur ad Ecclesiam, ut ad Synagogam olim lamentatus est* [e] *Jeremias, Propheta tui viderūt tibi falsa et stulta:* atq; addit insuper *dolorem illum suum de rebus frivolis & deliramentis, qua in publicam dei cultum irrepserunt, cum plerisq; bonis omnibus esse communem.* Qua in re, ut desiderium ejus zelúsq; reformationis major est quàm Cani, qui noluit sordes istas everri ex Breviariis: ita quoq; liberiùs liberaliúsq; eum Ecclesiæ vestræ Legendis, quàm Canus agit. Nam, missam faciens illam porriginem Legendæ aureæ, & Antoninum, & Vincentium, reprehendit historiam Divorum quæ nuper contexta est à [f] Veneto quodam, alicujus nominis Episcopo, aitq; *nullum ita stercore onustum esse stabulum, atq; illam fabellis.* Porrò etiam, *Simeonem Metaphrastem*, (magni precii hominē in novis [g] Lippomani, & [h] Surii Legendis,) & *Usuardi Martyrologium*, (quod Romanæ Ecclesię Legenda est,) præter aliorū quorundam Martyrologia, *multis scatere quisquiliis.* Jam, ad hunc Parisiensem Doctorem Espenceum, illósq; autores quos recenset, adjungas licet Professores regios & principes Doctores Lovanienses, (si plures testes desideras,) ipsum Hesselium, & Molanum. Quorum, [i] alter, Censuram scribens in historiam quæ *Passionale de Sanctis* dicitur, multa ejus condemnat, & plura in judicium vocat, hac adjectâ sententiâ; [k] *Omnia explorate, quod bonum fuerit retinete:* [l] alter, in lucem emittens illam, & commendatione honestans suâ Censuram, ait, *non mirum esse quòd in illo Passionali habeantur apocryphæ historia, quòd facilè eò pervenire potuerunt ea historia, quas Catholici illius regionis apud mendaces Græcos reperiebant.* In *mendaces Græcos* culpam rejicit Molanus, ut quidem certè maximè sunt promeriti. Ex [*] nonnullis tamen liquet, quos aut Hesselius, aut ipse censurâ notārunt, non Græcos solos in culpa esse. Et multi quidem Græci in culpa sunt, quos ille non libenter *mendaces Græcos* dixerit: ut nominatim, ex recentioribus, Nicephorus, & Simeon Metaphrastes; & ex antiquis, Palladius, atque Cassianus. De quibus omnibus hanc notam [m] Molanus tradidit, *doctissimos viros, eos non satis probatæ autoritatis scriptores judicare.* Ex quo cernas licet Cani de historiis Divorum judicium, multo majus quàm unius Doctoris judicium esse. Quanquam, si non adeò multi sententiæ ejus

[x] Comment. in 2. Epist. ad Tim. c. 4. Digress. 11.
[y] Petrus Abbas Cluniac. lib. 5. cap. 29.
[z] Petrus Pictavensis epi. 31.
[a] Petrus de Aliaco Cardin. de reformat. Eccles. considerat. 3.
[*] Apud Picum appellantur *apocryphę nugę.*
[b] Iohannis Frācis. Pici orat. de moribus reformandis ad Concil. Later. sub Leone 10.
[c] Comment. Vrbanor. l. 16.
[d] Quodlib. 6.
[e] Lamen. 2. 14
[f] Petr. de Natalibus Episcopi Equilin. catalogus Sāctorum.
[g] Aloys. Lippom. de Sanctor. historiis. Tom. 5. 6. & 7.
[h] Laur. Sur. de probatis Sanctorū historiis
[i] Censura Iohānis Hessels in librum qui inscribitur, *Passionale de Sanctis per annum.*
[k] 1. Thess. 5. 21.
[l] Ioh. Molanus præfat. in Hesselii Cēsuram.
[*] Nominatim ex Hieronymo, Sedulio, Ruperto, Iacobo Archiepiscopo Genuensi, Adriano primo Pōtifice, & Vsuardo. In censura Hessels, & pręfat. in Vsuardum.

[m] Præfat. in Martyrologium Vsuardi, ap. ad. Lovan. 1568.

se ascriberent: esses tamen injurius ipsi, qui eũ tanquam unum Doctorem rejiceres, Ab ipso enim affertur Doctoris testimonium, nullis illorum, quos nominavi, secundi: illum illustrem virum, [n] Ludovicum Vivem intelligo. Qui lamentatus historias ethnicorum ducum & philosophorum tam insigniter perscriptas esse, ut periculum non sit, ne unquam excidant; vitas verò Apostolorum, Martyrum, Divorum, acta ipsius & crescentis, & adultæ Ecclesiæ, operta maximis tenebris, fere ignorari: *Nam quæ de iis*, inquit, *scripta sunt, præter pauca quædam, multis sunt commẽtis fœdata, dum qui scribit, affectui suo indulget, & non quæ egit Divus, sed quæ ille egisse eum vellet, exponit: ut vitam dictet animus scribentis, non veritas: Fuere, qui magnæ pietatis loco ducerent, mendaciola pro religione confingere. Fuere, qui magnæ pietatis loco ducerent*, inquit Vives: vis verò, cujus *pietatis*, cognoscere? Mysterium in eo latet, quod Vives non recludit: Canus recludit. [o] Ait enim, *eos qui fictè & fallaciter historiam Ecclesiasticam scribunt, totam narrationem suam invenire, aut ad quæstum, aut ad errorem*. Nobis de quodam genere hominum prædixit Paulus, [p] *qui quæstui habent pietatem*. Multis, Harte, Ecclesia vestra abundavit impostoribus, qui zelo hujus *pietatis* incensi, miracula non scripserunt modò, sed etiam factitârunt. [q] Meministi fabulam Belis & Draconis. [r] Amicus quidam vester dum in eam commentatur, refert, *quemadmodum Sacerdotes Babylonis abusi populo sunt in cultu Draconis, similiter aliquando in Ecclesia fieri maximam deceptionem populi in miraculis fictis à Sacerdotibus, vel eis adhærentibus, propter lucrum temporale*.

[n] De tradendis disciplin. lib. 5.

[o] Locorum Theolog. lib. 11. cap. 6.

[p] 1. Tim. 6. 5.

[q] In Apocryp. Daniel. ca. 14.

[r] Nicolaus Lyra in Dan. 14. 22.

HARTUS. Siqui hoc faciunt, non probantur nobis: atq; hujusmodi malis à [s] Tridentina Synodo est consultum. Verùm quid hoc ad Breviarium? seu potiùs ad Pontificis suprematum? Quum præsertim, non statuerim pro eo ex Breviario aliquid afferre.

[s] Sess. 25. decret de purgat. & sequẽt.

RAINOLDUS. Verebar ne velles. Perinde enim (quantùm ego quidem scio) hoc facturus videris pro Pontificis suprematu, atq; Rhemenses vestri pro assumptione Virginis. Quanquam non tam cogitârim ego de Breviario vestro, quàm de iis qui Breviario scribunt quã simillimè, à quibus delapsus sum ad Breviariũ. Quòd si nequaquã statueris pro eo ex Breviario aliquid afferre: nõ es igitur illa allaturus miracula, quæ [t] D. Thomæ Cantuariensi ascribuntur:

[t] In Breviario secundũ usum Sarum.

Aqua Thomæ quinquies
Varians colorem,
In lac semel transiit,
Quater in cruorem.
Ad Thomæ memoriam
Quater lux descendit,
Et in Sancti gloriam
Cereos accendit.

HARTUS. Quæso, ad propositum, & ista mitte otiosa deliria, quæ affers, ut iis te oblectes. Nihil jam ejusmodi in Breviario exstat. Et verò si exstaret, quid tandem ad illud quod in quæstione ponitur?

RAINOLD. *Ad illud quod in quæstione ponitur*, quã potest, directissimè. Nã Thomæ isti maturavit mortem [u] lis quædam de Pontificis suprematu excitata, dum ille provocationes (contra Regem) ad Pontificem tueretur. Jam verò, ut constaret ipsum pro veritate stetisse, illa edita sunt miracula. Illud enim, *quod prædicârunt illi quibus data est miraculorum gratia, veritas fuit*, inquit [x] Bristous: addens insuper, *Thomam Cantuariensem, Thomam Aquinatem, Franciscum, Dominicum, & infinitos*

[u] Math. Paris Hist. Ang. in Hen. secundo.

[x] Motiv. 6.

alios illam gratiam habuisse, eo modo, ut nemo possit inter Christi ejúsq; Apostolorum, & horum hominū miracula, aliquod discrimen ponere. Quin bene tamen illis sit, qui Breviarium vestrum reformârunt. Illi enim delerunt illa Cātuariensis Thomæ multorúmq; aliorum miracula: quod nō fuissent, opinor, commissuri, nisi aliquod *discrimen* inter *horum hominum miracula*, & *miracula Christi* exploratum habuissent. Verùm par illis dignitate retinuerunt miraculum, ab altero editum Bristoi τερατίεγων, ab ipso Thoma Aquinate: neque illud, spero, *otiosum delirium* appellabis, etsi apud me perinde otiosum sit, atq; priora. [y] Illum enim fabulantur, quum *Neapoli ad imaginem Crucifixi devotiùs oraret, hanc vocē audivisse* (* edidit Crucifixus;) *Bene scripsisti de me, Thoma.* Ego quidem crediderim, ligneum Crucifixum, amante & grato animo illum commendasse, quòd ipsum eo veneratus esset honore qui Deo debetur, & [z] prolixè scribat idem aliis faciendum esse. Verùm [a] Pius quintus, Princeps Breviarii reformatorum, affirmat, *in hoc miraculo* * *doctrinam Thomæ, Crucifixi ore probatam esse.* Atque is optimè sensum ejus calluit. Quare video miraculum istud, *dogmaticum* potiùs *miraculum* fuisse (ut vocat [b] Bristous,) quàm *personale*. Sed sive *personale*, sive *dogmaticum*: nequaquam mihi verum id omne esse persuadebit, quod à dogmatico vestro Doctore Thoma scribitur & docetur. Nam, (ut [c] ostendi,) insigniter confingit & ementitur Patres, in Pontificii suprematûs cōtra Græcos defensione. Ægrè adduci possum ut sentiam, Crucifixū, quū diceret *bene scripsisse Thomā*, voluisse istâ in quæstione scripta ejus comprobare. Aut si voluerit Crucifixus, culpandus erat Crucifixus: nisi potiùs in aliquo mēdace nebulone, qui è Crucifixo loquutus est, culpa resideret. Sunt enim antehac ejusmodi [d] præstigiæ in imaginibus agitatæ.

HARTUS. Ut quique animo sunt malo, ita omnia pessimè interpretantur. Dicit de miraculo isto Pius quintus, * *piam idem testari historiam.*

RAINOLDUS. Verùm, quæ tandem sit *historia*, Pius non dicit. Fortassis Antoninum intelligit: de quo notum tibi Cani judicium; & est in eo sanum ejus judicium.

HARTUS. Nequis tamen diffiteri, quin multa narret Antoninus vera. Et cur non, quæso, in illorum numero hoc miraculum esse potuerit?

RAINOLDUS. Mendax, sine dubio, miraculū, ut narratur ab [e] Antonino. Ait enim, *quum mandatum esset Thomæ à Gregorio Pontifice, ut ad Concilium Lugdunense accederet, secúmq; deferret librum, quem de mandato Urbani Pontificis fecerat cōtra errores Græcorum, de quibus erant in dicto Concilio arguendi: antequam iter sumeret, illā vocē auditā esse de Crucifixo, à quibusdā eum observantibus, quū quadā nocte, in cōvētu S. Dominici devotiùs oraret.* Nihil hîc de iis dico, quę suspicionem afferunt, circumstantiis, de tempore, *nocturno*; de loco, *conventu Dominici*; de testibus, *eum observātibus*; de causa, *ut confirmaretur illud quod tractandum erat pro Pontifice contra Græcos in Cōcilio.* Hoc unum dico, quū in illo libro (*contra errores Græcorum*) Thomas adulteret scripta Cyrilli, sexcentorúmq; & ampliùs Patrum, ipsius generalis Chalcedonensis Synodi, ut illos testes producat pro Pontificis suprematu; miraculum illud, quod cœlitus declarasse fingitur Thomā bene scripsisse, qui ita Christi causam ageret, mendax fuisse miraculū: mendax, sive formā respicias, sive finem; sive, inquā, ut per fraudem factum, sive ad fraudem faciendam; per fraudem, si qui homines illam mentiti vocem sint; ad faciendam fraudem, si illam re ipsa mirabiliter delapsam audierint. Quemadmodum scriptum est de homine peccati, [f] *adventum ejus esse ex efficacia Satanæ, cum omni potentia, & signis ac prodigiis mendacibus, et cū omni fraude injustitiæ in iis qui pereunt: pro eo quòd amorem veritatis non receperunt, ut*

[y] Brev. Rom. in festo S. Tho. Aquinat.
* Antonin. histor. part. 3. tit. 23. cap. 7.
[z] Tho. Aquin. Sum. Theolo. part. 3. quæst. 25 artic. 4.
[a] In catalog bullarum & motuproprior. Pii quinti.
* *Scriptoris Angelici doctrinæ, Salvatoris crucifixi ore mirabiliter probata.*
[b] Motiv. 5.
[c] Ca. 5. Sect. 2.
[d] Rufin. hist. Ecclesiast. l. 2. cap. 25.
* *Sicuti pia testatur historia.*
[e] Hist. part. 3. tit. 22 ca. 7. parag. 11.
[f] 2 Thess. 2. ver. 9.

salvi fierent. Cave, Harte, ne quod consequitur, in te verum reperiatur: [g] *Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, ut credant mendacio, ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia.*

[g] Ver.11.

HARTUS. Tu tibi cave, Rainolde, ne in hac pecces injustitia, illum iniquius tractans celebrem Ecclesiæ Doctorem, D. Thomam Aquinatem. Nam [h] sanctissimus Pater Pius quintus, honestavit memoriam ejus duplici majori in patria ejus festo, & duplici festo per totum orbem Christianum, quæ non minùs solenni celebritate sint observanda, quàm illorum quatuor Ecclesiæ Doctorum feriæ observantur. Quare, eo magis de iis omnibus quæ scripsit, reverenter debes censere; neq; arguere illum tanquam confingentem, aut adulterantem aliena, si quid erràrit: sed opinari potiùs, si in autoribus non appareat quod commemorat, tamen ipsum ab alio id commemoratum legisse, & ex bono erga Sedem Romanam affectu, existimasse ritè fuisse commemoratũ, itáq; scripsisse.

[h] *Bulla Pii quinti super celebratione festivitatis angelici Doctoris, S. Thomæ de Aquino.*

RAINOLDUS. *Ex affectu bono.* Ut libet: sit ita. Ille, ita ex bono affectu res gerens, festis Pontificem saginavit: & illum rursus, ex affectu bono Pontifex duplici festo excepit. Sed das igitur Ecclesiæ Doctores, ut ex ingenii lapsu, ita ex animi affectu falli posse: atque istas adversus ipsos justas fieri exceptiones.

HARTUS. *Justas*, probes modò ita falli ipsos. Nam possunt, fateor.

RAINOLDUS. Quid? Et non falli rursus possunt, seu videri potiùs falli, ex affectu aut lapsu alieno?

HARTUS. Alieno? Quomodo?

RAINOLDUS. Ut quum Græcus quispiam scriptor in Latinum vertitur, interpres quandoq; illi ea affingit, quæ ipse nunquam cogitavit. Et verò ante inventos typos, librarii, qui manu multa descripserunt, errata commiserunt multa. Quod nunc quoq; usu venit Typographis. Potest igitur in quopiam autore vitium esse, non autoris vitio, ex errore Typographorum, aut librariorum, aut interpretum. Exempli causâ: in Ecclesiastica [i] Eusebii historia à Rufino versa, affertur ex Clemente, *Petrum, Jacobum, & Johannem, quamvis à Christo fere omnibus essent prælati, honorem tamen hunc primatûs sibiipsis non vendicasse, sed Jacobum (Justum cognomento) Episcopum Apostolorum constituisse.* Istud verò egregium fuisset testimonium pro Jacobo, contra primatum Petri. Sed hoc ego non objeci: quoniam ut te ad veritatem studeo reducere, ita hoc veris rectísq; mediis præstare studeo. E quibus quidem non foret istud, quum lapsus sit (ut appàret) Rufini. Græcus enim Eusebius habet, *ipsos constituisse eum* * *Episcopum Jerosolymorum*, non *Episcopum Apostolorum.*

[i] Euseb. hist. Eccl. l. 2. c. 1.

[k] C.4. Sect. 2.

* ἐπίσκοπον ἱεροσολύμων.

HARTUS. Illud fortassis Typographorum vitio contigerit, aut librariorum, qui descripserunt: ac non ejus qui interpretatus est.

RAIN. Atqui ego potiùs interpretis vitio contigisse sentio. Idem enim [l] Marianus Scotus ex Methodio citat de Jacobo, *illos cõstituisse ipsũ Apostolorũ Episcopum.* Quod, ut videtur, desumptũ est ex Eusebii historia, in Latinũ à Rufino versa. Et ille quidẽ sæpius lapsus est in vertendis Græcis scriptoribus: quod etiã docet Josephi interpretatio. Quanquam nõ possim illi omnia, quæ isthîc sunt errata objicere. Ubi enim asserunt [m] nonnulli Josephum statuere, *Maccabæorum libros in Scripturarũ canone esse numerandos*, quod quidẽ videtur * in Latina versione: Græcus Josephus nihil tale loquitur, [n] immo prorsus docet contrarium. Non est autẽ verisimile hoc à Rufino manasse, qui [o] ipse quoq; *Maccabæos esse movendos canone* censebat. Quãquã, si dicas in Greco illo exemplari Eusebii quod is vertebat, verbũ illud perperã legi culpâ librarii: non pugnabo. Verùm certius documentum lapsûs librariorum

[l] Chron. l. 2.

[m] Sixt. Senen. Bibl. sanct. l. 1.

* In calce libr. de Maccabæis.

[n] Iosephus adversus Appionem. lib. 1.

[o] Rufin. exposit. Symbol. apostol.

pri-

primò, deinde etiam Typographorum, in [p] Optato offendimus: quòd affirmet, Petrum Cepham esse appellatum, quia Caput fuit Apostolorum; *Apostolorum Caput Petrus, unde & Cephas appellatus est.* In quem locum Jurisconsultus vester annotat, *se, quum antea existimasset solœcismum esse hominis somniantis vocem Syriacam, quæ significat petram, esse Græcam κεφαλὴ, quæ caput significat: nunc suspicari potiùs hæc verba [unde & Cephas appellatus est,] esse ineptæ alicujus glossæ, ad marginem temerè ascriptæ, & deinde à librariis contextui insertæ.*

HART. Quod fortasse. Sed nihil vobis ista glossa incommodat. Nam ut obliteretis illam, Optatus tamen ait, *Petrum Caput esse Apostolorum.*

RAINOLDUS. Neq; ille nobis quicquam incommodat contextus. Nam [r] suprà docui, nihil illum pro Papatu facere. Nobis verò ejusmodi glossæ poterunt incommodare: quum præsertim (ut observatum à [s] Vive est in S. Augustinum,) *quidam glossarii omnia magnorum autorum scripta spurcis manibus contaminârint.*

HARTUS. Placétne tandem aliquando finem facere exceptionum adversus Patres: & audire demum Patres ipsos loquentes?

RAINOLDUS. *Patres ipsos?* Nihil sanè libentiùs. Vide autem ut *Patres ipsos* afferas. Nam, (quæ à me postrema datur exceptio, atq; ita finis sit,) multi ascribuntur Patribus libri, quos Patres non scripserunt: immo, quorum varii ab iis juvenculis sunt contexti, qui parum digni sunt ut Patrum calceos gestēt. Opera D. Hieronymi novem exstant voluminibus: è quibus novem, tria volumina planè æquāt illi tractatus qui Hieronymi non sunt. Et tamen *vita Patrum* (quæ Legenda, quā injuriosè Hieronymo attribuatur, [t] Espencæus vester & [u] Canus docēt,) in illis nō reperiuntur. Quanquam sint in iis quidam ejusdem arboris surculi: *fabula insulsa aquè, ac barbara* (ut appellat Canus) *de nativitate D. Mariæ, & ejus generis alia multa, quæ & diligentissimè & rectissimè Erasmus refutavit.* Augustini opera non sunt adeò multùm isto modo contrectata. Vix tamen unum aut alterum ex decem ejus voluminibus exsistit, quod non aut plures, aut pauciores ejusmodi libellos sibi assutos habeat. Non Erasmi modò judicio & censurâ, quæ tamen vides quanti sit Cano in Hieronymo: sed Lovaniensium etiam, quorum censuræ *multorum ex optimis Theologorum vestrorum* sunt censuræ; & [x] ostendunt illi, *multa nomine Augustini confingi, quorum quædam indocta sunt, quædam improba, & hæretica.* Sed quid ego de Hieronymo loquor, & Augustino? quum vix unus in universis Patribus compareat, qui non hanc injuriam fuerit perpessus. Fraterculus ille (quem magnopere [y] Stapletonus propter diligentiam, & judicium commendat,) [z] Sixtus Senensis, quandam admonitionem conscripsit *de falsa librorum inscriptione*, unde cōtingat, & quo modo eam liceat deprehendere. In illa probavit, *libros falsò esse ascriptos, non Augustino solùm, & Hieronymo*, quos nominavi, sed *Ambrosio* etiam, *Cypriano, Athanasio, Eusebióq; Emiseno, Junilio, Cyrillo, Eucherio, Arnobio*, etiam *Thomæ Aquinati.* Admonitione ista priorem *sanctæ suæ* [a] *Bibliothecæ* Tomum concludit: ubi ostendit *Clementis, Abdiæ, Origenis, Chrysostomi, Hippolyti, multorúmq; præterea nomina, eâdem injuriâ fuisse deformata.*

HARTUS. Multi, fatemur, libri Patribus falsò sunt ascripti. Non illos proferam, contra te, dicturos testimonium: aut si profero, jure tibi ipsos licebit repudiare.

RAINOLDUS. Non igitur proferes [b] Abdiæ historiam, qua probes *Petrum totam potestatem Clementi dedisse, quam ipsi Christus dederat.* Aut si profers, facis mihi potestatem illum repudiandi, pari libertate qua ejus cognatum Clementem ea-

[p] Lib. 2.
[q] Fran. Bald. Annot. in Optat.
[r] Cap. 5. sect. 3
[s] In August. de civit. Dei l. 22. c. 8.
[t] Comment. in ep. 1. ad Tim. c. 4.
[u] Locor. Theolog. l. 11. c. 6.
[x] *Censura Theologorum Lovaniensium in appendice Tomi secundi, & caeterorum Augustini.*
[y] Princip. doct. l. 9. c. 14.
[z] Sixt. Senens. De falsa librorum inscriptione.
[a] Bibliothecæ sanctæ. l. 2. & 4
[b] Apostol. hist. lib. 1.

dem in re [e] repudiavi. Neq; [d] Arnobium in Psalmos proferes, quo probes, *periturum, quicunq; à Petri Ecclesia discedat*, quod facit [e] Stapletonus. Aut si profers, per te licitum mihi est repudiare illum, ut qui non is sit, quem haberi illum cupit Stapletonus.

HARTUS. Abdiam tibi repudiare licet. Paulus enim quartus rejecit illum in libris quos damnavit: ut [f] Sixtus refert. Sed Arnobius quidem certè vetustus scriptor est, & fide dignior.

RAINOLDUS. Fide dignior Abdia, fateor. Verùm non est ille *vetustissimus scriptor*, quem esse Stapletonus perhibet. Nam [g] vetustissimus ille Arnobius antiquior fuit, (quod à [h] Sixto quoq; notatur,) quàm ut potuerit de [i] Photini hæresi audire. Quum tamen iste Arnobius, [k] qui in Psalmos scribit, mentionem faciat Photini, & nominatim hæresin ejus refellat.

HARTUS. Vis ergo Sixti stare judicio, quæ germanæ sint nativæque Patrum plantæ, & qui surculi insititii.

RAINOLDUS. Nequaquam. Nam etsi multa videret Sixtus, non tamen videbat omnia: & id poterunt videre alii, in quo Sixtus cæcutivit. Exempli causâ: duo sunt *de Petri & Pauli Martyrio* volumina, quæ Lini nomine, primi Romani Episcopi, insigniuntur. Ista [l] Sixtus censet ab illo antiquo Lino verè esse cõscripta; quod ante illum censuit [m] Faber. Sed miratur [n] Claudius Espencæus *adeò hoc placere Fabro, non indocto certè viro, nec nullius alioqui nasi: quum scriptum illud Petrum fingat, matronas Romanas à virorum thoris pudicitiæ prætextu abducere.* Quam abhorrentem à Christianis institutis doctrinam, & cum ipsis pietatis honestatisque legibus pugnantem, neq; fieri potuit ut Petrus doceret, neq; est verisimile ut eam illi Linus affingeret. Atq; ita vides autorem ab Espencæo valde gravi cum ratione repudiatum, quem non tam prudenter Sixtus approbavit.

HARTUS. Atqui, si hoc modo probas & improbas quemq; arbitratu tuo: oleum ego & operam perdam. Ubi enim ego hunc aut illũ Patrem adduxero, disertissimis verbis pro Pontificis suprematu loquentẽ: tibi responsum præstò est, illũ errore lapsum esse, aut affectu abreptũ esse; aut, si Græcè scripserit, malè scilicet versum esse; aut, si Latinè, esse descriptum malè, aut malè excusum; aut, si horum nihil conduxerit, opus supposititium esse, & illi falsò ascriptum. Et verò, sint nécne, effugia tua satis cumulata responsa, tuo standum est judicio.

RAINOLDUS. Immo, secus est. Nam quicquid responsi dedero, ejusdem rationem dabo. Et sint nécne, rationes meæ satis cumulata argumenta: stabo (ut dixi) duodecimvirûm judicio, hoc est, omnium æquorum hominum, quibus & scientia est ad expendendas, quæ adducuntur, rationes, & conscientia ad sententiam, juxta illud quod compertum habuerint, dicendam. Qui si tibi arrideat experiundi modus, ut quidem visus est arridere: profer demum testes tuos, & Patres ipsos jam loquentes audiamus.

SECTIO TERTIA.

HARTUS. Libenter. Et primùm quidem ordiar ab Ecclesiæ Romanæ Patribus, illis ipsis antiquis Episcopis, quos [o] adduxi ex [p] Stapletono; ab Anacleto, Alexandro primo, Pio primo, Victore, Zepherino, Marcello, Eusebio, Melchiade, Julio, atq; Damaso. Quibus illos quoq; adjungo, quos tu ex [q] Melchiore Cano commemorasti: duos Sixtos scilicet, unà cum Eleutherio atq; Marco. Nam, etsi quidam illorum hoc defendant Scripturis, quidam traditione: omnes tamen in hoc conspirant, quòd Pontificis defendant suprematum.

RAINOLDUS. Sanè quidem, quamvis illorum avertantur capita, caudæ tamen face interpositâ, concurrunt, quod olim [r] vulpibus Sampsonis contigit. Sed

Samp-

[e] Cap. 6. sect. 4
[d] Comment. in Psal. 106.
[e] Princ. doct. lib. 6. cap. 15.
[f] Bibliot. sanct. lib. 2.
[g] Hieron. de scriptor. Eccl.
[h] Bibliot. sanct lib. 4.
[i] Hist. tripart. lib. 5. c. 5.
[k] Comment. in Psalm. 109.
[l] Bibl. sanctæ lib. 2. in verbis *Paulus*, *Petrus*, *Linus*.
[m] In fine commentarior. in Paulum.
[n] De continẽtia lib. 6. c. 2.
[o] Sect. prima hujus capitis.
[p] Princ. doct. l. 6. c. 15.
[q] Locor. Theolog. l. 6. c. 6.
[r] Iudic. 15. 4.

Sampsoni quidem vulpes trecentæ fuerunt: soline isti tibi pauculi occurrunt?

HARTVS. *Vulpes* illos sanctos martyres Episcoposq; appellas? Et perstas verò in tam blasphemis effutiendis sermonibus, ősq; tuum adversus coelum opponis?

RAINOLDVS. Adversus infernum, Harte, ac non adversus coelum oppono. Ego enim illos, quos nominabas, sanctos martyres reverentia prosequor. Sed, *vulpes* appello belluas istas, à quibus illa scripta sunt, quæ Stapletonus & Canus citant: improbissime quidem, summaq; cum injuria illis martyribus facta & Episcopis, quibus falsò ascribuntur, ut ego demonstrabo. Quod ut minori expediam cum negotio, conjunctim omnia: vellem ceteros produceres, si quos habes alios.

HARTVS. Alios? Quin, omnes Romani Episcopi, qui istis successerunt, ad nostram usq; ætatem, eandem tradiderunt doctrinam, ut ostendit [f] Canus. Nam ab Innocentio primo confirmatur, in epistolis ad Concilium Carthaginense & Milevitanum; à Leone, in epistolis ad Anastasium, & ad Episcopos Viennensis provinciæ; à Gelasio, in epistola ad Anastasium Augustum, & in decretis quæ cũ 70. Episcopis tulit, & in epistola ad Episcopos Dardaniæ; à Vigilio, in decretis suis, capite ultimo; à Pelagio secundo, ad episcopos qui convenerunt in civitatem Constantinopolitanam; à Divo Gregorio, in epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum; ab aliisq; multis Pontificibus, quorum testimonia habes in Decretis & Decretalibus, 12. dist. & 17. & 19. & 20. & 21. & 22. & 80. dist. c. *Urbes*; & 96. dist. c. *Bene*; & 24. quæstione 1. per multa capita; & 25. quæst. 1. & de electione, capit. *Significasti*; & de privileg. capit. *Antiqua*; & de baptism. cap. *Majores*; & de elect. in sexto Decretalium, cap. *Fundamenta*; & in Extravag. *Unam sanctam*; quam extravagantem innovavit et approbavit Concilium Lateranense, sub Leone decimo. Habes igitur non modò primos Romanos Episcopos, sed qui Petro in illa Sede successerunt omnes, unanimi consensione pro Pontificis suprematu loquentes, nubem planè testium.

[f] Locor. Theolog. l.6. c.4.

RAINOLD. Non eam verò *testium nubem*, cujus [t] ad Hebræos Apostolus mentionem fecerat. Sed ejusmodi *nubem* potiùs, quam intellexit [u] Athanasius: qui, quum à Juliano Imperatore mitterentur armati homines ad vitam ipsi eripiendã, cúmq; moesti, & flentes, fideles circumstarent; *Nolite*, inquit, *ô filii, conturbari; quia nubecula est, & citò pertransit*. Hic enim Pontificum exercitus, quem adversus nos instruxistis, in tres cohortes poterit distribui. Quarum primam aciem constituunt nomina eorum, qui supra trecentos à Christo annos vixerunt: sed tantùm nomina. Nam scripta quidem certè tam redolent Episcopos illos, quàm foenei homunculi robur referunt magnanimorum. Secundam aciem faciunt illi, qui proximis trecentis annis, aut circiter, floruerunt. Et quæ gestant tela, (non tamen omnia,) propria fuere: sed quę propria sunt, non satis lõga sunt ut suprematum attingant; & infirmiora sunt, quàm ut illud, quod attingunt, obtineant. Tertiam qui constituunt, sunt quasi triarii illi Pontifices, qui primam & secundam aciem, in postremo ordine subsequuntur. Et illis quidem animus major ceteris, sed animo vires non respondent. Nam adeò impedimentorum curâ perturbantur, & universa armatura Decretorum, Decretaliumq;, & Extravagantium ita hebescit, ut, si fundantur priores, ipsis ne uno quidem ictu hostes petendi relicta sit potestas. Vides igitur, illos, quos adhuc adduxti testes, nullius esse roboris: ecquos habes valentiores?

[t] Heb. 12,1.
[u] Rufin. hist. Eccl. l.1. c.34.

HARTVS. Immo manedum, quæso: & lente festina. *Canis festinans cæcos pa-*

rit catulos. Tuum ad illos Pontifices responsum, quorum testimonia protuli, in tribus consistit, juxta triplicem illorum cohortem, ut à te distribuuntur. Primos dicis suppositititios esse, longéq; illis Episcopis dissimillimos, quorum nomina sibi asciscunt. Proximi Pontificis suprematum non affirmant: etsi ex affectu, plus quàm verum est affirment. Ultimi, suorum ducti commodorum studio, pro se ipsis loquuti sunt, miniméq; idonei sunt qui in causa sua testimonium dicant. Non hæc vis?

RAINOLDUS. Planè. Sed quod tu ultimis accómodas, *minimè idoneos esse qui in causa sua dicant testimonium*: idem ego de secunda quoq; cohorte sentio. Et verò, si existimarem illos primos (qui videntur ultimorum ætate fuisse cõficti,) ab aliquo ambitioso Pontifice ipso, confictos & cusos fuisse: illos quoque eâdem vellem rejicere exceptione. Sed quidem certè non in ea opinione sum constitutus, ut aliquem Pontificem ipsum credam eos confinxisse. Coquus potiùs aliquis fuerit, aut agaso Pontificis: si quam possim ex stylo & Latinitate conjecturam facere.

HARTUS. Video omne illud, quod tu contra primi ordinis scripta habes dicere, idem esse, quod [x] Magdeburgenses vestræ Centuriæ loquuntur. Hæc enim ab ipsis affertur ratio, multúmq; eam premunt, *stylum esse inelegantem, & sermonẽ barbarum.* Quæ ridicula est refutatio levísq;: ut ostendit Pater [y] Turrianus, in sua *canonum Apostolorum, illarúmq; Pontificum epistolarum, adversus Centuriatores* defensione. Quid enim obstabat, quò minùs *stylo* & *sermone* rudes essent, tùm ut in rebus ad salutem omnium pertinentibus, etiam ab idiotis intelligi possent: & ne ex electione verborum, laudem & gloriam inanem viderentur quærere? Quin etiam quum Centuriator[illegible] in hoc quod de *stylo* ratiocinantur, similitudinem quoq; ejus annotent, quasi ho[illegible]gulare quoddam esset indicium, quo scripta probarentur esse adulterina: in eo insignem stultitiam prodiderunt. *Stylus* enim certus index (præsertim in quibusdam autoribus) veri operis esse solet, quo ad discernendos veros libros à falsis sæpe uti consuevimus; quod à viris doctis in Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & aliis est factum. Verùm hîc, ex dissimilitudine *styli* germanum alicujus autoris opus, ab adulterino dignoscitur. Quod dignoscendi genus, in iis Pontificum *epistolis*, quas Centuriatores repudiant, haberi non potest: quia ab iis Pontificibus nihil, præter eas ipsas *epistolas* scriptum habemus. Ecce autem hæreticorum cæcitas. Quum nequeant eas *epistolas* ex *styli* dissimilitudine refutare, eas refutare similitudinem *styli* dicunt: quod est perridiculum.

RAINOLDUS. Ut somniat scilicet Pater Turrianus. Et quod solet in somniis usu venire, ut multa in iis sibi invicem sint contraria, & tamen nescio quo modo is qui somniat, omnia opinetur optimè cohærescere: idem accidit Turriano, in sua de *stylo* contra Centuriatores disputatione. Qua enim adductus ratione [z] asserit, *stylum plerumque esse certum indicem, quo veros libros à falsis discernamus?*

HARTUS. *Quoniam est aliquando stylus autoris sui ita proprius, ut facilè ex eo, & quidem mediocri judicio, opus ejus dignosci possit: ut in Tertulliano, Apuleio, Plinio, Suetonio, atq; aliis ejusmodi, ne omnes enumerem.*

RAINOLDUS. Quid? Non potest alterius alicujus *stylus stylo* Tertulliani, aut cujusquam, adeò similis esse, ut ab altero nequeas alterum dignoscere?

HARTUS. Potest fortasse: sed rarum illud & difficile. Vir ille doctissimus (cujus mentionem feceras) [a] Sixtus Senensis, affirmat, *omnium notarum, & conjecturarum, quibus vera autorum opera à falsis & fictitiis dignosci possint, styli diversi-*

[x] Eccl. histor. Magdeburg. Centur. 2. 3. & 4. cap. 7.
[y] Franc. Turrian. adv. Magdeburg. Centuriat. pro epist. Pótificum lib. 1, cap. 17. & l. 2, cap. 1. & 2.
[z] pro ep. Pontif. lib. 2. cap. 1.
[a] De falsa librorũ inscrip. Bibliot. sanct. lib. 4.

tatem evidentiorem videri ac certiorem. Nam, etsi cuivis impostori facile sit autorum patriam, genus, temporáq; mentiri, ac dogmata sequi: nihil tamen difficilius est, quàm alterius imitari stylum. Stylum autem (inquit ille) *appello, non illam exteriorem sermonis superficiem, sed orationis characterem, dictionis contextum, texturæ continuitatem, elocutionis formam, figuras loquendi, dispositionis artificium, tractationis methodum, & cetera, quæ cuiq; diserto autori propria sunt. Sicut enim suus cuiq; homini corporis habitus est, suus cuiq; vultus, suus cuiq; nativus color, sua cuiq; vox, aliæq; singulares notæ, quibus à ceteris hominibus distinguatur: ita singulis Ecclesiæ scriptoribus peculiares quædam proprietates insunt, quæ aut nunquam, aut rarò alteri conveniant; veluti sunt, plausibilis Antiochi pompa, Basilii accurata dictionis diligentia, sublimis Gregorii Theologi cothurnus, Chrysostomi sponte fluens atticismus, purissima Cypriani facilitas, Gallica Hilarii grandiloquentia, gravis & arguta brevium sententiarum in Ambrosio copia, in Hieronymo picturata rerum verborúmq; varietas, in Augustino cola similiter finientia, & commata similiter cadentia, in Gregorio numerosus periodorum alternatim respondentium incessus, & alia his similia, quæ quantumlibet quis affectet, minimè tamē assequi possit.* Ex quibus Sixti verbis intelligas licet, nō sine ratione loquutum esse Turrianum, quum diceret, *stylum plerumq; esse certum indicem, quo veros autorum libros à falsis discernamus.*

RAINOLDVS. Et ex iisdem Sixti verbis intelligas, ipsum, quum hoc dicit, infirmare rationem suam, & Centuriatorum rationem confirmare. Illæ enim Pontificum *epistolæ* quas spurias esse criminantur, sunt sibi queq; *stylo* quàm simillimæ: adeóq; similes, ac si omnes ovo prognatæ fuissent eodem. Jam verò ipsarum autores, non duo aut tres Pontifices fuisse dicūtur, quorum possent liberi esse similes: sed duo aut tres supra triginta, cum quadam etiam accessione; Clemens, Evaristus, Telesphorus, Hyginus, Anicetus, Soter, Calixtus, Urbanus, Pontianus, Anterus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Dionysius, Felix, Eutychianus, Gaius, Marcellinus, Sylvester, aliíque, præter quatuordecim illos, quorū nomina ex Stapletono & Cano protulisti. Hinc [b] Centuriatores colligunt *epistolas* illas falsò ipsis esse ascriptas: quoniam *habitus orationis & totus contextus palàm prodit, unum & eundem autorem omnium epistolarum esse. Impossibile enim est,* inquiunt, *tot Episcopis, de industria etiam ad styli similitudinem assuefactis, unam fuisse locutionem.* Atq; hæc est illorum à *similitudine styli* deducta ratio: quam [c] Turrianus, dum contendit ut ineptam eludere, ut firmissimam confirmat, dicens *stylum certum indicem esse solere, quo, ad discernēdos veros libros à falsis, sæpe uti consuevimus, quod in Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Cypriano, Tertulliano,* & aliis est factum. Quod ita esse non poterat, nisi stylis hominum peculiares quædam proprietates inessent, quibus à se invicem distinguuntur, ut corpora habitu, colore, voce, vultu, aliísq; notis, quibus ipsas dignoscimus. Et quidem haud unquam fere tres reperieris, quibus corpora sunt ex omni parte similia: nedum tres & triginta. Proinde cæcitas illa, quam tu in Centuriatoribus, ut hæreticis ostendere decreveras, in hæreticū Jesuitam cecidit, qui illos redarguit. Immo, ut [d] Syri, quū Elisæū capere conabantur, cæcitate percussi sunt, & deducti in mediū urbis Samaritanæ: ita cæcus Jesuita, dū veritatē in Centuriis opprimere niteretur, est in mediū delapsus Samaritanæ cujusdā improbitatis. Nā, ut evinceret nō potuisse Centuriarum autores *epistolas* illas ex *styli dissimilitudine* infirmare, ait, *ab iis Pontificibus, quorū isti epistolas negant, nihil nos, præter eas ipsas epistolas, scriptum habere.* Quod falsum est. Unus enim Pontificum ipsorum, quorum illi commentitias *epistolas* [e] *rejiciunt*, Cornelius est. Ejus exstat una germana epistola integra, & aliorum partes quædam, apud

[b] Cent. 2. c. 7.

[c] Pro ep. Pont lib. 2. cap. 1.

[d] 2. Reg. 6. 18.

[e] Cent. 3. c. 7

[f] Cyprianum & [g] Eusebium. Alter [h] Julius est. Ejus exstat germana epistola apud [i] Athanasium. Quas inter epistolas, germanas illas apud Cyprianum, Eusebium, & Athanasium; & adulterinas istas, quæ à Centuriatoribus rejiciuntur, tantum est, quod ad *stylum* attinet, discriminis: quantum in materia, aurum ab aurichalco distat. Jam ex istis pauculis, ceteras *epistolas* possis æstimare: omnes enim ex ejusdē fabri officina prodierūt. Quare nō *styli* modò similitudo, sed dissimilitudo etiam illas cōmentitias esse convincit. Atq; hoc quoq; observatū est à [k] Cēturiarū scriptoribus: præcipuè verò in epistola Juliana. Quo miror magis audaciam Jesuitæ, qui asserit, *neq; potuisse objici, neq; objici ab ipsis adversùs eas styli dissimilitudinem.*

HARTVS. Sed prior tamen ratio, quam à *sermonis* genere arcessunt, *rude* esse & *barbarum*, jure vellicatur à [l] Turriano. Nam & [m] Paulus Apostolus *rudis fuit sermone, sed non scientiâ.* Atq; ita esse poterant Pontifices.

RAINOLDVS. Non ita verò. Aliud enim est * *rudem esse sermone*, & *simplicem* (quasi diceres) sine pompa & ornatu: aliud esse *barbarum*. Quemadmodum aliud est, rusticarium levidensâ vestiri, qua multi honesti viri utuntur: aliud, (ut errones solent) laciniis indui & panniculis. Quare, quum dicat Turrianus, *nihil obstare quò minùs barbarè scriberent Pontifices, ne ex eloquutione verborum, laudem & gloriam inanem quærere viderentur*: perinde est, ac si diceret aliquis, piis Dei præconibus laceras togulás plenásq; vermiculis esse induendas, ne ex honesta munditie videantur se superbiæ dedere & vanitati. Quod autem ad alteram ejus rationem attinet, *id desiderio quodam erudiendi alios factum ab illis esse, ut, in rebus ad salutem omnium pertinentibus, etiam ab idiotis intelligi possent*: ista quidem nonnihil valeret ratio, si illo seculo adeò crassum fuisset, atq; ipsorum est, popularis sermonis filum. Tum enim sermo hominum optimè intelligitur, quum se iis verbis & phrasibus explicant, quæ vulgò recipiūtur. Verùm, quantū aut ego conjecturâ colligere possim, aut tu arguere, ex ejus monumentis temporis, quæ vel ab Ethnicis, vel à Christianis mandata scriptis sunt: tam [n] vilia verba phrasésque, quibus illę scatent epistolæ, minimè tum temporis in quotidianum sermonem venerunt. Et verò arbitrabimur neminem omnium illius ætatis Doctorum scripsisse, quò simpliciores quoq; institueret? Non Tertullianū? Nō Cyprianū? Non Arnobiū? Nō Lactātiū? Non Minucium Felicem? Nō Hieronymū, Ambrosium, Augustinum? Aut etiam eos isti poterant pura germanáq; Latinitate instituere, Pontifices non poterant? Etiamne alii plebeii Christiani Romæ, congruenter, puréq; sunt loquuti, quod ex ipsorum epistolis & sermonibus, qui hodie [o] exstant, nobis constat: & Pontificibus fuit privilegio cautum, ut barbarè hi soli scriberent? Non negabo equidem, quin Pontificibus liceat nostris temporibus ejusmodi frui prærogativis: sed persuasum habeo, prioribus seculis minimè fuisse à communi hominum conditione immunes. Quare, nisi meliori nitaris fundamento quàm Turrianus, in opinione persistam mea, *Latinitatem* etiam, non *stylum* modò jure notare Centuriatores, ut efficiant epistolas, de quibus agimus, esse commentitias. Quanquam neque *stylus*, neq; *Latinitas*, sola sint argumenta illa quæ in hanc rem ab ipsis adducuntur. Plura ipsis atq; firmiora occurrunt.

HARTVS. Quàm quidem sint firma, ex eo liquerit, quod postremum tanquam firmissimum collocârunt; ex ipso, inquam, primario eorum argumento, autoritate testium. Nam inde [p] concludunt, *non fuisse antiquos Pontifices illarum autores epistolarum, quòd neq; Eusebius, nec Hieronymus, nec Damasus, earum mentionem facirant, neq; quisquam fere autor usq; ad Caroli Magni ætatem.* Cujus argumenti, pars prima inepta est: falsa postrema. Nam etsi Eusebius & Hieronymus scripta cu-

[f] Epist. 46. & 48. edit. Pam.
[g] Eccles. hist. lib. 5. c. 42.
[h] Cent. 4. c. 7.
[i] In Apolog. 2.
[k] Cent. 4. c. 7.
[l] Pro ep. Pontif. lib. 1. c. 17.
[m] 2 Cor. 11. 6.
* Opponuntur ἰδιώτης τῷ λόγῳ, & καλλωπισμὸς, atque etiam ὑπεροχὴ λόγου, quibus usi sunt pseudo-apostoli. 1. Cor. 2. ver. 1. & 4.
[n] *Rigorosus, modernus, cavitativus, inthronizare, à malis se cavere, utiliter se prævideat, gaudeo de vestra sospitate, leges se nocentes non suscipiunt, prætaxato modo, ut prælibatū est, Episcopus accusandus est ad primates suos, necessarium est ut vobis ob hac Apostolica Sede suffragetur*, cum multis talibus sermonis flosculis: *salvâ in omnibus autoritate Apostolicâ* In epistolis Telesphori, Vrbani, Anteri, Fabiani, Stephani, Eusebii, Melchiadis, & reliquorum.
[o] In Cyprian. epist. 26. 30. 31. 46. & 50.
[p] Cent. 2. c. 7.

justlibet magni Doctoris scrupulosè annotare soleant; non tamen omniũ scripta ad illorũ manus venerũt. Damasus verò non tam vitas Pontificũ antecessorũ suorum descripsit, quàm quosdam veluti Chronicos canones: quo loco nati, quibus orti parentibus, quibus temporibus vixerunt, quot ordinationes fecerunt, quibus Consulibus mortui, ubi sepulti. Non est mirum igitur non notasse ipsum, quas illi epistolas scripserint. Quanquam Romæ, in exemplari manuscripto (quod vidit [q] Turrianus,) de unius Pontificum, Anacleti scilicet, epistolis facta sit mentio.

[q] Pro Epist. Pont. l. 5. c. 20.

RAINOLDVS. *Romæ, in exemplari manuscripto*, potest fieri: sed in nullo adhuc typis excuso exemplari. Erratum omnino à quibusdam, qui, quum Surius Fraterculus postremam Conciliorum editionem parabat, non hoc illi indicârint, quò in Damaso id potuerit emendasse. Quòd si verò Damasus rem notatu dignam existimaret, *quot illi ordinationes facerent*: est quidẽ valde verisimile, illũ notaturũ fuisse, quòd etiã quandoq; scriberent, si tãti scriptores extitissent. Ad Eusebiũ autem, & Hieronymũ quod attinet, etiãsi omnes (fateor) scriptores ad eorũ manus non pervenerint: tamen per quidẽ mirũ fuerit, quũ [r] alter in magna esset apud Constantinũ Imperatorem Romanũ gratiã, [s] alter in chartis Ecclesiasticis Damaso Romano Episcopo inserviret, utriq; studiosi atq; curiosi in omniũ Christianorũ scriptorum monumentis perdiscendis, [t] eo consilio ut de ipsis sermonẽ facerent; neutrũ eorũ, ne in unã quidẽ illarũ *epistolarũ* potuisse incidere, quas tales támq; multi Episcopi Romani scripserunt. quũ præsertim varias invenerint *epistolas* [u] ab iis conscriptas, quarum mentionem faciunt: & tamen earum omnium quas invenerunt, ne una quidem in istis appareat.

[r] Eusebius l. 2. & 3. De vita Constant.
[s] Hier. ep. 11. ad Ageruchiam.
[t] Euseb. in hist. ecclesiast. Hier. de script. ecclesiast.
[u] Nominatim, à Clemente, Victore, & Cornelio.

HARTVS. Illæ, quæ tũ frequentes erant, poterant postea amitti: & istæ, quas nunc in manibus habemus, tum poterant ignorari. Neq; verò rationi est consentaneũ, ut omnes illi nihil scripsisse dicerentur, quorũ scripta vulgò non cognoscũtur. *Sunt* enim *hodie* (ut narrat [x] Turrianus) *in Bibliotheca Vaticana multa volumina epistolarum Pontificum superiorum, quæ Pontificatûs cujusq; eorũ acta ac res gestas continent, unde vulgò Registra vocantur: Gregorii septimi, Innocentii tertii, Honorii tertii, Gregorii noni, Innocentii quarti, Alexandri quarti, Urbani quarti, Clementis quarti, Nicolai tertii, Honorii quarti, Bonifacii octavi, Johannis vicesimi secundi, Clementis sexti, Innocentii sexti, Urbani quinti. Hæc verò, quia sunt manuscripta, & nondum à Typographis vulgata, in paucissimorum hominum notitiam venerunt; præter perpauca, quæ Gregorius nonus, & Bonifacius octavus ex iis excerpta compilârunt*, in Decretalibus, *ad usum judiciorũ Ecclesiasticorũ. Quòd si hae fortassis altero seculo, in lucem ederentur*: diceréisne eas *fictas* esse *epistolas, quòd nulli scriptores, nec ipsi Pontifices de iis meminerint; immo, quas ipsi Pontifices fortassè nunquam viderint?*

[x] Pro epist. Pont. l. 5. c. 20.

RAINOLDVS. Imparem prorsus instituis comparationẽ, quũ ais, *Põtifices ipsos nunquã vidisse libros Bibliothecæ suæ*, ut inde doceas, multos illic latere potuisse libros, qui Hieronymũ & Eusebiũ fugerunt. Est enim verisimile, multos esse Pontificibus libros, quos nõ vident ipsi: alia sunt illis inspectãda. Sed Eusebius & Hieronym' integras Bibliothecas studiosè sunt perscrutati, ut omnes autores qui in illis extabãt, assequerẽtur. Quare perinde videbãtur illi potuisse priorũ Pontificũ nosse *epistolas*, atq; Turrianus istas recentiorũ. Nõ enim majori sollicitudine vetera monumenta rimatur & excutit Turrianus, ad evehendum Pontificem; quàm olim Eusebius & Hieronymus, ad prædicandum Christum. Ceterùm, quicquid viderit Hieronymus aut Eusebius: non tu arbitraris Pontifices, utcũq; rariùs libros Bibliothecæ suæ visant, tamen, si quis in ea sit, quem vidisse ipsis commodum fuerit ad supremátum suum in Anglia recuperandum, eum citò esse reperturos?

HARTVS. Arbitror quidem eum in promptu futurum, ubi erit commodum.

RAINOLDVS. Firmissimum igitur Centuriarum autoribus ex hoc testium loco suppeditatur argumentum; non fuisse has *epistolas*, sub Hieronymi & Eusebii tempora, in Bibliotheca Pontificia. Nulla enim fit harum mentio, y vel in Carthaginensi Synodo, vel in Africana, in quibus, quum ostendere niteretur Pontifex, ad se jure fieri potuisse appellationes, illas sanè, ut videtur, producturus fuisset, si exstitissent. Verùm istam à Centuriatoribus observatam probabilitatem perquam scitè silentio præterit Turrianus; ubi tamen præ se ferat, ad omnes ipsorum testes se responsurum: fortasse, secundùm Antonii apud z Ciceronem præceptum, à quo jubemur, *ut molesto, aut difficili argumento omnino nihil respondeamus*. Quanquam omnia ista verisimilitudines tantùm esse confiteor. Nihilominus, si ad verisimilitudines istas à *Damaso, Hieronymo, Eusebio, Pontificibúsq;* ipsis derivatas, hoc etiam adjungas; *non facile reperiri posse has epistolas, ab ullo Patrum, aut fide digno autore citari, ante Caroli Magni ætatem; circiter octingentos post Christum annos*: fas est credere justam fuisse causam, quare Centuriarum scriptoribus illæ in suspicionem venirent.

y Concilium carthag. 6. & Africanũ. circiter annum Christi. 420.

z De oratore lib. 2.

HARTVS. Quinimmo, istud argumenti eorum pars postrema est, quæ, ut dixi, falsa est. Nam * Isidorus (qui supra centum annos ante *Carolum Magnum* floruit,) illas *octoginta Episcoporum hortatu* collegit. Quare nobis apud illum unum octoginta Episcopi adsunt, qui nobis, adversùs istud Centuriatorum mendacium testimonium ferant.

*Turrian. pro epist. Pont. l. 5 cap. 23.

RAINOLDVS. Verùm, quî scis illud verum esse, quod de *Isidoro* & *octoginta Episcopis* commemoras?

HARTVS. Quî? Ex a Isidori ipsius præfatione, quæ præfixa est Conciliis. In ea enim, postquam ostẽdit se *compellatum esse ab octoginta Episcopis*, ut canones colligeret; *Deinde quarundam epistolarum*, inquit, *decreta virorum Apostolicorum interseruimus, id est, Clementis, Anacleti, Euaristi, & cæterorum Apostolicorum, quas potuimus hactenus reperire epistolas, usq; ad Sylvestrũ Papã: postmodũ verò Nicænã Synodũ constituimus, & deinceps reliqua decreta Præsulum Romanorũ, usq; ad Sanctũ Gregoriũ.* Hactenus Isidorus. An non is ex Patrum numero? Fide dignus autor?

a Præfat. Isid. Conc. Tom. 1.

RAIN. Fac esse eum: quid inde, contra Centuriarum scriptores concludis?

HARTVS. Illud ipsum, quod concludit b Genebrardus, ut ipsius verbis utar: *Errant ergo Centuriatores, qui epistolas decretales Pontificum à nullo fide digno autore citari, ante Caroli Magni ætatem garriunt.*

b Chron. l. 3.

RAINOLD. Semper se peritũ artificem præbet Genebrardus tuus contra Centuriatores. Ubi enim illi dicunt, [*non facilè reperias*;] voculam [*facilè*] recidit ille, ut, compertâ re in quadam Isidori præfatione, ipsos * *erroris* insimulet, indéq; hæretici infamentur. Quid verò si non sit ab Isidoro illa scripta *præfatio*? Quid si etiam sit ipse suppositius?

* *Errant ergo Centuriatores.*

HARTVS. Ne tu rectam nunc instas viam, tenueris modò. Omnes nega scriptores, qui contra te faciunt, & illos esse suppositios dicito. Adeò turpem causam vos suscipitis, ipsi non minùs turpes patroni, ut nullis nisi turpibus rationibus eam defendere valeatis.

RAINOLDVS. Contine te verò. Mihi assensus esse videbare, licere mihi Patrẽ jure excipere, esset modò suppositius.

HARTVS. Certè: esset modò. Verùm nequaquam est legitima exceptio, hoc vel illud adversus aliquem dictare: probes oportet.

RAINOLDVS. Et statuo idq; demonstratione ex eodem ipsius c Genebrardi libro

c Chron. l. 3.

libro petita, in quo hoc Centuriatoribus crimen objicit. Quo enim Christi anno discessit Isidorus? quomodo colligit Genebrardus?

HARTVS. Anno sexcentesimo trigesimo septimo: ut ex Vasæo probat.

RAINOLDVS. Quo demum tempore illud generale Concilium Cōstantinopolitanum, sub Agathone habebatur? Quid de hoc ille?

HARTVS. Anno sexcentesimo octogesimo primo, vel secundo, aut nō multò secus.

RAINOLDVS. Discessit igitur è vita Isidorus, supra annos quadraginta ante illud generale Concilium.

HARTVS. Planè: quid tum inde?

RAINOLDVS. Inde consequens est, *præfationem* illam scriptā nomine Isidori, & præfixam Conciliis, ut fides illis epistolis acquireretur, esse supposititiam, ac nō Isidori. In illa enim *præfatione* fit mentio *generalis Concilii Constantinopolitani, contra Macarium Episcopum, & Stephanum habiti, Agathonis Pontificis, & Constantini Cæsaris temporibus*. Quod quum supra quadraginta annos habitum fit post mortuum Isidorum, Genebrardo ipso idem confitente: ipso confitente, non potuit Isidorus *octoginta ejus Episcopos* commemorare. Atq; ita *octoginta illi Episcopi*, quos *in uno Isidoro* reperit Turrianus, abierunt omnes in unum supposititium, cùm *Isidori*, tùm *octoginta Episcoporum* nomine abutentem.

HARTVS. [d] Igmarus, qui Archiepiscopus fuit Rhemensis sub Ludovico Caroli filio, ante septingentos annos, illud Isidori esse opus censuit, perindéque citat.

RAINOLDVS. Quorsum hoc commemoras? An tibi animus est probare aliquos deceptos esse, supposititiúmq; Isidorum pro vero habuisse?

HARTVS. Nullo modo: sed ut probē esse Isidori opus (quod facit Pater [e] Turrianus,) ex Igmari testimonio.

RAINOLDVS. Non sufficit huic probando *Igmarius*; haud gravatè ferat oportet, si in nonnullis perinde atq; majores sui, hallucinetur. Nimis enim liquidò ex [f] Conciliis ipsis constat, Isidorum illo tempore, de quo inter nos convenit, mortuum esse: ideóq; nihil causæ relinquitur, quin ut alius fuerit, qui illam ejus nomine *præfationem* sit commentus. Quod eo magis facit, ut epistolas istas supposititias esse suspicer, quum Patrem comperiam esse supposititiū, quò autoritas ipsis conciliaretur. Et quidē certè est verisimile, Caroli magni temporibus, quum Occidentales Ecclesiæ libros sæpenumero ex Bibliotheca Romana peterent, mediastinum aliquem Pontificis (qui oculum adjecit ad marsupium,) commentum hoc cum reliquis submisisse: quod minimè mali homines (tùm in Gallia, tùm in aliis regionibus tanquam egregium aliquod opus, contextum ab Isidoro, & à Sede Apostolica arcessitum, exceperunt. Verùm, ut omnia demū, quæ dici possunt, pro antiquorum testium silentio dicantur, quod urgetur (& jure) tanquā probabilis quædā conjectura, has non exstitisse illorū temporibus epistolas: res ipsæ quæ in iis tractatæ agitatæq; sunt, Scripturæ quæ proferuntur, quæ traduntur historiæ, quæ ceremoniæ commemorantur, tempora diésq; quæ ascribuntur, non conjecturæ probabiles sunt, sed certissima argumēta, ipsas ab antiquis illis Romanis Episcopis nequaquam scribi potuisse, quorum nominibus vendūtur. Est quidam libellus ascriptus [g] Ovidio Poëtæ, *de vetula*: ecquando vidisti?

HARTVS. Quid ad rem? Illéne de Pontificum *epistolis* loquitur?

RAINOLDVS. Non: sed illorum *epistolæ* illi libello variis in rebus sunt affines. Antiquus est; editus ante centum annos. Atque is, qui illum edidit, ait

[d] Liber de variis capit. Eccles. cap. 27.

[e] Pro epist. Pont. l. 5. c. 23.

[f] Concil. Toletan. 4. & 6. in subscripti-on. Episcopor.

[g] Ovidii Nasonis Pelignensis de vetula. Excus. à Ioanne Lubecensi, sive Coloniensi, anno Christi 1479.

Ovidium in ultimo vitæ suæ eum scripsisse, jussisseq; ut in sepulchro ejus cum ipso reponeretur: quo in sepulchro tandem repertus est à loci ejus incolis, qui Constãtinopolim miserunt, & eum Imperator Leoni protonotario suo tradidit, qui promulgavit. Fabula bella certè compositáq;, quæ ipsum Ovidii esse persuaderet. Quem etsi non redoleat magis, quàm *epistolæ* istæ Romanos Pontifices: tamen, si quod isthîc exoletum carmen Theologi vestri reperire potuerint, quod Pontificis suprematui daret testimonium; sentio quàm non essent tibi dissuasuræ priores à me adductæ rationes, quò minùs ab Ovidio fuisse scriptum libellum crederes. Nam, ad barbariem atque vilitatem *sermonis* & *styli*, si urgerem eam, respondere posses, ita quidem scripsisse Ovidium duabus de causis: ne inanem gloriam videretur quærere, & ut pœnitentia ejus etiam idiotis constaret. Ad *testium* verò silentium, quòd nemo in operibus ejus hunc numeraret, respondere item posses, in sepulchro ejus jacuisse. Et hoc quidem non minori posses cum probabilitate respondere, quàm Pontificum *epistolas* in Pontificis Bibliotheca reconditas jacuisse. Verùm ad materiam quam tractat libellus, & ad res eas de quibus agit, nulla ne quidem umbra defensionis potest ullâ cum ratione exhiberi. Nã [h] *Mariæ* virginis laudes pangit, [i] *illam nobis daturum Deum mediatricẽ*, (2) *assumpturúmq; eam in cælum, & juxta se in cathedra collocaturum:* etiam (3) prece ad illam autor utitur. Quæ quidem doctrinæ capita sunt inaudita, credo, Ovidii temporibus. Neq; verisimile est ita diligenter versatum fuisse in Scripturis Ovidiũ, ut [i] citare (4) *Mosis legẽ* potuerit, & *Jacobi Esauq;* meminisse, & (5) ad Salomonis Ecclesiastẽ alludere. Ita prorsus, quod ad *epistolas* attinet Episcoporũ Romanorũ, etsi quibusdã scholiis freti, alias rationes eludatis: tamen persuadeo mihi, res ipsas & materiam earum nullo posse vos fuco illinere. Nam eo modo proferuntur Scripturæ; & ejusmodi dogmata habentur de Ecclesiæ politia, de religione, de ritibus, de Ecclesiæ historiis, ut fieri non possit ab illis Episcopis eas scriptas esse.

HARTUS. Quid? Existimásne æquè absonum fidei esse, ut ab illis proferrentur Scripturæ, atq; ab Ovidio?

RAINOLDUS. Immo, existimo sanè, vel scio potiùs magis absonum esse, ut eo modo ab ipsis proferrentur Scripturæ quemadmodum proferunt, quàm ut alluderet Ovidius ad *Salomonem*, aut citaret *Mosem*. [k] Mosis enim libri ([l] forsan etiam Salomonis) in Græcum vertebantur operâ Septuaginta interpretum, multis annis ante Ovidium: & eos ille legisse poterat. Sed vulgaris vestra versio Latina veteris Testamenti, edita (magnam partem) ab Hieronymo ex Hebræo, (unde *Hieronymi* appellatur,) nõ poterat ab Anacleto aliisq; vetustis Romanis Episcopis videri. De vita enim antè migrârunt illi, quã ipse natus est. Et tamen omnes illorum epistolæ, secundũ istã versionem Scripturas afferunt. Clarissimũ verò argumẽtũ, scriptorem earum post Hieronymum floruisse: immo, multò pòst, ut probabiliter quidem potest conjici. Vulgaris enim versio Latina, qua usi sunt prisci Patres, è Græca Septuaginta interpretum derivata est. Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, ejusdéq; seculi alii, id in universis scriptis suis cõmonstrant. Neque verò statim fuit vetus illa interpretatio relicta, simul ac Hieronymus novã emisisset. [m] Augustinus enim, qui illam viderat Hieronymi, semper veterem illi anteferebat. [n] Gregorius, qui ducentis pòst annis viguit, utramq; sine discrimine usurpat, (quoniam id ab Ecclesia Romana factitatũ est,) sed [o] recentiorẽ magis probat. Atq; ita, decursu temporis nova versio invaluit, vetúsq; penitus omittebatur: nisi quòd in Psalmis tantũ retenta sit, quæ in templis cantillata altiores radices egerat, quàm ut ab Hieronymo potuerit extirpari. Quum igitur, illæ Episcoporum Romanorum *epistolæ*

[h] De vetula lib. 3.

(1) *Hanc mediatricem dabit humano generi Rex, Largitor veniæ.*

(2) *Non opus est ut eã velit exaltare gradatim: Sed simul assumet, simul & sibi concathedrabit.*

(3) *Illic esto tui memoris memor optima Virgo.*

[i] De Vetula lib. 3.

(4) *Imbenedicibilẽ lex innuit illa spadonem Exemplo quodã famoso: nam spado, quãvis sit Voce Iacob, manibus non est Esau*

(5) Ecclesiast. 12. l. 3. de Vet.

[k] Ioseph. Antiquit. Iudaic. lib. 12. cap. 2.

[l] Epiphan. lib. de mensur. & ponder.

[m] De civ. Dei lib. 18. cap. 43.

[n] Ep. ad Leandrum in exposit. Iob. c. 5.

[o] Exposit. Iob. 20. cap. 24.

Scripturas juxta istam versionem citent, quam *novam* nuncuparunt Patres, p vos *veterem* nuncupatis; quúmque ita longum intercessisset post Hieronymum temporis intervallum, antequam versio ista eam autoritatem esset assequuta, ut excluserit prorsus priorem: est probabile, multo posterius eas scriptas fuisse; sed sive multo, sive paulo, certum est post Hieronymi tempus fuisse scriptas.

p Conc. Trid. Sess. 4.

Hartvs. Verum est, Anacleto, reliquísque Episcopis illis, qui ante Hieronymi ætatem vixerunt, necessariò fuisse in usu illam versionem, quam Patres *veterem* vocant. Quod ipsos fecisse iis in *epistolis* respondet q Turrianus.

q Pro epist. Pont. l. 5. c. 21.

Rainoldvs. Planè contrarium ex ipsis *epistolis* sigillatim constat.

Hartvs. Certè: verum ait Turrianus, quum primùm istæ epistolæ, ut à nullis ignorarentur, ad Ecclesiæ usum vulgatæ sunt, visum esse tunc (quoniam Hieronymi interpretatio in manibus omnium erat,) utiliter fieri, ut multis in locis, quæ juxta priorem erant citata, interpretatio Hieronymi in prioris interpretationis locum succederet.

Rainold. Quî autem probat Turrianus citata esse juxta priorem?

Hartvs. Quoniam multæ, quæ in illis afferuntur sententiæ, ex Prophetis, magis rei convenirent, si secundùm alteram illam, quæ è Græco manarat, allatæ fuissent; quàm secundùm hanc Hieronymi, quæ petitur ex Hebræo. Exempli causâ: in r prima Alexandri epistola, illud ex s Zacharia Propheta adductum est; *Qui vos tagit, tangit pupillam oculi mei,* ut est in interpretatione Hieronymi. Sed altera illa è Græco interpretatio foret; *Qui vos tangit, pupillam oculi sui tangit:* hoc est, sui ipsius oculi, & non Dei. Quomodo magis convenisset Alexandrum illud afferre, ut Turrianus ex contextûs circumstantiis edocet. Quod etiam in duobus, aut tribus præterea exemplis illustrat.

r Alexand. prim. ep. 1. ad omnes orthodoxos.
s Zach. 2. 8.

Rainoldvs. Atq; ex eo efficit ille, Pontificem ita citasse. Quasi verò non posset Pontifex non facere, quod maximè conveniret.

Hartvs. At verò, haud rectè instituto ejus convenit, nisi ita citaret.

Rainoldvs. Utcunq; liquidum est, non ita autorem citare voluisse. Nam in eadem epistola, ait, *Sacerdotes & Episcopos*, (ad quos Prophetæ verba accommodat,) *oculos Domini vocari.* Quod quoniam ex illis verbis infert; *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei:* videtur dixisse [*oculum*] non *ejus* qui tangit, sed Dei. Neque aliud intellexerat, si verba juxta Græcam interpretationem, ac non Hieronymi, attulisset. Nam etsi in Græco sit; *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi sui,* (sicut in Hæbræo est, & in t emendatissimis etiam Hieronymianæ versionis exemplaribus:) tamen vocula [*sui*, αὐτοῦ] refertur ad [*Dominum exercituum*,] cujus curam de populo suo iis verbis notat Propheta, u quomodo ante ipsum quoque Moses fecerat. Quare, si non rectè eo sensu, locus iste instituto & scopo *epistolæ* Pontificis conveniat, quo est adductus, quod ait Turrianus: ipse igitur fatetur, non omnes isthic Scripturas aptè proferri. Quod dum affirmant Centuriæ, x ferre non potest. Ceterùm, si hoc rectum sit probatúmque responsum; *quum epistolæ illæ Pontificum vulgarentur, contextus, qui non poterant ita ab ipsis citari, fuisse commutatos:* omnino fieri non potest, ut ulla afferatur ratio, quin ab ea ipsas tectas facilè queas conservare. Nam, si quod caput sit, vel ordinis in disciplina, vel in fide doctrinæ, vel si quid in temporum statu, vel in circumstantiis personarum, & quarumcunque denique rerum, quod ejusdem ætatis Scriptoribus testibúsque refutatum sit, ut sunt quidem infinita: possis dicere non

t In Bibliis Complutensib. & Regiis Antuerp. & variis manuscript. Hentenii, & Francisci Lucæ, & text. excus. cum Hier. comment. in Zachar. 2.
u Deut. 32. 10.
x Pro epist. Pont. l. 3. c. 13. & passim alibi.

 ita

y Epist. 2. ad Rufum aut Rusticum.
z Epist. 55. ad Cornelium. *Statutum est omnibus nobis.*

ita in epistolis fuisse, sed ab iis mutatum esse, qui illas in vulgus emiserunt. Exempli gratiâ: in earum una, quæ [y] *Cornelio* ascribitur, *appellationes ad Sedem Romanam approbantur*. Verùm ostendit [z] Cyprianus, *sibi cum Cornelio aliisq; Episcopis statutum fuisse, ut uniuscujusq; causa illic audiretur, ubi crimen esset admissum; sine appellationibus.*

a Princ. doct. lib. 6. cap. 15.

HARTUS. Nunquam finem faciemus, si singulis insistamus quæ vellicari possint. Ego quidem satis habeo, omnia, quæ tu possis dicere, reperiri in Centuriis; & ad ea quæ dixerint illæ, responsum esse à Turriano. Hæc est qua [a] utitur Stapletonus, illarum *epistolarum* defensio: atque in ea mihi ego satisfacio.

RAINOLDUS. Non ad omnia quæ dixerunt illæ, responsum est à Turriano: fortassis non ad hoc ipsum de *Cornelio*. Verùm, si tantopere arridet tibi Stapletoni artificium, ut omnia Turriani humeris sustinenda imponantur: permittamus ejus contra Centurias conatus *duodecimviris* considerandos. Qui à me simul rogandi sunt, ut unam præterea rationem considerare velint: quam neq; apud Turrianum, neq; in Centuriis reperient.

HARTUS. Quænam illa tandem ratio?

b De concordant. cathol. l. 3. cap. 2.

RAINOLDUS. Trium literatorum hominum, qui vestris partibus adhærent, judicium: Cusani, Cardinalis; Bellarmini, Jesuitę; & illius celeberrimi Jurisconsulti, Contii. Nam [b] Cusanus Cardinalis, inquiens, *fortassis illas Clementis & Anacleti epistolas apocryphas esse, in quibus, volentes Romanam Sedem omni laude dignam, plus quàm Ecclesiæ sancta expedit & decet, exaltare, se penitus aut quasi fundant*: adjicit cõfirmationis loco, *si quis illas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad illa scripta applicaret, ac deinde in opusculis omnium sanctorum Patrum qui usq; ad Augustinum, Hieronymum, & Ambrosium fuere, ac etiam de gestis Conciliorum ubi authentica scripta allegantur, usum & memoriam haberet; hoc illum verum esse inventurum, quia nec in illis omnibus scripturis de illis præfatis epistolis mentio habetur, & etiam, ipsæ epistolæ applicatæ ad tempus eorum Sanctorum, seipsas produnt.*

HARTUS. Non erat quum hæc scriberet Cusanus, Cardinalis: neq; id affirmat ille, sed ait [*fortassis*:] & Anacleti tantùm Clementisq; epistolarum meminit, non omnium.

* *Ex allegatis etiam in ipsis epistolis, ac aliis innumeris, ista patêre possent, quæ hîc supervacuè ponerentur.*

RAINOLDUS. Sed rationes, quas à *rebus* quæ in iis continentur, & à *testibus* affert, omnes illas perstringunt: quò etiam cursus orationis ejus dirigitur. Neque verò ait ille [*fortassis*] dubitanter, sed modestè: addit enim insuper * *ex aliis innumeris ista patêre*. Et quanquam eo non esset tempore Cardinalis, Decretorum tamen Doctor fuit, & Cathedralis Ecclesię Decanus, dignúsq; qui paucis pòst annis Cardinalis crearetur. Neque verò aliquo Romanæ Sedis odio loquutus est, quam *divinam* vocat, *omni laude excellentissimam*, immo, *superexcellentissimam*, *primam*, *summæ potestatis excellentia Sedem*; atque, *non opus esse ipsam se his ambiguis juvare argumentis, quæ ex illis epistolis extracta, decreto Gratiani inserta inveniuntur.* Quòd si non fuerit is Cardinalis, quum hoc ferret judicium: fuit tamen Bellarminus, Jesuita, quum idem confirmaret. Nam quum prælectiones Romæ haberet de Pontificis suprematu, & ad illud ab his *epistolis* Pontificum petitum argumentum accederet: dicebat *Turrianum quidem, doctum virum, defendisse ipsorum Pontificum illas esse, se tamen contrariam opinionem veriorem existimare.*

HARTUS. Qui nosti ita dixisse illum, quum prælectiones Romæ haberet?

c Rishtonus

RAINOLDUS. Quidam familiaris tuus & socius, [c] qui illis interesset, retulit

mihi

mihi se illum ita dicentem audivisse. Et ejus quidem verbis eo citiùs fidem habeo; quoniam, ubi Bellarminus ipse scripto summam illarum prælectionum mandavit, etsi non omnino idem, re tamen idem dicit; *Non negabo*, inquit, *aliquos errores in eas irrepsisse.*

HARTUS. Sed subjicit, *certè tamen antiquissimas esse, nihil se dubitare.*

RAINOLD. Et cur tandem? *Nam Isidorus earum mentionem facit.* Quæ quidē ratio, *idcirco ipsum nihil dubitare antiquissimas illas esse, quòd ab Isidoro facta sit illarum mentio*, idem est mollioribus verbis, ac si diceret; nihil dubitare se antiquas illas esse, non ita tamen antiquas, ac feruntur. Fortassis autem Bellarminus, si Isidorum quoq; confictum esse admoneretur, aliquanto minùs antiquas illas putaturus esset, quàm adhuc putavit. Ceterùm, quod asperiùs tractare gravatur Jesuita: idem, Jurisconsultus, melioris animi, atq; majoris spiritûs homo, apertè asseverat. Nam asserit clarissimū atq; manifestum esse, *illas Pontificum epistolas, qui Sylvestrū præcesserunt, omnes falsas esse.* Jam verò Sylvester Nicænæ Synodi temporibus Pōtifex erat, supra trecentos à Christo annos. Atq; ita, quam adversus primam Pontificum cohortem dedi exceptionem, qui trecētis, & ampliùs, à Christo annis vixerunt: confirmatam illam vides à celeberrimo Jurisconsulto, magni judicii viro, vestræq; religionis cultore.

[d] Habentur. hæc apud Bellarm. lib. 2. de Romano Pontif. c. 14.

HARTUS. Quis ille *celeberrimus Jurisconsultus*? Aut quo tandem modo confirmat?

RAINOLDUS. Antonius Contius est, Regius professor juris in Academia Biturigum: cujus annotationibus (quæ commendatæ approbatæq; sunt Galliæ Hispaniæq; Regum privilegiis,) corpus Canonici juris vestri illustratum, Antuerpiæ à Plantino * excudebatur. In illarum annotationum [e] unâ dicit, *multas se in præfatione rationes adduxisse, quibus omnes Pontificum, qui Sylvestrum præcesserunt, decretales falsas esse manifestè ostendit.* Audi verò, non unâ aut alterâ conjecturâ, *sed multis rationibus*, idq; *manifestè ostendit.*

* Anno Dom. 1570.

[e] Distinct. 16. c. Septuagint. In Annotat. Contii.

HARTUS. Quæ autem sunt *rationes* illæ, quibus ita ostendit?

RAINOLDUS. Immo, in eo silentium mihi indicitur. * Ipsa enim *præfatio* (in qua *rationes* illas *adduxit*) non est edita. Etsi liberem oportet Plantinum Typographum ab hac culpa. Nam amico cuidam meo negotium dedi, ut ex eo sciscitaretur causam, quare non sit edita, & quid fieret illâ, licerétne ipsam videre. Cui respondit, *Censorem, qui præficiebatur revisendis libris qui prelo erant committendi, nolle permittere ut ederetur: quid autem fieret illâ, se non meminisse, nescire quî pararet.* Qui malè agunt, oderunt lucem. Aliquid erat in præfatione illa, quod nolebat *Censor* omnibus patere. Verùm, [f] *hoc uno modo sæpe* (inquit Cicero) *multorum improbitate depressa veritas, emergit: quòd aut ii, qui ad fraudem callidi sunt, non tantum audent, quantum excogitant; aut ii, quorum eminet audacia, atq; projecta est, à consiliis malitiæ deseruntur.* Quam prudentis Oratoris cogitationem, *Censoris* vestri inscitia veram esse confirmavit. Quamvis enim satis audax esset, ad præfationem Contii omittendam: non tamen calliditate satis instructus fuit, ad illam expungendam annotationem, quæ *præfationem* commemorat. Et tamen paulo pòst, (vide quo infortunio factum sit, ut eum effugeret,) subjecit annotationem quandā sub Contii nomine, quæ optimè profutura fuisset, si alteram delevisset. Nam in [g] quendam Anacleti Pontificis contextum, hæc illi verba affinxit: *Scio quosdam, istorum Pontificum à Petro proximè sequentium, decretales falsi insimulare; sed majorē ab his probationem requirerem: quum & in omnibus, quotquot exstant, canonum corporibus, ab Isidoro ex libro Damasi urbis Romæ Episcopi collectis, hæ reperiantur.* Hæc

* In præfatione adduxi.

[f] Cic. pro Cluent.

[g] Distinct. 21. c. Cleros. In Annot. Cont.

bellè fuit injecta à *Censore* annotatio, unà cum ipsa subscriptione, [*Contius.*] Malè factum, quòd altera ab eo nota non sit expuncta; ubi etiam [*Contius*] subscribitur.

HARTUS. Quamobrem *Censorem* suspicaris annotationem illam confinxisse, ac non potiùs Contium scripsisse? Accepisti à [h] Paulo, *caritatem non esse suspiciosam.*

RAINOLDUS. Sed neq; *caritas* est delira: hoc etiam ab illo accepi. Nam ut in vitio est, injustè suspicari: ita haud virtutis est, insipienter credere. & Paulus Apostolus, qui *caritatem* ait *omnia credere:* non tamen ipse credidit [i] *illos ei bene cupivisse, quos ex sororis filio intellexit vita ejus esse insidiaturos. Omnia credit caritas,* quę homini prudenti & pio sunt credenda. Atqui credere *Contiũ ipsũ hanc annotationem scripsisse,* majoris foret *inscitiæ credenti*; quàm *erga Censorem caritatis.* Quî enim fieri potuit, eruditum virum, Regium juris professorem, de iisdem epistolis dicturum, primùm, *Manifestè ostendi multis rationibus esse falsas:* & postea, *Scio quosdam eas falsi insimulare, sed majorem ab his probationem requirerem?* Quum prę sertim causa illa, quæ subjicitur isthîc, *quare ille majorem probationem requireret,* ipsius sit Isidori autoritas: [*] cujus [k] Contius fidem eo nomine elevat; quæ quoq; edita est annotatio. Et postea rursus, in [l] varios illarum *epistolarum* contextus, varia annotat, quibus *manifestò* ait *argui illas esse commentitias:* & rursus etiam, [m] in alios, meminit *probationis* ejus, quam in hanc rem præmisit *in præfatione:* etiam, quod magis est, in eandem ejusdem Anacleti epistolam, in quam illa adulterina conficta est annotatio, [n] Contius iterum annotat, *Hæc epistola falsò afficta est Anacleto, ut in præfatione monui.* Non tu perspicis quàm rectè observatum sit à Cicerone, *si aut calliditas audax esset, aut audacia callida, malè actum iri cum veritate?* Habitura sanè fuisset illa, quæ istis Pontificum *epistolis* oppugnatur, veritas, hoc uno pauciores causæ suæ patronos, si tam fuisset *Censor* vester callidus ad illas de *præfatione* annotationes delendas, atq; audax erat ad omittendam *præfationem*, illiq; contrariam annotationem novam confingendam. Et tamen fortassis annotationum quoq; aliquas delevit. Sed qui in multis versantur, eos aliquid effugiet.

HARTUS. Perpetuò pessima quæq; suspicare. Potuit *Correctoris* vitio, non *Censoris* accidere. Aut, si *Censor* id fecerit, animo bono fecit, quòd Contium in eo errasse autumaret.

RAINOLDUS. Non adeò probabilitas & conjectura omnis in *Correctorem* propēdet, qui omnes annotationes pervolutans, reliquas quoq; poterat omisisse, si is hujus autor fuisset negotii: quàm in Censorem; quem, quum in Pontificis gratiam prohiberet prelo *præfationem*, jure suspicemur aliquid amplius ausurum fuisse, ut Pontificem juvaret. Verùm, ais, *hoc illum animo fecisse bono.* Atqui animi boni mediis quoq; bonis discant oportet uti. Saltem fecisset, quod Surius Fraterculus: qui, ubi in veteri Conciliorum editione quædam annotata essent ex Cassiodoro, Mariano Scoto, & Gregorio Haloandro, de annis Consulum, qui in *epistolis* Pontificum nominantur: Surius (in sua nova eorum editione,) omnia quæ ab illis erant annotata, sustulit, [o] hanc facti reddens rationem, *quòd quum ea res per se obscura sit, ex istorum discrepantia multo etiam facta sit obscurior & intricatior; ita ut Calvinus inde occasionem hausisse videatur, eas epistolas omnes prorsus exsibilandi.* Centuriarum quidem certè scriptores, (quos Surius forsan intellexit, quum Calvinum nominabat) illam afferunt circumstantiã, *de annis Consulum, qui in illorum epistolis assignantur,* qua probent eas falsas esse: istámq; confirmant rationem ex *annotationibus* illis, quæ cùm ipsis *epistolis* prodierunt. Nam [p] *complures epistolæ eos*

---

[h] 1.Cor.13.7.

[i] Act.23.16.

[*] *Isidorus multa apocrypha, & dubiæ fidei inseruit.*

[k] In præfat. Qui aut quot ante Gratianũ Canones Ecclesiasticos collegerint.

[l] 16.q.1.c.Beat. 8.q.1.c.vnde 30.q.5.c.Iudicārem. in Annotat.

[m] 30.q.5.c.Aliter.

[n] Distinct.99. c.provinciæ.

[o] Præfat.ad lectorem. Cōciliorum Tō.1.

[p] Cent.3.c.7.

assignatos habent Consules, qui unà nunquam Consulatum gesserunt, aut alio tempore vixerunt : [q] ut ex Mariano Scoto aliisq, appâret, etiam, ex annotationibus, quæ illis adduntur epistolis in Tomo Conciliorum. Quæ quidem verba possent Centuriatorũ autoritatem apud illos comminuere, qui nullam editionem aliam Conciliorum quàm novissimam vident : nam isthîc nullæ ejusmodi annotationes reperiuntur. Et bene Surius, eas tollendo, Centuriatorum rationi respondit. Quanquam multo sanè meliùs respondisset, si ipsas quoq; *epistolas* sustulisset. Quàm enim diu illæ exstabunt : non opus erit in assignatos Consules *annotationibus*, quibus redarguantur. Ceterùm, ut prudenter se gessit, quòd *annotationes* omitteret ; ita se honestum præbuit, quòd id aliis significaret : ut intelligant quasdam isthîc priùs *annotationes* fuisse, quæ *epistolarum* fidei detrahebant ; quas si ipsis animus sit videre, eas & quærere possint, & invenire. Verùm *Censor* ille, qui in Contii *annotationes* incidit, nullum tale honestatis specimen exhibuit. Nam, neq; ullo modo significavit se *præfationem* omittendam curasse ; neq; nos de alia monuit editione, in qua liceret invenire : &, quod pejus est, affinxit Contio ejus rei defensionem, quam Contius ipse nôrat, ostenderátq; esse commentitiam. De quibus omnibus considerent oportet *duodecimviri*; neq; expectant modò Contii, aut Bellarmini, aut Cusani judicium, ad illa supposititia refutanda, quibus tu Pontificis firmas suprematum: sed secum etiam cogitent, quàm multi alii, ut verisimile quidem est, in ipso Papismi medio illis contradixerint; etiam, multi fortasse, qui (ut nunc quidem illorum edũtur scripta) pro ipsis loquuntur. Si enim his ipsis temporibus, quum illorum excutiuntur facta, ausit Surius annotationes, jam emissas omittere ; ausitque *Censor* ille, quæ in Typographorum manibus sunt, supprimere, ne unquam in lucem prodeant, etiam, annotationes sub autorum nominibus scribere, quæ ipsorum repugnant prorsus sententiæ, eásq; ac si ipsorum essent, typis excudere : quid prioribus seculis fecisse ipsos metuendum est, quum jam pauci essent, qui deprehenderent? Aut, si deprehenderent, quis ita tamen sibi fidens homo, qui palàm argueret?

HARTUS. Ista Cusani, & Bellarmini, Contiíq; , atq; aliorum nostratium, (siqui ejusdem fuerint sententię alii,) judicia nequeunt illas *epistolas* convellere: quum ipsi suprematum Romani Pontificis amplectantur.

RAINOLDUS. Eo ipsis majores vires sunt, ad illas convellendas : quum parum probabile sanè sit, illos ab hoc propugnaculo ejus, cui favent, discessuros fuisse, nisi manifesta veritate rationéq; adigerentur.

HARTUS. Cur autem contra me affers *Cardinalium* nostrorum, aut *Jesuitarum*, aut *Jurisperitorum* judicia : quum, in aliqua adversus te ipsum non minoris momenti re, ipsos velis repudiare?

RAINOLDUS. Rationem tibi [r] antea attuli ex *Scripturis*, à quibus sic afferuntur Poetæ. Sed si idem cupias à *Patribus* confirmatum, nosti à [s] Lactantio, [t] Eusebio, [u] Arnobio, [x] multísq; aliis, scripta adduci Sibyllæ, Orphei, Hermetis, atque aliorum ex Ethnicis adversus Ethnicos, quorum judicia, ipsis si objicerentur, rejiceret. *Si* enim (inquit [y] Augustinus) *Sibylla, & Orpheus, & Hermes, & siqui alii Vates, vel Theologi, vel sapientes, vel Philosophi Gentiũ de Filio Dei, aut de Patre Deo vera dixisse perhibentur valet quidem aliquid, ad Paganorũ vanitatem revincẽdam, non tamen ad istorum autoritatem amplectendam, quum illum Deum nos colere ostendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui suos Congentiles populos idola & demonia colenda partim docere ausi sunt, partim prohibere ausi non sunt.* Et vero in [z] Jure vestro cautum est, *si Orthodoxus cõtra hæreticum litiget, pro Orthodoxo quidem hæretici testimonium valere, contra Orthodoxum autem solius Orthodoxi testimonium valere.* Cardinalium

[q] Cent. 4. c. 7.

[r] In prima hujus capitis lectione.
[s] Divin. Institut.
[t] De preparatione Evangelica.
[u] Adversus Gentes.
[x] Clemens Alexandrinus, Iustinus Martyr, Tertullianus, Tatianus, & Augustinus.
[y] Contra Faustum Manich. l. 13. c. 15.
[z] 2. q. 7. c. Si hæreticus.

igitur & *Jesuitarum*, & quorumcunq; Papistarum testimonia adversùs vos valent, sed pro vobis contra nos non valent. Neq; causa aliqua est, quare quæreres potiùs, cur illorum afferam contra Pontificum *epistolas judicia, quibus tamen in Pontificis suprematu non assentiar*: quàm cur [a] Israëlitæ gemmas acciperent & auream argenteámq; supellectilem ab Ægyptiis, quum tamen idola eorum graviáq; onera aversarentur. Atq; ita vides quos lentè festinans canis catulos, pepererit contra primam Pontificum cohortem, quos vel ex Stapletono & Cano nominasti; vel ne nominatos quidem *Decretis Gratiani* involvisti. Ecquam habes spem meliùs successurum ex iis qui supersunt: aut novos libet milites lustrare?

HARTUS. In istis majorem, quàm exspectas, senties fortitudinem, utcunque tam vehementer novos deposcas. Nam quas adversùs secundum ordinem Pontificum dedisti exceptiones, sine dubio inanes sunt: ut taceam de tertio.

RAINOLDUS. Probè quidem facis, quòd de tertio ordine taceas: sed quid tibi in meis adversùs alterum exceptionibus displicet?

HARTUS. Potiùs quid non displiceat, rogares. Omnia enim mihi displicent, quæ in eo genere dixisti. Primum, *illos Pontificis suprematum non asserere*. Quod quis, præter unum te diceret? Est enim nimis liquidum, Innocentium primum, Leonem primum, Gelasium, Vigilium, Pelagium, Divumq; Gregorium, (quos omnes tu secundo Pontificum ordine complecteris,) tam cumulatè támq; amplis modis asserere suprematum, atq; ullos pontifices qui successerunt.

RAINOLDUS. Nimis liquidò constat eos non asserere. Cujus mihi argumentum tertius ordo Pontificum suppeditabit iis in locis, quæ tute ex [b] Decretalibus, [c] Extravagantibus & [d] Concilio Lateranensi adduxisti. Nam Paschalis secundus, Innocentius tertius, Nicolaus tertius, Bonifacius octavus, & Leo decimus (illorum autores capitulorum textuúmq; quos citasti,) multum in eo vẽdicát, quod neq; Innocentius primus, neq; Leo primus, neq; Gelasius, neq; Vigilius, neque Pelagius, neq; Gregorius, neq, ulli ejus ordinis vendicârunt.

HARTUS. Quod tandem unum ex iis, quæ Pontificii suprematûs essentiam attingunt?

RAINOLD. Primum, summam illorum in omnes Principes potestatem, posse eos dejicere; ipsos interea nullius, non Cæsaris imperio subjici. [e] Nicolaus enim tertius ait, *utriúsq; potestatis Monarchiam*, (Ecclesiasticam intelligit & civilem,) *in urbe Romana Pontifici donatione Constantini decretam esse: qui non justum arbitratus est, ut ubi Sacerdotii principatum, & Christianæ religionis caput cœlestis imperator instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem*. Et [f] Bonifacius octavus edicit, *se à Deo omnibus gentibus, & regnis præponi, ut tollat deleátq; & cetera: ipsos etiam ut judicet principes terrarum*. Quod *Bonifacianum decretum* (renovatum atq; approbatum a [g] Leone decimo) similiter multi eorum exercuerunt. Multi Reges atq; Imperatores eorum sententiâ dejecti (quod [h] scriptores vestri venditant,) senserunt ejus periculum: & nos non ita pridem animos eorum experti sumus in Reginam nostram, * ejusque illustrissimum patrem; quanquam benedixerit iis deus; quibus maledixerunt illi, & sustinuerit eos, quos illi dejecerunt. Verùm ita longè aberant medii ordinis Pontifices ab hac in omnes Principes potestate vendicandâ, ut in neminem eam sibi assumerent. Neq; erant *illi civilis potestatis in urbe Romana monarchæ* ([i] uti à me probatum est,) *donatione Constantinianâ* constituti, sed Cæsaribus subditi, ad quos illa summa potestas pertinebat, sicut ipsi agnoverunt. Nam [k] Leo primus, postquam Martianus Imperator Generale Concilium Chalcedonense indixisset, & eum alióśq; simul Episcopos scripto ([l] ut solebant Imperatores)

[a] Exod.3.22, & 12,35.

[b] c. Significasti de electione, c. Antiqua de privilegiis, c. fundamenta. de electione in sexto.

[c] Extra. c. Vnã sanctam. de majoritate & obedientia.

[d] Sub Leone decimo, Sessi-on, 11.

[e] c. Fundamẽta, de electione in sexto.

[f] Extra. c. Vnã sanctam. de majoritate & obedientia.

[g] In Concil. Later. Sess. 11.

[h] Steuch. Eugub. de falsa donat. Cõstãt. l. 2. Six. Senens. Biblioth. Sanct. l. 6. annot 72.

* Henricus octavus dejectus à Paulo tertio quemadmodũ Elisabetha à Pio quinto. Onuph. de vitis Pont. in Paulo ter, Geneb. Chronog. l. 4.

[i] Cap. 7. sect. 7

[k] Leo epist. 47 & 48. ad Martianum Aug. Tom. 1. concil.

[l] Euseb. de vit. Constantin. l. 3. c. 6. Socrat. hist. Eccles. lib. 5. c. 8. & l. 7. c. 33. Leo epist. 12, 16. & 23. ad Theodosium August.

accessisset: etsi neq; locus ei, neq; tempus, ab Imperatore indictum probaretur; jussus tamen paruit & accessit. Reliquorum obedientiam nominatim non est opus exponere. Illa plena officii observantia, [m] qua coluit Gregorius Mauritium Imperatorem, *Dominum suum*, ut eum semper appellat, universim ejus rei documentum esse potest. Verùm postquam tertii ordinis Pontifices rerum potiti sunt, versa sunt omnia. Adeò, ut, ubi olim Pontifex diceret, (1) *Piissimus Dominus noster Imperator*: nūc Imperator cogatur dicere, etiā jurare (2) *sanctissimo Domino nostro Papæ*. Atq; ubi olim Imperator Synodos indiceret, acciretq; ad eas Pontificē: nūc inficiatur Pontifex in iis quicquā posse Cęsarē; & neq; ipse morigeratur, neq; patitur ut morigerentur alii. Quum [n] Carolus quintus (in eo qui Spirę habebatur conventu,) de *generali, atq; nationali Concilio, & negotiis religionis in Imperii conventu componendis* verba habuisset: à Paulo tertio reprehensus est, *quòd ea, nulla habita ratione Pontificis, tractaret, qui solus* (inquit) *cogendi Concilia, & decernēdi de rebus sacris potestatem obtineat*. [o] Quinimmo, quum idem Carolus omnibus obtestationibus rogaret, ut Concilium, à Pontifice Tridenti indictum, ibidem celebraretur, ac non Bononiæ, quò illud Pontifex (non sine consilio) transtulerat: rejecit Paulus ejus vehementem obtestationem, neq; ullo modo se adduci passus est, ut concederet. Adeò quidem ad sensum aperta; adeóque pondere magna est priorum, posteriorúmq; Pontificum discrepantia, in primario capite quo sibi in omnes suprematum arrogant, & nulli subjectionem à se debitam agnoscunt.

m Regist. l. 2. ep. 61. l. 4. ep. 31. l. 5. ep. 63. l. 6. ep. 6. &c.

(1) *Piissimus Dominus noster* Greg. Regist. l. 4 ep. 32.

(2) *Sanctissimo Domino nostro, Domino Nicolao, divinâ providentiâ Papæ quinto, ego Fridericus, Rex Romanorum, promitto & juro.* Cerem. Rō. Eccl. l. 1. tit. 5.

n Liter. Pauli tert. Pontif. Max. ad Carolū quint. quarum summa habetur apud Sleidanum, l. 16. integrum verò exemplar, apud Calvinum, opusculorum part. 2. class. 1.

o Onuph. de vitis Pont. in Paulo tert.

HARTUS. Fortassis medii ordinis Pontifices, ex modestia quadam, noluerūt; aut, quibusdam de causis, non potuerunt plenissimum suprematum suum vendicare.

RAINOLDUS. Veriorem planè de ipsis magisq; Christianam proferres sententiam, si diceres, ipsos non existimasse hunc jure suum esse. Sed sive *noluerint*, sive *non potuerint*, non vendicasse quidem ipsos responsio tua concedit. Quare, quum suprematus illorum summam in Reges & Cæsares potestatem significet, quemadmodum ab ultimi ordinis Pontificibus definitur: medii illi, qui civilibus potestatibus subjiciebantur, & nullum ejusmodi dominatum arrogabant, Pontificis suprematum non asseruerint.

HARTUS. Illum tamen in Ecclesiasticas potestates asseruerunt, hoc est, in Episcopos. Atq; hoc majus est quàm tu concedes.

RAINOLD. Atqui minus tamen, quàm tu assumis. Sed neque in Episcopos id asseruerunt, quod ultimi ordinis Pontifices asserunt, & quod maximè ad eorum spectat suprematum. [p] Paschalis enim hoc ab Archiepiscopis juramentum exigit, *ipsos illi fideles fore & obedientes*. Idem etiam fidelitatis atq; obedientiæ juramentum [q] Innocentius tertius Cōstantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Jerosolymitano, Patriarchis imperat. Quū medii Pontifices, ut nominatim [r] Gregorius, Patriarchas *æquales suos*, non subditos agnoscerent. Et quidem ita abhorrebant ab hac ipsis vi afferenda, inferendaq; injuria, ut nullum tale sacramentum, ne ab infimo quidem suæ diœceseos Pastore, flagitarent.

p c. Significasti, de electione.

q c. Antiquæ, de privilegiis.

r Regist. l. 4. ep. 36. & l. 7. indict. 1. ep. 30.

HARTUS. Immo flagitārunt: quod Pelagii edicto tibi liqueat. Qui decrevit & statuit, *ut quisquis Metropolitanus intra tres consecrationis suæ menses, dandæ fidei causâ, & accipiendi pallii, Romam non miserit, dignitatem amitteret*.

RAINOLDUS. Pelagii? Ubi illud decretum est?

HARTUS. In Decretis Canonicis: unde adductum à [s] Francisco Vargas, viro insigniter erudito, Philippi Regis à consiliis, ejúsq; apud Pium Pontificem oratore. Ille, [t] quum de jurisdictione Episcoporum, & summi Pontificis autoritate

s De Episcoporum jurisdictione, & Pōt. Max. autoritate responsum. Proposition. 5.

t Paul. Manut. præfat. ad responsum Frācisci Vargas.

quæstio exorta, in Concilio Tridentino nullum exitum reperiret; accersitus est à Pontifice ad consilium cum lectissimis Cardinalibus ineundum. Ubi sententiam eâ prudentiâ refertam dixit, ut commodum visum sit, ut ejus responsum impressū ederetur. Ibidem, inter multa argumenta testimoniáque, quæ pro Pontificis suprematu attulit, ait, *Pelagium hanc majestatem Romanorum Pontificum hoc decreto significanter exprimere, quòd omnes Metropolitanos fidei sacramento sibi obligari voluerit.*

RAINOLDUS. Decretum istud à Pontificio leguleio factum est, non à Pelagio Pontifice. [u] Pelagius enim, ne temerè assensu suo quemvis Metropolitanum approbari pateretur, qui in fide parum sanus exsisteret, iussit *ut fidem suā exponerēt, atq; ita pallium expeterent*, hoc est, assensum ejus, cujus indicium erat *palliū*. Parisiensis quidam Jurisconsultus, [x] Remundus Rufus, ut hinc fortius telum Pontifici fabricetur (cujus defensionem scripto suscepit,) mutavit verba [*ad exponendam fidem suam*,] in ista [*dandæ fidei causâ*:] atq; ex istis, *dare fidem*, pro eo quod esset, *fidem exponere*, astruit Pelagium *juramenta illorum Pontifici danda flagitare*, ubi is *professionem ipsorum in Christum fidei* postulabat. Jam, Franciscus Vargas, Rufi fide usus, ut conjicio, in hoc contextu citando, (etsi non nominet hominem,) à vero aberravit; & hoc facilius factu quidem, propter præjudicium quoddam, quod ipsi recentiora tempora informârant. Nam, *ut Metropolitani Christum profiterentur*, illis seculis postulatum est. Sed, *ut* [y] *sacramento adigerentur ad Papatum defendendum*, infelix lolium est, quod quingentis aut sexcentis pòst annis succrevit.

HARTUS. Ut *ad Papatum defendendum sacramento adigerentur*, visum est recentius, sed necessarium tamen institutum: ne reciderent homines ab unitate & illa Romanæ Sedi præstanda obedientia. Hoc tamen Pelagius decrevit, uti fateris, *ut omnes fidem suam apud ipsum profiterentur, ejúsq; appobarentur consensu.*

RAINOLDUS. *Omnes* ejus diœceseos, non *omnes* orbis terrarum.

HARTUS. Atqui ait, *Quisquis, Quisquis Metropolitanus ad exponendam fidem suam, palliúmq; suscipiendum, ad Apostolicam Sedem non miserit: commissâ sibi careat dignitate.* Ecce de universis loquitur.

RAINOLDUS. Ad hunc modum Ordines Angliæ sua Parlamenti acta ferūt: *Quisquis hoc aut illud fecerit.* Quod tamen non de Romanis, aut Turcis intelligunt; sed de iis omnibus qui in Principis sunt ditione.

HARTUS. At orbis universus Pontificis est diœcesis. Atq; id ipsum de *omnibus Metropolitanis* loquutum esse, eo probabilius est, quòd omnes tum Episcopi à Pontifice confirmabantur; & fuit illa sanè necessaria confirmatio existimata. Cujus rei exempla illustria videre est (ut [z] Stapletonus ostendit,) apud [a] Leonem magnum, circa electionem Anatolii Patriarchæ Constantinopolitani, & [b] Proterii Patriarchæ Alexandrini: apud [c] Sozomenum quoq;, & [d] Theodoretum, de Nectario etiam ab universo Concilio electo, à Damaso tamen confirmando: [e] apud Gregorium magnum de Salonitano Episcopo, qui *ab Imperatoribus*, *illo nescio, confirmatus fuerat: quod sub nullo unquam Christiano Principe antea accidisse*, Gregorius asserit. Etiam noviter electi Episcopi ad Romanum Pontificem *litteras*, quas vocabant, *Synodicas* mittere sunt soliti, in quibus fidem, quam tenebant, exprimerent, atq; ita se cum Romana Ecclesia convenire ostenderent. Hujusmodi literas [f] Proterius, Patriarcha Alexandrinus prædictus, scripsit ad Leonem; [g] Sophronius, Patriarcha Jerosolymitanus, ad Honorium; [h] Nicephorus, Patriarcha Constantinopolitanus, ad Leonem tertium; & deinde Petrus, ad Leonem nonum.

[u] Distinct. 100 c. Quoniam.

[x] Defens. in Molinæū pro Pōtifice maximo.

[y] c. Ego N. extra. de jurejurando.

[z] Princ. doct. l. 4 c. 20.

[a] Epist. 33. & 34. & 40. & 54. & 55.

[b] Epist. 68.

[c] Lib. 7. c. 8.

[d] Lib. 5. c. 9.

[e] Lib. 4. ep. 34.

[f] Leo ep. 68.

[g] Hujus epist. meminit Photius in sua Bibliotheca.

[h] Turrian. pro epist. Pontif. lib. 2. cap. 4.

RAINOLDVS. Verùm, ut alii Patriarchæ ad Pontificem ejusmodi *literas Synodicas* scribebant, quibus *fidem suam exprimerent, & se cum Romana Ecclesia convenire ostenderent*: eodem modo Pontifex solebat suam illis fidem exponere, & suum cum eorum Ecclesiis in religione consensum declarare. Ita enim scripsit [i] Gregorius magnus ad Johannem Patriarcham Constantinopolitanũ, ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, ad Gregorium & Anastasiũ Patriarchas Antiochenos, ad Johannem Patriarcham Jerosolymitanum: & [k] hoc ille *secundũ priscum præcessorũ suorũ morẽ præstitit*, in quibus erat Leo. Quare non major erat Leonis in Patriarchis Constantinopolitanis Alexandrinísq; confirmandis, quàm eorũ in ipso confirmando prærogativa. Nam ut illos non pro legitimis Episcopis habuit, [m] donec per Synodicas eorum literas in fide sanos eos comperisset: ita [n] neq; illi ullos pro legitimis habebant, de quorum fide nõ fuissent eundem in modum facti certiores. Quod autem ad exemplum illud apud Sozomenum & Theodoretum attinet, *Nectarium ab universo Concilio electum, fuisse à Damaso tamen confirmandum*: in eo Doctor tuus Sozomeno & Theodoreto illudit. Nam, neq; id dicit [o] Sozomenus, neq; vel levissimâ aliquâ mentione id dixisse velle videtur, ne Damaso quidem nominato. [p] Theodoretus verò literas describit scriptas à Concilio ad Damasum, Ambrosium, Brittonem, aliósq; Occidentis Episcopos: sed istæ privilegium illud Pontificiæ prærogativæ infirmârunt, quod ex iis confirmare contendit Stapletonus. Ab illo enim afferuntur, ut ostendat * *tandem* (eo tempore) *adhibitam esse Episcoporum omnium per Romanum Pontificem necessariam confirmationem, majorem illam quã quæ aliis Episcopis, immo quã quæ illi ipsi antea fuerit concessa*. Ubi tamẽ literæ, Ambrosii, Brittonis, & reliquorum consensum, non minùs quàm Damasi commemorant: & communem similiter eorum consensum petunt ad Nectarium confirmandum, ut prioribus seculis [q] omnes Episcopi (etiam, [r] Pontifex ipse) consensu mutuo confirmabantur, quò meliùs conservaretur fides, & caritas inter ipsos aleretur. Proinde reliqua argumenta tua efficiunt æqualitatem quandam, primùm omnium Episcoporum, postea omnium Patriarcharum. Unicum verò exemplum, quod ullam habet affinitatem cum decreto Pelagii Pontificis, quo superior præesse Metropolitanis videatur, illud est ex Gregorio de Episcopo Salonæ, quæ [s] Metropolis quædam est Dalmatiæ. Nã [t] solebat is certè Pontificis, ut Archiepiscopi sui cõsensu confirmari, & [u] ab illo pallium accipere. Ceterùm hinc concludere, *omnes per terrarum orbem Metropolitanos similiter Pontifici subjectos fuisse*; perinde rationi cõsentaneum est, ac si concluderes, Angliæ Reginam per omnem orbem Christianũ Præsides constituere, quòd Præsidem constituat in Hybernia. Erras, Harte, si in eã magnitudinem intumuisse Pontificem Pelagii temporibus credas. Fecerat quidẽ certè hydrops ejus ut multa ebiberet, sed non omnia. Regalis Diœcesis Archiepiscopus evaserat, sed hactenus Archiepiscopus tantummodo erat. Non erat universalis Pontifex, totiúsq; mundi Patriarcha.

HARTVS. Sunt absurda quæ dicis, & seipsa refutant; dum conantur refutare Papam. Nam, si illi tantùm *diœcesis* fuerit, unde ergo *Archiepiscopus* erat? quum *diœcesis* sit Episcopo cura delegata; *Archiepiscopo, provincia* assignetur. Et verò si *Archiepiscopus* solummodo extiterit, unde subditos sibi habuit *Metropolitanos*? quum unus idémq; sit *Metropolitanus*, & *Archiepiscopus*. Præterea *Patriarcham* illum fuisse confessus es: alioquin superiores ei forent reliqui *Patriarchæ*, quibus ipsum *æqualem* constitueras. Ita dum adversus illum contendis, ipsúmque subjicere eniteris, quò spolietur suprematu: tute sic loqueris, ac si spoliatus sensu esses & ratione, neq; haberes quod de illo diceres.

[i] Regist. l. 1. ep. 4. & 24. & 25.

[k] Ioh. Diac. in vita Greg. l. 2. cap. 3. & 5.

[m] Leo epist. 33 & 38, de Anastasio, ep. 57, de Proterio.

[n] Greg. l. 5. ep. 64. & l. 7. ep. 53 & Io. Diacon. in vita Greg. lib. 4. cap. 23.

[o] Soz. l. 7. c. 8.

[p] Lib. 5. c. 9.

* *Adhibita tandem est Episcoporum omnium per Romanum Pontificem necessaria confirmatio.* Staplet. lib. 4. cap. 20.

[q] Synod. Africana apud Cyprian. ep. 68. ad Eccles. Legion. Astur. & Emer. Cypri. ep. 69. ad Florentium. Ambros. ep. 82.

[r] Cornelius in Cypria. ep. 43. ad Cornelium & ep. 52. ad Antonianum.

[s] Greg. l. 8. indict. 11. ep. 8.

[t] Epist. 24.

[u] L. 7. indict. 2. Epist. 81.

RAINOLDVS. Certè, ut nomina [*Archiepiscopi*] & [*diœcesis*] hac nostra ætate usurpantur, & usurpata quoq; sunt à nonnullis prisci ævi scriptoribus: mea absurda videantur verba, qui dicam *Pontificem diœcesis tantummodo Archiepiscopum fuisse*, quum fuisse *Patriarcham* eundem confitear. Verùm juxta sermonem illum, qui jam vulgò receptus est, quum medii Pontifices maximè florerent, verba sensui rationíque loquor consentanea. Justinianus enim Imperator, qui (ut decet in legibus describendis,) solet genuinum & usitatum sui temporis sermonem observare, (* & regnabat is quidem eo, quo de nos agimus tempore;) [x] decrevit, ut *si Presbyter vel Diaconus accusarentur, tunc Episcopus cui subsunt delatas examinaret querelas; si Episcopus, ejus Metropolitanus; si Metropolitanus, ejus Archiepiscopus*. Et [y] rursus instituit de Ecclesiasticis causis clericorum, ut *primùm ad Episcopum civitatis deferrentur; à civitatis Episcopo, ad Metropolitanum; à Metropolitano, ad ejus provinciæ Synodum; à provinciæ Synodo, ad diœcesis Patriarcham*: & [z] idem ipsi prorsus sunt, *Patriarcha* & *Archiepiscopus*. Unde intelligas, tùm *Archiepiscopum* sibi habuisse subditos *Metropolitanos*: tùm *diœcesim* fuisse *provinciâ* majorem. Quo nomine à me dicta fuit *Regalis diœcesis*, ut distingueretur ab *Episcopali*, quò cognosceres, me *diœcesim* latioris amplitudinis significasse, quàm ubi Episcopi limites designet. Sed ut tibi clarior lux affulgeat, qua mei videas responsi veritatem, indéq; perspicias quomodo Papa gradibus quibusdam Episcopos invaderet, donec ex *æquali supremus* evaderet, paucorum primò, deinde plurium, postremò omnium: aliquanto altiùs res Episcoporum, Metropolitanorum, Archiepiscoporúmque mihi est repetenda: monstrandúmque est quomodo civitates Christianæ, provinciæ, & diœceses, illis sint descriptæ. Primùm igitur, [a] quum *per singulas Ecclesias ab Apostolis Presbyteri creabantur*, [b] *oppidatim*, [c] *ad* * *pascendum gregem Christi, in quo ipsos Spiritus sanctus constituit Episcopos*: illi, quò id meliùs ex communi consilio consensúque præstarent, conventus indicere & convenire consueverunt. In istis conventibus, ut magis ordine agerentur & definirentur ea, quæ ad illorum officium pertinebant: unum è reliquis deligebant, qui & præsideret cœtui, & actionibus eorum moderaretur. Quemadmodum in Ephesina Ecclesia, etsi [d] plures essent ad ipsam administrandam Presbyteri & Pastores: tamen in illis pluribus unus præerat, quem Servator [e] *Angelum Ecclesiæ* appellat, atque ad illum ea scribit, quæ ex illo ceteri ediscerent. Atque hic est ille, quem postea in primæva Ecclesia Patres *Episcopum* vocabant. Nam ut [f] *Ministrorum* nomen, illis omnibus commune qui Christo in * *œconomia mysteriorum Dei*, hoc est, in prædicando Evangelio deserviunt, jam ex consuetudine patrii sermonis nostri ad *Presbyteros* restringitur, quibus præest *Episcopus*: ita [g] *Episcopi* nomen, omnibus *Presbyteris Pastoribusque* Ecclesiæ commune, erat tum temporis familiari Patrum sermone illi soli ascriptum, qui *Presbyteris* præsidebat. Ita quidam *Presbyteri* reprehenduntur à [h] Cypriano; *quòd eos ad communicationem admitterent qui (persequutionis tempestate) recidissent, non adhibitâ priùs Episcopi cum iis deliberatione*. Et [i] Cornelius scribit, *in Catholica Ecclesia ejus curæ commissâ, sex & quadraginta fuisse Presbyteros, & unum tantùm Episcopum esse debere*. Qui quum essent ambo *Episcopi*, alter Romanus, alter Carthaginensis, [k] de se ipsi testificantur se *in iis quæ ad Ecclesiæ suæ administrationem pertinebant, usos esse consensu & consilio Presbyterorum, sive Presbyterii*, quomodo [l] utrique (m secundùm Paulum) appellant.

HARTVS. *Elders*, & *Eldershippe* vos Anglicè vertitis, quos illi *Presbyteros*

* Incepit regnare anno Christi 527. nec destitit ante 565. Sigeb. in Chron.
[x] Novell 137. parag. Non solum.
[y] L. Διατάττομεν γενικῶς. C. de Episcopali audientia.
[z] Novell. 123. Parag. Si quis autem. Parag. Interdicit. Parag. Si qui verò. & passim.
[a] Act. 14. 23.
[b] Tit. 1. 5.
[c] Act. 20. 28.
* ποιμαίνειν, hoc est, ad pastoris officiũ.
[d] Act. 20. 17.
[e] Apoc. 2. 1.
[f] 1. Cor. 4. 1.
* Luc. 12. 42.
[g] 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 7. Act. 20. 28
[h] Ep. 10. Presbyteris & Diaconis.
[i] Euseb. hist. eccl. l. 6. c. 42.
[k] Cornelius Cypriano ep. 46. Cyprianus Presbyteris & Diaconis. ep. 6
[l] Cypri. ep. 35 Cornelius ep. 46. apud Cyprianum.
[m] 1. Tim. 4. 14.

SECTIO QVARTA.

& *Presbyterium* appellant, hoc est, *Priests*, & *Priesthood*, ut nos vertimus. Verùm ista novitia nomina Anglicanæ vestræ novi Testamenti versiones induxerunt: quę (ut * jure in eo à nostra versione notantur,) mutârunt [*Priests*] in [*Elders*,] per fraudem & depravationem; idq; in alium finem quàm quem vulgus hominum dispiciat. Huc enim spectat, ut tollatur officium sacrificia offerendi, aliæq; Sacerdotum functiones ipsis in novo Testamento peculiares, quos Apostoli sæpius, & posteritas fere semper *Presbyteros* vocant, hoc est, *Priests*. Quod verbum ita certò infert sacrificia offerendi autoritatem, ut usu etiam unicum illud effectum sit quod Anglicano sermone *Sacerdoti* Latino respondeat, vobis ipsis non minùs quàm nobis ita per universum vetus Testamentum & novum interpretantibus. Etsi non nescire quidẽ possitis, nostrum [*Priest*] à *presbytero*, non à *Sacerdote* manare: &, antiquitatẽ nulla alia de causa *presbyteri* significationem *Sacerdoti* accommodasse, quàm ut ostenderet idem esse in novo fœdere *presbyterum*, quod in vetere fuit *Sacerdos*; quum Apostoli abstinerent primò ab hoc, aliisq; ejusdem generis antiquis nominibus, & illa potiùs verba, *Episcopos*, *Pastores*, & *Presbyteros* usurparent, ut distinguerentur à gubernatoribus & sacrificis Aaronici ordinis, qui adhuc Apostolorũ temporibus, antiquis suis muneribus in templo fungebantur. Quòd autem hoc verum sit, & quòd esse *a Priest*, nihil aliud sit, quàm ad sacrificandum esse constitutum: vos ipsi, qui *Sacerdotem* semper *a Priest* vocatis, necessariò cogimini confiteri. Quanquam in eo vestra insigniter se prodit inscitia, quòd scienter verbum [*Priest*] *sacerdoti* accõmodetis, idémq; *presbytero* adimatis, unde propriè derivatum est, nõ in Anglicanâ modò, sed & aliis linguis, tùm Gallicâ, tùm Italicâ: quod planè est adimere nomẽ illud, quod Apostoli & Patres Ecclesię Sacerdotibus ascripserunt, & ipsum Aaronis ordini penitus solúmq; attribuere.

* In Annotat. Rhemens. Testam. Angli. Act. 14. 22.

Presbyter. Priest. Prebstre. Prete.

RAINOLDVS. *Penitus solúmq; Aaronis ordini?* Rhemenses vestros diutius ferre nõ possum, tantâ redundantes hyperbole. Nam Melchisedeci quoq; ordini idẽ attribuimus, secũdùm [n] quem Servator noster *Sacerdos est in æternum*. Et illi, qui nos fraudis atq; depravationis insimulant, quòd *Ministros* Evangelii appellemus, *Elders*: sunt ipsi hæresis & blasphemiæ rei, quòd eos *Priests* appellent. Non enim eos *Priests* appellãt, ratione [o] *spiritualium sacrificiorum*, [p] *orationum*, [q] *bonorúmq; operũ*, quæ à Christianis cujuscunq; demum conditionis offerenda sunt Deo, indéq; [r] *Sacerdotes* vocantur in Scripturis: sed ratione carnalis externíq; illius exsecrandæ *Missæ* sacrificii, ubi præ se ferunt se *Christum sub panis & vini formis offerre Deo Patri, sacrificium propitiatorium*, hoc est, quod placare Deum, eúmq; mortalibus conciliare valeat. Proinde, quum doceat Scriptura, [s] *unum sacerdotem*, [t] *uno sacrificio* [u] *semel oblato*, hoc est, Christum Servatorem nostrum, seipsum morti in cruce dedentem, Deum nobis conciliasse, nósq; in æternum sanctificasse: Rhemensis disciplina *multos* constituit *sacerdotes*, qui *sæpius* offerant; * *idémne* sacrificiũ quod Christus, an *aliud*, hæsitanter dicunt; sed qui *sæpius* tamẽ offerant. Quasi verò adhuc [x] aliqua superesset *oblatio pro peccato*, post Christi mortem: aut verò non esset majoris pretii pretiosus Christi sanguis quàm [y] *sanguis taurorum & hircorum*, [z] qui *sæpius offerebantur, propterea quòd peccata purgare non valerent*. Atque hanc abominationem tueri conantur nomine [*Priests*;] quum *Priests ii sint* (inquiunt,) *qui constituti sunt ad sacrificãdum, atq; nomen illud iis datum sit ab Apostolis*. Quod quum dicunt, Sophistas agunt: idq; arte majori, quàm ut eam possit vulgus hominum dispicere. Quæ in eo quidem latet, quòd Anglicanum nostrum vocabulum [*Priest*] duplici modo usurpent: uno, quatenus deducatur à *presbytero*; alio, quatenus idem prorsus significet cum *sacerdote*. Nam [*Priest*], ut significat

n Psal. 110. 4. Heb. 7. 11.
o 1. Pet. 2. 5.
p Heb. 13. 15. Apoc. 5. 8.
q Heb. 13. 16.
r Phil. 4. 18. 1. Pet. 2. 5. Apoc. 1. 6. & 5. 10.
s Hebr. 7. 23.
t Heb. 10. 12.
u Heb. 7. 27. & 9. 28.
* *Idem*, ut loquuntur in Annot. in Heb. 10. 11. *Aliud*, ut tractant, in Heb. 9. 12. quod ampliùs porrò est videre apud Alanum de Eucharist. sacrif. c. 10. & 23. unde fluctuantes Rhemensium sermones dimanant.
x Heb. 10. 18.
y Ver. 4.
z Vers. 2.

hominem ad sacrificandum constitutum, (1) *sacerdos* est, non *presbyter*. Illud verò nomen quod *Evangelii Ministro* assignant Apostoli, (2) *presbyter* est, nō *sacerdos*. Quod verborū discrimen, necessariū quidem observatu ad res ipsas discriminādas inter veteris noviq; fœderis Ministros, ut ab Apostolis eâ linguâ observatum est, in qua Testamentum novum scripserunt; ita illis, qui Testamentum Anglicè interpretati sunt, fuit observandū. Quare, non *per fraudem & depravationem*, sed pio zelo & veritate inducti, *Presbyterum, Elder*, non *Priest* vocabant. Quoniam enim patrii sermonis nostri consuetudo nomē hoc [*Priest*] peculiare fecit *hominibus ad sacrificandum constitutis*, qui fuerunt in vetere Testamento secundùm Aaronis ordinem (1) *Sacerdotes*, *Sacerdos* secundùm ordinem Melchisedeci in novo: Ministris Evangelii, qui instituti sunt, non (ut Christus) ad sacrificandum Deo, sed ad pascendū Dei populum verbo ejus & sacramentis, aliud nomen asciscendum est (2) juxta Scripturam: & Anglicanum nostrum vocabulum, quod illud à Scriptura impositum exprimit, appellamus * *Elders*. Vos verò, dum ista varia nomina confunditis, res quoq; ipsas confundere cupitis: &, ut fures solent notas rerum quas surripuerunt, immutare; ita vos, ut Christi *Sacerdotium* vestrum esse videatur, immutatis nomina, tanquam notas rerum, quas designant. Nam, pro eo quod nos dicimus [*an Elder*,] vos velletis [*a Priest*,] ut *Missales* vestri *Sacerdotes* habeantur [a] *Sacerdotes secundùm ordinem Melchisedeci*, quo modo Christus est *Sacerdos*: atque ita vestrū *Missæ sacrificium* existimetur *supremum sacrificium*, (ut appellat [b] Magister tuus,) in quo Christus Deo Patri offertur. Quod quidem artificium, si vestris id tantùm fucaretis coloribus: non esset tanti. Nam, [c] uno nomine variis rebus communi abuti, commune fuit Sophistarum apud ethnicos effugium. Et vos sanè ferendi estis, quibus non melior quàm ipsis causa datur, si eadem aliquando cum ipsis effugia experiamini. Verùm Apostolorum autoritate ad hanc Sophistarum versutiam abuti, dicereq; *ipsos hoc nomen* [*Priests*] *Pastoribus Christi Ecclesiæ assignasse*: huic culpæ omnis prorsus adimitur excusatio. Quum enim patria nostra lingua per [*Priests*] *Sacrificos* intelligat, qui Apostolorum sermone dicūtur ἱερεῖς, neq; illi unquam hoc nomen ἱερεῖς Christianæ Ecclesiæ Pastoribus ascriberent: sequitur, nomen [*Priests*] eos nunquam illis attribuisse. Aut si occurritis, nomen istud eos idcirco illis attribuisse, quoniam illos πρεσβυτέρους vocabant, unde Anglicanum nostrum vocabulum [*Priests*] derivatur, non tamen evincere potestis, eos, *Priests* ab Apostolis appellatos esse, *quà refertur hoc nomen ad sacrificium*: ideóque nihil nomen istud ad *Missam* pertinet, quam inde cupitis astruere. Nam ita vox illa [*Priest*] duos adhuc habeat oportet significatus: alter est πρεσβύτερος alter ἱερεύς. Quorum alter attribuitur ab Apostolis; non autem evincit aliquam autoritatem ad sacrificandum: alter aliquam evincit ad sacrificandum autoritatem; sed non ab Apostolis attribuitur.

HARTUS. Sed quoniam derivatur propriè nomē [*Priest*] à voce [*presbyter*,] aut (ut Græcè dicitur) πρεσβύτερος, non nostrâ tantū linguâ, sed aliis etiā, tùm Gallicâ, tū Italicâ: cur non interpretes vestri hoc juxta Græcum retinuerunt, excogitata alia aliqua voce, qua ἱερεύς, hoc est, *sacerdos*, exprimeretur, si tantopere averent illa diversis nominibus distinguere. Insignis enim est (ut dixi) inscitiæ, vocem *Priest sacerdoti* scienter accommodare; & *presbytero*, unde propriè derivatur, adimere.

RAINOLDUS. Si fuissent interpretes nostri, Domini verborum, & penes ipsos esset pro arbitratu suo verborum sensum aliis imperare: haud à ratione foret oratio tua alienior, [d] Ille enim, quem alii in Anglicanis nostris versionibus se-

(1) ἱερεύς. (2) πρεσβύτερος.

(1) ἱερεῖς. (2) πρεσβύτεροι.

* Seniores, Latinè.

[a] Ita de ipsis loquuntur Rhemenses in Annotationibus suis, Heb. 9. 12.

[b] Alanus in Apologia sua Seminariorū Angliæ, cap. 1.

[c] ὁμωνυμία, Arist. In reprehens. Sophist.

πρεσβύτερος. Presbyter. Priest. Prebstre. Prete.

[d] Tindallus, lib. de obedientia Christiani.

quuntur, admonuit, *si non incognitis & peregrinis vocibus nos fefellisset Antichristus, quibus nos in confusionem & superstitiosam cæcitatem præcipitaret, Sacerdotem, hoc est, sacrificum, ut fuit Aaron Sacerdos, & pro populo sacrificavit, alio aliquo nomine Anglicè, quàm isto, [Priest,] fuisse exprimendum.* Hoc idcirco dixit, quòd nomen [*Priest,*] ut à *presbytero* manavit, quo novi fœderis Minister designatur, non fuerit veteris Ministris attribuendum, quos Scriptura, ut munere, ita nomine distinguit. Tu verò, cui *inscitia* nostra adeò *insignis* videtur, quoniam nomen hoc [*Priest*] *Sacerdoti* tribuimus, & adimimus *presbytero*, unde propriè derivatur: quid (quæso) pro vestra versione respondes Actorum quarto, [e] ubi De Apostolis Petro & Johanne dicitur: *That they were men vnlettered, and of the vulgar sort.*

[e] Rhemensis versio Anglicana. Act. 4. 13

HARTVS. Cur tandem? Quid est in eo, quòd interpretationi nostræ vitio vertis.

RAINOLDVS. Nihil ego vitio verto; sed ex te scire vellem, quamobrem illos appelletis [*men of the vulgar sort,*] ac non potiùs [* *idiots:*] quum in Græco contextu verbum sit ἰδιῶται, *idiotæ* in Latino.

* Angli fatuos appellant *idiots.*

HARTVS. Illud verò foret profanum Apostolis nomen, qui cœlesti imbuti erant sapientia.

RAINOLDVS. Sanè foret: Sed si verborum derivatio amplectenda est in interpretandis autoribus: eo forent illi nomine appellandi. Nam nomen [*idiot,*] propriè à (*1*) Græco aut (*2*) Latino derivatur, non in nostra tantùm lingua, sed aliis etiam, tùm (*3*) Gallica, tùm (*4*) *Italica*, & (si id valebit,) (*5*) Hispanica etiam, (*6*) Germanica, atque (*7*) Syriaca. Quin immo, propiùs in omnibus istis ad Latinam vocem accedit veteris versionis, (cui adhærescere vultis videri,) quàm nomen [*Priest*] in earum ulla *ad presbyterum.*

(1) Ἰδιώτης. (2) Idiota. (3) idiot. (4) Idiota. (5) Ydiota. (6) Idiot. 7 הדיוטא

HARTVS. Atqui non idem vox ista Anglicè significat, quod Latinè; & in rebus interpretandis sensus est observandus. Neque tam curandum est, unde verbum quodque derivetur, quàm quid significet. Illud autem significat, pro quo vulgò accipitur. *Hominum* enim *consensus hoc vel illo modo verbum accipientium efficit, ut eum sensum sortiatur in quem illi accipiunt,* ut ab [f] Aristotele demonstratur. Qui hinc regulam quandam conficit, [g] *iis nominibus quæq; à nobis appellanda esse, quibus à vulgo appellantur.* Quum igitur [*idiot*] nostrâ quidem linguâ pro *stulto*, aut *fatuo* accipiatur, & vox Latina, ubi in Scripturis usurpatur, *illiteratos* denotet, quales sunt *plebeii*: nos interpretati sumus, [*the vulgar,*] non, [*idiot,*] sensum potiùs quàm derivationem verbi sequentes. Neque verò idcirco nobis objicere potestis, quòd à Latino contextu discedamus: quem, pro eo ac præ nobis ferimus, summa cum fide sequimur. Ubi enim S. [h] Paulus ait ad Corinthios, *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem?* vides in Latina versione, esse [*idiotæ,*] quod nos [*vulgar.*] interpretamur. Si autem vocem illam Latinam interpretati fuissemus, [*the idiot:*] injurii fuissemus vulgo rudium & illiteratorum hominum, quos designat, utì vobis necessariò fatendum est, qui ipsi redditis, [*the vnlearned;*] ut nos, [*the vulgar.*]

[f] De interpre. [g] Topicor. l. 2.

[h] 1. Cor. 14. 16

RAIN. Omnino. Sed perspicias hinc licet quàm sapiāt Rhemenses vestri, qui nobis *insignem* exprobrant *inscitiam*, quòd nomen illud [*Priest,*] *Sacerdoti* assignemus, non *presbytero*. Nam ut Anglicanū [*idiot,*] ab *idiota* deducitur, sed pro *fatuo* accipitur: ita *Priest*, à *presbytero* derivatur, sed *sacrificum* denotat ex patrii nostri sermonis consuetudine. Quare, si argumento tuo efficiatur, omnes Christianæ Ecclesiæ Pa-

stores appellandos esse [*Priests*,] & autoritatē habere ipsos debere ad sacrificādum, quoniā sunt *presbyteri*: eādē pariter efficietur, omnes illiteratos Christianos vocādos esse [*idiots*,] & *fatuorum* loco habendos esse, quoniā sunt *idiotæ*. Quod si de illiteratis hominibus non audetis dicere, quos tamen re quidem ipsā tanquam fatuos luditis, quum ejusmodi contexitis rationes, quibus *Missam* iis vestram, *Missaleísq; Sacerdotes* præstetis: discite, dum in altero vos ipsos culpa liberatis, nos quoq; de *insigni inscitia* in altero purgare. Quoniā enim *in rebus interpretandis* (quod tute fateris,) *sensus est observandus, ísq; est verborum sensus in quem vulgò accipiuntur*, & verbum illud [*Priest*] vulgò pro [*sacerdote*] accipitur, hoc est, *homine ad sacrificandum constituto*: ex eo consequitur interpretes nostros, quod officii sui fuit, fecisse, quòd nomen [*Priests*] illis solis assignarent, quibus Sacerdotale munus in Scripturis proprium illud adjudicat. Rhemenses autem vestri, qui perpetuò *sacerdotem* [*Priest*] interpretantur, quippe qui concedant nullum aliud nobis suppetere Anglicanum verbum quod Latino respondeat, & tamen *presbyterum* eodem quoque verbo exprimunt: conjungunt prorsus quæ separavit Deus; & quæ verba Spiritus sanctus discrevit, scienter confundunt. In quo quidem improbè simplicibus Christianis imponunt, qui imperiti sunt linguarum, ut eos amore meretricii sacrificii idololatricæ Missæ incendant; eorúmque animos à vera religione, quam Anglicana profitetur Ecclesia, abalienent. Hoc enim nomen [*Priest*,] quà ad *sacrificium* refertur, *sacerdos* est: quod verbum idcirco [i] Patres vestri Tridentini in tractando Missæ sacrificio vsurpant. Quum autem [(1) *sacerdotis*] nomen non sit Evangelii Ministris in Testamento novo attributum: Rhemenses vestri (2) nomen illud, quod ipsis attribuitur, idem * Anglicè faciunt cum [*sacerdote*.] Quod eo faciunt consilio, ut imperiti homines, fraudem hanc non sentientes, inde persuasum habeant Evangelii Ministros, *Sacerdotes* esse *ad sacrificandum institutos*: atque ita nostros Ministros fastidiant, qui neque *sacrificant*, neque *Sacerdotes appellari volunt*; & vestros denique amplexentur *Sacerdotes*, qui se *Sacerdotes* profitentur, etiam *Missales Sacerdotes*, & *ad sacrificandum* mittuntur, ut [k] in vestra utriúsque Seminarii Anglicani ostenditur Apologia.

[i Concil. Trid. Sess. 22. cap. 1. 2. 3. 6. & 7. can. 2. & 8. (1) ἱερεύς. (2) πρεσβύτερος. * Priest.]

[k Apol. Seminar. Angl. c. 6.]

HARTVS. Erudita illa Apologia, quam pro *Seminariis* nostris scripsit Alanus, meritò nova vestra suggesta (verissimas *cathedras irrisorum*,) reprehendit, quę eo nos nomine per jocum & ludum compellant. Nullos enim *Sacerdotes* alios agnoscit Ecclesia, neq; Christus ullum alium *Sacerdotum* ordinē instituit, quàm istorum, quos contemptim vos * *Missales Sacerdotes* vocatis.

[Psalm. 1.]

[* *Masse Priests*.]

RAINOLDVS. Hoc dicit Alanus. Sed neq; *Sacerdotes*, neq; *Missam* docet ex Scripturis: nisi *Missa, cathedra* sit; & *Sacerdotes, irrisores*.

HARTVS. Etsi non istic Scripturam afferat ad hæc docenda, id tamen aliàs præstitit: ut in Latino ejus volumine de Missæ sacrificio, & in Anglicanis nostris in Testamentum Annotationibus, in quibus ejus præcipuè opera versata est. * Siquidem Esaias potissimùm de novi fœderis Sacerdotibus prophetat, (ut Hieronymus in eundē locū ostēdit,) his verbis: [l] *Vos* (1) *Sacerdotes Domini vocabimini*; (2) *Ministri Dei nostri, dicetur vobis*. Quemadmodum autem hîc *Ministri Dei Sacerdotes* appellantur, eo ipso verbo, quod tute fateris ad *sacrificium* referri: ita, sacrificasse ipsos, ex [m] Actis quoq; Apostolorum intelligas, ubi scribitur, *Prophetas et Doctores qui erant in Ecclesia Antiochena, ministrantes fuisse Domino*. (3) Græcum enim vocabulum ipsos *sacrificantes* fuisse significat: & ita interpretatur Erasmus. Unde intelligitur ipsos *Missam celebrasse*: & verò hinc Græci Patres nomen illud

[* Rhem. Annot. in Heb. 7. 23. l Esai. 61. 6. (1) ἱερεῖς. (2) λειτουργοί. m Act. 13. 2. (3) λειτουργούντων αὐτῶν.]

illud *Liturgiæ* hauserunt, quam Erasmus *Missam* interpretatur; inquiens, *Missa Chrysostomi*. Quanquam nos quidem, *ministrantes* interpretamur, non *sacrificantes*, aut *Missam celebrantes*: etsi liceret hoc nobis; si vellemus (vestro more) audacter quemvis pro libito textum deligere, & ab una lingua ad aliam, compendium causæ nostræ quærentes, devolare. Sed nos nostri contextûs finibus nosmet continemus: utì decet certè summa cum religione facere interpretes Scripturarum.

RAINOLDVS. Contextus igitur [n] vester habet, *Prophetas & Doctores, qui erant Antiochiæ, fuisse ministrantes*: vos autem, ut *Missam* probetis, contextum vestrum improbatis. Si enim Græcum vocabulum *fuisse sacrificantes* significet, & vester textus Græcum verterit in Latinum: quomodo vester textus suum textum observavit, quum non *sacrificantes*, sed *ministrantes* redderet? Dicésne autorem veteris vestræ versionis (quę [o] sola à vestris pro authentica habetur,) non id præstitisse officii, quod summa cum religione Scripturarum interpretes facere oportebat? Ita planè facitis compendii vestri causâ. In hoc tamen illi injuriam facitis. Nam, etsi significare possit verbum illud (consequentis vi) *sacrificare*, quum *sacrificium* munus quoddam sit illis delegatum, quorum ministerium designat; quemadmodum, ubi de (4) *Levitis*, & (5) *Sacerdotibus* dicitur: proprio tamen suo sensu *ministrare* significat, sive in publico munere ([p] juxta ejus originem,) sive in quocunque alio: ut Magistratus, (6) *ministri Dei* vocantur; & Angeli, (7) *ministratorii Spiritus*; & jubentur Gentes (8) *ministrare Judæis*, inopiam eorum sublevãtes. Quare etiam vestrorum interpretum doctissimi, Isidorus Clarius, & Arias Montanus, qui utrique novum Testamentum è Græco verterunt, [q] alter à Legatis Tridentinæ Synodi, [r] alter à Lovaniensibus Doctoribus approbatus, hoc ipso loco Actorum Apostolorum interpretantur utrique, non *sacrificantes*, sed *ministrantes*; quod illorum in *Missam* propensio ægrè factura fuisset, nisi ipsos veritas impulisset. Quo turpiùs se gesserunt Rhemenses vestri, qui, dum cavillantur, nos deserere Græcum textum *compendii nostri causâ*, ipsi causâ compendii sui sensum Græci comminuunt: contra, non dico, [s] Grammaticorum judicium, etiam [t] eorum qui maximè ipsis commodare nituntur; sed contra communem verbi usum in Scripturis, contra veterem contextum suum, contra novas suas versiones, etiam contra conscientiam suam, sicut illud quod ex Esaia Propheta attulisti, (ubi illi Anglicè reddiderũt, [*] *the Ministers*) convincit. Atq; hîc eo est eorum factum deterius, quòd illud Erasmi nomine adornent; quasi is per [*sacrificantes*,] *Missæ* intelligeret *celebrationem*: à quo longè abest. Quamvis enim, quoniam ille [u] existimabat verbi proprium significatum esse, non simpliciter *ministrare*, sed *in rebus sacris ministrare*, ut qui funguntur Sacerdotali munere; idcirco interpretatus sit, *Prophetas & Doctores, qui in Ecclesia erant Antiochena, sacrificantes fuisse Domino*; ait tamen [x] *hinc intelligi, illos dotes suas impertivisse ad Dei gloriam, & salutem Ecclesiæ, Prophetas prophetando, Doctores docendo doctrinam Evangelii*. Nihil igitur aliud ille per [*sacrificantes*] vult, quàm alii per [*ministrantes*,] vel potiùs quàm ipsa Scriptura: quod observatum est ex contextûs circumstantiis [y] ab eruditissimis vestrorum interpretum. Qui quum animadvertebant, *Prophetas* illos esse, & *Doctores*, qui dicuntur *ministrantes fuisse Domino*, inde colligunt eos *serviisse illi in ministerio suo exsequendo, hoc est, Prophetiæ ministerio, & doctrinæ*. Quem in sensum [z] Græci quoque Patres interpretantur: (1) *Quid est verbum illud* [*ministrantes?*] (inquiunt;) *scilicet* [*prædicantes*.] Quare, si *Liturgiæ* nomen hinc derivatum fuerit à Græcis Patribus, quod Rhemenses adjiciunt; libenter audimus: sed eo futurum est ad *Missam* vestram probandam infirmi-

[n] Vulg. trãslat. *ministrãtibus*.
[o] Concil. Trident. sess. 4.
(4) λειτουργεῖν τὰς λειτουργίας. Num. 18. 6.
5) λειτουργῶν. Heb. 10. 11.
[p] λήϊτον & ἔργον.
(6) λειτουργοὶ Rom. 13. 6.
7) λειτουργικὰ. Heb. 1. 14.
8) λειτουργῆσαι. Rom. 15. 27.
[q] Isidor. Clar. 1564. Venet.
[r] Tom. 8. Regior. Bibl. 1572 Antuerp.
[s] Etymolog. in λειτουργός; Suidas, in λειτουργία. Bud. Henr. Steph.
[t] Lexic. Græc. Tom. 6. Regior Bibliorum.
[*] λειτουργοί.
[u] Erasm. annot in Act. Apost. 13. 2. & ep. ad Heb. 8. 2.
[x] Paraphr. & Annot. in Act. Apost. 13. 2.
[y] Arias. Montanus in Elucidation. Card. Caietanus, & Io. Ferus, in comment. in Acta Apost.
[z] Oecumenius, & Theophylactus, in Exposit. in Act. Apost. è Chrys. & Græcis Patribus.
(1) Τί ἐστι λειτουργούντων; τουτέστι, κηρυττόντων.

us. Nam ſi apud illos verbum [*miniſtrantes*,] ſit [*prædicantes*,] quum de *Prophetis* & *Doctoribus* uſurpatur: inde quidem probabilius eſt, quum illud miniſterio Paſtorũ & officiis Eccleſiæ accommodabant, eos intellexiſſe preces publicas aliáſq; ſacras functiones, quas nos *Divina officia* appellamus. Et certè intellexerunt. Nam, quod nos *preces veſpertinas* vocamus, id illi (2) *veſpertinam Liturgiam* appellabant; *officium* quaſi diceres *veſperi Deo præſtitum*: & verò in ipſa *Liturgia*, quæ vocatur *Chryſoſtomi*, quòd ipſe forſan partem ejus aliquam compoſuerit, non omnem, nã [a] in ea ipſi preces ſiunt; ſed in ea ipſa *Liturgia*, verbum accommodatur (3) *Eccleſiæ officiis* eodem modo, quo *officiis* iis quæ ab (4) *Angelis* [b] præſtantur Deo. At ſpero equidem non affirmaturos vos, Angelos in cœlis Miſſam celebrare. Quamobrem, utcunq; interpretatus fuerit Eraſmus, ſequutus ſui temporis cõſuetudinem, quando Eccleſiæ officia vulgò *Miſſa* dicebantur: *miniſterium* illud, cujus ſit in Actis Apoſtolorum mentio, non evincit hoc *ſacrificium*, unde vos *Sacerdotium* veſtrum aſtruere contenditis. Quod autem ad illum Eſaiæ locum attinet, in quo ſcriptum eſt, *Vos Sacerdotes Domini vocabimini; Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis:* ipſa ſeries contextûs, per *Sacerdotes*, omnes Dei ſervos videtur deſignare, quos *Sacerdotium ſanctum* appellat [c] Petrus *ad offerendum ſpirituales hoſtias acceptas Deo per Jeſum Chriſtum.* [d] Verba enim, quaſi Chriſto ea loquente, dicuntur [e] cunctis fidelibus & pœnitentibus, [f] qui *quercus* forent *juſtitiæ* [g] *ad exſtruendam* Eccleſiam; ideóq; promittitur illis, [h] inimicos ſervituros ipſis, & [i] ipſos ſervituros Deo. Ceterùm in alio Eſaiæ loco, (fateor,) *Sacerdotis* nomen, Paſtoribus, & Senioribus attribuitur: [k] ubi de vocatione & converſione Gentium verba faciens, *Atq; ex iſtis*, inquit, *aſſumam in Sacerdotes & Levitas, ait* Jehova.

(2) ἑσπερινὴν λειτουργίαν. Theodoret. hiſt. Eccl. l. 4. c. 14.
[a] Chryſoſt. Liturg. Græc. excuſ. Pariſ. 1560
(3) ὑπὲρ τῆς λειτουργίας ταύτης.
(4) εἰς λειτουργίαν θείας δόξης, & συλλειτουργέντων.
[b] Eſai. 6. 3. Apoc. 4. 8. & 5. 12.
[c] 1. Pet. 2. 5.
[d] Eſai. 61. v. 1.
[e] V. 2.
[f] V. 3.
[g] V. 4.
[h] V. 5.
[i] V. 6.
[k] Eſai. 66. 21.

Hartus. Superiorem quoq; locum de iis Hieronymus interpretatur. Verũ utrumvis idem ad inſtitutum meum. Quum enim Paſtores & *Elders* (ut appellas,) *Sacerdotes* vocentur in Scripturis, fateariſq; nomen *Sacerdotis ſacrificandi autoritatem* denotare: ex eo conſequens eſt, Paſtores & *Elders*, *Sacerdotes* eſſe autoritate ad *ſacrificandum* imbutos. Ille verò *Sacerdos*, cui autoritas *ſacrificandi* data eſt, is eſt, quem tu *Miſſalem Sacerdotem* vocas. *Miſſa* igitur & *Sacerdotes* ex Scripturis evincuntur.

Rainoldus. Quid? Ecquid exiſtimas quemq; Chriſtianum virum, fœminámque, *Miſſalem* eſſe *Sacerdotem*, quòd [l] ipſis nomen *Sacerdotum* attribuat Scriptura, propter [m] *ſpiritualia ſacrificia* quæ ab ipſis Deo ſunt offerenda?

[l] Apoc. 1. 5. & 5. 10.
[m] 1. Pet. 2. 5.

Hartus. Minimè verò. Quoniam quæ ab ipſis offerenda ſunt *ſacrificia*, *ſpiritualia* ſunt: & *ſacrificia*, non propriè, ſed tranſlatitio quodam loquendi genere vocantur. Sed quod Deo in *Miſſa* offertur *ſacrificium*, *externum* eſt, *viſibile*, *verum & proprium ſacrificium*, ut oſtenditur in [n] Concilio Tridentino. Inde Sacerdotes, qui ad hoc *ſacrificium* offerendum ſunt inſtituti, propriè vocantur *Sacerdotes*: quũ alii Chriſtiani ita impropriè vocentur, pro natura *ſacrificiorum* quæ ab iis offeruntur.

[n] Seſſ. 22. c. 1. *Viſibile ſacrificium*. c. 2. *verè propitiatorium* & in 1. *verum & proprium ſacrificium.*

Rainoldus. Nomen igitur Sacerdotum ex Eſaia adductum, veſtros *Miſſales Sacerdotes* non confirmat. Ille enim Miniſtros Evangelii *Sacerdotes* vocat, ratione *ſpiritualium ſacrificiorum* quæ ipſis ſunt offerenda. Quod [o] ex verbis, quæ proximè præcedunt, conſtat: ubi Dominus oſtendens, ([p] ipſius Hieronymi quoque judicio,) ad eundem honorem Judæos ſe vocaturum, qui *Sacerdotum* nomine exprimitur: *Et illi*, inquit, *adducent Gentes muneri* Jehovæ, *quemadmodum offerunt Iſraelitæ munus inſtrumento mundo in domum* Jehovæ. Quare, *adducere Gentes muneri* Jehovæ, illud eſt, cujus cauſâ ipſi qui talia adducunt *munera*, *Sacerdotes* nominan-

[o] Eſai. 66. 20.
[p] Comment. in ea verba Eſaiæ: *Quomodo ſi inferant filii Iſrael munus.*

nantur & *Levitæ*. Sed ipsi *Gentes offerre*, *spirituale est sacrificium*; factum *à Ministris Christi*, (ut docet [q] Paulus,) quum *per Evangelii prædicationem Gentes* convertunt. Sacrificium igitur illud, unde Ministri Evangelii *Sacerdotes* dicuntur ab Esaia, sacrificium est spirituale. Et, ut quisque homo fidelis *Sacerdos* est, quoniam offerendum cuiq; est corpus suum, [r] *sacrificium vivum, sanctum, acceptum Deo*: ita nomen illud Evangelii Ministris ascribitur, quoniam ad aliorum corpora eodem modo offerenda sunt vocati. Quare, si non sunt privati quiq; Christiani *Missales Sacerdotes*, quòd *sacrificia* eorum sint *spiritualia*: quandoquidem Ministris igitur ejusmodi *sacrificia* sint offerenda, ex responso tuo consequitur neq; ipsos esse *Missales Sacerdotes*.

[q] Rom. 15. 16. ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον. [r] Rom. 12. 1.

HARTUS. Evangelii Ministris ejusmodi offerenda sunt *sacrificia*: non inficior. Atq; ea ratione verum est, neq; ipsos, neq; privatos Christianos effici *Missales Sacerdotes*. Ceterùm aliud est, *externum sacrificium*, quod Ministris quoq; offerendum est: illud ipsum quod Dominus apud [s] Malachiam Prophetam *mundam oblationem* appellat, aitq; *in omni loco eam nomini suo sacrificari, quòd magnum sit nomen ejus in Gentibus*. Atq; hoc est *sacrificium* illud, à quo Ministri Evangelii propriè *Sacerdotes* nominantur, & sunt re quidem vera *Missales Sacerdotes*. Nam *munda* illa *oblatio*, *Missæ est sacrificium*, in quo *corpus & sanguis Christi offertur Deo Patri*, ut docet [t] Synodus, *oblatio, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*.

[s] Mal. 1. 11. [t] Conc. Trid. Sess. 22. cap. 1

RAINOLDUS. Quid? Num igitur de tribu Levi sunt *Sacerdotes* vestri, qui hoc offerunt sacrificium?

HARTUS. Non, neq; ex Judæis: sed Christiani sunt Sacerdotes.

RAINOLDUS. At de tribu Levi sunt illi, quibus offerendum est sacrificium, quod apud Malachiā commemoratur. Nam [u] postea de eadem agens [*] *oblatione*, quæ offerenda est Deo Evangelii temporibus, ait Jehovam *purgaturum filios Levi, & defæcaturum eos velut aurum, & argentum, ut sint* Jehovæ *qui offerant munus justè*. Quare, si *oblatio* illa qua de Malachias loquitur, *Missa* sit sacrificium, hoc est, propriè sacrificium: tum proprii & germani *Sacerdotes*, a quibus *offertur*, sunt Judaici Sacerdotes secundùm ordinem Aaronis, *ipsi filii Levi*. Sin autem *filii Levi* tropologicè designent *spirituales Levitas*, hoc est, omnes fideles, quos Christus in Testamento novo fecit [x] *regale Sacerdotium*, [y] *Reges & Sacerdotes Deo patri suo*, ut [z] Montanus vester rectè exponit: tum *oblatio* tropologicè significet necesse est *spirituale sacrificium*, hoc est, quod Christianos omnis generis oportet Deo offerre. Et quidem certè, ut [a] de Johanne Baptista dixit Christus, *Si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus erat*: innuens scilicet [b] Prophetam, Eliæ nomine Johannem Baptistam denotasse: ita mihi liceat vobis dicere de *spiritualibus* Christianorum *sacrificiis*, *Si vultis recipere, ipsa est munda oblatio, quæ in omni loco foret offerenda Deo*. Nam Prophetæ, ubi loquuntur de Christi Evangelio, & religioso Dei cultu in [c] *spiritu & veritate*, (in quo Gentes per Evangelii prædicationem conversæ, ei per universum orbem terrarum servirent:) solent id figuratis loquendi generibus, deductis ab externo & corporeo Dei cultu in Legis ceremoniis, describere. Hinc illa sunt, [d] *Erit Jehovæ altare in media terra Ægypti*; &, [e] *Holocausta eorum, & sacrificia eorum accepta erunt in altari meo*; &, [f] *Omnes oves Kedar, & arietes Nebaioth offerentur super altari meo*; &, [g] *Ascendent Gentes de anno in annum, ut celebrent festum tabernaculorum*, [h] Jerosolymam; &, [i] *Erit omnis olla in Jerosolyma atq; Juda, sacra Jehovæ exercituum*; &, *Venientes omnes sacrificaturi excipient ex eis, & coquent in eis*; dèniq;, [k] *Suave erit* Jehovæ *sacrificium Judæ & Jerusalem, ut diebus priscis, & ut an-*

[u] Mal. 3. 3. [*] מנחה [x] 1. Pet. 2. 9. [y] Apoc. 1. 6. [z] Arias Montanus cōment. in Malach. c. 3 [a] Matth. 11. 14. [b] Mal. 4. 5. [c] Ioh. 4. 23. [d] Esai. 19. 19. [e] Esai. 56. 7. [f] Esai. 60. 7. [g] Zach. 14. v. 16. [h] V. 17. [i] V. 21. [k] Mal. 3. 4.

annis antiquis. Quemadmodum igitur oblationem Prophetæ commemorant, quam Chriſtiana Eccleſia oblatura ſit Deo poſt natum Evangelium: ita *holocauſta*, & *ſacrificia* commemorant; *oves Kedar, arietes Nebaioth, ſuper altari* offerenda; commemorant *aſcendendum* Jeroſolymam, celebrãdum *feſtum tabernaculorum*, carnes pecudum quæ ſacrificatæ ſunt, *in ollis coquendas*, *Levitas* Miniſtros eſſe quib' munus juſtè eſt offerendum Deo. Sed neq; [l] *Levitarum* manet Sacerdotium, neq; [m] Jeroſolyma locus ille eſt ubi ſit adorandus Deus, neq; [n] *feſta* Judaica ſunt adorãdi tempora, neq; vult ille [o] *ſacrificio* & *oblatione* ſe coli, ſi proprio ſenſu accipiantur. Prophetarum igitur animus fuit per allegoriam quandam (quam vocamus,) oſtendere, omnes Chriſtianos, tanquam *Sacerdotes* & *Levitas*, ſeipſos offerre oportere, & ſua, tanquam *ſacrificia*; omnibus temporibus; tanquam *feſtis* ſolennibus; locis omnibus, tanquam *Jeroſolymæ*. Atq; ita *munda illa oblatio*, de qua Malachias dicit, *Offeretur in omni loco Jehovæ*, ſignificat, non ſacrificium ſuper altari faciendum, quod [p] vult Synodus veſtra, ſed ſpirituale ſacrificium ad quod offerendum fideles adhortatur [q] Paulus, jubens *viros precari in quovis loco, puras manus attollẽtes abſq; ira & dubitatione*.

l Heb.7.12. m Ioh.4.21. n Gal.4.10. o Hebr.10.5. p Conc. Trid. Seſſ.22. cap.1. q 1.Tim.2,8.

Hartvs. Multa quidem de futuris Prophetæ loquuntur, non propriè aut ſimpliciter; ſed tropologicè, per ænigmata, & allegorias, & parabolas, quæ aliter accipi debeant ac ſcribuntur, ut obſervat [r] Tertullianus. Verùm, *altaris* nomẽ propriè uſurpatur pro materiali altari, ab Apoſtolo ad Hebræos, dicente; [ſ] *Habemus altare, ex quo non habent jus edendi qui tabernaculo deſerviunt*. Iſtis enim verbis monet ipſos, dum nimiùm priſcis ſuis Judaicis ritibus adhæreſcunt, ſe alio magíſque excellente ſacrificio & cibo ſpoliaſſe: quod ille de ſacro altari, & ipſius Chriſti beato corpore iſtic oblato atq; manducato ſignificabat. Cujus illi participes eſſe non poſſent, qui in veteris legis figuris hærent. *Hoc altare* (inquit [t] Iſychius) *Chriſti corporis eſt altare, quod Judæis ob incredulitatem ſuam non licet intueri*. Et quidem (1) Græca vox (uti etiam (2) Hebraica quę ei reſpondet in Teſtamento veteri,) propriè ſignificat *altare* ſacrificiis deſtinatum, non autem metaphoricum & ſpirituale *altare*. Quum igitur nobis verum ſit altare proprio genuinóque ſenſu, & *altaris* nomen *ſacrificium* innuat ſuper *altari* offerendum: ex eo conficitur, corpus Chriſti ſuper *altari* verum eſſe genuino ſenſu *ſacrificium*. Atque illud abſq; dubio *munda* eſt *oblatio* illa, qua de Propheta loquitur: quemadmodum definitum eſt à Tridentinâ Synodo.

r Adverſ. Marcion. l.5. ſ Heb.13.10. t In Leviticum l.6.c.21. (1) θυσιαστήριον. (2) מזבח

Rainold. Minimè igitur tibi dubium eſt illis verbis, [*habemus altare*,] materiale *altare* denotaſſe Apoſtolum, qualia ſunt veſtra [u] lapidea?

u Durand. Ration. divin. offic. l.1. c.7.

Hartvs. Quidni? *Verum altare*.

Rainoldvs. Et verò, *qui non habent ex iſto altari edendi jus*, contumaces Judæi ſunt, qui legis ceremoniis adhæreſcunt.

Hartvs. Judæi, ejuſmodíq; homines prophani.

Rainoldvs. Veſtri igitur *Miſſales Sacrifici* poſſunt, & ſolent ex *altari iſto edere*.

Hartvs. Solent. Quid tum demum?

Rainoldvs. Sunt illis valde boni benéq; robuſti dentes, ſi ex lapideo altari comedant. Certúmne hoc tibi, ex eo edere ipſos?

Hartvs. *Edere ex altari*? Quaſi verò lateret te, per *altare*, ſacrificium quod ſuper *altari* offertur deſignari. Ex Chriſti corpore edunt, quod per *altare* deſignatur.

Rainold. Itáne eſt? Non igitur verbum [*altare*] pro *vero altari in proprio ſuo*

sensu accipitur, sed tropologicè, pro Christi corpore quod sacrificatum oblatumq; fuit. Neq; pro Christi corpore ea ratione accipitur, qua Christus in sacramento offertur, quo quidem modo * mysticè offertur quoties fideles ex pane illo edunt, & ex illo bibunt poculo, in quibus fractum corpus ejus effususq; sanguis ipsis repræsentatur: sed ea ratione, qua oblatus est in cruce Christus, quomodo verè oblatus est non sæpius, sed [x] *semel, ut multorum peccata tolleret*, & [y] *sanctificaret* eos [z] *in perpetuum*, qui in illum credunt.

* Hoc est, non in veritate rei sed in mysterio, ut observatur ex August. c Hoc est. de cõsecr. distin. 2.

[x] Heb. 9. 28. [y] Heb. 10. v. 10. [z] V. 14.

HARTUS. Immo, antiquus ille Pater Isychius hoc de *corpore Christi in sacramento* exponit, (ut ostendi,) *quod non licet Judæis intueri*. At illi corpus ejus crucifixum poterant intueri, atq; etiam intuebantur.

RAINOLDUS. Atqui sanctus ipse Apostolus id de Christi corpore intelligit, ut in cruce oblatum est. Quod manifestum esse evincunt verba, quæ adjicit ad sententiam explicandam suam, de *Judæis* & *altari*: [a] *Quorum enim* (inquit) *animalium sanguis infertur pro peccato in Sacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra castra. Quapropter & Jesus, ut sanctificaret populum per proprium sanguinem, passus est extra portam.* Quæ quidem verba aliquanto sunt obscuriora, sed liquida fient, si tùm quid probare velit Apostolus, tùm qua ratione id ipsum probet, observemus. Hoc autem est, quod vult probare; non posse Judæos participes esse emolumenti quod ex Christi morte nobis enascitur, & redemptionis quam ipse pretioso suo sanguine nobis comparavit, si perpetuò externum cultum Mosaicæ legis retineant. Rationem qua hoc probat, arcessit ab instituto quodam Dei in quibusdam sacrificiis quæ lege jubebantur pro peccato offerri, quæ quidem sacrificia adumbrabant Christum, & istam doctrinam monstrabant. Quum enim [b] Sacerdotes, qui deserviebant tabernaculo in legis ceremoniis, partem aliorum sacrificiorum atq; oblationum haberent, & ex iis comederent: [c] quædam erant *animalia*, quæ ut *offerrentur pro peccato* singulari quodam modo mandatum est, & ut *sanguis eorum in Sacrarium inferretur*, [d] quorum *corpora* nefas erat *comedere*, sed extra castra erant exurenda. Jam, in istis sacrificiis pro peccato oblatis, unicum nostrum summum sacrificium, Jesus Christus adumbratus est: [e] qui *per sanguinem suum ingressus est in Sacrarium*; [f] *ut nos ab omni peccato purgaret*: [g] & *corpus* ejus *extra portam crucifixum est*, hoc est, extra portam urbis Jerosolymitanæ; qui verò Mosaicæ legis ritus Sacerdotales observant, *ex illo* non possunt [h] *edere*, ut per mortem ejus vivant. Nulli enim per illum vivent, qui per legem servari cupiunt, sicut scriptum est; [i] *Si circumcidamini, Christus nihil vobis profuturus est*. Hortatus igitur Hebræos Apostolus, ut [k] *corda sua constabiliant gratiâ*, quæ ipsos docet ut Domino in spiritu & veritate juxta Evangelicam doctrinam serviant, *non cibis*, hoc est, legis ceremoniis, quarum pars aliqua fuit illud inter purum & impurum in cibis discrimẽ: tandem eos hac ratione ad ista allicit, quia si [l] *tabernaculo deserviant*, & Judaici Sacerdotii ritibus adhæreſcant, nullam gustaturæ sint eorum animæ partem ex nostri sacrificii pabulo, fructum Christi mortis nullum. Nam, [m] ut *illorum animaliũ corpora* quæ offerebantur *pro peccato*, & *sanguis eorum illatus in Sacrarium à Pontifice*, non poterant comedi à Sacerdotibus, *sed extra castra erant exurenda*: [n] ita neque possunt Sacerdotalium ceremoniarum observatores, vitam, Christum manducãdo, adipisci, qui (ut hoc explicetur mysterium,) *mortem extra portam passus est*, quum effunderet *sanguinem* suum, ut *populum à peccato* purgaret. Atq; ita ex contextu ipso liquet, *altaris* nomen denotare sacrificium, hoc est, *Christum crucifixum*: non quà mors ejus in sacramento ostenditur, sed quà mortem ipse *extra portam passus est*. Unde perspicias planè, primùm quidem, inscitiam Rhemensium tuerti

[a] Heb. 13. 11.

[b] Levit. 6. 16. & 7. 6.

[c] Levit. 4. 3. & 16. 15.

[d] Levit. 6. 30.

[e] Heb. 9. 12.

[f] 1 Ioh. 1. 7. & 2. 2.

[g] Ioh. 19. 20.

[h] Ioh. 6. 51.

[i] Gal. 5. 2.

[k] Heb. 13. v. 9.

[l] V. 10.

[m] V. 11.

[n] V. 12.

in *Græca voce illa,(ut etiam in Hebraica;) significare* videlicet *propriè altare sacrificiis destinatum:* quasi verò non posset igitur figuratè usurpari;ubi tamen ita esse ipsi quoq; necessariò coguntur fateri. Deinde,debilitatem rationis tuæ,qui inde colligis;per *sacrificium illud*,quod ea voce innuitur apud Apostolum, *mundam illam* intelligi *oblationem* quã de Propheta loquitur. Illa enim, de qua Propheta loquitur, *munda oblatio* [o] *in omni loco offertur: sacrificium* verò ab Apostolo denotatum in uno tantùm loco,[p] *extra portam*.Quare *altaris* nomen in epistola ad Hebræos, neq; *Missale* designat *altare*,neq; *Missalium Sacerdotum* probat sacrificium.

o Mal.1.11.
p Heb.13,12.

HARTVS. Quod tu, tanquam ineptè annotatum à [q] Rhemensibus nostris perstringis, de *Græca & Hebraica voce*,id quidem verissimè annotatum est. Nequis enim ipse diffiteri,quin *propriè significet altare,materiale altare sacrificiis destinatum,non autem metaphoricum & spirituale altare*. Unde ut concludunt,*nobis nõ esse vulgarem mensam, aut profanum communionis receptaculum ubi merum panem edamus,sed verum altare proprio sensu acceptum super quo Christi corpus sacrificetur:* ita,quò hæc probent,subjiciunt,*ratione ejusdem corporis sacrificati, altare quoq; appellari à Patribus,à* [r] *Gregorio Nazianzeno*,[s] *Chrysostomo*,[t] *Socrate*,[u] *Augustino*, *&* [x] *Theophylacto. Quando autem mensa vocatur, id dici propter cæleste pabulum Christi corporis sanguinisq; accepti.*

q In Annotat. in Hebr.13,10

r In orat.de sorore Gorgonia.
s Demonst. quòd Christus sit Deus.
t Hist.Eccles. l.1.c.20.& 25.
u Epist.86. De civit.Dei.l.8. c.27.& 22, c.10. Confess. l.9.c.11, & 13. Contra Faust.Manich. l.20.c.21.
x In Mat.23.

RAINOLDVS. Annotationem Rhemensium vestrorum de *Græca & Hebraica voce*, esse veram fateor, ineptam tamen: etsi ad rem', veram; ad institutum tamen,ineptam. Nam,ut Apostolus dicens, *habemus altare*, existimetur vocem illã non spiritualiter,aut figurativo sensu usurpasse, uti nos de Christo eam exponimus;sed materialiter de *vero altari*,quale in Missis eorum usurpatur,aiunt (1) *Græcam vocem(ut etiam(2) Hebraicam,quæ eidem in vetere Testamento respondet,)propriè significare altare sacrificiis destinatum, non autem metaphoricum & spirituale.* Quod quàm insulsum sit ad illud,quò ab ipsis refertur: ipsorum quodam exemplo tibi commonstrabo.Servator de seipso tradit in Evãgelio,se [y] *verum panem illum* esse, [z] *qui dat vitam mundo*; [a] *panem illum qui de cælo descendit,ut qui eo vescitur,non moriatur*: [b] *si quis ederit ex hoc pane,vivet in æternum*.Rhemenses vestri hîc annotant, *personam Christi incarnati designari per panis metaphoram, & nostram in eum fidem significari per manducationem.* Et hoc rectè quidem dicunt. Verùm siquis objicetet ipsis (1) *Græcam vocem,(ut etiam(2) Hebraicam, quæ respondet eidem in veteri Testamento,)propriè significare panem quem corporis dentibus manducamus,non autem metaphoricum,aut spiritualem panem*: an non perinde vera forent ista,atque quæ ab ipsis dicta sunt? Quàm parum tamen ad institutum,quis ita cœcus, cui non appareat? Quin etiam,ne discedamus à verbo ipso, ex quo per Hebraicam & Græcam suam peritiam sibi aliquid compendii conquirunt: ipsi,in eum [d] Johannis locum, *Vidi sub altari animas eorum qui mactati fuerant propter verbum Dei*; disertis verbis altare hoc,Christum esse affirmant. *Christus*,inquiunt, *quà homo, sine dubio hoc altare est.* Intelligunt hoc,spero,quodam metaphorico,aut alio figurativo loquendi genere. Nolunt per transubstantiationem illum propriè altare esse. Non minùs tamen isthîc verum est,(1)*Græcam vocẽ,(ut etiam(2)Hebraicam quæ eidem in veteri Testamento respondet,)propriè significare altare sacrificiis destinatum,non autem metaphoricum aut spirituale altare.* Et quidem si tam commodaret causæ ipsorum, ut probarent Missam in cœlis dici,quàm ut in terris; &, Christum propriè esse absq; omni figura panem, quàm panem esse propriè Christum in sacramento: contextus certè Scripturæ,ubi Christus *panis* vocatur,etiam *verus panis*, alterum liquidò est probaturus,quemadmodum ipsum illi ista annotatione concinnare potuerunt;

(1) θυσιαστήριον.
(2) מזבח.
y Ioh.6.v.32.
z V.33.
a V.50.
b V.51.
c In annotat. in Ioh.6,32.
(1) ἄρτος.
(2) לחם.
d Apoc.6.9.

(1) θυσιαστήριον.
(2) מזבח.

& verbum illud, *altare*, alterum extra controversiam positurum est, præsertim verò si hoc pariter annotetur, [e] *Angelum stetisse ante altare, habentem thuribulum aureum*, etsi [f] alii istic quoq; *altare Christum* esse affirment. Verùm idem Rhemensibus vestris accidit, quod solet [g] Pseudoprophetis: (1) *Hic exstruit luteum parietem*, & (2) *illi obducunt ipsum inepto tectorio; & adveniente procella, paries unà cum tectorio ruit*. Quamvis enim, ut illi id obducũt, scitum videatur, verba propriè significare res ipsas naturales quas solent significare, non autem res metaphoricas & spirituales: tamen si explicetur, hinc scilicet intelligi, verba non posse usurpari (per metaphoras, aliásve figuras) ad ea significanda quæ propriè non significant; pueri ipsi in ludis literariis, qui quid sit *metaphora* nôrunt, hoc planè sunt irrisuri. Quare nequicquam proderit hoc tectorium infirmitati lutei vestri parietis, conclusionis inquam ejus quam ex eo confirmare cupitis, & quam inde infertis; *habere nos altare proprio sensu acceptum, super quo Christi corpus sacrificetur*. In quo tamen obducendo tectores vestri aliquid majoris artis exhibent: quà nos in odium trahendo, quibus non sunt *altaria* Pontificia, sed *mensæ* ad communionem celebrandam comparatæ; quà etiã Patrum nomina intexendo, ac si illi pro vobis contra nos facerent. Utrumque, nõ sine arte & peritia: sed quæ magis Sophisticam sapiat, quàm Theologiam. Quod enim Scriptura [h] *mensam Domini* appellat, quia ad [i] *cœnam Domini* celebrandam in administratione beati sacramenti corporis ejus & sanguinis, comparatur: idem [k] Patres quoque *mensam* appellant, propter cœleste illud convivium, quod istic apponitur. Atq; hoc, sensu proprio atq; germano. Ceterùm, per quandam sermonis figuram, qua nomina eorum quæ in una aliqua qualitate conveniunt, ipsis invicem attribuuntur, ut [l] Christus appellatur *David*; [m] Johãnes Baptista, *Elias*; [n] *civitas Romana, Babylon*; [o] *Ecclesia Dei, Jerosolyma*: solent Patres, ut doceant similitudinẽ illam quæ Ministris & sacramentis novi fœderis intercedit cum illis veteris, nomẽ ascribere, ut [p] *Sacerdotum* & *Levitarum*, Pastoribus & Diaconis; ita *sacrificii*, cœnæ Domini; & mensæ Domini, nomen *altaris*. Hæc enim à natura connectuntur vinculo quodam, quo ad se mutuò referuntur, & à se mutuò dependent: (1) *altare*, (2) *sacrificium*, (3) & *Sacrifici qui altari deserviunt*; hoc est, *Sacerdotes* & *Levitæ*. Quare, si Patres *verum altare proprio acceptum sensu ad Christi corpus sacrificandum comparatũ* intelligerent: [q] *Leviticum* quoq; *Sacerdotium* intelligant necesse est, *quod in hoc sacrificandi opus incumberet*. Sed [r] *Leviticum Sacerdotium* evanuit, nec illi hoc ignorârunt: neq; hoc nomine Evangelii ministerium, nisi tropico loquendi modo vocârunt. Illis igitur injuriam faciunt Rhemenses vestri, dum illorum testimonio arguũt *Domini mensam altare propriè* vocari. Nobis verò majorem multo injuriã inferunt, dum *altare vulgari mensæ* iis verbis opponunt, ac si nos, quorum in templis nõ sunt *vera altaria*, comparata ad mactandum sacrificandúmq; Servatorem Christum, *vulgarem tantùm mensam haberemus, & profanum communionis receptaculum, mero pani manducando destinatum*. Qua quidẽ techna conamini exosos nos hominibus reddere, quibus velletis persuasum facere, nos Christi corpus non discernere. Quæ occulta calumnia vestra nobis apertam facit injuriam. Non enim *vulgarem*, sed *sacram* habemus *mensam*, uti & [s] vocamus eam, déq; ea judicamus; non *profanum communionis receptaculum*, sed sanctificatum; non *mero pani*, sed *Domini cœnæ manducandæ* destinatum; in qua *panem* εὐχαριστίας, & *poculum benedictionis* accipimus, sicut doctrina [t] Apostolorum, & praxis [u] Patrum nos instituit. Vos ipsi potiùs

[e] Apoc. 8. 3.
[f] Arethas in collect. exposit. in Apocal. cap. 8. Rupert. comment. in Apoc. l. 5.
[g] Ezek. 13. 10.
(1) Alanus, lib. de Missæ sacrificio.
(2) Rhemẽses, in Annotat. in novum Test.
[h] 1. Cor. 10. 21
[i] 1. Cor. 11. 20.
[k] Gregor. Nazianzen. orat. in laudem Basilii. Chrysost. demonst. *quòd Christus sit Deus*. Homil. in Mat. 16. & 83. in prior. ep. ad Corinth. 24. & 27. Ad populum Antioch. 60. & 61. Serm. de Eucharist. & de B. Philogonio. Socrat. hist. Eccles. lib. 1. c. 20. & 25. Aug. epist. 59. ad Paulinũ Tract. in Iohan. 26. De verbis Domini Serm. 46. Theophylact. in prior epist. ad Cor. c. 11.
[l] Ezeck. 34. 23
[m] Mal. 4. 5.
[n] Apoc. 17. 5.
[o] Esai. 62. 9.
[p] Prudentius hymn. de S. Laurent. Concil. Carth. 2. Can. 2. Isidor. etymologiar. l. 7. ca. 12.
(1) θυσιαστήριον.
(2) θυσία.
(3) οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες.
[q] Ambr. de offic. l. 1. c. 50. Leo. ep. 79. ad Dioscorum. [r] Heb. 7. 11. [s] Liber publicarum precum Anglicanæ Ecclesiæ, in Communione. [t] 1. Cor. 10. 16. & 11. 23. [u] Iustin. Mart. in Apolog. 2. Iren. l. 4. c. 34. l. 5. c. 4. Cypr. ep. 63. ad Cæcilium. Ambr. de sacrament. lib. 4. & 5. Leo Serm. 4. de Quadrages.

rei hujus criminis estis, & homines *mero pane* pascitis,[x] qui poculū novi Testamēti in Christi sanguine, Christi populo adimitis; & pro beati sacramenti pane *merum panem* revera, vobis ipsis fatentibus, in Missis vestris porrigitis, [y] vulgarem panem illum qui * *panis benedicti* nomine venditatur. Utinā, Harte, *cogitares tecum*, etiā *in cubili tuo*, (ut loquitur [z] Propheta,) altiúsq; considerares tùm scelestos abusus illos quibus purū sacramentū cœnæ Dominicæ in vestro impuro Missæ sacrificio profanatur; tùm etiam fraudulenta illa media quibus Magister tuus, reliquíq; Collegii Rhemensis Socii id tueri cōnituntur. Qui quū nō possint id evincere ex Scripturis, sive de *altari* illis, sive de *munda oblatione*, præcipuis certè locis in quibus quicquid ostentant virium, consistit: conantur tandem bonā de eo opinionē ingenerare mētibus simpliciū, partim, famā nostrā falsis conviciis lædentes; partim, abutentes Patrum autoritate. Quæ duo probationum genera potissimùm per universas vestras Rhemenses Annotationes pollent.

[x] Conc. Constantiens. Sess. 13. & Trid. sess. 21. cap. 1. can. 2.
[y] Durand. in Ration. divin. offic. l. 4. c. 53.
* *Panis benedictus sanctę cōmunionis Vicarius.*
[z] Psal. 4. 4.

Hartus. Non abutimur verò autoritate Patrum, ut errorem aliquē hominibus persuadeam': sed sicut enitimur eos in veritate sequi, ita adducimus ipsos ut testimoniis eorū veritatem evincamus. Et quidem, utcūq; locū Pauli declines, ubi dicitur, *Habemus altare*: Malachiæ illa prophetia, *in omni loco mundā oblationē sacrificari & offerri Deo*, ad verū & externū Missæ sacrificiū spectet necesse est, nō ad sacrificia spiritualia. Quod quoniā reverendus ille vir, Alanus, cujus de *Missa tractatus* tantopere offendit tibi animū, sex argumentis [a] probat, * quorum robur magnopere cōmēdat: illa ego ejus verbis producā, ut procliviùs iis assentiare. Primū igitur, verbū *sacrificare* & *offerre*, per se sumptum sine termino diminuente, semper in Scriptura propriè pro actu externi sacrificii accipitur. Quū verò dicitur, *hostia laudis, hostia vociferationis, sacrificiū cōtritionis*, & similia: ex adjunctis facilè intelliguntur impropriè accipi. Secundò, sacrificiū hoc, de quo loquitur Propheta, est unum: spiritualia autem sacrificia tot sunt, quot sunt Christianitatis bona opera. Tertiò, istud est propriū sacrificiū novæ legis, & Gentiū, nō Judæorū: sed spiritualia precū & operū sacrificia sunt Judæis nobiscū cōmunia. Quartò, hoc, de quo Malachias, succedit Judaicis sacrificiis, eorúmq; loco offertur: sed oratio, jejuniū, caritatísq; opera nullis sacrificiis succedunt, sed cuilibet generi cōjunguntur. Quintò, (hæreticorū maximè judicio) nostra opera sunt inquinata, utcunq; speciosa videantur: sed hæc Prophetica *oblatio per se mūda est, & ita per se mūda* præ veteribus hostiis, ut à nobis, vel à pessimis Sacerdotibus pollui omnino nō possit. Hîc enim, in Testamēto nostro, nō possunt sibi seligere optima quęque, & Domino in sacrificium donare languidū, claudū, debile, sicut priùs in veteri: quū unica nunc sit hostia ita constituta, ut cōm utari nō queat; ita mūda, ut nullo nostro opere cōtaminari possit. Porrò, Patres, & quotquot unquā ex professo hunc locū tractārūt Catholicè, de sacrificio Eucharistiæ interpretati sunt: etiā tū, quādo de sacrificio precū loquūtur, aut etiā de sacrificio spirituali. Ubi hæretici fallunt, & falluntur. Patres enim sacrificiū nostrū, quia eulogiâ & prece mystica cōficitur, nōnunquā oblationē precū vocant & spiritualē hostiā: quia victima hîc exsistens, nō habet crassam, carnalē, cruentáq; cōsecrationē aut immolationē, sicut victimæ Judaicę. Vide Tertullianū, l. 3. contra Marcion. in fine; Justinū, in Tryphon. Irenęū, l. 4. c. 32. Hieronymū, in Zachariæ 8. August. l. 1. cōtra adversariū legis, cap. 18. licèt libro 2. contra literas Petiliani, de sacrificio laudis exponat. Item Cyprianū, lib. 1. cap. 16. contra Judæos; Cyrillum, lib. de adoratione in spiritu & veritate; Eusebiū, lib. 1. de præparatione Evangelica; Damascenū, l. 4. de orthodoxa fide, c. 14. Theodoretū, super Malac. c. 1. Hactenus Alan'. Ex quo intelligas, nos germanā Patrū sententiā afferre, cū multis aliis rationibus

[a] Alan. de Eucharist. sacrif. cap. 45.
* *Argumenta valida, & planè bona.*

ex circumstantiis contextûs ipsius petitis, ut efficiamus *mundam* illam *oblationem* apud Malachiam beatæ Missæ sacrificium denotare.

RAINOLDVS. Immo, intelligã potiùs Alanum nomina Patrum afferre, quãquam puer planè sit Damascenus, si cum ceteris comparetur, longè illis ætate minor, longiùs judicio; sed nomina illorum affert Alanus, *germanam* eorum *sententiam* non affert. Si enim eorum ventiletur atq; expendatur sententia, ei nequaquam prodest. Eáq; re eorum nomina tantùm citat, & libros designat. Quod unum prudentiæ ejus artificium Rhemenses vestri multùm observant. *Multas alias rationes* affert, fateor, extra Patrum nomina: sed eas non attulisse ipsi satiùs fuisset. Nam, *Tertullianus*, *Justinus*, *Irenæus*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Cyprianus*, *Cyrillus*, *Eusebius*, *Damascenus*, & *Theodoretus*, speciosum quidem certè apparatum cum suis solitariis nominibus ostensuri sunt, modò aliæ illæ rationes ab ipsis removeantur. Nunc autem, quum in unum agmen conjiciuntur, nec inter se consentiant magis quàm [b] Ephraim cum Manasse, Manasses cum Ephraim, qui se mutuò devorârunt, rem totam discordiis suis perdiderunt. Quare, ut Adrianus Cæsar [c] moriturus aiebat, *multitudinem medicorum Cæsarem perdidisse*: ita tibi queri liceat, multitudinem rationum perdidisse probationem, quam sibi Missa vestra ex Malachia promittebat.

[b] Esai.9.21.

[c] Dio.Nicæus, in Adriano.

HART. Nequaquã verò. Sed earũ multitudo mutuis ipsas auxiliis cõfirmat. Nã *quæ non prosunt singula, multa juvant:* & [d] *triplicatus funiculus non facilè rumpitur.*

[d] Eccl.4.12.

RAINOLD. Quin potiùs ex arena contexta restis est, ac non *funiculus:* non cohærebit. Ubi enim Alanus hoc modo [e] Malachiam juxta veterem versionem vestram citat; *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, ait Dominus exercituum:* Hebraicus contextus, & secundùm Hebraicum Græcus ille Septuaginta interpretum (quẽ sequuntur Patres,) ita habent; *In omni loco*, [f] *incensũ offertur nomini meo & oblatio munda.* Jam autem verbum illud [*incensum*] usurpatur in sacris codicibus simpliciter pro precibus, Apocalypseos capite quinto. Ubi [h] *phialæ illæ aureæ viginti quatuor Seniorum, plenæ* * *suffituũ sunt*, aut (ut verbũ retineatur) *incensorum, quæ sunt preces Sanctorum.* Atq; in eundem sensum [i] Patres illud Malachiæ interpretantur. Quare prima quidem Alani ratio quam attulisti, verbũ [*sacrificare*] *per se sumptum sine termino diminuente, semper in Scriptura propriè pro actu externi sacrificii accipi*, falsa est, tùm per se, tùm etiam Patrũ judicio. Illud enim verbũ ejus, apud Patres *incensum* est juxta Scripturã. At in Scriptura *incensum* figuratè pro precibus accipitur. Judicio igitur & expositione Patrum, verbum illud non efficit Missæ sacrificium, sed sacrificia nostra spiritualia.

[e] Mal.1.11.

[f] Heb. מֻקְטָר Gr. θυμίαμα. Lat. *incensum.*

[h] Apoc.5.8.

* θυμιαμάτων.

[i] Iren.l.4.c.33 Euseb. de præparat. Evan. l.1. Hier. in Zach. c.8. Aug. Cõtr. adver. legis l.1.c.20.

HARTVS. Johannes quidem certè in Apocalypsi, *suffitus* illos, *preces Sanctorum* esse interpretatur. Verùm inde apertum est (sicut [k] nos in eum locum annotamus,) Cœlites ipsos offerre Christo preces fideliũ & sanctorũ hominũ in terris degentiũ, qui hîc, & aliàs in Scripturis sæpius Sancti vocantur. Et sanè inter multa divina miniméq; pervestiganda mysteria quæ absq; explanatione aliqua scribuntur, placebat tamen Deo, Apostolũ ipsum hoc unũ nobis aperire, suffitus istos, laudes esse precésq; fideliũ, quæ ascendunt, & ut incensa, Deo à Cœlitibus offerũtur. Quo magis ab omni excusatione excludatur error vester, Cœlitibus nullam esse rerum nostrarum aut votorum cognitionem.

[k] In Annotat. Rhem. in Apoc.5.8.

RAINOL. Impendiò nimis quavis arrepta occasione, à re proposita ad alia dilaberis. Et tamen, si istam ingrederemur de Sanctorum adoratione controversiam: ille, quem vos ipsis defertis honos, nihil foret hîc subsidii nacturus. Neque enim consequitur precibus ipsos à nobis compellandos esse, etsi nostras

offerrent preces; neq; certum est, Cœlites tantùm à *viginti quatuor Senioribus* referri; neq; si referuntur, convincere possis *preces Sanctorum*, quas *offerunt*, aliorum preces esse: poterant esse suæ. Equidem ego in illa potiùs constitutus sum opinione, ut credam *viginti quatuor Seniores*, omnes Sanctos & fideles referre, tùm qui cœlos, tùm qui terras incolunt, qui proprias preces ut incensa Deo offerunt. Postquam enim dixerat Johannes,[l] *suffitus esse preces Sanctorum*: subjicit, [m] *cecinisse illos canticum novum, dicentes, Dignus es qui accipias librum, & aperias ejus sigilla; quoniam mactatus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram*. Quibus verbis videtur certè explicare quænam sint *preces* illæ, quas Christo offerunt. Et verò quum illi, à quibus offeruntur, de seipsis loquantur, Christum *ipsos Reges fecisse & Sacerdotes*, quod [n] priùs Johannes de Sanctis qui in terris morantur, affirmat: potest fieri ut illos quoque, ac non Cœlites solùm, referant *viginti quatuor Seniores*.

l Apoc.5.v.8.
m Ver.9.
n Apoc.1.6.

HARTVS. Immo:[o] *viginti quatuor Seniores* describuntur *habentes super capita sua coronas aureas*. Corona verò Cœlitibus datur, uti scriptum est; [p] *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*.

o Apoc.4.4.
p Apoc.2.10.

RAINOLDVS. Vitę donum illud, quod Cœlitibus datur [q] postquam, *prout debent, certaverint* & vicerint,* *corona* dicitur, aut (ut nos loquimur) a * *garlãd*, ad cõsuetudinem quandam Græcorum alludentes. Qui enim apud illos in palæstra, aut cursu, aut in aliis ludis gymnicis superiores evaserunt,[r] *serto*, tãquam insigni victoriæ *coronabantur*. Unde Scriptura (per quendam tropum sermonis) vitam æternã, qua Deus remuneratur victores, *coronam vitæ* appellat: non [s] *corruptibilem coronã*, quales erant illæ Græcorum; sed *incorruptibilem*,[t] *immarcessibilem coronam*, ipsam deniq; *coronam gloriæ*. Atq; ut isto sensu *corona* pro *serto* accipitur, quo significetur interminatæ vitæ lætitiæq; beatitudo: ita solis Cœlitibus donatur, [u] *qui requiescunt à laboribus suis*. Verùm *viginti quatuor Seniores aureas super capita habuerunt coronas*; & quidem [x] *aurea corona* regnum denotat. Quum igitur qui in terris quoq; degunt Sancti, *Reges* sint, ac non illi soli qui sunt cœlorum incolæ: *viginti quatuor Seniores* utrosq; poterant designare. Quemadmodum ad utrorumq; officium spectat [y] *abjicere coronas suas ante thronum, & illi dicere qui throno insidet, Dignus es Domine qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, et sunt creata*.

q 2.Tim.2.5.
* στέφανος.
* Sertum.
r Herodotus in Vrania.
s 1.Cor. 9.25.
t 1.Pet.5.4.
u Apoc.14.13.
x Psal.21.3.
y Apoc.4.v.10.

HARTVS. Atqui dicuntur etiam *albo vestitu*[z] *amicti*. *Albus* autem *vestitus* solet splendorem gloriæ denotare, quo Cœlites vestiuntur. Nam [a] Christus de piis qui Sardibus erant, pronunciat, *illos secum incessuros esse albatos*: & quum in monte [b] *vestes ejus albæ* essent ac *emicantes*, gloriam ejus indicabant.

z Vers.4.
a Apoc.3.4.
b Luc.9.29.

RAINOLDVS. Verùm ut *vestitus albus* gloriæ, ita etiam gratiæ indicium est. [c] Servator enim Ecclesiæ Laodicensium consulit, ut *emat ab ipso vestimenta alba, ut induantur, nec appareat dedecus nuditatis ejus*. Et narrat [d] Scriptura de fidelibus *ex omnibus linguis, & populis, & tribubus, & gentibus, lavisse ipsos stolas suas, eásq; dealbasse in sanguine Agni*. Quando igitur nihil præterea dictum sit de viginti quatuor Senioribus, quàm *albo vestitu amictos esse*: pari jure Sanctis in terris degentibus conveniat, qui *albis* gratiæ; atq; Cœlitibus, qui *albis* glorię *vestimentis* induuntur.

c Apoc.3.18.
d Apoc.7.14.

HARTVS. At verò [e] *super sedilia viginti quatuor, sedentes erant in circuitu throni*: & [f] *thronus in cœlo positus* esse dicitur. Non potest igitur fieri ut inde terrarum Sancti intelligantur.

e Apoc. 4.v.4.
f Ver. 2.

RAINOLD-

RAINOLDVS. Quid? Non in terris vivebat Paulus [g] quum diceret, [*] *Conversatio nostra in cælis est?* Aut non idem ille de cunctis fidelibus intelligit, qui conveníenter *vivunt legibus cælestis civitatis*, hoc est, Ecclesiæ Dei, nec terrena sapiunt? Nonne Johannes ipse in Apocalypsi, ait *visum esse* [h] *signum magnum in cælo: mulierem amictam sole, sub cujus pedibus erat luna, & in capite corona duodecim stellarum; et illa uterum ferens erat, & clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret?* Annon ista verò Ecclesiam in terris militantem denotant, amictam quasi Christo, qui [i] *sol est justitia*; pedibus conculcantem [k] terrena, quæ instar lunæ mutantur; adornatam doctrina Apostolorum, tanquam [l] stellarum; & parientem fideles, ut [m] *liberos*, Deo? Nonne insuper ait, [n] *factum esse prælium in cælo: Michaël & angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli ejus, sed non obtinuerunt, neque locus eorum ampliùs inventus est in cælo.* Annon hoc etiam de Ecclesia militante dicitur: in qua [o] *Princeps* fidelium, [*] *Michael*, hoc est, Christus, [p] *angelis suis* [q] servisque comitatus præliatur cum *dracone*, hoc est, [r] Diabolo angelisque ejus, cum universis ejus copiis & ministris, & superat? Si igitur Ecclesiam in terris militantem cùm *prælium* istud, tùm *mulier* illa referant, quod [f] ipsi fatemini, & describat tamen Johannes illam *visam esse*, *istud factum esse in cælo*: nihil dicit causæ Johannis visio, cur non potuerint *viginti quatuor Seniores sedilia sua in cælo* habere, & tamen fideles significare qui sunt in terris. Quod tamen non eò dico, ac si ita esse definirem, (doceri enim malo quàm docere Apocalypsin, in qua multa agnosco esse mysteria quæ mihi non sunt à Deo revelata:) sed ut ostendam nullum Scripturas vobis suppeditare fundamentum, quo nixi ad solos Cœlites id revocaretis. Et quidem, si valerem ejusmodi subsidiis acquiescere ad vestra diruenda commenta, quibus vos contenti estis ad eadem stabilienda: perinde liceret mihi ad Sanctos qui in terris vivunt, idem revocare, quum dicant Seniores, [t] *Regnabimus super terram*; fortassis, ut dixit Christus, [u] *beatos esse mites, quoniam ipsi hereditatis jure terram possidebunt*. Sed tibi magis, atque Remensibus tuis expedisset, (antequam aggrederemini Scripturas,) S. Augustini præceptum illud quod Donatistis tradidit, didicisse: qui quum non minùs aptum Scripturæ locum attulissent ex [x] Salomonis Cantico, quo probarent *in Africa sola fuisse Ecclesiam*; quàm vos ex Apocalypsi, ut arguatis *Cælites vota nostra cognoscere*: narrat illis [y] S. Augustinus *eum impudentissimè niti aliquid in allegoria positum pro se interpretari, qui non habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Quod hoc in loco eo propiùs vos attingit, quoniam, etiamsi largiamur *Seniores* Cœlites solos denotare: [z] illæ tamen, quæ commemorantur, *preces*, suæ esse possunt, ut appareat [a] *ipsos* quoque servire Deo, sicut etiam postea ostenditur [b] *Angelos*, & [c] *omnem creaturam quæ in cælo est, & quæ super terram, & sub terra, & in mari*, & [d] *quatuor animalia*, & iterum denique *ipsos* Deo servire. Sunt enim manifesta Scripturæ testimonia, omnes Sanctos suas *preces* offerre, quo nomine omnes sunt *Sacerdotes*. Nullum verò manifestum datur testimonium, *preces* eorum in cœlis Deo offerri ab ullo alio quàm à [e] Christo Jesu, [f] *Pontifice professionis nostræ*, [g] *Angelo fæderis*, [h] *uno mediatore Dei & hominum*. Atque hic videtur esse *Angelus* ille, *alius ille Angelus*, de quo scriptum est in Apocalypsi; [i] *Alius Angelus venit & stetit ante aram habens thuribulum aureum, & dati sunt ei suffitus multi, ut offerret cum precibus Sanctorum omnium, super altare aureum quod est ante thronum: ascendit autem fumus suffituum, cum precibus Sanctorum, è manu Angeli ad conspectum Dei.* Quamvis enim Angeli [k] *ministratorii spiritus* sint, *mis-*

[g] Phil. 3. 20.
[*] τὸ πολίτευμα.
[h] Ap. 12. 1.
[i] Mal. 4. 2.
[k] 1. Ioh. 2. 15.
[l] Dan. 12. 3.
[m] Esai. 54. v. 1. & 5. & 13. Gal. 4. 27.
[n] Apoc. 12. 7.
[o] Dan. 10. 21. & 12. 1.
[*] מיכאל hoc est, qui tanquam Deus est, aut par Deo. Phil. 2. 6.
[p] Heb. 1. 14
[q] Mal. 2. 7. & 3. 1. Apoc. 1. 20.
[r] Apoc. 12. 9.
[f] Rhemens. Annot. in Apoc. 12. 7.
[t] Apoc. 5. 10.
[u] Mat. 5. 5.
[x] Cant. 1. 7. *Vbi pascis, ubi cubas in meridie?* August. de vnitat. Eccle. c. 16.
[y] Epist. 48. ad Vincentium.
[z] Apoc. 5. v. 8.
[a] Ver. 9. & 10.
[b] Ver. 11. & 12
[c] Ver. 13.
[d] Ver. 14.
[e] Heb. 13. 15.
[f] Heb. 3. 1.
[g] Mal. 3. 1.
[h] 1. Tim. 2. 5.
[i] Apoc. 8. 3.
[k] Heb. 1. 14.

si ad ministrandum Sanctis qui terras incolunt; *qui hereditariò salutem possidebunt*, ideóque [l] sicut adsunt qui ipsos certos faciant *preces eorum ascendisse in Dei conspectum*, ita illi potiùs eorum *preces* potuerint offerre Deo, quàm Sancti cœlites, quibus nullum tale delegatum ministerium est terrestribus Sanctis serviendi: tamen, quoniam iste *Angelus, stans ante aram cum thuribulo, ad adolendum suffitum coram Deo*, describitur eo munere functurus, [m] quod in Lege Pontifex adumbravit; [n] neque verò *Pontifex noster*, in creatorum Angelorum numero est, sed ipse à * quo sunt creati Angeli, *Christus*; proinde sequitur, Christum per *Angelum illum* designari. Cui nomen istud sæpius in [o] Scripturis ascriptum est, quia *Angelus* est, hoc est, nuncius, missus à Deo Patre ut voluntatem ejus servis ejus patefaceret, & salutem eorum per fœdus ejus procuraret. Et quidem fieri potest, ut, quemadmodum Deus [p] de ipso loquutus, *Ecce ego mitto Angelum*, [q] addit, *nomen meum est in eo*, unde * *Deum* ipsum esse constaret: ita Johānes, ut illum à creatis Angelis distingueret, qui sæpius nominantur in Apocalypsi, appellet illum *alium Angelum*; quippe qui à reliquis, non numero tantùm, sed etiam natura, autoritate, & dignitate differat. Quæ enim scribuntur de *Angelo*, qui [r] *sigillum habuit Dei vivi*; [s] quo *abjiciente ignem in terram, clanxerunt Angeli, plagásq; Dei profuderunt*; [t] qui *descendens de cœlo, amictus nube, in cujus capite erat iris, et facies ejus erat ut sol, & pedes ejus ut columnæ igneæ, habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram*; quæ nominatim scripta sunt de *alio Angelo, alio forti Angelo*, utì etiam vocatur: ista quidem (si cōtextûs circumstantię perpendātur,) maximè in Christum quadrant. Sed sive ita sit, sive secus: certò liquet Christum esse *Angelū illū*, qui, ut Pontifex noster, *indit suffitus aromatum precibus omnium Sanctorum*, & Deo Patri offert, [u] *quę semper pro nobis interpellat*, éstq; non pro precibus modò nostris, sed pro nobis etiam [x] *odor bonæ fragrantiæ in conspectu ejus*. Quum igitur perspicuè doceat Scriptura, Servatorem nostrum Christū preces omniū, qui usquam sunt, Sanctorū offerre, non autē Cœlites illos offerre terrestrium Sanctorū preces: libenter istū Christo honorem reliquisses, & mihi potestatem permisisses pergendi in iis argumentis, quę ex illa apud Malachiam *oblatione* afferuntur. Etenim vides quomodo delapsi simus *à Pontifice* ad *Sacerdotes*, à *Sacerdotibus* ad *Missam*, ad *Sanctos* à *Missa*. Qua si ego via progrederer in iis quæ de Sanctis disseruisti, & abusum vestrum perstringerem, qui dum confitemini *Scripturas nomen hoc fidelibus & Sanctis in terra viventibus* attribuere, tamen (ut solennem vestram *mortuorum invocationem* tueamini,) illud proprium adjudicatis, non cœlitibus Sanctis, sed iis quos collibitum fuerit [y] Pontifici [z] *canonizare*, aut (1) *deificare*, (ut (2) Magister sacrarum ejus ceremoniarum loquitur,) in quo nihilominus [a] Doctores quoque vestri *errare posse Pontificem, & impium in canonem Sanctorum referre* docent, adeò ut fieri possit (juxta vestra dogmata) ut in divinis vestris officiis, illos pro Sanctis colatis, quorum spiritus cum Diabolo & Angelis ejus in Tartaro sepeliuntur: sic ego, inquam, hoc pacto ab uno ad aliud migrarem, quavis abductus ex sermone tuo oblata occasione, prorsus confunderemus colloquiū nostrum, nec unquam ejus, quod in quęstione versatur, finē faceremus. Quare aliæ quæstiones, quæ so, suo reserventur loco, ubi de *fide Ecclesiæ* agetur. Jā verò, ut finē huic de *Ecclesiæ Capite* cōtroversiæ imponamus, progrediamur in *Missaritis* vestris *Sacrificulis* examinandis, ut ita ad Pontificis suprematum redeamus. Ex illis igitur sex argumentis quæ ex Alano attulisti, ut conficeres, *mundam illam oblationem* qua describit Malachias, Missæ esse sacrificium, non sacrificia spiritualia, primum

liqui-

---

[l] Act. 10. 4.

[m] Exod. 30. 7. Levit. 16. 12.
[n] Heb. 7. 27.
* Col. 1. 16.
[o] Gen. 48. 16. Exod. 14. 19. Esai. 63. 9. Mal. 3. 1.
[p] Exod. 23. 20.
[q] Ver. 21.
* יהוה Sicut etiam appellatur Exod. 13. 21.
[r] Apoc. 7. 2.
[s] Apoc. 8. 5.
[t] Apoc. 10. 1.
[u] Heb. 7. 25.
[x] Eph 5. 5.
[y] Extra. de reliquiis & venerat. Sanctorū.
[z] Sacrar. ceremon. Rom. eccl. l. 1. tit. 6. de canonizatione Sanctorum.
(1) Hoc est, in numerum Deorum referre: ut solebāt ethnici Romani priùs *deificare* suos Imperatores, quos volebant venerari. Herodian. lib. 4. ἀποθέωσις.
(2) *Divorum nostrorum apotheoses*. Pręfat. l. 1. Sacr. cerem. Rom. ecclesiæ.
[a] Tho. Aquin. quodlibet. 2, art. 16. Anton. summ. Theolog. part. 3. tit. 12. c. 8. Caietan. opusc. de indulgentiis ad Cardin. Medicem. c. 8. Canus Locor. Theolog. l. 5. c. 5. Bellarm. in prælect. Rom. controv. 4. quæst 5.

liquidò falsi convincitur, idq; eorum omnium Patrum consensu, quos ille ad suas partes confirmandas produxit. Quod enim [b] verbum illi *externum sacrificium* significat, id ipsis omnibus [c] *incensum* est *suffituum & odorum*. At *incensum* in Scripturis pro *Sanctorum precibus* accipitur, quod fateris. Non igitur verbum illud, quo is Missam stabilit, semper in Scripturis propriè pro actu externi sacrificii accipitur.

HARTUS. Atqui non istud modò urget verbum [*sacrificare*,] pro quo revera Patres & Hebræus contextus [*incensum*] habent: sed & aliud quoque, [*offerre.*] Quòd si illud semper propriè accipiatur pro actu externi sacrificii: vis argumenti ejus adhuc non infringitur.

RAINOLDUS. Sed argumenti ejus vis nititur isto *sacrificandi*, non illo *offerendi* [d] verbo. Ipse enim confitetur *Laicos, etiam fœminas, verè & propriè offerre dici: dum, ut in* [e] *veteri lege decima pauperibus danda aut Levitis, sicut & primitiæ, offerebantur Deo; ita illi panem & vinum ad sacrificium dedicant, aut eleemosynas pauperibus distribuendas repræsentant, aut ulla donaria ac munera terrena in sacros usus, ut* [f] *ostendunt Patres*. Quare, ut semper fuerit verbum illud, *offerre*, pro externi sacrificii actu acceptum: nihilo magis tamen externi vestri sacrificii oblationem arguit; quum [g] *Magi munera offerrent Christo*, [h] fideles Judæi ad *altare*, [i] Laici & fœminæ *ad Missam*; & tamen neq; ulli eorum Missales Sacrifici essent, neque hostiæ Missales, eorum munera. Multo verò minùs id evincit, ut à Malachia ad *incensi oblationem* accommodatur. Nam, quemadmodum *incensum preces Sanctorum* denotat: ita *offerre incensum* nihil aliud sit oportet, quàm *preces* illas sacrificare. Sed precum sacrificium spirituale est sacrificium. Quamobrem illud *offerendi* verbum, non evincit externum vestrum Missæ sacrificium. Atq; ita primum argumẽtum evanuit. Sequitur secundum: quod neutiquam est priore validius. Quare enim dicit Alanus, *sacrificium hoc de quo Propheta loquitur, unum esse: idcóq; non denotare spiritualia sacrificia, quæ tot sunt, quot sunt Christianitatis bona opera?*

HARTUS. Quare? Quoniam contextus Malachiæ dicit, *mundam oblationẽ offerri*. *Oblatio* de uno dicitur, non de multis. Aliàs enim, *oblationes*, non *oblationem* dixisset.

RAINOLDUS. Planè. Ecquid putas illum qui affatus Deum est, [k] *Hostiam & oblationem noluisti*: Missam, per *hostiam* illam, intellexisse?

HARTUS. Missam? Nequaquam. Veteris legis *hostias & oblationes* intellexit. Davidis enim verba sunt, de legalibus & corporeis sacrificiis Judæorum dicta.

RAINOLDUS. *Judæorum?* Minimè verò; contextus Davidis dicit, *Deum noluisse hostiam & oblationem*; non dicit, *hostias & oblationes*. Quare quum de una loquatur, non de multis; & corporea Judæorum sacrificia multa fuerint, Missæ autem sacrificium unum, uti tu affirmas; videtur illud ipsum intellexisse. Quod periculosum est *hostia* illi dogma, quam Sacerdotes vestri adorandam attollunt: sed illis periculosius, quorum victus omnis eam attollendo acquiritur.

HARTUS. Nostra *hostiæ* adoratio pia est, vel invitis cunctis hæreticis, nec à Propheta reprehensa. Etenim, licèt dicat, *Hostiam & oblationem noluisti*: perspicuum tamen est, intelligere ipsum Judæorum sacrificia, per quandam sermonis * figuram, in qua pars pro toto, & unum pro multis usurpatur; ut *hostia, & oblatio*, pro *hostiis*, atq; *oblationibus*.

RAINOLDUS. Ergo secundum Alani argumentum non nauci valet, quo efficiatur Missæ sacrificium, per *oblationem* illam apud Malachiam significari. Illud

[b] *Sacrificatum*
[c] *θυμίαμα* apud Græcos Patres; cui apud Latinos Patres respõdet, *Incensum*; August. cõtra advers. leg. l. 1 c. 20. aut, *odores incensi*; Cypr. cont. Iudæos l. 1. c. 16.
[d] Alan. de Euch. sacrif. c. 16.
[e] Deut. 12. 17. & 14. 23. & 26. 10.
[f] Irenæ. l. 4. c. 32. & 34. August ep. 59. ad Paulin. Iustin. Mart. apolog. 2. & in Tryphon. Cypr. de opere & eleemosynis.
[g] Matt. 2. 11.
[h] Mat. 5. 24.
[i] c. Omnis Christianus, de consecrat. distinct. 1.
[k] Psal. 40. 7. Heb. 10. 5.
* Synedoche.

enim vocabulum,[[l] *oblatio*,]quo is proprio suo sermone utitur,usurpatur similiter perpetuò,[m] tanquam de uno,non de multis, per universum vetus Testamentum. Quare si multa fuerint Judæorum sacrificia,quæ tamen non *oblationes*, sed *oblatio*, dicuntur: idem verbum si Christianorum sacrificiis applicetur, nequit efficere ut ea unum sint.Quanquam, ut fuerint unum, & illud tibi ex hypothesi largiamur: possit tamen unum illud sacrificium,spirituale sacrificium esse; atq; ita nihilo meliùs Missæ vestræ succederet. Quemadmodum enim [n] Esaias dicit, *Gentes oblationem fore Jehovæ*,[o] eodem verbo usus quo Malachias: [p] ita Paulus Apostolus cū Esaia hortatur eas,*ut sistant corpora sua*,[q] *hostiam vivam,sanctam, acceptam Deo*, de multis sacrificiis ut de uno loquens; & etiam,mysticè,[r] *Nos qui multi sumus,unum corpus sumus*. Verùm extra omnem hypothesin, contextûs ipsius series arguit potiùs Prophetam,dum dicit,*offerri oblationem*, multas non unam intelligere, per (1)figuram illam quam tetigeras: ut per (2) aliam figuram item dicit, *offerri*; quū intelligat,oblatum iri. [s] Dominus enim ostendens quàm detestetur Judaicorum *sacerdotum sacrificia*,ait,[t] *oblationem acceptam non habiturum se è manu ipsorum*: sed [u] *Gentes illam mundam oblationem allaturas*,quam contrà intelligit se accepturum. Atq; hoc ampliùs demonstrat,ubi,ad illam iterum accedens,ait,[x] *oblatum iri iustè*, *&* [y] *ipsi acceptam fore*. Jam verò,*oblatio illa* [z] quæ à Gentibus profecta, *Deo accepta* est in Testamento novo,omne genus est *spiritualium sacrificiorum*, & *bonorum operum*.Illa igitur *oblatio* cujus meminit Malachias,multa sacrificia denotat, non tantùm unum. Quod tamen vetus versio vestra magis manifestum facit, quæ sensum Hebraicæ vocis aperit,dum *sacrificia* appellat; [a] *Offerent sacrificia Domino in justitia*. Quare,quum *oblatio* nostra quæ his Evangelicis seculis placeret Deo, sit *sacrificia*,veteris vestræ versionis judicio, quam [b] tibi nullo modo liceat repudiare; & non possint quidem *sacrificia* de *Missa* intelligi,quippe quæ unum sit sacrificium, possint verò de *spiritualibus* intelligi *sacrificiis,multa* enim sunt, quod Alani secundum argumentum asserit: vides, nobis ejus innixis principiis esse concludendum, *mundam illam oblationem*,de qua scribit Malachias, spiritualia Christianorum sacrificia,non Missæ sacrificium significare. Quæ duo proximè sequuntur argumēta,videntur quidem specie majora,sed sunt minora pondere. Etiamsi enim verum sit,*spiritualia illa sacrificia faciendi vota Deo*, *& benefaciendi hominibus*, *nobis cum Judæis esse communia*, ideóq; videantur non esse *oblatio* illa qua de loquitur Malachias,quæ præterquam quòd *Evangelii propria sit & Gentium*, *Judæorum quoq; sacrificiis succederet,eorúmq; loco offerretur*:tamen,si discrimen illud observamus quod Scripturę inter Judaicum illum Dei cultum dominante Lege,& Christianum succedente Evangelio ponunt,ista species omnis, tanquam nix ardore solis liquata abibit. Legis enim Mosaicæ temporibus,Judæi,[c] ut tùm redemptio sua per mortem Christi,tùm officium gratitudinis quod eo nomine debuerunt Deo, semper ipsis ante oculos tanquam in figura & umbra proponerentur: jubebantur [d] *offerre immaculata* animalia in sacrificiis, unà cum aliis annexis ceremoniis, & offerre ipsa [e] *in loco quem elegerit* Deus; *is fuit* [f] *Jerosolyma*,& [g] *Sanctuarium*,hoc est, templum Jerosolymis exstructum. Jam verò Christus,in Evangelio, postquam illud impletum esset quod templum Jerosolymitanum & sacrificia repræsentabant, ostēdit adesse [h] *tempus correctionis*,illúmq; amovit cultū,tùm quoad locū ejus, tùm quoad colendi modū.Quemadmodū enim prædictū est,[i] *perditurum ipsum urbem & Sanctuarium*,*&* [k] *aboliturum sacrificium & oblationem*:ita ipse docuit, [l] *nolle jam Patrem se Jerosolymis adorari*;neq; [m] ut adorabant Judæi, sed [n] *spiritu ac veritate*. Cultus igitur Christianus qui Judaico successit,ab eodem duabus in rebus secer-

[l] מנחה
[m] מנחה *Perpetuò in singulari numero & nunquam* מנחות *in plurali.*
[n] Esai,66. 20.
[o] מנחה
[p] Rom.12.1.
[q] θυσίαν
[r] 1.Cor.10.17. Rom.12 5. Eph.4. 4.
(1)Synecdoche speciei.
(2)Enallage temporis.
[s] Mal.1.v. 8.& 9.
[t] V.10.
[u] V.11.
[x] Mal.3.v. 3.
[y] V.4.
[z] Phil.4.18. Heb.13. 16. 1.Pet.2.5.
[a] Mal.3.3.
[b] Conc. Trid. sess.4.
[c] Heb.8.5.& 9 9.& 10. 1.
[d] Num.28.3. Lev.22.19.
[e] Deut 12.5.
[f] Psal.122.2.
[g] Psal.78.69. 1.Reg.8.20.
[h] Heb.9.10.
[i] Dan.9.v. 26.
[k] V.27.
[l] Ioh.4.v. 21.
[m] V.22.
[n] V.23.& 24

nitur: alterâ, quòd Deum non *Jerosolymis*, sed *omnibus in locis* adoret; alterâ, quòd *spiritu* illum adoret, & *veritate: spiritu*,[o] absq; *carnalibus ceremoniis & ritibus*; *veritate*,[p] absq; *umbris legis Mosaicæ*. Quam adorandi formam, quum à *veris adoratoribus*, hoc est, ab omnibus Sanctis, servis suis,[q] *exspectet*; quúmq; in novo Testamento,[r] *Gentes* per Evangelium vocentur ut sint *Sancti*: cultus ille, qui proprius Evangelii est atq; Gentium, verè spiritualis est Dei cultus,[s] *rationalis cultus*, quem[t] *pietate* &[u] *bonis operibus* ei præstamus *in justitia, veráq; sanctimonia*;[x] ipsa deniq; *oblatio spiritualium sacrificiorum, quæ accepta Deo sunt per Jesum Christum*. Proindéq; perspicias infirmitatem cavillationum illarum, quæ afferuntur ut probent spiritualia nostra sacrificia non posse esse *oblationem* illam, de qua Deus apud Malachiam dicit, fore, ut *in omni loco ei offeratur*. Siquidem prior illarum, *spiritualia sacrificia precum & operum nobis esse cum Judæis communia*, nobis per fallaciam quandam imponit: quoniam nostra *spiritualia* merè sunt spiritualia, quum illi carnalia haberent *sacrificia* suis *spiritualibus* adjuncta. Posterior hanc prioris fraudem prodit, sed fraude quadam aliâ. Quando enim affirmat, *orationem, jejunium, caritatísq; opera eorum conjuncta fuisse sacrificiis*: ostendit cultum eorum (etsi partim *spiritualis* fuerit,) non fuisse tamen merè *spiritualem*. Quando autem ex eo colligit, *hæc non posse eorum sacrificiis succedere*, istîc alia delituit fallacia: quum, licèt cultus Dei perpetuò *spiritualis* esset, sicut[y] ipse perpetuò *spiritus* est, atque ita nullus posset cultus succedere, (quî enim sibi ipsi aliquid succederet?) tamen, idem essentiâ diversis nihilominus modis emanârit, atq; ita alius modus alii succedere potuerit. Quemadmodum sanè[z] verbum Dei, de salute hominum per fidem in Christum, idem perpetuò fuit: sed *diversis modis* editum, per *Prophetas*, ac per *Christum*. Similiter etiam cultus Dei instituebatur: per *Prophetas*,[a] obscurè, velis obductus ceremoniarum: per *Christum*,[b] modo aperto atq; simplici. Quare, ut doctrina Christi successit doctrinæ Prophetarum, eadem utraq; doctrina, sed à Christo liquidiùs tradita, spissiùs à Prophetis: ita spiritualis Dei cultus in Evangelio, spirituali ejus in Lege cultui successit; cultus idem uterque, sed onustus ceremoniis atq; umbris in Lege, in Evangelio iisdem allevatus.

HARTUS. Nequeo sane fallacias illas dispicere, quarum tu Alanum insimulas. Si enim obtulerint Judæi preces Deo, aliáq; id genus sacrificia spiritualia, quod fecerunt: verum igitur est quod ait, *spiritualia sacrificia ipsis esse nobiscum communia*. Et, si hæc ipsis sint nobiscum communia, consequens est, meo quidem judicio, *nostra illorum sacrificiis non succedere*: quum *succedere*, subsequi sit; & qua tandem ratione subsequatur quod præcessit?

RAINOLDUS. Rationem ostendi. Illam si tu non dispicis: potest in causa esse[c] *velum* illud, quod verisimile est *impositum* cordi tuo esse in novi Testamenti lectione, quemadmodum aliorum *cordi* fuit in *lectione veteris*. Res enim per se aperta est & manifesta, spiritualia illa sacrificia quæ obtulerunt Judæi, ut, verbi causâ, preces, non immunes eos reddidisse quò minùs carnalia etiam offerrent; neque hæc ubique, sed in eo loco quem Deus delegerat. Adeò ut, etiamsi liceret ipsis, omnibus in locis orare, utì nobis licet; tamen[d] certis quibusdam temporibus eò ipsis eundum fuerit, ad Deum adorandum: & Daniel porrò, etsi potestas eò adeundi illi jam captivo adimeretur;[e] *fenestras* tamen *versus Jerosolymam aperuerit*, quum oraret: & *fleverint* fideles *ad Babylonis undas*,[f] *Quo modo fuissemus cantaturi canticum Jehovæ in solo alienigenarum?* & lamentatus fuerit Propheta regius, exsilio suo se detineri[g] quò minùs se *illic sisteret*, exarseritq; desiderio[h] *revisendi virtutem & gloriam Dei, sicut illam viderat in Sanctuario*; quúmq; jam deperiret quasi

[o] Heb. 7. 16. & 9. 10.
[p] Col. 2. 17. Heb. 10. 1.
[q] Ioh. 4. 23.
[r] Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2. Eph. 1. 1. & 2. 11. & sic deinceps.
[s] Rom. 12. 1.
[t] 1. Cor. 5. 8.
[u] Eph. 2. 10. & 4. 24.
[x] 1. Pet. 2. 5.
[y] Ioh. 4. 24.
[z] Heb. 1. 1.
[a] Exod. 34. 33. Heb. 8. 5.
[b] Mat. 27. 51. 2. Cor. 3. 13.
[c] 2. Cor. 3. 14.
[d] Exod. 23. 17.
[e] Dan. 6. 10.
[f] Psal. 137. 4.
[g] Psal. 42. 2.
[h] Psal. 63. 2.

Sect.4.

[i] *amore tabernaculorum Dei*, atq; etiam [k] *deficeret deſiderio adeundi atria ejus &* [l] *altaria*; pronunciârit ipſos [m] *beatos qui illam domum inhabitabant*, etiam, [n] *quibus aditus in eam*, etiam, [o] quamvis difficili itinere per ſiticuloſa loca eò proficiſcantur, [p] ut appareant *coram Deo in Sione*. Quum Chriſtianis contrà, [q] neq; *altaria* iſta ſint, neq; oblationes ſuper illis offerendæ, quę [r] ſpirituali eorum *ſacrificio laudis* cōjungantur; ipſiſq; præterea liceat [ſ] *hymnos Domini* [t] *omnibus in locis pſallere*. Nulla terra *aliena*: nulla non ſancta tellus. Quævis ora, *Judæa* eſt; quodvis oppidum, *Jeroſolyma*; quævis Domus, *Sion*; & [u] quiſq; cœtus fidelis, etiam [x] quodq; corpus fidele, *templum* Dei eſt. Chriſtiani igitur cultûs forma ab illa Judaici, etiam precibus diſcrepat, cùm propter *templum*, [y] cujus rationem habuerunt: tùm propter ceremonias Legis, quas pariter obſervare cogebantur. Quamobrem, ut [z] *miniſterium Teſtamenti novi*, hoc eſt, eorum qui Evangelium tradiderunt, ſubſequutum eſt Sacerdotum in veteri miniſterium, utrumq; tamen, novum juxtà vetúſque, Domini Teſtamentum eſt: ita ſubſequi potuit, & quidem ſubſequutus eſt, cultus iſte divinus qui apud Chriſtianos eſt ſpiritu & veritate, illum quo ſunt uſi Judæi, quum tamen utriq; Deum ſpirituali modo adorarent. Judæi enim primitus in templo adorârunt adhibitis Legis ceremoniis; nēpe quum [a] *Sacerdos* in *interiori* ejus parte *ſuffimentum faceret* ad altare, [b] *multitudo populi foris precabatur*: et Chriſtiani poſtea abſq; ſuffimento, omni in loco, populus & Paſtor omnes conjuncti pariter orabant; quod [c] Apoſtoli cum diſcipulis, & [d] (juxta eorum inſtituta) [e] primævæ Eccleſiæ praxis oſtendunt. Verùm iſtæ inter nos & illos diſcriminis rationes tibi forſan difficiliores ſunt intellectu, quòd Pontificius cultus veſter ita Judaico ſit affinis, tùm quòd ad templum attinet, tùm quòd ad ceremonias, ut jure credas illorū cultum æquè in ſpiritu atq; veritate fuiſſe atq; veſtrum. Nam, ut apud illos ſeparabat Sacerdotem à populo *ſanctuarium* diſtinctum *ab atrio tabernaculi*: ita apud vos, [f] *cancellus* ſeparat *ſecluſus à corpore Eccleſiæ*. Ut apud illos [g] *ſuffitum* Sacerdos *ſuper altare adolebat*: [h] ita apud vos adolet. Ut apud illos [i] indutus fuit *amiculo, cidari, tunica teſſellata, baltheo, pectorali, & pallio*; & qui ipſi miniſtrabant *lineas* quoq; *veſtes* induebant: [k] ita apud vos habeat oportet *amictum, albam, zonam, manipulū, planetam, & ſtolam*; & qui illi inſerviunt, *ſuperpellicea* habent, atq; etiam *capas*. Illorum Sacerdotibus [l] *labrum* fuit, ex quo lavarent acceſſuri ad altare: [m] ita veſtris eſt. [n] Veſtrum inter *Chorum & altare in Quadrageſima velamen*, [o] illorum imago velaminis eſt, quod *diſtinctionem inter Sanctum fecit & Sanctum ſanctorum*. Veſtra [p] *arcula* & ſacramentum, illorum [q] *arca & propitiatorium*; veſtra [r] *phylacteria & Sāctorum reliquiæ*, illorum [ſ] *urna & Manna*; veſtrum [t] *monſtrans* & *hoſtia*, illorum [u] *menſa panéſq; propoſitionis*; [x] *oleum* veſtrum *ſacrum ex balſamo*, [y] illorum ex *myrrha & aromatis*; [z] illorum *purificans aqua ex bucula* confecta *cineribus*, [a] veſtra ex aliis quoq; *cineribus* unà cū *aqua, vino, & ſale*; [b] illorum *ignis cœlitus* demiſſus, [c] veſter inde [*] arte deductus; illorum [d] *virga Aaronis*, [e] veſtra *crux Chriſti*; denique, [f] *candelæ veſtræ*, aut *cerei*, aut *tedæ*, illorum [g] *lychnuchus & lampades*, pro ratione rituum ſibi invicem reſpondent: immo, vos illos *candelis* veſtris ſuperatis. [h] Illorum enim noctu accendebantur: [i] interdiu quoque, veſtræ. Illorum, in templo ſolùm: [k] veſtræ, foris etiam. Illorum, in conſpectu *Domini*: veſtræ, [l] *in ore imaginum*. Illorum, unico tantùm modo: veſtræ, [m] mira cum varietate. Illorum, numero non multæ: tot, [n] variis temporibus lociſq; veſtræ, quot arenæ pelagi. Et quid tandē

[i] Pſal.84.v.1. [k] V.2. [l] V.3. [m] V.4. [n] V.5. [o] V.6. [p] V.7. [q] Col.2.14. [r] Heb.13.15. [ſ] Eph.5.19. [t] 1.Tim.2.8. [u] 2.Cor.6.16. [x] 1.Cor.6.19. [y] 1.Reg.8.v.30.& 33.& 42.& 44.& 48. [z] 2.Cor.3.6. [a] Luc.1.v.9. [b] V.10. [c] Act.1.14. [d] 1.Cor.14.v.16.& 23.& 26. [e] Juſtin. Mart. in Apolog.2. Tertullian. in Apologet. [f] Durand. in Rationali divin.offic.l.1.c.1 [g] Exod.30.7. [h] Durand.l.4.c.8.& l.5.c.9. [i] Exod.28.4. [k] Durād.lib.3.c.1. [l] Exod.30.20. [m] Durand.l.1.c.1.& l.4.c.3. [n] Durand.l.1.c.2. [o] Exod.26.33 [p] Durand.l.1.c.2.& l.4.c.1. [q] Exod.25.v.10.& 17. [r] Durand.l.1.c.3. [ſ] Exod.16.33. [t] Alanus de Euch. ſacram. cap.30. ita appellat. Vaſculum eſt, caveæ ſimillimum, cujus latera vitrea ſunt aut Chriſtallina, unde conſecrata placenta intùs repoſita, omnibus mōſtretur. [u] Exod.25.30

[x] Durand.l.6.c.74. [y] Exod.30.23. [z] Num.19.9. [a] Durand.l.1.c.1. [b] Lev.9.24.2.Chr.7.1. [c] Durand.l.6.c.80. [*] A ſole per vitrum chriſtallinum. [d] Num.17.10. [e] Durand.l.1.c.3. [f] Durand.l.1.c.1. [g] Exod.25.31.& 27.20. [h] Exod.30.8.1.Sam.3.3. [i] Durand.l.4.c.6. [k] Extra.de celebrat.Miſſar.c.Sanč. [l] Vaux catechiſm. [m] Durand.l.2.c.7.& l.4.c.6.& l.6.c.72.73.80.89.&c. Sacr.cerem.Rom.Eccl.l.1.tit.1. [n] Præcipuè die Candelaria, & feria quarta in hebdomada ſancta. Dur.l.6.c.72.& l.7.c.7.

cetera persequerer, in quibus non modò ceremonias eorum consequimini, sed lõgè etiam à tergo relinquitis? [o] Consecrationem vestram Episcoporum, templorum, altarium, patenarum, calicum, aliorúmq; instrumentorum Sacerdotii vestri, dum *ungitis* illa [p] juxta *Aaronis morem* & *tabernaculi*; vestram [q] *abradendi* consuetudinem, tanquam à [r] *Levitis*; vestram [s] *struem imaginum*, tanquam a [t] *Salomone*; vestram [u] benedictionem hominum, [x] campanarum, [y] cinerum, [z] ramorum, [a] panis, [b] paschalis agni, [c] paschalis cærei, [d] agnorúmq; cereorum, (& quid non?) [e] *aquâ* adhibita *exorcizatâ*: qua ferè omnia ex lege vestra purgantur, ut ex lege [f] illorum, *sanguine*. Purificationem vestram (ut appellârunt [g] illi,) aut (ut vos nuncupatis) [h] *reconciliationem cœmeterii*, aliúsve loci sacri, si fortè polluatur. Denique, ut prætereã [i] *festos dies* vestros, qui illorum festos [k] *umbris* superant; [l] mystica vestra in *sacramentis* commenta, ad illorum exemplar excogitata; [m] vestra *Pontificalia vestimenta*, formis incomparabilia, numero illorum vestibus duplo plura; infinitásq; [n] summi Pontificis vestri *solennitates*, qui * *semel quotannis* [o] *ingreditur Sanctum sanctorum*, [p] ut olim *Pontifex Judæorum*: *quotidianum* vestrum Missæ *sacrificium*, etsi [q] illorum impar prorsus sacrificio quum non sit *holocaustum*, (in quo miror tamen vos non propiùs ipsis accessisse, nam ut [r] illi *perpetuò ignem in altari aluerunt*, [s] ita eundem vos requiritis; & cur tandem ut illi, ignem haberetis in altari, nisi ut illi, adoleatis?) sed *quotidianum* vestrum Missæ *sacrificium* eo *Levitico* more celebratur, ac si conniteremini Judaicum cultum luculentè magis exprimere, quam ipsi valuerint *Levitici Sacerdotes*. Vestitu ipsis simillimi, superiores mysteriis, in [t] *ritibus* magis exquisiti, magis diligentes in [u] *cautelis*, amplissimi supellectile: elevantes *integram hostiam*, & non partem ejus (ut [x] illi;) [y] pulsantes *squillam*, ut sit quod [z] *tubis* eorum respondeat: lavantes sæpe, benedicentes crucéq; signantes, sæpe incensantes, demissè mussantes susurrísq; admurmurantes, deosculantes *amictum*, deosculantes *manipulum, stolam, altare*, deosculãtes *librum*, deosculantes *manum Sacrifici*, & *Pacem* deosculantes: tundentes & pulsantes, certis quibusdam legibus mensurísq; gesticulantes, nutantes capitáq; inclinantes, gradientes prorsum, retrorsum, inq; gyrum se vertentes, & circulatorio more spaciantes: ut taceam suaves concentus [a] *Organorum*, & cetera, ubi quidem haberi poterunt, uti in [b] *templo habebantur*. Non est mihi dubium, Harte, quin tibi persuasissimum sit, hujusmodi Ecclesiæ vestræ cultum Christianum esse: eúmq; *, ut si ipsi interessemus celebrationi, solẽni ejus celebrationi præsertim in Christi Natalitiis, & Parasceve, aliísq, magis festis temporibus, plerɑq, certè ex saxeis nostris cordibus præ gaudio deliquesceret*, ut vester scribit [c] Bristous. Sed quidem certè cultus plusquã Judaicus est: illiúsq; de eo opinio puerilis planè, & carnalis est. Nam, etiam si perm ulcere potuerit sēsus corporis, oculos magnificis spectaculis; suavissimis sonis aures; fragrantibus odoribus nares; mentem ipsam pietatis specie, homini nõ intelligenti; commoveretur tamen animo [d] *homo spiritualis*, ut Athenis [e] Paulus, & dolentiùs deploraret populum deperire ea quibus non [f] *ædificatur*, fleretq; super illis ut [g] Christus super Jerosolyma, *Nempe si vel tu nosses vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent: sed ea nunc occulta sunt oculis tuis*. Dominus [h] *velamen* hoc, ubi ipsi visũ fuerit, à *corde* vestro *tollat*: ut videatis aliquando quid sit illum spiritu & veritate adorare, & quum videtis, etiam præstetis.

HARTUS. Vestro potiùs cordi arrogantiæ velamen imponitur, qui *Catholicas ceremonias* condemnatis ut *Judaicas*: quàm ignorantiæ nostro, qui ut Christianas illas amplexamur. [i] Synodus enim Tridentina, quam coegit & rexit Spiritus sanctus, anathemate percutit eos, qui dicunt *receptos & approbatos Ecclesiæ Catho-*

lica

[o] Dur. l. 1. c. 8.
[p] Exod. 30. 26.
[q] Dur. l. 2. c. 1.
[r] Num. 8. 7.
[s] Dur. l. 1. c. 3.
[t] 1 Reg. 6. 32.
[u] Dur. l. 4. c. 4.
[x] Dur. l. 1. c. 4.
[y] In fer. quarta Cinerum. Dur. l. 6. c. 28. 6
[z] In Dominica Palmarum Dur. l. 6. c. 67.
[a] Dur. l. 4. c. 53
[b] Dur. l. 6. c. 86
[c] c. 80.
[d] c. 79.
[e] Missale Rõ. reformat. à Pio quinto. Sacerdotale Rom. Eccles. edit. à Ss mariin. part. 2.
[f] Heb. 9. 22.
[g] Num. 19. 18.
[h] *Cœmeteria reconcilianda.* Extra. de Cõsecr. Eccles. c. Consuluisti.
[i] Dur. l. 6. & 7.
[k] Col. 2. 17.
[l] Dur. l. 4. c. 41 & l. 6 c. 83.
[m] Innocent. mysterior. Missæ. l. 1. c. 10
[n] Papæ, Sacr. cerem. Rom. Eccl. l. 2.
* Feria in cœna Domini.
[o] Dur. l. 6. c. 75
[p] Heb. 9. 7.
[q] Num. 28. 3.
[r] Lev. 6. 13.
[s] Dur. l. 4. c. 6.
[t] *Ritus celebrãdi Missam.*
[u] *cautela Missæ*
[x] Exod. 29. 27
[y] Dur. l. 4. c. 41
[z] Num. 10. 10.
[a] Dur. l. 4. c. 34
[b] 1. Chron. 25.
[c] Motiv. 32.
[d] 1 Cor. 2. 15.
[e] Act. 17. 16.
[f] 1. Cor. 14. 17. Gal. 4. 9. 1. Cor. 10. 7.
[g] Luc. 19. 24.
[h] 2. Cor. 3. 16.
[i] Sess. 7. de sacram. in genere, can. 13.

licæ ritus, in solenni sacramentorum administratione adhiberi solitos, contemni posse. Et illos beati Missæ sacrificii ritus, in quos maximè inveheris, ostenderunt [k] sancti illius Synodi Patres, ex *Apostolica traditione*, non ex lege Mosaica adhiberi. *Quum* (inquiunt) *natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet, quædam summissâ voce, alia verò elatiore in Missa pronunciarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliáq; id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione: quò & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Hæc Synodi verba sunt. Ex quibus intelligas, *ritus & ceremonias* illas quæ in *Missa* usurpantur, non *Judaicas* esse, sed *Apostolicas*: quemadmodum (si opus esset) sigillatim liceret ostendere, de [l] *incensis*, ex Dionysio; de *luminibus*, ex [m] Augustino; de ceteris, ex aliis Patribus.

RAINOLDUS. Quid? de *vestimentis* etiam? *manipulo, amictu, alba, stola*, talibúsq; reculis?

HARTUS. Etiam, de istis quoque: utcunq; ea tu verbis abjicias & irrideas. Neq; tamen sunt ista nostra omni ex parte illis similia, quibus utebantur Sacerdotes apud Judæos. A quibus aliis quoq; in rebus nostræ ceremoniæ differunt. Exempli causâ: illorum [n] *incensum* maximi pretii fuit *suffimentum*; [o] nostrum ex mero *thure*. [p] Illorum *lumina* ex puro *oleo* esse oportebat; [q] nostra ex *cera* conficiuntur, nec non ex alia pariter esse possunt materia. Quod quum itidem in reliquis appareat, ut necessariò tibi fatendum, saltem in multis: magnopere peccas, quòd ceremonias Ecclesiæ tanquam Judaicas cavilleris.

RAINOLDUS. Atqui, malè me interpretatus es, si existimares intelligere me omnes illas vestras ceremonias esse Judaicas, aut ab omni parte Judaicas. Necessariò enim mihi fatendum est, nonnullas earum Ethnicas esse, non Judaicas. Quemadmodum nominatim est illa vestra *Sacerdotum vertices deradendi* consuetudo, juxta morem [r] *Sacerdotum Isidis apud Ægyptios*. Vestra *cereos accendendi* ceremonia *die candelaria*: [s] quæ à *Februalibus Romanorum sacris* originem sumpsit. Vester *pingendi fingendive imagines hominum* ritus: [t] quem Christiani, (1) *Ethnica quadam consuetudine* edocti didicerunt. Vestra (2) *incensandi imagines*, atq; ad eas *cereos apponendi* assiduitas: quod etiam [u] Romani, dum Ethnici erant, fecerunt. Denique, universus vester *cultus imaginum*, dum [x] *osculis, flexísq; genibus*, & *inclinatis corporibus* ad *crucem* proreptatis, ut [y] *Siculi* ad *Herculem*; imagines vestræ gestatæ in *processionibus*, ut olim [z] idola *Græcorum*; vestra ad Sanctorum simulachra *peregrinatio*, ubicunq; perhibentur celebriora, ut ad [a] *Dominam* * *Laurettanam*, tanquam ad [b] *Dianam Ephesinam*, cum infinitis ejusmodi deliriis, luculentè referunt Ethnicos Paganismi ritus, & ab Ethnicis, ut verisimile est, profluxerunt. Ego verò, quoniam in *Salomonis templo* erant *imagines*, quanquam non hominum illæ; & *Levitæ deradebant*, non tamen *vertices*; & in *tabernaculo lumina* comparebant, licèt non interdiu, nedum *Februariis calendis* magis quàm aliis temporibus: de Pontificiis vestris ritibus tanquam Judaicis loquebar, ut vel in optimam quidem partem eos interpretarer. Et verò, ut fuerit hoc discrimen quod tu in illis invenisti, ut in vestris *cera* sit, illorum *oleum*; & illorum *suffimentum* sit, & *thus* vestrum; etiamsi [c] *thus* illorum quoq; *suffimento* admisceretur, etiam [d] sine *suffimento incensum* conficeret; verùm, ut maximè hoc inter illos discrimen largiamur: vestri tamen ritus ipso ge-

[k] Sess.22. c. 5.
[l] Dionys. Areopag. Eccles. hierar. c.3.
[m] Confess. Augustinian. l.3 c.11, tit.2, è Concilio Carthag.4. can. 6.
[n] Exod.30.35.
[o] Dur. l.4. c.8.
[p] Exod.27.20.
[q] Dur. l.2. c.7. Sacr. cerem. Eccl. Rom. l.1. tit.2.
[r] *Capillum derasi, vertice prænitentes.* Apulei. Aurei asini lib.11.
[s] Rhenan. annot. in Tertul. advers. Marcion. lib.5.
[t] Euseb. hist. Eccl. l.7. c.17.
(1) ἐθνικῇ συνηθείᾳ.
(2) *Ad eas thus, & cerei.* Cic. offic. l.3.
[u] Pol. Virgil. de invent. rer. l.2. c.23. & l.6. c.13.
[x] Dur. l.6. c.77
[y] Cic. in Verr. l.4.
[z] Pausanias in Corinthiacis, Herodian. l.1. Apulei. Aur. Asin. lib.11.
[a] Leand. Albert. descript. Italiæ Histor. B. Mariæ Lauret. script. ab Hier. Angelit. ad Clement. sept.
* Oppidum Italiæ, ubi templum B. Virginis habetur, mendacibus miraculis, indéq; frequentiâ hominum magis celebratum quàm ejusdem templum Walsinghamiæ in Anglia, de quo Erasmus in colloquio Peregrinat. religionis ergò.
[b] Act.19.27.
[c] Exod.30.34.
[d] Levit.2.2.

nere Judaici sunt, quia *umbræ* sunt, quales Judaici extiterunt. Atq; sanè probabile est, inventores eorum à Mose ipsos arcessivisse, quemadmodum patroni ex Mose ipsos stabiliunt. Nam maximè speciosus fucus, quo vel [c] Durandus Episcopus, vel [f] alii eos adumbrârunt, hic est; *Deum eos in Mosaica lege edixisse*. Quemadmodum [g] Innocentius Papa dicit, *Catholicam Ecclesiam tenere ungendos esse Episcopos, quòd præceperit Mosi Dominus ut Aaron & filios ejus ungeret*: & rursus, *ungenda esse templa, altaria, & calices, quoniam præceperit Mosi Dominus ut ungeret testimonii tabernaculū, & arcam testamenti & mensam cum vasis.*

HARTUS. Verùm subjicit Innocentius, *unctionis sacramentum* aliud quidem efficere & *figurare in novo, quàm in veteri Testamento*. Unde concludit *mentiri eos qui Judaizare Ecclesiam dicunt*, (hoc est, more Judęorum facere,) *quum unctionis celebrat sacramentum.*

RAINOLDUS. Non tamen id discriminis inter vos & Judęos affert Innocentius, ut vestra *sacra unctio ex oleo et balsamo* confecta sit, quum illorum ex *oleo* fuerit & *myrrha aliisq; aromatis*. Nō erat nescius, hujus aut illius quę admiscentur, catharctici in materia discrepantiam, non liberaturam Ecclesiā vestram à *Judaizandi* cōsuetudine in genere catharctici, hoc est, ritûs ejus quo *Sacerdotes & altaria* consecratis. Nihilo certè magis, quàm si canem immolaretis, deindeq; diceretis, non in eo vos Judæos imitari, quum illi non canes, sed oves & boves immolarent. Quod autem ad discrimen illud quo Papa unctionem vestram ab illorum unctione secernit, *vestram aliud efficere & figurare, aliud illorum*: primùm quidem, non minora in illorum *altaribus*, quàm in vestris efficit, quantùm ego perspicio. Deinde, in illorū *Sacerdotibus* Spiritûs sancti dona figurabat: quod etiā in vestris facere is affirmat. Postremò, ut habuerit sive effectum aliud, sive sensum aliū apud vos, quàm apud illos, ut quodāmodo habet, sive [h] eum, qui instituit; sive [i] causam, quare instituerit, respiciamus: poterat tamen ceremonia nihilominus esse *Judaica*. Nam (spero equidem) non ibis inficias, quin *Judaismi* rea foret Ecclesia vestra, si [k] *agnum offerret* in holocaustum, etsi faceretis id, quò, non Christum venturum, [l] ut *Judei*; sed Christum venisse, & [m] per passionem suam tùm ipsum ingressum esse, tùm alios quoque induxisse in gloriam suam significetis. Petrus saltem *Gentes* [n] *coegit Judaizare*, quum ejus exemplo & autoritate inducti, *Judaicum* ritum in [o] delectu *ciborum* approbarent. Atqui neque ille, neque illi eo sensu approbant, quo Judæis indicebatur. Ipsis enim indicebatur, ut sanctimoniam eam [p] designaret, ad eámque ipsos [q] deduceret, quam Christus per gratiam suam fidelibus erat allaturus. Neq; verò latuit Petrum, hoc [r] revera præstitisse Christum, [s] eamque figuram, etiam [t] universum *Mosaicæ legis jugum* sustulisse: quod quoq; Gentes edocuit. Quare, etiamsi Ecclesia vestra ritus *Judaicos* sensu alio retineat, quàm quo ipsos *Judæis* Deus indixit, sicut affirmat Innocentius, ut illi medeatur ulceri: hoc tamen Petri exemplum ostendit, rem ipsam *Judaicam* esse, vósq; *Judaizare* qui observatis.

HARTUS. Non in fide erravit Petrus, sed in moribus, quum se à convictu Gētium subduceret. Utiq; *conversationis* fuit *vitium, non prædicationis*, ut ait [u] Tertullianus. Neque alia est S. [x] Augustini sententia.

RAIN. Fateor. Nō enim peccavit in veritate ipsa Evāgelii, sed quòd [y] *nō incederet* ut veritati illi cōgruebat; quippe qui *prius* nō *Judaicè*, sed *Gentiliter vivēs*, [z] tūc tamē *Gentes* desereret metu *Judæorū*, & judiciū suū de illo Christianę doctrinę capite [a] *dissimularet*. Verùm hoc eo magis tùm Ecclesiam vestram in suis *Judaizare* ceremoniis, tùm doctrinam vestram fermento illo corrumpere Evangelium, cōvincit.

[c] In Rationali divinorum officiorum.
[f] Canonistæ & Papæ, de consecr. dist. 1. & cet. in Decretis & Decretalibus.
[g] Extra. De sacra unctione. cap. Unico.
[h] Deus verbo suo instituit. Exod. 39. 22.
[i] Ad figurandū & significandū Christū, Heb. 8. 5. ex Exod. 25. 40.
[k] Exod. 29. 41
[l] Ioh. 1. 29.
[m] Apoc. 14. 1.
[n] Gal. 2. 14.
[o] Lev. 11. 4. & 47.
[p] Col. 2. 16.
[q] Gal. 4. 3.
[r] Act. 2. 38.
[s] Act. 10. 15.
[t] Act. 15. 10.
[u] De præscrip. adver. hæret.
[x] Epist. 9. & 19. ad Hieronymum.
[y] Gal. 2. v. 14.
[z] Ver. 12.
[a] Ver. 13.

[b] Verſ. 11.

Si [b] enim *condemnandus erat* Petrus, quòd *eos Judaizare cogeret*, quos ex infirmitate quadam induxerat exemplo ſuo, ut Judæorum partes uno in ritu agerent: quid de veſtra Eccleſia cenſendum erit, quæ ex obfirmato judicio inducit impellítq; Chriſtianos, ut adeò multis in ritibus perſonati ſint Judæi? Et is quidem veritatem doctrinæ ſilendo agnovit, parendóque, poſtquam eum Paulus redarguerat: at verò [c] Innocentius Pontifex ait *mentiri eos*, qui hoc nomine veſtrã Eccleſiã criminãtur. Quare Pontifex, ſeu potiùs Pontifices Pontificiiq; omnes, qui tuentur doctrinam Tridentinæ Synodi approbantis cùm [d] reliquos ex *Judaicis* veſtris *ritibus*, tũ verò nominatim [e] illũ *unctionis* ex Moſe ab Innocentio Pontifice confirmatã: nõ peccant iſti ut verus Chriſti Apoſtolus Petrus; ſed ut *falſi Apoſtoli*, [f] qui *turbârunt Galatas*, & *inverterunt Evangelium*, legem Evangelio admiſcentes.

[c] *Nõ Judaizat Eccleſia, ſicut aliqui mentiũtur.* Extra. de ſacra unctione parag. ungitur
[d] Seſſ. 7. de ſacrament. in gen. can. 13.
[e] Seſſ. 23. can. 5.
[f] Gal. 1. 7. & 2. 3. & 4. 9.
[g] Gal. 5. 2.
[h] 2. Pet. 2. 1.

HARTUS. Haberent verba tua ſpeciem ſaltem aliquam veritatis adverſus Eccleſiam, ſi præciperemus nos, [g] *homines circumcidendos eſſe*, quod *falſi Apoſtoli* præceperunt.

RAINOLDUS. Quid? Nullíne igitur hæretici pro [h] *falſis Doctoribus* in Eccleſia Chriſti cenſendi erunt, niſi in rebus omnibus idem cum *falſis Prophetis* doceant?

[i] Seſſ. 22. ca. 5.

HARTUS. Verùm, (ut oſtendi ex [i] Tridentina Synodo) ceremoniæ illæ, quibus nos utimur in ſacrificio Miſſæ, nempe *myſticæ benedictiones*, *lumina*, *thymiamata*, *veſtes*, aliáque id genus multa, omnia non *à falſis*, ſed *à veris Apoſtolis* provenerunt. Et ſi quæ ſint, quæ illi non tradiderint; ea à *pia matre Eccleſia* poterant adhiberi. Quemadmodum inſtituit, *ut quædam ſubmiſſâ voce, alia verò elatiore, in Miſſa pronunciarentur. Ea enim eſt natura hominum, ut non facilè queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli.* Qua certè ratione à Synodo adjectâ, omnes ritus noſtri ſive ex Eccleſiæ inſtitutis, ſive ex Apoſtolica traditione manantes, contra cavillationes & conjecturas tuas confirmantur.

RAINOLD. Hui: ecquid non vides quanta cũ vertigine illam rationem introducat Synod⁹, ut, quoniã *natura noſtra externis adminiculis egeat, idcirco quædã ſummiſſâ voce, quædam elatiore pronunciarentur*? Nam præcipuũ planè ex *externis* iis *adminiculis*, quæ Deus inſtituit ut mentes noſtræ à terris ad cœlũ erigantur, [k] *ipſa eſt verbi ejus auditio*. Verbũ ejus in *Epiſtola*, in *Evangelio*, in *Canone*, aliiſq; *Miſſæ* partibus recenſetur: *Miſſam* [l] prohibetis *vulgari paſſim lingua celebrari*: adeò ut ſi omnia æquè altâ voce atq; Baaliticæ Miſſæ * *declamarentur*, à vulgo tamen intelligi non potuerint. Tamen neq; eo contenti, jubetis *partem aliquam ſubmiſſâ voce* dici, ut miſeris illis ne *audire* quidem liceat. Quare quæ à Synodo veſtra pro illo Miſſali ritu adhibetur ratio, re quidem hæc eſt; *Quoniam cæcitas frigiditáſque hominum opus habet ut illuminetur & incaleſcat vi divini verbi, quod in Miſſa commemoratur: idcirco alia in Miſſa voce ſubmiſſâ ſunt pronuncianda, ne audiant; alia altiore voce, ſed peregrinâ linguâ, ut, etiamſi audiant, non tamen intelligant.* Nónne verò præpotens aliquis vertiginis ſpiritus dominabatur Tridentinis Principibus, qui tam temulenta ipſos coegerit ſcripta effundere? etiam, [m] *anathemate* quoque conſignare?

[k] Mat. 13. 23. Act. 13. 15. 1. Cor. 14. 19.
[l] Conc. Trid. Seſſ. 22. cap. 8.
* 1. Reg. 18. 28
[m] Seſſ. 22. can. 9. *Anathema ſit.*

HARTUS. Illi verò *anathema* indicũt ei, qui dixerit *Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars Canonis et verba cõſecrationis proferuntur, dãnandũ eſſe: aut linguâ tantùm vulgari Miſſam eſſe celebrandam.* Nec ſine magna ratione iſtud.

[n] Ioh. 9. 22.

RAINOLDUS. Scilicet. Nam, ut [n] *Judæi*, quum in eo defẽdere ſe non poterãt, quòd obſtinatè Dei Filio reſiſterent, conſtituerunt, ut *ſi quis eum confiteretur*

esse Christum, Synagogâ moveretur: pari prorsus ratione *Romani* vestri *Iudaizatores bannis & anathematis* nos exsecrantur, quum adversus nos præstare non possunt impudentes consuetudines suas atq; depravationes.

HARTVS. Consuetudines illæ prorsus Catholici atq; religiosi ritus sunt, quos ipsi *anathematis* severitate ratos faciunt.

RAINOLDVS. *Catholicus atq; religiosus ritus* ille, interdicere Sanctis Dei verbi Dei auditione: *Catholicus atq; religiosus*, Ecclesiæ officiũ eâ linguâ celebrare, quam ipsa Ecclesia, fidelis populus, non intelligat?

HART. Planè, *Catholici atq; religiosi ritus*, si rationes observas quas de utrisq; reddunt. Nam de [o] altero, ostendunt, *Ecclesiam instituisse*: de [p] altero, *non visum esse Patribus, expedire ut vulgari passim linguâ celebraretur.*

RAINOLDVS. *Non priscis Patribus?* [q] Illi verò liquidò assentiuntur: etiã [r] *Patres* quoq; recentiores. Denique *Patres*, & filii, omnes, inquam, Ecclesiæ, omnium nationum, priscis temporibus, multarum, etiam ad hodiernum usq; diem: ut nominatim [s] *Syriæ*, [t] *Armeniæ*, [u] *Slavoniæ*, [x] *Moscoviæ*, [y] *Æthiopiæ*.

HARTVS. Quicquid demũ *Ecclesiæ* aut *Patres* faciant, aut fecerint: non *expedire visum est patribus* qui in *Tridentina Synodo* convenerunt. Et illis, quũ Episcopi & Pastores essent Ecclesiæ, licebat utiq;, [z] vestris idem largientibus Cõfessionibus, ritibus & ceremoniis Ecclesiæ providere.

RAINOLD. Licebat. Ceterum hoc quoq; à Confessionibus nostris docendi erant, ut quemadmodum providere liceat ipsis, ut [a] *omnia decenter fiant & ordine*: ita ritus eorum & ceremoniæ fiant omnes oportet [b] *ad ædificationem*. Quod *Tridentini Patres* in hoc ritu, *celebrandi Missam linguâ alienâ*, minimè observarũt; neq; ipsi non agnoscunt. [c] Verbis enim disertis scribunt, *etsi Missa magnã contineat populi fidelis eruditionẽ: nõ tamẽ expedire visũ esse Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur.* Quorũ hic sensus est, ut explicatiùs dicã, corruptã Ecclesiæ Romanæ consuetudinẽ, orãdi, & Scripturas prælegẽdi linguâ peregrinâ, minimè quidẽ ædificare: cõsilii tamẽ esse ut retineatur, ne cõminuatur Ecclesiæ existimatio. Si enim in uno aliquo errasse se concederent, homines forsan suspicaturi sunt posse in aliis quoq; errare. Atq; hoc ipsi ampliùs produnt in illo altero de *verbis cõsecrationis* * *secretè proferẽdis*, ne à fidelib[us] inaudiantur. Quũ enim dicũt [d] *Ecclesiã ritũ illũ instituisse*, tacitè largiũtur Christũ eã nõ instituisse. Immo, [e] ab amicis ipsorũ docetur [f] *Christi exemplũ, &* [g] *morẽ Apostolorũ* [h] *unà cũ Patribus*, apertè huic adversari. Præterea, dũ [i] *ritũ Romanæ Ecclesiæ* appellant, inde ostendunt alias Ecclesias eũ non usurpare, ne [k] *Græcorũ* quidẽ *Ecclesiã*. Tamẽ cõtra praxin *Ecclesiarũ, Patrũ, Apostolorũ, Christi*, affirmãt mutũ spectaculũ (quod [l] *per consuetudinẽ irrepsit*,) à *pia matre Ecclesia fuisse institutũ*: &, quasi defixum in animis haberent in proprio vomitu volutari, *anathema* ominantur ei, *quisquis fuerit qui damnandum esse dixerit.*

HARTVS. Quãquã *Christus* (fatemur) *verba cõsecrationis apertè pronũciârit*; & *Apostoli*, atq; *Patres*, aliæq; *Ecclesiæ* eundẽ quoq; ritũ observârint: nõ est tamẽ cõdẽnãda Romana Ecclesia, quòd cõtrariũ sanxerit. Nã immutari *ritus* possũt, ut cõmodũ visum fuerit ipsis qui Ecclesiã administrant; nec quidem sine magna ratione factũ est, quòd istũ immutarent, [m] *ne scilicet sacrosancta verba vilescerent, dum omnes pene, per usum ipsa scientes, in plateis & vicis aliisq; locis incongruis decantarent.* Quo etiam nomine commodũ fortassis duxerunt, ut *Missa, horæq; Matutinæ*, & universum

[o] Sess. 22. c. 5.
[p] Cap. 8.
[q] Iustin. Mart. Apol. 2. Tert. in Apologet. Cypr. de orat. Dom. Euseb. hist. Eccl. l. 7. c. 8. Aug. de catechizandis rudib. c. 9.
[r] Isidor. de offic. Eccles. li. 1. c. 10. Cyrillus. Aen. Silv. hist. Bohem. c. 13. Io. Beleth. de divin. offic. in proœm. Lyrã. in 1. Cor. 14. Caiet. opusc. Tom 3. tra. 15.
[s] Liturg. Basil. ex vers. Syr. quam vocant *Anaphoram*.
[t] Bellon. observ. l. 3. c. 12.
[u] Avẽt. annal. Boior. lib. 4.
[x] Sigismund. lib. in comment. Moscovit.
[y] Fran. Alvar. in descript. Aethiop. c. 11.
[z] Confe. Aug. art 7. Wittẽberg. art. 35.
[a] 1. Cor. 14. v. 40.
[b] Vers. 26.
[c] Sess. 22. ca. 8.
* *Secretè profert verba consecrationis, Hoc est corpus meũ.* In Canon. Missæ.
[d] Conc. Trid. Sess. 22. c. 9.
[e] Tho. Aquin. Summ. Theolog. part. 3. q. 78. ar. 1. Hardingus in responsione sua ad 16. art. Provocationis Iuelli.
[f] Luc. 22. 19.

[g] Clem. constitut. Apost. lib. 8. [h] Ambr. de sacrament. l. 4. c. 5. Leo. Serm. 6. de jejunio 7. mensis. Iustinian. in Authent. 137. Parag. Ad hæc jubemus. [i] Conc. Trid. Sess. 22. can. 9. [k] Chrys. Liturg. Bessario de sacram. Eucharist. [l] Ita loquitur Innocentius tertius in tract. de Mysteriis Missæ lib. 3. cap. 1. [m] Hanc rationem Innocentius tertius ibidem affert.

Ecclesiæ officium Latinè potiùs, quàm *vulgari lingua* celebrarentur. Nam ex familiari consuetudine contemptus oritur: & ea admirari solent homines, quæ ignorãt; vulgaria despiciuntur.

Rainoldus. Magnopere verò erratum est à Servatore Christo, qui Apostolis suis præcepit [n] *ut id in luce dicerent, quod ipsis ille in tenebris dixerat; et, quod in aurem audivissent, prædicarent supra domos.* Nam despecturi sunt Evangelium ejus, si cognoscerent: ut cibum solent qui habent. Et quo tandem animo Paulus aperuit [o] *verba consecrationis* Corinthiis? Etiam vulgari quoq; ipsorum lingua? Idq; præceptione adhibitâ, [p] ut *annunciarent mortem Domini usquequo venerit*, quotiescunq; sacramenti participes essent? Illéne *verba consecrationis, mortémq; Christi* adducere in contemptionem conabatur? An verò non natus adhuc Innocentius, à quo didicisset non modò *alienâ linguâ esse dicenda, sed secretè etiam & tacitè, ne si audiant illa homines, ipsa per usum sciant, & in plateis decantent.* Sed viden'? [q] *Patres* vestri *Tridentini* nonnihil despuerunt, quum mandarent Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, *ut frequenter vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponerent, atq;* [r] *explanarent populo fideli Scripturam vernaculâ linguâ.* Latinâ linguâ ut explanarent si mandassent, fuisset ritus doctrinæ vestræ magis consentiens: planè in admiratione ejus constitisset populus. Nunc verò ex cognitione ejus verendum ne contemptus oriatur. Præterea periculum est, ne, dum *frequenter* illa exposita audiant homines, impendiò prudentiores evadant, & abusus vestros odorentur. Quo minùs nôrunt: eo idonei magis qui sint Papistæ. Siquidem [s] *ignorãtia* mater devotionis Pontificiæ: ut [t] *scientia* nutrix Christianæ religionis.

Hartus. [u] *Matrem omnis erroris esse ignorantiam* agnoscimus: neq; in ea fovere Christianos conamur, sed pedetentim inde revocare, quemadmodum decreta illa Synodi affatim demonstrant.

Rainoldus. Illa quidem affatim demonstrant ita vos profiteri: sed quã bene id conemini, priora de *ritibus* decreta, quibus in *ignorãtia* fovetur populus, magis affatim arguunt. Neq; verò est simile veri, omnibus Pastoribus & curatoribus animarum scientiam & otium fore *Scripturam frequenter populo exponendi.* Fortassis divina ipsa officia, si celebrarentur, audirentúrq; lingua familiari, plura illos unius diei spatio edocerent, quàm ex Pastorculis illis nonnulli per mensem integrum. Aut, si unaquæq; Ecclesia tali ornaretur Pastore, qualem Timotheum esse exoptat Paulus, [x] *qui rectè sermonẽ veritatis secaret:* tamẽ illi, assuefacti [y] *audiendis Scripturis*, faciliùs ipsum intelligerent, ut [z] *Judæi Paulum*, & (divina juvante gratia) *fidem* dictis [a] *proclivius* [b] *adhiberent*. Et quidem, quoniam [c] *Tridentini Patres* ostendunt hanc *exponendi* industriam idcirco esse necessariam, *ne oves Christi esuriant*, *neve* [d] *parvuli panem petant & non sit qui frangat eis:* officii eorum fuisset pariter considerare, Deum statuere ut mensa filiorum ejus isto pane instructa [e] *copiosè* sit, & tãquam [f] Davidis mensa, *exuberante poculo*, ut perpetuò bene se habeant, non modò ut ne *esuriant*. Illud saltem, utcunq; consuetudinem suam hac in re fucant, certum est, rationem eorum ab omni ratione abhorrentem esse, dum [g] dicunt, *Quoniã natura hominum indigeat adminiculis exterioribus quibus ad rerum divinarum meditationem sustollatur, propterea Ecclesiam ritus illos instituisse, ut quædam summissâ voce, alia verò elatiore, in Missa pronunciarentur:* illa, ne audiantur; ista, ne intelligantur. Faciunt tamen hîc honestiùs, quòd agnoscant *Ecclesiam ritus istos instituisse.* Nam si ora sua perfricuisse voluissent, atque affirmasse, se *ex Apostolica traditione eos accepisse*: perinde sanè de his id affirmasse poterant, perindéque solidè probasse, atque de aliis illis, *luminibus*, *thymiamatis*, *vestibus*, reliquáque omni

[n] Matt.10.27.
[o] 1.Cor.11. v. 24.
[p] Vers.26.
[q] Sess.22.c.8.
[r] Sess.24.c.7.
[s] Rom.10.3.
[t] 2.Pet.1.5.
[u] Dist. 38.c. Ignorantia.
[x] 2.Tim.2.15.
[y] Act.13.v.15.
[z] Vers.17.
[a] Act.17.v.11.
[b] Vers.12.
[c] Sess.22.ca 8.
[d] Lament.4.4
[e] Col.3.17.
[f] Psal.23.5.
[g] Conc.Trid. Sess.22.cap.4.

egestatis suæ supellectile.

HARTVS. *Egestatem* appellas illud, quod beatum Missæ sacrificium tam decoris ceremoniis, ad solatium atq; eruditionem fidelium adornat?

RAINOLDVS. Immo, mitius impendiò *egestatis* nomẽ. Si enim B. Paulus ceremonias Judæorum cum Evangelio comparatas, [h] *impotentia & egena elementa* vocabat: quod tandem nomen merentur vestræ, non ut illorum, à Deo, sed ab hominibus institutæ?

[h] Gal. 4. 9.

HARTVS. Magnam nobis facis injuriam, qui Apostoli verba, de Judaicis dicta ceremoniis quibus cessandum erat, ad nostras accommodas quibus est permanendum: multo autem majorem, quòd asseras Deum non instituisse nostras, ut illorum. Illorum enim ceremonias per Mosem instituit, nostras per Paulum.

RAINOLD. Per *Paulum*? Phy. Unde illud accepisti?

HARTVS. B. [i] Augustinus ait *totum illum agendi ordinem, quem universa per orbem servat Ecclesia circa consecrationem, oblationem, & distributionem Eucharistiæ*, (quem *agendi ordinem* nos *Missam* vocamus,) *ab Apostolo institutum esse.*

[i] Epist. 118. ad Ianuar. cap. 6.

RAINOLDVS. Illam certè [k] Jesuita vester annotationem attexuit in Augustinum. Quòd si animus illi sit tantum inde ejus *ordinis* confirmare, quantum *universa per orbem Ecclesia servavit* temporibus Augustini: refellit prorsus ceremonias vestras, etiam aliquid ampliùs quàm ceremonias. Ecce enim, *distributionem* commemorat *Eucharistiæ*, hoc est, panis & poculi gratiarum actionis: quorum utrumque non in ulla Missa distribuitis; in privata verò, neutrum. Verùm si id voluerit quod [l] Bristous, & quod tu illum cupis, *Paulum totum illum ordinem agendi instituisse, quem Ecclesia vestra servat, & Missam vocat*: ipse à Synodo vestra refutatur. Illa enim fatetur *Ecclesiam Romanam quosdam ritus* habere [m] neq; institutos à Paulo, [n] neque per *universam Ecclesiam* observatos. Et B. Augustinus nullius rei commeminit, nisi quam *universa Ecclesia servârit*, ut nominatim *de Eucharistia à jejunis sumenda*: quem morem quum omnes pariter Christiani imitarentur, ex Pauli verbis ad Corinthios colligit, ([o] *cetera autem quum venero, ordinabo*,) hunc ab ipso ordinatum esse.

[k] Torrensis in Cõfess. Augustinian. l. 1. c. 8 tit. 6.

[l] Motiv. 9.

[m] Concil. Trident. Sess. 22. cap. 5.

[n] Can. 8. & Can. 9.

[o] 1. Cor. 11. 34.

HARTVS. Verissimũ est, de illis *ritibus* loqui Augustinum, quos *universa per orbẽ servavit Ecclesia nulla morũ diversitate variatos*. Ceterũ eo magis Tridẽtinæ Synodi doctrinã probat. Siquidẽ *ritus* illi, quos [p] dicunt *accepisse Ecclesiã ex Apostolica traditione*, sunt scilicet *mysticæ benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliáq; id genus multa*. Atq; ad ista confirmanda valet Augustini testimonium, *Paulum totum illum agendi ordinem instituisse quem nos Missam vocamus*. In quam quidem sententiam liquidius ejusdem testimonium videas in [q] epistola quadam ad Paulinũ, quã designavit Torrensis, in eundem Augustinianæ Confessionis locum.

[p] Sess. 22. c. 5.

[q] Epist. 59. ad Paulinum. q. 5.

RAINOLDVS. Et in eo quoq; tibi imponit Torrensis. Nam B. *Augustinus* istic, ad Episcopũ rescribens qui quæsierat ex ipso, *quomodo discernerẽtur illa* [r] *Pauli verba*, [*obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones*,] respondet, *in iis illud intelligi, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequã illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, quũ benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendũ cõminuitur; interpellationes, quũ populus benedicitur, & per Pastores tãquã per advocatos offertur Deo; quibus peractis, & participato sacramẽto, gratiarũ actio cuncta cõcludit, quam in his etiã verbis ultimam cõmendavit Apostolus.* Quid autem in istis ad *Missã* vestrã magis interest, quã ad *Cõmunionẽ* nostram? Aut verò, si *Cõmunio* nostra, quæ

[r] 1. Tim. 2. 1.

non minùs à *Missa* vestra quàm lux à tenebris discrepat, omnia tamen ista complectatur quæ Augustinus tanquam designata ab *Apostolo* commemorat: quo demum ore Torrensis est, qui ait, *affirmare Augustinum, totum illum agendi ordinem quem vos Missam vocatis, ab Apostolo fuisse institutũ?* Itáne Jesuita vester antiquos Patres tractat, ut ipsos autores efficiat arcessendi Missales ritus vestros ab Apostolis?

HARTUS. Atqui ibidem tamen semel atq; iterum *benedictionis* mentionem facit Augustinus, idq; ex Apostolo. Unde primum illud, quod Tridentina Synod[us] nominavit, de *mysticis* scilicet *benedictionibus*, comprobatur.

RAINOLDUS. Certè; si Synodus * eo vocabulo idem denotasset, quod Scriptura, hoc est, vel [s] gratiarum actiones Deo, vel [t] sanctificationes creaturarum in sacros usus, vel [u] orationes pro populo, ut ei Dominus benedicat. Sin verò *signũ crucis* intelligeret, quod constat intellexisse, tùm ex materia ipsa quæ in eo capite de *visibilibus signis* tractatur, tùm ex fine quem sibi proposuit Synodus confirmandi ceremonias illas quas damnant Protestantes, tùm etiam ex Canone Missę qui crucis characteribus [x] exorcistæ circulum æquat, ubi verbum quoq; ipsum [* *benedixit*] eo sensu accipitur *crucis* signo interstinctũ: *mysticæ* sanè *Tridẽtinorũ Patrũ benedictiones* neq; ab Apostolo intellectæ sunt, neq; ab Augustino commemoratæ.

HARTUS. Immo: videtur Augustinus eò loci per [*benedictionem*] sacramentum cruce consignatum intelligere. Nam in quodam Sermone quem eadem de re habuit, ait *corpus Christi consecratum esse crucis signo.*

RAINOLDUS. In quo illud Sermone habetur?

HARTUS. In Sermonibus ejus de tempore, [y] Sermone centesimo octogesimo primo.

RAINOLDUS. Est quidem iste in Sermonibus Augustini, sed ex Sermonibus ejus non est. Verba enim Gregorii Romani Episcopi habet, qui multo pòst vixit: & plura quoq; cõtinet quibus *certũ est* (ut [z] Lovanienses vestri Theologi annotant,) *nõ esse Augustini.* Quanquã neq; ille qui eũ cõtexuit Sermonẽ, quisquis fuerit, dicat *crucis ceremoniã in cõsecratione fuisse à Paulo institutam, aut ex traditione Apostolica acceptã*: quod tibi fuit ex Augustino evincendũ; quod nisi eviceris, non liberas Synodum Tridentinam. Non enim diffiteor [a] Augustini temporibus, etiam [b] ante illa tempora, Christianos, sicut solebant frontem cruce consignare, ut ostenderent non pudere ipsos Christi crucifixi, quem Judæi & Gentes contumeliis proscinderunt propter mortem illam quam in cruce sustinuit: ita ritum ejus in sacramenta invexisse, atq; usos esse & figura crucis, & consignatione, in aliis quoq; divinis rebus. Verùm non inde efficitur, ut quoniam hoc factum sit à Christianis, idcirco id Apostoli fieri instituerint.

HARTUS. Ceterùm est verisimile instituisse. Et quidem certè [c] Tertullianus, antiquissimus scriptor, disertè affirmat *Christianos hoc per traditionem observasse.*

RAINOLDUS. Ut *frontem*, nõ sacramenta crucis signaculo tererent. Adeò *antiquus* fuit Tertullianus, ut scripsisse videatur priusquã illa cõsuetudo enasceretur. Præterea perperam illũ interpretaris, si per nomen [*traditionis*] Apostolicam traditionem eum significasse putas. Quamcũq; enim non scriptam consuetudinẽ fideles observarent, illam, quoniam ab aliquo tradita fuit à quo usus ejusdem manavit, *per traditionem* ipse invectam esse affirmat. Quod quidem tùm de (1) Judaicis ritibus affirmat, qui Apostolorũ tempora antecesserunt, ut, *fœminis eorum velamen capitis solenne fuisse*: tùm etiam de Christianis qui subsequuti sunt, nec tamen

sunt

* Gr. εὐλογία, & εὐλογεῖν. Lat. *Benedictio*, & *benedicere.*
[s] Mat. 26. 26.
[t] 1. Cor. 10. 16.
[u] Num 6. 23.
[x] Erasm. colloq. in exorcismo.
* *Bene ✠ dixit.* In Can. Missæ.
[y] Serm. 181. de tempore.
[z] Censur. Sermon. 59. in append. de diversis Tom. 10
[a] August. in Evang. Joh. Tract. 118.
[b] Chrysost. demonstr. *quod Christus sit Deus.*
[c] De corona militis.
(1) *Apud Iudæos.*

sunt *Apostolici*, ut, (2) *ter mergitari qui baptizantur, & lacte melleq; pasci.* Quin etiam, (quod planè ipsum Apostolos istic non intellexisse arguit,) *omni fideli* (ejus judicio) *liceat ejusmodi ritus constituere, modò constiterint ratione: neq; autorem respiciamus oportet, sed autoritatem*; & (3) *traditionem colamus, quocunq; traditore censetur.* Quamobrem *traditio* illa, de qua Tertullianus loquitur, Tridentinæ Synodi doctrinæ adversatur. Nam, neq; verbo innuit *crucis signaculum* usurpatum fuisse in *consecratione*, quod voluisse probabile est, si tum temporis fuisset usurpatum: neque per *traditionem Apostolicam* eo quo fuit usurpatum modo, inductum esse, sed ab incerto eiq; incognito autore.

(2) *Ter mergitamur: lactis & mellis concordiam prægustamus.*
(3) *Salvo traditionis respectu, quocunq; traditore censetur.*

HARTUS. Quanquam nulli forsan Patrum hoc contestati sint: tamen si id Synodus per *mysticas benedictiones* denotaret, satis habebat cognitum Ecclesiam hoc *ab Apostolis* accepisse. Aliàs enim non asseruisset.

RAINOLDUS. Opus ergo ut id Synodum divinitus per revelationem accepisse dicas: ut sua solent [d] Anabaptistæ mysteria. Aliàs enim cognoscere non potuisset.

[d] Sleidan. comment. l. 6. & 10

HARTUS. Tute verò fateris [e] S. Augustinum, aliósq; ex antiquis Patribus eodem usos esse in sacramētorum celebratione. Miror cur in Missa nostra idem reprehendas, quum in eo priscorum Patrum imitemur consuetudinem.

[e] In Evang. Iohan. tract. 118.

RAINOLDUS. Quin, illud ego nequaquam fateor. Nam, illud Missalis vester Sacrificus tanquā [f] Magus adornat, mathematicis omnia, seu potiùs magicis numeris complens: [g] *ter* panem, vinúmq;, utrumq; simul, *consignando*, & iterum *ter* utrumq; simul; tum *semel* utrumq; sigillatim, & iterum utrumq; *semel*; atq; iterum *ter*, & *semel*; & iterum *semel*, atq; *ter*, se inter utrumque signans: hactenus manu: pòst calicem *ter* signat hostiā; & *bis* (ut *quinarium* efficiat) inter pectus & calicem; deinde patenā se *semel* signat, *térq;* calicē hostiæ particulā, & iterum se *semel* hostiā super patenam, postremóq; se *semel* iterum calice; omnia ista in *Canone* & *communione Missæ*, præter [h] multa alia priusquam ad *Canonem* deveniat. Verùm antiqui Patres, & nominatim B. Augustinus, longè aberant ut istis *mysticis* modis cum sacramento nugarentur. Hildebrandi Pontificis magia, de *tot crucis signaculis*, nec tot tamen quot hodie vos accumulatis; sed [i] Hildebrandiana traditio illa in *crucibus faciendis*, vel *unam*, vel *tres*, vel *quinq; observare oportere, semper* (1) *impare numero*, juxta (2) formulam [k] veterum veneficorum, spissior erat *mysticarum benedictionum* ritus, quàm aut ab Augustino, aut ab aliis antiquis Patribus fuerit observatus.

[f] Wierus de præstigiis dæmonum, lib. 5. c. 4. & 10.
[g] In Canone Missæ & communione.
[h] *Ritus celebrandi Missam.*
[i] Microlog. de Eccles. observ. c. 14.
(1) *Imparem numerum semper observamus.*
(2) *Numero Deus impare gaudet.*
[k] Virgil. in Pharmaceutria, Eclog. 8.

HARTUS. Gregorius septimus (nuncupatus ante Pontificatum Hildebrandus,) nequaquam *impares* illos *numeros* magica aliqua opinione inductus observavit, quanquam illam dæmonum artem [m] Benno ei falsò exprobret: sed ut mysterium observaret. Siquidem [n] aiebat, *idcirco unam, aut tres, aut quinq; cruces esse faciendas, quòd in una & tribus, unus & trinus Deus intimaretur; in quinq;, quinquepartita Domini passio.*

[m] Benno Cardinalis in Hist. de vita Hildebrandi.
[n] Microlog. de observat. Eccl. c. 14.

RAINOLDUS. Quasi verò non ipsis [o] Magis quoq; ejusmodi essent in imparibus suis numeris mysteria. Quòd si voluisset Hildebrandus [p] *circulo* Sacerdotem circumscribi, ut dæmon ab eo arceatur dum Missam celebrat: huic quoq; mysterium subesset, *Deum* scilicet inde *significari, cui neque principium est, neq; finis.*

[o] Cornel. Agrip. de occulta Philosophia l. 4. c. 4. & 6. & 8. De vanitate scientiarum, c. 47. & 48.
[p] Element. magica Petr. de Aban. in præfat.

HARTUS. Atqui, *circulus* ceremonia est exorcistarum propria: neq; unquā is eum admisisset. Sed, quòd *imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem observaret: id ille fecerat quemadmodum Roma didicerat, ubi sub decem suis antecessoribus fuit nutritus & eruditus. Et, quod illic didicerat, traditio fuit Apostolica.*

Sect. 4.

RAINOLDUS. Ita ejus dicit [q] discipulus; & verè quidem dicit, de multis, quę didicerat: ut, [r] *populum solere, atq; debere communicare cum Sacerdote, idque sub utroq; genere.* Quod obiter ostendit privatam Missam vestram, & sub uno genere Communionem, repugnasse traditioni & ordini Apostolorum, Romanæ Ecclesiæ judicio ipsorúmq; Pontificum, [*] supra mille à Christo annos. Ceterùm *crucibus signare sacramentum semper impari numero*, ita longè abfuit ab aliqua Apostolorum traditione, ut tum recèns Ecclesia Romana induxerit, si tamen Ecclesia induxerit, ac non Hildebrandus potiùs pater fuerit, primúsq; ejus autor mysterii. [f] Amalarius enim Episcopus, qui ducentos annos aut circiter ante Hildebrādum floruit, & qui tùm scivit, tùm reveritus est *Romanæ* Ecclesię ordinem, postquā dixerat *sufficere si semel fuerit facta crux super panem & vinum, quia Dominus semel crucifixus est*; subjicit, *non ab re esse si bis figatur, quia pro duobus populis fixus est Christus*, hoc est, Judæis & Gentilibus. Ad hæc [t] ampliùs observat, *Sacerdotem facere de oblatâ duas cruces juxta calicem, ut doceat Christum depositum esse de cruce, qui pro duobus populis crucifixus est.* Atq; hoc, quod ille de *duabus crucibus* refert, [u] receptum fuit ab Ecclesia Romana ante adventum Hildebrandi; qui illud ut incongruum rejecit, (quod ex [x] discipulo ejus liquet,) hac scilicet nixus ratione, *quòd Christus nullum vulnus in latere habuerit nisi unū, ideóq; unam tantùm crucem in latere calicis esse faciendam.* Quæ adeò bona est ratio, ut mirum videatur Reformatores [y] Missalis vestri priorem ordinem contra Pontificis Hildebrandi canonem retinuisse: nisi forsan existimarent non tam istam ob rationem eum Hildebrando displicuisse, quàm quòd esset *binarius* numerus: [z] quem numerum, aruspices & venefici malam esse censent. Hinc tamen significârunt, ipsis judicibus, non omnia utique quæ Hildebrandus dicitur sub decem antecessoribus suis didicisse, *traditionem fuisse Apostolicam.* Et certè dignum observatu est, quo modo *mysticæ* istæ *benedictiones*, quę Tridenti *Apostolicæ traditioni* ascriptæ sunt, illam nuper nacti sint prosapiam auxilio hominum Hildebrandiano discipulo consimilium, quum antea non eo numero haberi viderentur. [a] Amalarius enim ille, (quem nominavi;) cujus zelus optima velle dicere, peritia maxima scire posse videatur quæ usquam dici possent de Ecclesiæ officiis & ceremoniis; ita multum legerat, itáq; longè perrexerat, Romā usque, idq; legatus à Cæsare ut Pontificem de iis conveniret: iste tamen Amalarius, de *crucis signaculo* verba faciens quod solebant in *consecratione* adhibere, in dubio relinquit à Christo nécne ullum sit adhibitum *quum panem benediceret*, aut potiùs nullum adhibitum credit, *quòd nondum erat erectum vexillum crucis; at modò* (inquit) *scimus quia necessarium est, dicente sic Augustino.* Ubi sanè neutiquam probabile est, ipsum humana autoritate hunc ritum confirmaturum fuisse, si licuisset dicere vel Christum observasse, vel, etsi non observavit Christus, Apostolos tamē instituisse. Nihilo quidem magis, quàm judicaturum fuisse juxta S. Augustini testimonium, *sufficere si semel facta fuerit crux super panem & vinum*; si credidisset tot cruces, quot vos facitis, S. Augustini judicio fuisse necessarias.

HARTUS. Ergo ita nos tu increpas, tanquam ab Augustino discedentes, quòd tam multas faciamus. Quid de vobis dicamus, qui omnino nullam facitis? Qui neq; adhibetis in consecratione sacrosanctorum sacramentorum, neq; frontes eâ signatis, neq; in templis eam collocatis, neq; ut in cibis aliísque creaturis sanctificandis usurpetur, fertis. Quamvis omnia ista à priscis Patribus præstita sint, in ejus memoriam qui pro nobis in cruce passus est: quamvis etiam Christus ipse signum ejus nobis miraculis commendârit, cujus historia Constantini Cæsaris testis est: [b] qui in cœlo crucem vidit cum ista inscriptione, [*] *In hoc signo vince*; &

[q] Autor libri qui inscribitur Micrologus de Ecclesiast. observ. cap. 14
[r] Cap. 18. & 19.
[*] Hildebrādus enim sedebat Pontifex anno Christi 1084.
[f] Amalar. Fortunat. Episc. Treviren. de Ecclesiast. officiis l. 3. c. 24.
[t] c. 26.
[u] Ordo Rom. de officiis divinis. cap. de offic. Missæ.
[x] Microlog. de observat. Ecclestastica. c. 17.
[y] Missale Romanū ex decreto Sacros. Concil. Trid. restitutum, in Rit. celebrandi Missam, & Canone Missæ.
[z] Cornel. Agrippa de occult. Philosophia l. 2. c. 35.
[a] De Eccles. offic. l. 3. c. 24.
[b] Euseb. de vita Constantini l. 1. c. 22.
[*] Alan. Cop. dial. 4. cap. 3.

per

per somnium jussus est ut exemplar ad imitationem ejus signi quod viderat, fabricaret, eóq; tanquam præsidio adversus hostium conatus & impetus, uteretur; quod similiter præstitit, eóq; fortiter hostes subegit. Verùm neq; visio illa Christi Constantino exhibita, neq; illud aliáq; miracula quæ inde patrata sunt, neque primævæ praxis Ecclesiæ & priscorum Patrum apud vestros valere possunt, quin conentur è medio Christianorũ tollere tam illustre celebréq; passionis Christi monumentum. Et tamen rudi plebeculæ imponitis tandem vobis cum illis esse religionem, quum illud diruitis, quod erexerunt illi, & prorsus illis contraria facitis.

RAINOLD. Quod in cœlo signum apparuit Constantino, nominis Christi signum fuit, non *crucis*: utcunq; cusores illi crucisq; [c] patroni vestri falsò id depingant. Nam, ut scribit [d] Eusebius, (cui idem narrabat Constantinus, & vexillum illud quod ad similitudinem ejus fieri curavit, ostendebat,) *figuram retulit (1) hastilis erecti, cujus fastigio affixa (2) corona, & quasi (3) cornu medium hastilis (4) obliquè intersecabat. Adeò ut duas Græcas literas exprimeret, χ & ρ: quæ quum primæ essent nominis Christi literæ, nomen Christi signo illo Constantino significatum est.* Ita describit ille, qui ipsum oculis conspicatus est.

HARTUS. Atqui sine dubio [e] *signum* appellat, sive etiam *monumentum crucis*.

RAINOLD. At verò [f] ipse docet ita se appellasse, quòd nonnihil (5) *formam crucis* referret. Nam neq; per omnia cruci Christi fuit simillimum, cujus [g] alia erat figura: & porrò, ubi illud describit, disertis verbis affirmat (6) *Christi nominis fuisse signum.* Neq; vero verba illa quæ citabas, inscripta erant, *In hoc signo vince*, quod asserit [h] Doctor tuus, (forsan quòd ita cusum legerat in numis crucigeris:) sed, (7) *Per hoc vince*; perinde, ac si Deus nomen Christi illi ostendens, dixisset, [i] *nullum aliud nomen sub cœlo datum esse per quod oporteat ipsum servari.* In quem quidem sensum videtur, Constantinum quoq; accepisse: quoniam [k] *deinceps semper consuevit in galea gestare*, non crucis signum, sed *duas illas literas quibus nomen Christi ipsi referebatur.* Quanquam, si ita se res haberet, ut non *nomen* tantùm Christi, sed & *crux* ejus etiam signo illo exprimeretur, quemadmodum interpretati sunt [l] Episcopi, qui inde Constantinum mysterium *Christi crucifixi* docuerunt: tamen neq; visio illa, neq; victoriæ Constantini, neq; alia patrata inde miracula, neque praxis fidelium in primæva Ecclesia evincunt, *nos in diruendo crucis signo peccasse*, quod nobis vos exprobratis; aut *non eandem nobis esse cum ipsis religionem qui illud erexerunt.* Nam, dic quæso, quid de *æneo serpente* censes, [m] quem Deus præcepit Mosi ut in deserto *erigeret*? Nónne passionis Christi [n] figura fuit?

HARTUS. Certè. Quid tum inde?

RAINOLDUS. Et multa inde patrata miracula sunt. Nam Judæi, ab ignitis serpentibus demorsi, [o] aspiciebant serpentem æneum, & sanabantur.

HARTUS. Esto: quid deinde?

RAINOLDUS. [p] Rex tamen ille Ezekias, cui eadem fuit cum Mose religio, eum *in frusta confregit*: quod quidem rectè fecit.

HARTUS. Confregit in frusta, fateor, æneum serpentem: sed eum huc impulit, quòd *Israelitæ incensum ei adolerent.*

RAINOLDUS. Ita nos *crucis* signum diruimus: quòd vos, Harte, incensum ei adoleatis.

HARTUS. Minimè verò facimus.

RAINOLDUS. In [q] Missali vestro scriptum est, in *Missis solennibus Sacerdotẽ*

[c] Martial. tractat. de cruce art. 2. Harpsfeldi Copus, dialog. 4.
[d] De vit. Cōstant. l. 1. c. 25.
3 2 1 (4)
(4) χιαζόμενον τοῦ ρ κατὰ τὸ μεσαίτατον. Quæ verba, perperam ab interpretibus versa, *[illegible] in medio literæ χ*) nonnullis occasionem præbuerunt pingendi signum aliter ac descriptum est ab Eusebio.
[e] De vita Cōstant. l. 1. c. 31.
[f] Cap. 25.
(5) σταυροῦ σχήματι πεποιημένον.
[g] Figura literæ T. Tertullian. advers. Marcion. l. 3. Hieron. l. 3. comment. in Ezek. c. 9.
(6) Τῆς σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον.
[h] Harpsfeildus, in Copo suo, Dial. 4. c. 3.
(7) τούτῳ νίκα. Euseb. de vit. Constant. l. 1. c. 22.
[i] Act. 4. 12.
[k] Euseb. de vit. Constant. l. 1. cap. 25.
[l] Cap. 26.
[m] Num. 21. 8.
[n] Ioh. 3. 14.
[o] Num. 21. 9.
[p] 2. Reg. 18. 4.
[q] Tit. *Ritus celebrandi Missæ.*

fuit à cruci reverentiâ, eumter incensare.

HARTVS. Atqui non hoc est *incensum adolere*, quod fecerunt Judæi. Illi enim superstitiosam quãdam opinionem de *serpente* imbiberant, fidem fiduciámq; in eo collocantes.

RAINOLDVS. Ita vos quoq; superstitiosam de *cruce* opinionem cõcepistis. Nam singulare esse adversus Diabolum propugnaculum existimatis; & (communi vestro loquendi more,) *benedicunt* se qui pectora sua *cruce* signant: & vobiscum circumgestatis *cruces* factas ex metallo, opinantes iis vos tutiores evadere, ut *superstitiosæ mulierculæ* [r] Hieronymi temporibus *lignum crucis* gestabant.

HARTVS. Si qui hoc *ex superstitione* quadam faciunt, ut illæ *mulierculæ*, nos cum Hieronymo ipsos reprehendimus. Verùm Judæi *æneum serpentem* ut Deum adorabant: nos autem non ita *crucem* adoramus.

RAINOLDVS. Si qui faciunt hoc ut *mulierculæ* illæ, quod faciunt vestri cruciceruli, id *ex superstitione* faciunt. Sed quomodo *serpentem* Judæi, ut Deum adorabant?

HARTVS. [s] Augustinus ait *adorasse ut idolum*: quod est ex ipso Deum facere. Et Ezekias idem re quidem ostendit, [t] quòd *Nechustan*, hoc est, *æneam materiam* vocaret: ac si diceret, nullam ei divinam potestatem inesse, quam inesse illi errore abducti crediderunt.

RAINOLDVS. Judæi [u] honorem Dei creaturæ tribuebant, eò quòd *incensum* ipsi *adolerent*. Quare Ezekias ipsam *æneam materiem* vocabat: perinde ac si simulachra quædam vestra crucifixi Christi, ligneam materiem diceremus; *Agnos Dei*, materiem ceream, Crucifixos & cruces vestras ex cupro, cupream materiem; quoniam honorem Dei ipsis impertimini, fidem spémq; in illis reponentes. Quòd si autem [x] *avarus*, *Idololatra* dicatur, quia pecuniam Deum sibi statuat, non quasi nummum ipsum Deum esse crederet, sed quòd spes vitę ejus boníq; inde pendeat, [y] quã spem fiduciámq; in solo Deo ponere oportebat: vos igitur signum *crucis* ut idolum adoratis, quoniam inde speratis salutem, sicut in [z] divinis officiis vestris propalam profitemini; adeóq; [a] vos ipsi confitemini, à vobis idem ut Deum adorari. Quare si laudatur à Deo [b] Ezekias, quòd *in frusta confregerit serpentem æneum, quia Israelitæ incensum ei adolerent*: nos qui amoliti sumus signum *crucis*, quia vos salutis vestræ spem in eo collocetis, non inviti hominum vituperia audiamus. Sin autem idcirco dicas, *nos religione antiquis Patribus repugnare, quòd diruamus illud quod ipsi erexerunt*: vide ne verba tua Spiritum sanctum perstringant, qui ait *Ezekiam* [c] *observasse præcepta Dei, quæ præcepit Mosi*, & tamen vicissim ait [d] *ipsum contudisse æneum serpentem quem fecerat Moses.* Hoc si nolis à me discere, at ex [e] Jure vestro disce, *Si nonnulli ex prædecessoribus & majoribus nostris fecerunt aliqua quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem: doceri nos exemplo Ezekiæ frangentis serpentem æneum, illa sine tarditate aliqua, & cum magna autoritate à posteris posse destrui.*

HARTVS. Divinum illum cultum, quo nos *crucis* imaginem prosequimur, deberi ipsi, à D. [f] Thoma probatur. *Reverentia* enim *imaginis ad illud refertur, cujus est imago: & motus animi nostri idem est in imaginem rei, in quantum est imago, qui in rem ipsam. Quare, quum crux repræsentat nobis figuram Christi in cruce mortui, & Christus divino honore sit prosequendus: sequitur, eodem crucem quoq; esse prosequendam.* Vos nihilominus & vestri semper nobis adorationem *crucis* objicitis, quasi in eo idololatriæ scelus perpetraremus. Impendiò adolescentiores profectò estis, quàm qui Romanam Ecclesiam in actionibus suis redarguatis.

[r] Hier. comment. in Matt. c. 23. super phylacteria Pharisæorum.
[s] De civit. Dei l. 10. c. 8.
[t] 2. Reg. 18. 4.
[u] Exod. 30. 8.
[x] Eph. 5. 5.
[y] Ierem. 17. 7.
[z] Breviar. Roman. Sabbat. in hebd. quart. quadrag.
[a] Tho. Aquin. Summ. Theol. part. 3. quæst. 25. art. 4. Andrad. Orthod. explicat. l. 9.
[b] 2. Reg. 18. v. 3. & 5.
[c] V. 6.
[d] V. 4.
[e] Dist. 63. c. Quia. Parag. Verum.
[f] Tho. Aquin. Summ. Theol. part. 3. quæst. 25. art. 3. & 4.

RAIN.

RAINOLDUS. Ita nobis [g] Hardingus scilicet de urbe Romana narrat, *quum lupanaria ejus redarguimus*. Et quidem certè non minore fere cum ratione egeris causam hujus spiritualis stupri, quod cum *cruce* facitis: quàm is carnalis illius, quod faciunt ipsi cum *scortis* Romanis. Jam verò bene *serpenti æneo* cecidisset, si Thomam sibi Magistrum habuisset Ezekias. Ab illo enim didicisset, quum *serpens æneus repræsentaret Christum, & Christus divino honore sit prosequendus: idcirco serpentem æneum eodem quoq; prosequendum esse*. Iratiores quidem estis, quando nos dicimus vos Pontificem, [h] ut Deum adorare. Mihi verò videtur id à vobis concedi debere. Omnino id tueri liceret hac Scholastica Theologia. Etiamsi enim uno modo referat [i] *bestiæ imaginem*, tamen quà *homo* est, [k] *imago Dei* est, quem multo luculentiùs refert quàm ulla *crux* aut *Crucifixus* repræsentat Christum. Sed ut redeamus ad *mysticas* Missæ *benedictiones*, quas conabaris B. Augustini ope ab *Apostolica traditione* arcessere: vides neq; illas, neq; *thymiamata*, neq; *lumina*, neq; *vestimenta*, neq; reliquas ejus farinæ ceremonias verbo nominari, nedum affirmari Apostolicas, in eo S. Augustini loco quo vester innititur Jesuita.

[g] Confut. Apolog. part. 4.

[h] 2. Thess. 2. 4.

[i] Apoc. 13. 14.

[k] 1. Cor. 11. 7.

HARTUS. Agnosco verò S. Augustinum de substantia potiùs Missæ, quàm de *ceremoniis* eò loci agere. In [l] altero autem quem citavi, de *ritibus* agit: atq; ità, ut convincat Missæ *ceremonias* ab Apostolis promanasse. *Illa enim*, inquit, *quæ tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, vel ab Apostolis, vel à plenariis Conciliis statuta retinentur*. Quare quum *ceremoniæ thymiamatum, luminum, vestimentorum*, aliæq; ejusdem generis, non à plenariis Conciliis sint statutæ: consequitur ex Augustino, istas Apostolos statuisse.

[l] Epist. 118. ad Ianuarium.

RAINOLDUS. Ille S. Augustini canon, probabilis certè est, non autem necessarius. Etsi enim sit verisimile *nullum ab Ecclesia per orbem terrarum ritum fuisse observatum, quem non ab Apostolis acceperat*, præsertim quum [m] Christiani eis temporibus in *ritibus* omnis generis tantopere inter se differrent: tamen aut recipere poterant, aut retinere ex iis, quibus antea sunt usi, aliquid, quod ipsis Apostoli nō tradiderunt. Verùm fac esse canonem istum, vel maximo compendio tuo, tanquam contestatum quoddam axioma: neq; tamen quicquam propiùs abes, ut illas evincas *ceremonias*. Quî enim probare possis, *thymiamata, lumina, vestimenta*, reliquásque sordes vestras, *Ecclesiam tum per universum terrarum orbem* usurpasse?

[m] Socrat. hist. Eccl. l. 5. c. 21.

HARTUS. *Thymiamata* usurpasse, probavi ex [n] Dionysio Areopagita: *lumina*, ex [o] Augustino.

[n] Eccles. hierarchia. c. 3.

[o] In Concil. Carthag. 4. can. 6.

RAINOLDUS. At *per universum terrarum orbem* ista fuisse usurpata, id verò neq; ex Augustino, neque ex Dionysio probavisti. Immo, Dionysius ille (quisquis fuerit,) contrarium planè arguit. Nam, in ejus descriptione Missæ (ut vocatis) neq; *lumina* compârent, neq; *vestimenta*, neq; *crucis signacula*, neque omnes aliæ ceremoniæ: unde manifestum est non *per universum terrarum orbem* ista usurpata fuisse, quum ille Dionysius scriberet. *Thymiama* autem, utcunque in illam irrepserit Ecclesiam in qua ipse versatus est: ex [p] Tertulliani, [q] Arnobiiq; scriptis constat, illorum temporibus id Ecclesiam non usurpasse. Neq; est illud *incensandi* genus, de quo loquitur Dionysius, vestro magis affine: quàm (ut ostendi) *benedictiones* vestræ similes sunt illis Augustini. Nam [r] apud illum *semel* hoc circa Ecclesiam adhibetur. Atqui in vestra [s] solenni Missa, sæpius adhibetur, variisq; rebus; *cruci, reliquiis, imaginibus, candelabris, altari, parti ejus inferiori, superiorique, Sacerdotibus, libro, pani atq; vino, ter super calicem, & hostiam, & ter circum, altari, & Sacerdoti iterum iterúmq;, Choro, diacono, subdiacono, populo*; &c, in Missis pro defunctis *sa-*

[p] In Apolog. cap. 42.

[q] Adversus Gentes lib. 7.

[r] Dionys. Areop. hierarch. Eccles. c. 3.

[s] Tit. Ritus celebrandi Missam.

cramento etiam, elevationis tempore. Quare, si verba [t] Tridentinæ Synodi juxta praxin vestram expēdantur: eam quoq; omnem Dionysianam autoritatem, quæ favere vobis videtur, amittetis. Ille enim *thymiama*, singulari numero, habet. Missæ vestræ & Synodus, *thymiamata*, plurali. Quo verbo si voluerit Synodus omnes illas *incensationes*, quæ usurpantur inter Missandum, designare, quod voluisse est verisimile: tum neq; pro *Missali thymiamate* vestro quicquam facit Dionysius. Quanquam, quicquid demum faciat, pro ratione tua nequicquam facit: quum per *universum terrarum orbem* usurpatum fuisse non probet. Jam verò *lumina* illa, quę Jesuita vester apud [u] Augustinum invenit, multò minùs probant: siquidem *lumina*, quib⁹ illi utebantur, *luminaria noctis* appellat [x] Augustinus; quoniam iis noctu utebantur quū ad preces convenirēt, [y] quod solebant Christiani. Vestra verò *Missalia lumina* interdiu apponuntur, in ipsa solis luce; quod fortassis per *universū terrarum orbem* observatum est, sed ab [z] Ethnicis idololatris, non à Christi Ecclesia.

HARTVS. Immo, *luminaria etiam rutilante sole dum Evangelium recitatur, accensa fuisse*, testis est [a] Hieronymus; & ante Hieronymum meminit Præceptor ejus, [b] Nazianzenus; & ante utrumq; [c] Athanasius. Quare sine dubio antiquus ritus est, atq; etiam valde catholicus.

RAINOLDVS. Uti dicis: si idem tres isti contestentur Doctores, *Hieronymus Europæus, Asiaticus Nazianzenus, Athanasiúsq; Africanus*. Verùm qui id eos testari dicit, ipsos eum non legisse opinor.

HARTVS. Ego autem eum legisse opinor: sive potiùs certò scio. [d] Stapletonus enim hoc dicit in *comparatione* quam instituit, *Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ Missæ cum Protestantium cœna Dominica.* Ubi, ut istos in hanc rem Doctores citat: ita omnia probat, quę in Cœna vestra desiderantur & in Missa reperiuntur nostra, esse *Apostolica*.

RAINOLDVS. Probat verò? Immo promittit se probaturum ea esse *Apostolica*. Nam ne unum quidem revera probat: non unum omnium eorum, quibus Missa vestra à nostra cœna Dominica differt. Non magis quàm istud de *luminibus accensis rutilante sole*: in quo illorum nominibus egregiè abutitur, quos ad id probandum citat. Nam, *cerei tantùm Ecclesiæ* commemorantur apud [c] Athanasium: illos verò *interdiu accensos fuisse dum recitatur Evangelium*, ne verbum quidē ejusmodi apud ipsum exstat. *Luminaria* commemorat [d] Nazianzenus, quæ *in vigilia Paschatis accendebantur*: sed quæ, [*] *noctem luce sua illustrarent*, inquit, non diem.

HARTVS. An verò de *nocturnis solis luminaribus*, ac non de alio etiam istic loquitur?

RAINOLDVS. Etiam de alio quoq; *luminari* loquitur, sed illo spirituali. Ait enim *lucernam prævium clarissimum illud luminare sequi*.

HARTVS. Atq; hoc ipsum est, quod ceremoniam illam ostendit, qua de nos loquimur. Nam *solebant lucernas præferre Evangelio, dum recitabant*.

RAINOLDVS. Postea *solebant*. Nos autem de Nazianzeno agimus. Et ille quidem nihil minùs. Ille enim per [*luminare*] Christum denotabat, [e] *lucem mundi*: & per [[f] *lucernam*] Iohannem Baptistam, [g] qui *præivit Christo ut vias ejus pararet*. *Lucernam*, inquit, *præviam luminare illud clarissimum sequitur*; *&* [h] *vocem*, [i] *verbū*; *&* [*] *pronubum*, [k] *sponsus*. Hoccine illud argumenti quod ex Nazianzeno affert Stapletonus, ut *cerei interdiu accendantur*.

HARTVS. Mihi non constat de Nazianzeno. Sed sine dubio id Hieronymus contra Vigilantium attestatur.

[t] Sess. 22. c. 5.
[u] Confess. August. l. 3. c. 11. tit. a.
[x] De tempore. In Natali Dō. serm. 3.
[y] Act. 20. 8.
[z] Tertul. de idololatria.
[a] Contr. Vigilantium.
[b] Orat. in Pascha.
[c] In exhort. ad orthodoxos.
[d] Quæstion. quodlibet. 2.
[c] Epist. ad Orthodoxos in persequut.
[d] Orat. in sanctum Pascha.
[*] Τὴν νύκτα καταφωτίζοντες.
[e] Ioh. 8. 12.
[f] Ioh. 5. 35.
[g] Luc. 1. 76.
[h] Ioh. 1. v. 23.
[i] Ver. 1.
[*] τῷ νυμφαγωγῷ ὁ νυμφίος.
[k] Ioh. 3. 29.

RAINOLDVS. Atqui hæc tamen ipsa Hieronymi verba sunt in* illo libello: *Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus.* * Contra Vigilantium.

HARTVS. Verùm subjicit, *per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evãgelium, accendi luminaria, ad signum lætitiæ demonstrandum.*

RAINOLDVS. Sed neq; ista, quæ ab *Orientis Ecclesiis* recepta fuit cõsuetudo, eadem cum vestra fuit. Apud Illos enim, *quando legebatur Evangelium*, accendebãtur *luminaria*, & postea exstinguebantur: [l] qui vobis quoque aliquando ritus erat, & adhuc fortassis alicubi retinetis. Ceterùm communem illum ritum quem nunc recepistis, ut perpetuò *cerei*, tùm ante, tùm post Evangelium accendantur: Hieronymi temporibus non modò non Occidentis Ecclesiæ, sed neque *Orientis* illæ agnoscebant. Quanquam ut eum *Orientis* illæ amplexæ fuissent: tamen neque isto modo sequeretur (ex argumento tuo) *ab Apostolis fuisse institutum*, quoniam Occidentis Ecclesiæ non usurparent, ideóq; non omnes *per totum orbem terrarum*. Etsi ego nõ negem tamẽ, quin justa detur ratio quare ab Ecclesia vestra usurparetur. Etenim dicit [m] Tertullianus; *Accendant quotidie lucernas quibus lux nulla est; illis cõpetunt testimonia tenebrarum.*

l Ordo Rom. de divin. offic. cap. de officio Missæ. Durand. in Ration. divin. offic. lib. 4. cap. 24.

m De idololat. cap. 15.

HARTVS. Tertulliani verba afferas licet, ubi nobis *nullam esse lucem* probaveris: quod nunquam sanè probaveris.

RAINOLDVS. Opinor: quamdiu vobis cum [n] Pharisæis liceat dicere; *Num & nos cæci sumus?* Verùm, quoniam tam antiquæ fuerint Ecclesiæ, quæ, rutilante sole, lucernas accenderunt: ex iis speciem aliquam defensionis suæ *Missalia* vestra *luminaria* nanciscantur. Pro *vestimentis* verò vestris *Missalibus* nihil tanti comperiri potest. Et [o] illa tamen *Apostolicæ traditioni* ascribuntur.

n Ioh. 9. 40.

o Conc. Trid. Sess. 22. cap. 5.

HARTVS. Et verò dicit [p] Stapletonus, *si per singula nobis liberet discurrere, omnia primæ Ecclesiæ in usu fuisse comperturos.*

p Quæstion. quodlibet. 2.

RAINOLDVS. Forsan igitur nunquam *libebit*. Nam id certè nunquam *comperietis.*

HARTVS. Nunquam? Quamobrem dicis? Quum ipse comperierit, & sigillatim probet. Huc nempe pertinet *petalum*, seu *mitra Episcopalis.*

RAINOLDVS. *Mitra?* Illa, verò in *Missalibus* vestris *vestimentis* non est.

HARTVS. Etiamsi in illis non sit quibus inferiores Sacerdotes utuntur, est tamen *vestimentum*, quo utuntur Episcopi Missam celebrantes.

RAINOLDVS. *Quo Episcopi utuntur*. Video igitur in animo habere Doctorem vestrum, non tantùm *sex illa vestimenta*, omnibus Sacerdotibus communia, quibus perfecti esse arguuntur, quoniam *sexto die perfecit Deus cælum & terram*: sed & *novem* præterea *quibus illos superant Episcopi, quæ indicio sint spirituales ipsos esse, ut novem illos ordines Angelorũ*, sicut [q] Innocentius Papa & [r] Durandus Episcopus exponunt.

q Myster. Missæ lib. 1. cap. 10.

r In Ration. divin. offic. l. 3. cap. 1.

HARTVS. Si is utraq; probat, eò majori vobis est dedecori: qui neq; Sacerdotalibus *vestimentis*, neq; Episcopalibus utimini.

RAINOLDVS. Verùm utraq; illa conjunctim *vestimenta quindecim* conficiunt: quæ Episcopis omnia Missam celebrantibus sunt induenda, * ut *quindecim gradus virtutum* designent (*juxta quindecim cantica graduũ*,) quibus ornari debeat. Et quidem, fas dicere, æquè difficile probatu futurum est ullum primæ Ecclesiæ

* Vt, aiunt Innocentius & Durandus, in locis citatis.

Epiſcopum illis *quindecim veſtimentis* indutum fuiſſe: atque quemque Epiſcopū, qui illis in veſtra Eccleſia induitur, *quindecim gradibus virtutum* ornatum eſſe quos illa deſignant.

Hartus. Velis modò Stapletonum audire; majora is probavit, quàm quæ probentur tibi. Huc nempe pertinet *petalum*, ſeu *mitra Epiſcopalis*, quod Johannem Evangeliſtam geſtaſſe, autor eſt Polycrates Epheſi Epiſcopus apud [s] Euſebium. Huc *infulæ*, quarum meminit [t] Tertullianus. Huc *ſtola*, cujus meminit [u] Ambroſius, & [x] Concilium Bracarenſe & Toletanum. Huc *cappæ*, quas τριβῶνας vocat [y] Epiphanius. Huc Diaconi *alba*, ut eam vocat [z] Concilium Carthaginenſe: στιχάριον vocatur à [a] Chryſoſtomo. Huc *pallæ*, ſeu *aulæa*, quib⁹ *altare decoratur*, apud [b] Theodoretum. Huc *linteamina*, atque *velamina*, quibus *cooperta* olim, ut hodie, *altaria* fuiſſe, clarè meminit [c] Optatus. Huc etiam ἅγιος ποδήρης, *ſacrata talaris veſtis*, apud [d] Euſebium. Huc poſtremò pertinent *amictus*, *cingulum*, *caſula*, *manipularium*, *corporale*: quæ etiam ſuis nominibus Græci Patres, [e] Chryſoſtomus & Baſilius vocant, ὠμοφόριον, ζώνην, φαιλόνιον, τὰ λάζια, τὸ εἰλητὸν. Quæ omnia ſacra fuiſſe, & huic functioni dicata, iidem Patres teſtantur. Illuſtre eſt in [f] Theodoreti hiſtoria exemplum de thymelico quodam ſaltatore, qui emptam fortè *ſacram veſtem* in theatro geſtans, ſubitò exſpiravit. Similis ultionis divinæ exempla legere licet apud [g] Victorem & [h] Bedam. Conqueritur etiam graviſſimè [i] Optatus, utriſque antiquior, de ſpoliatis & profanatis *Eccleſiæ ornamentis* per Donatiſtas.

Rainoldus. Pulchra ſcilicet iſtic fabula narratur illis, quorum ſunt hebetiores oculi, nec poſſunt de coloribus dijudicare. Qui autem verba ab argumentis poſſunt internoſcere, ſentiunt nunquam fuiſſe minora majori cū oſtentatione dicta. Quod enim teſtimoniis evincendum erat, hoc eſt; *veſtimenta illa, quibus Epiſcopi & Sacerdotes dum Miſſam celebrant utuntur, omnia primæ Eccleſiæ in uſu fuiſſe.* Quæ de hoc Stapletonus verba habet, ita longè abſunt ut id probent, ut pleraque ne attingant quidem. Siquidem *cappæ*, quas [k] Epiphanium dicit vocare τριβῶνας, veſtes illæ ſunt quibus Scribæ & Pharisæi [*] utebantur, *Phylacteriis & fimbriis* exornatis. Non autem Scribæ & Pharisæi (opinor) Miſſam celebrabant. *Pallæ* illæ, ſive *aulæa altaris* apud [l] Theodoretum; [*] *velamina* ſunt. *Velamina* & *linteamina*, apud [m] Optatum, ornamenta ſunt *mēſæ Dominicæ*, qualibus nos quoq; utimur. Noſtráne etiam Communio Miſſa eſt?

Hartus. Ille verò *altare* appellat.

Rainoldus. Per quandam, ut [n] oſtendi, figuram. [*Altaris*] enim nomine, *menſam* ſignificat, quemadmodum ex iſtis ipſius verbis liquet: *Quis fidelium neſcit in peragendis myſteriis ipſa ligna linteamine cooperiri?* Hujus quoque generis *linteamen* eſt quod vocatur εἰλητὸν, quod tamen verbum non tantum denotat, quantum [o] *corporale* veſtrum: ſed ut denotare fingamus, hujus tamen generis *linteamen* eſt apud [p] ſuppoſititium Chryſoſtomum & Baſilium. Quod ad illa autem *exempla* attinet *ultionis divinæ in eos edita, qui profanè veſtimentis ſacro uſui dicatis abutebātur:* primū illud, apud [q] Theodoretum, non eſt de Miſſali *veſte*, ſed quali induebātur illi qui miniſterio *baptiſmatis* fungebantur, (quæ peculiaris quædam ceremonia fuit, qua vos ipſi non utimini:) ut omittam, fabulam illam de *thymelico ſaltatore* excogitatam fuiſſe ut Epiſcopus quidam in odium traheretur, cui, tāquam qui ipſam vēdidiſſet, malū intentabant. Secundum verò, apud [r] Victorem, ad *linteamina* pertinet, & *velamina altaris*, qualia ego apud Optatum eſſe docui. Tertium illud, [ſ] Bedæ, adjicitur ad ſupplendum numerum: nulla enim ejuſmodi apud illum hiſtoria.

[s] Lib. 3 c. 25.
[t] In lib. de monogamia.
[u] In orat. funeb. de obitu fratr. Satyr.
[x] Conc. Brac. 1. can. 32. & Tol. 4. can. 39.
[y] Hær. 15. & 16.
[z] Conc. Carthag. 4 can. 41
[a] In Liturg.
[b] Lib. 1. ca. 31.
[c] Lib. 6. cont. Parmenianū.
[d] Lib. 10. ca. 4.
[e] In Liturgiis ſuis.
[f] Lib. 2. ca. 27.
[g] De perſequut. Vandal. lib. 1.
[h] Hiſt. Angl. l. 1. cap. 29.
[i] Lib. 1. cōtra Parmenianū.
[k] Hæreſ. 15. & 16.
[*] Mat. 23. 5.
[l] Lib. 1. c. 21.
[*] παραπετάσματα.
[m] Lib. 6. contra Parmenianum.
[n] Suprà in hac ſectione pag. 325.
[o] Durand. in Ration. l. 4. ca. 29.
[p] In Liturgiis quæ ſub eorū nominibus eduntur.
[q] Lib. 2. c. 27.
[r] Perſequut. Vandal. l. 1.
[ſ] Hiſt. Anglic. lib. 1. cap. 29.

Deni-

Denique, illa *Ecclesiæ ornamenta*, quæ erepturos fuisse avaros refert [t] Optatus, ex *auro* erant & *argento*: *vasa* fortassis, & *crateres*, quibus [u] Hieronymus *multos* docet (quanquam id ut Judaicum redarguat & superstitiosum) *decorasse Ecclesias, templū in Judæa imitantes*. Sed sive *vasa* fuerint, nempe *patellæ poculáq;* quæ pani & vino in Communione deservirent, sive quævis alia instrumenta, aut gemmę: Optatus sanè neq; dicit, neq; videtur dicere, *Missalia* fuisse *vestimenta*. Restant adhuc *mitra, stola, alba, amictus, cingulum, casula, manipularium*. Quæ, primò, longè absunt à *quindenario* numero; atq; ita non omnia vestra *Missalia vestimenta* attingunt. Deinde, quædam eorum, non appâret vestris fuisse similia; aut potiùs non fuisse constat. Postremò, ut fuerint similia: unde tamen sequitur ab Apostolis provenisse? Quod ipsum est, quod & cupit & debet probare Stapletonus; aliàs;, valeat prorsus Tridentina Synodus.

t Lib. 1. contr. Parmenian.
u Epist. 2. ad Nepotian. De vita clericorū cap. 12.

HARTUS. Nónne *Episcopalis mitra* ab Apostolis manavit, quam Johannes Apostolus & Evangelista gestavit, quod videre licet apud [x] Eusebium?

x Hist. Eccl. l. 3 cap. 25.

RAINOLDUS. Polycrates, quem citat Eusebius, non *mitram* commemorat, sed πέταλον, hoc est, *tenuiculam bracteam*, qualis [y] illa *aureola bractea apposita è regione anterioris partis mitræ Aaronis Pontificis Judæorum, ut ita super frontem ejus esset*.

y Exod. 28. 36.

HARTUS. Atqui Polycrates per illam [*bracteam*,] *mitram* designabat, per quādam figuram sermonis, qua pars pro toto usurpatur.

RAINOLDUS. Quin potiùs, si ad *figuras* descendis, similius veri est Polycratem, quum dicit J*ohannem* (*1*) *Sacerdotem fuisse qui gestavit bracteam*, significasse (per quandam ad Mosaicam legem allusionem) illum ingressum esse quasi Sanctuarium cum quadam prærogativa, ipsáque mysteria Dei sibi * revelata accepisse. Quam etiam in sententiam propendere nonnihil videtur [z] Hieronymus: qui ista Polycratis de Johanne interpretatus, dicit, *Pontificem fuisse auream in fronte laminam portantem*. Si enim revera consuevisset *auream laminam in fronte* portare: profectò, quum diceret [a] Petrus, *Aurum & argentum non habeo*, *claudo* illi qui à Petro & ipso *eleemosynam petebat*; nunquam illa *lamina* ita texisset *frontem* ejus, quin erubuisset. Neque verò id nihil est, quòd Polycrates (*2*) *laminam* commemoraret, non autem *mitram*: quum [b] alii ex Judaicis Sacerdotibus (*3*) *mitras* induerent; *laminam* verò, nemo, præter Pontificem. Quanquam, si eo sensu acciperetur verbum quo tu acceptum velles, & *mitram* Johannes Aaronis more gestasset: non tamen exemplo ejus efficitur omnes *Apostolos*, nedum omnes *Episcopos* gestasse. Immo, quoniam id nominatim de Johanne solo observatur, contrarium potiùs efficit: quemadmodum, ubi legimus [c] J*ohannem Baptistam habuisse vestimentum suum è pilis camelorum, & zonam pelliceam*, colligimus omnes verbi præcones ejusmodi vestitu amictos non fuisse.

(1) ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορηκώς.
* Apoc. 1. 1.
z De Scriptor. Ecclesia. verb. Polycrates.
a Act. 3. 2.
(2) πέταλον, non μίτραν, aut κίδαριν.
b Exod. 28. 40.
(3) κιδάρεις.
c Mat. 3. 4.

HARTUS. *Infulæ* autem, (id est, *Sacerdotale capitis ornamentum*,) quarum meminit [d] Tertullianus, ipsis omnibus erant communes: & *mitra* quidē idem nobis esse videtur, quod illi *infulæ*.

RAIN. Fateor ornamētū illud, cujus meminit Tertullianus, propiùs ad *mitram* vestrā accedere: nec probat tamē. [e] *Infulæ* enim erant *mitræ*, quas *ethnici Sacerdotes*, ut nominatim (*4*) *Cereris*, & (*5*) *Apollinis*, solennibus temporibus gestabant. Ab ista ceremonia Tertullianus proverbialē loquutionē derivans, (juxta styli ejus ingenium,) ait de Christianis qui recusant haberi Sacerdotes, *ipsos* (*6*) *infulas deponere*.

d De monogā.
e Cic. in Verr. l. 4. Virg. Aen. l. 2.
(4) Sacerdotes Cereris cum infulis.
(5) Apollinis infula.
(6) Deponimus infulas.

Est quidem certè verisimile vestrorum Episcoporum *mitras* ab illo ethnico ritu ortas esse: etsi nonnihil à Judaica consuetudine trahant, ut rectè à [f] Wolfgango Lazio, amico vestro, observatum est. Sed neque verum est, neque tibi commodum defendere, *mitram* fuisse à Christianis Sacerdotibus gestatam, quam Tertullianus intellexit. Non tibi commodum defendere: ne evincatur ad omnes Sacerdotes eodem jure *mitram* pertinere, quo ad Episcopos; quod ipsi dogma, nunquam ut Catholicum sunt habituri. Non verum: quoniam Episcopales *mitræ* vestræ multis post Tertullianum seculis non sunt usurpatæ.

HARTUS. Non? Nónne scriptum habetur in [g] Constantiniana Donatione, quum *Sylvestro Pontifici offerret coronam ex auro et gemmis pretiosis, Pontificem repudiasse, & candidam tantùm mitram accepisse?*

RAINOLDUS. Quorsum mihi iterum de illo inepto narras commento? quod tamen primam *mitræ* originem facit Tertulliano recentiorem. Genuini verò annales & monumẽta vetustatis demonstrant, non longo pòst intervallo receptam esse. Siquidem [h] Amalarius Fortunatus, & [i] Rabanus Maurus, & [k] Walafridus Strabo, qui supra octingentos post Christum annos vixerunt, atque de *vestimentis* scripserunt quibus ipsorum temporibus usi sunt Episcopi, de *mitra* non verbum loquuntur. Et [l] Alcuinus ille, Caroli magni Præceptor, qui non multo illis senior vixit scripsitque, de Sacerdotalibus vestimentis agens, in iisque de *mitra* Judaicorum Sacerdotum: *Hujuscemodi* (inquit) *vestis non habetur in Romana Ecclesia, vel in nostris regionibus*. Porrò, [m] Ivo Carnotensis, qui circiter trecentos annos post Alcuinum floruit, ostendit suis temporibus ipsam adhuc non irrepsisse: &, disertis verbis *auream laminam* commemorans, asserit, *nullos novi Testamenti Sacerdotes eam induere*. Quare, primum illud & summum ex *Missalibus* vestris *indumentis* neque *lamina* illa Eusebiana, neque Tertulliani *mitra* confirmat. Proximum occurrit *stola*: cujus neutiquam documentum majus vobis suppeditatur ab [n] Ambrosio. Quod enim is commemorat, vel *mantile* aliquod erat, (uti quidem videatur,) *vel sudarium, in quo Satyrus frater fecit ligari sacramentum, & illud collo suo involvit*. Aut saltem, quum neq; Sacerdos esset Satyrus, neq; ex omni parte Christianus: quam probabilitatis speciem affers, quare *Missale* fuerit *vestimentum*?

HARTUS. *Orarium* illud vocat Ambrosius. *Orarium* autem à [o] Concilio Toletano eodem sensu accipitur, quo *stola*.

RAINOLDUS. Atqui si idcirco Ambrosius *stolam* intellexerit per *orarium*, quòd ita Concilium intellexerit: ergo apud [p] recentiores istarum rerum scriptores *stola vestis* sit *muliebris* oportet, quòd eo sensu apud [q] Isidorum reperiatur, qui propiùs ab illorum seculo aberat, quàm Ambrosius ab ætate Concilii. Ad istud autem Concilium quod attinet, & illud alterum Bracarense: non mirum si *stola* in iis habeatur.* Ea enim tempestate sunt hæc Concilia habita, quum ritus frequentes irreperent in religionem. Quanquam ne tum quidem *stola* bene confirmata fuerit in Missæ celebratione: uti licet ex recentiore [r] Bracarensi Concilio colligere. Sed, ut fuerit: argumentum tamen tuum deficit. Non enim tibi licebit arguere, quoniam de *stola Hispanicum Concilium* loquitur, idcirco illam ex *Apostolica traditione* accepisse Ecclesiam. Nisi etiam velis asserere, *rasos vertices* vestros magnos esse debere circulos juxta universi capitis circuitum deductos *ex Apostolica traditione*, non autem adeò pusillos circulos in ipso solo apice capitis, ut hodie fiunt: quoniam ab [f] *Hispanico Concilio* damnantur (*i*) *illi modici derasi cir-*

[f] Comment. Reip. Roman. lib. 1. c. 3.
[g] Dist. 96. c. Cõstantinus.
[h] De Eccl. offic. l. 2. c. 22.
[i] De institut. Clericorũ, l. 1. c. 14. & deinceps.
[k] De exord. & increment. rerum Eccl. c. 24.
[l] De divin. offic. cap. de singulis vestibus.
[m] Sermon. in Synod. de significat. indumentorũ Sacerd.
[n] In oration. funeb. de obit. fratr. Satyr.
[o] Concil. Tolet. 4. can. 39.
[p] Alcuin. de divin. offic. c. de vestibus. Amalar. de Eccle. offic. l. 2. c. 20.
[q] Etymolog. lib. 19. cap. 25.
* Supra sexcentos post Christum annos.
[r] Concil. Bracarens. 3. c. 2.
[f] Concil. Tolet. 4. cap. 40.
(i) *in solo capitis apice modicum circulum tondent.*

culi tanquam ritus hæreticorum, & *nulli nisi grandes* probantur. Hactenus de *Stola*. *Alba* consequitur; quam *Diaconorum alba*, in [t] Carthaginensi Synodo nominata, nequicquam juvat. Nam, etiamsi hoc vocabulo Synodus vestem candidam denotet, quasi superpelliceum, interdicto cavens *ne eâ Diaconi omni tempore quo divina celebrantur officia, induantur*: res ipsa tamen à *Missali alba* vestra quæ Sacerdotibus peculiaris est, discrepat, quod etiam [u] Canonistæ in idem Synodi Carthaginensis vocabulum docent. Quo quidem discrimine tollitur planè argumentum tuum, quod petis ex [x] Chrysostomo, de illa quoq; voce στιχάριον. Nam cujuscunque demum generis vestimentum istud fuerit: Diaconis commune fuit, non Sacerdotibus peculiare; ideóq; non *alba* vestra *Missalis*. Huc etiam *sacrata talaris vestis* (apud [y] Eusebium) referenda esset [z] ipsorum judicio, qui vestes Aaronicas cum vestris conferunt. Stapletonus autem, qui *sacratam* illam *vestem* apud Eusebium cōperit, alium pariter ejus sensum poterat ex verbis quæ sequuntur, comperisse. Is enim, cujus orationem refert Eusebius, narrat Episcopis, *ipsos* [*] *sacra talari tunica, cælestique gloriæ corona*, *& divino chrismate, & Sacerdotali sancti Spiritûs stola decoratos esse*. Ubi, ut *stola*, & *chrisma*, & *corona*, spiritualia dona significant, non autem corporea: ita *sacra vestis talaris* eam functionem denotat, quam [a] vestis illa repræsentabat atque adumbrabat in [b] Aarone.

Hartus. Nequaquam mihi persuades ita illum ad Aaronis *vestem* allusisse; quin eam revera intellexerit *vestem*, qua Christiani Episcopi utebantur.

Rainoldus. Et quid verò ex eo lucraris, si id tibi largiremur? Non enim ex ulla loci circumstantia efficere potes, *Missalem* esse *vestem* oportere. Omnis quæ usquam hujusmodi vestimenti species videatur, in postrema consistit probatione, quam ex Græcis instituis Patribus, Chrysostomo, & Basilio; seu potiùs, ex Liturgiis illis, quæ falsò eorum nominibus honestantur; seu potiùs, ex aliquibus exemplaribus illarum Liturgiarum, in quibus *amictus*, *cingulum*, *casula*, *& manipularium* commemorantur. Quanquam, si quis Græca verba, ex quibus ista excerpitis, excuteret, & inter se conferret *amictum* vestrum & eorum ὠμοφόριον; *capillare* vestrum, & eorum *humerale*; vestrum *unicum funiculum* aut *manipularium*, eorum plura λῶρα; vestram *casulam*, eorum φαιλόνιον: *cingulum* fortassis solitarium licturus esset ad argumentum tuum revinciendum. Et sine dubio, in eo quod maximè larvatum est, minimeque Christianos decet Pastores, id dico quo super ceteras vestes Sacerdos in Missa induitur, *casulam* vos dicitis (opinor) sive *vestem supremam*: Græca certè vox ostendit vos Græcis injuriam facere, qui eorum vestimentum cum vestro comparetis. Nam verbum illud (1) φαιλόνιον, quo eorum *superior vestis* denotatur, *pallium* significat: quo multùm usi sunt (tanquam simplici & facili,) Christiani olim, præcipuè Græci, quorum Episcopi inde illud, ut verisimile est, in solennibus ritibus exsequendis retinuerunt, quum aliàs eo minimè utebantur. Verùm vestra *vestis superior* ab illa longè abest simplicitate: neque illi vulgari vesti similis, sed *parvulæ casæ*, (unde *casula* dicta est,) Sacerdotem ab omni parte quasi mœnibus quibusdam concludens, recluso ipso in fastigio foramine unde caput exerat, tanquam ex tubo quodam vaporario unde fumus exsiliat.

Hartus. Judæorum Pontifici non dissimile fuit vestimentum.

Rainoldus. Non *casulari* vestræ *vesti* dissimile? Quod tandem illud *vestimentum*?

[t] Conc. Carthag. 4. can. 41

[u] Dist. 93. c. Diaconus in conventu. in glossa. Durād. in Ration. divin. offi. l. 3. c. 1

[x] In Liturg.

[y] Lib. 10. ca. 4.

[z] Amalar. de eccles. offic. l. 2. c. 18. Durand. in Ration. divin. offic. lib. 3. cap. 1.

[*] τὸν ἅγιον ποδήρη.

[a] ποδήρης. Exod. 28. v. 31.

[b] Vers. 35.

(1) Derivatur à φαιλόνης, (quo verbo Paulus utitur, 2. Tim. 4. 13.) quod idē est cū φαινόλης, & respondet Latino, *penula*.

[c] Tertull. lib. de pallio.

Hartus. Si non omni modo *supremæ vesti* nostræ simile, in eo tamen simile quòd vndiq; clausum esset, & in medio [d] foramen quoddā capiti ejus transmittendo destinatum. Quare nihil necesse fuit eum in modum istud vestimenti genus cavillari.

[d] Exod. 28. 32.

Rainoldus. Si verò *parvā casam* cavillæ loco habeas; non mea est cavilla, sed vestri [e] Doctoris, cujus ego solummodo * verba explico. Quin tu potiùs peccas, qui vestram *casularem laciniam* ab humano cerebro consutam, Sacerdotali *pallio* comparas, quod Divino mandato est contextum. Neq; tamen id tibi crimini verto, quòd *vestimentum* vestrum Judaico pro formę ratione conferas. Etiamsi enim variis in rebus differant: vestra tamen recepta sunt ad imitationem, & ad similitudinē Judaicorum composita. Quod planissimè prisci illi autores quos priùs nominavi, docent, Alcuinus, Amalarius, & Walafridus Strabo. Quorum [f] primus de vestibus agens Missalibus, ait *Ecclesiam eas recepisse ad instar Sacerdotum Mosaicæ legis.* [g] Proximus, *Pontificem nostrum* (quemque Episcopum intelligit,) *habere ipsas, ad normam Aaronis.* [h] Tertius, *per incrementa auctas esse. Nam primis*, inquit, *tēporibus communi indumento vestiti Missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur.* Atq; ita progreditur porrò particulatim edisserēs, quo modo *Stephanus*, & *Sylvester, aliiq; Pontifices, Præsulésq; pedetentim eas invexerint, & alii hāc, alii illam excogitârint, vel ad imitationem eorum quibus* Judaici *utebantur Sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expreßionem*. Denique, omnes isti liquidò ostendunt, *Missales* Episcoporum *vestes* illis temporibus (octingentis à Christo annis) octo tantùm numero fuisse: totidem prorsus quot Aaronis. Quarum priores septem (octava enim Archiepiscoporum solummodo fuit,) octo aliis adauctæ sunt, duplo jam plures & ampliùs, quàm erant priùs. Nónne verò istinc perspicis, Harte, quàm nequiter à Stapletono citentur Patres, quibus evincatur *Missalia vestimenta omnia primæ Ecclesiæ in usu fuisse?* Quàm falsò à Tridentina Synodo illa, nec illa solùm, sed & *lumina, thymiamata, crucis signacula, aliaque Missæ ceremoniæ traditioni Apostolicæ ascribantur?* An non verè à me dictum est, quòd, si non videas qua ratione Christianus Dei cultus in spiritu & veritate discrepet à Judaico, atque ita ei posset succedere; in causa quidem sit (utì probabile est) velamen illud Papismi, quod, introducto quodam cultu Judaico, illud oculis tuis eripit? Nónne enim constat, Judaicas [i] *umbras*, hoc est, obscura lineamenta Christi, tanquam picturæ cujusdam, (quæ ille adventu suo abolevit, quippe qui *imago* ipsa eorum & *corpus* sit,) iterum penicillo religionis vestræ pictorum deduci? Aut etiam non poterit is, qui vix quicquam cernit, cernere, vos variis externi officii apparatibus Judæos superare, & Aaronis Sacerdotium in carnalibus ritibus à tergo relinquere? Quorum maximam partem etsi mysticis quibusdam sensis fucetis, aut spiritualibus rebus, quas scilicet sensu alio dicuntur referre quàm olim Judæorum: tamen Ecclesiam novis [k] *rudimentis* more Judaico instituunt, eáque *servitute* premunt à qua ipsam Dominus liberavit. Quare, sive à Judæis ritus desumpti sint, sive secus: tamen nobis certè, quibus Deus ipsos non imposuit, [l] *hominum mandata sunt & doctrinæ*. Et nobis sanè jure licet idem de ipsis jam ortis dicere, quod de orituris dixit S. [m] Augustinus; *Quamvis inveniri non poßit quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem, quam paucißimis & manifestißimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt; ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjicerentur.*

[e] Durand. in Ration. divin. offic. l. 3. c. 7.
* *Casula* dicitur, quasi *parva casa*.
[f] Alcuin. de divin. offic. cap. De singulis vestibus.
[g] Amalar. de Eccle. offic. l. 2 c. 22.
[h] Walafrid. Strabo de exord. & incrementis rerum eccle. cap. 24.
[i] Heb. 10. 1. Col. 2. 17.
[k] Gal. 4. 3. & 5. 1.
[l] Coloss. 2. 22.
[m] Epist. 119. ad Ianua. c. 19.

Hartus.

HARTUS. Nostras ceremonias esse *umbras*, aut *rudimenta*, aut in *servitute* Ecclesiam ut olim Judaicas detinere, calumnia est. Illorum enim ceremoniæ erāt per quidem multæ, molestæ, & obscuræ: nostræ autem perpaucæ, faciles, & significantes. Quemadmodum ait S.[n] Augustinus, *posteaquam resurrectione Christi manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, ne eorum quidem signorum quibus erant Judæi, operatione gravi nos oneratos esse: sed quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipsum Dominum & Apostolicam tradidisse disciplinam.* Tu autem omnino nullas, ut mihi videris, velles ceremonias: aiebas enim *Divinum apud Christianos cultum merè esse spiritualem.*

RAINOLDUS. Hoc scilicet ego comparatè, habita *Judaici cultûs* ratione aiebam: aut Christus potiùs, non ego. Ipsius enim purissima verba sunt, [o] *Deum nunc quærere, qui ipsum spiritu adorent & veritate.* Quæ necessariò de *merè spirituali cultu* sunt accipienda: quum ea quæ statim subsequitur ratio, [p] *Deum spiritum esse*, arguat Judæos ipsum *spiritu* quoq; adorasse. Illud nihilominus comparatè, uti aiebam, dictum est. Etenim Christus ipse duas principales ceremonias instituit, quas *sacramenta* vocamus, [q] *Cœnam* ejus, & [r] *Baptismum*. Porrò [s] ipsi Ecclesiæ conventus, qui maximè necessaria nobis sunt subsidia, ut istum *spiritualem cultum* discamus & exerceamus, suum habeant oportet tempus, quando; locum, ubi; modum, quemadmodum, quæq; dirigenda sint [t] *decenter & ordine* in ritibus [u] *ad ædificandum* peridoneis. Atqui ista numero pauca sunt, aperta significatione. Adeò pauca, ut nulla sint si Judaicis comparentur; adeò aperta, ut luculenter Christum repræsentent, ac non umbræ sint obscuræ. Jam verò utrùm Papisticæ vestræ ceremoniæ hanc paucitatem, & evidentiam retinuerint——

HARTUS. Hoc tu fortassis, quòd *septem* nobis sint *sacramenta*, non tantùm *duo*. At Patres, ut nominatim Augustinus (quanquam à [x] vestris in contrariam sententiam adducatur,) alia commemorant *sacramenta* præter *Cœnam Dominicam* (quā vocatis) & *Baptismum*.

RAINOLDUS. At vestra *septem sacramenta* non commemorat Augustinus, quod ex ipsius liqueat [y] Confessione.

HARTUS. Plura nihilominus *duobus* vestris commemorat. Et verò cetera nostra ab aliis Patribus confirmantur. Inde [z] Synodus Tridentina decrevit *septē esse novæ legis sacramenta, non plura, non pauciora: illáq; omnia verè & propriè esse sacramenta.*

RAINOLDUS. [a] A Patribus plerumq; verbum illud [*sacramentum*] pro mysterio aut rei sacræ signo accipitur. Atq; ita ipsorum testimonio perinde *viginti septem sacramenta*, atq; *septem* possis confirmare. Quod sanè de S.[b] Augustino manifestum est, quem hîc maximè prætendis. Quemadmodum enim is *sacramēti* nomen ascribit [c] *matrimonio*, [d] *ordinationi Ministrorum*, [e] *manuum impositioni*, atque [f] *reconciliationi pœnitentium*: ita quoq; [g] *Paschati* idem ascribit, *dieiq; Dominicæ*, [h] *sanctificationi &* [i] *institutioni eorum qui in fide rudes sunt, pascendi, signandi, catechisandi, preces faciendi, hymnósq; canendi officiis*, atq; sic deinceps aliis sacris ritibus & actionibus. Quemadmodum autem nomen [*sacramenti*] angusta magis significatione accipiatur, ut visibilia designet signa à Christo instituta ad confirmationem & incrementum gratiæ in fidelibus, in quem [k] utrique sensum id [l] interpretamur, quum verba facimus de *sacramentis*: ita ille duo ista, ut præcipua, per quandam excellentiam [m] nominat; & [n] quum *ex Christi latere sanguis & aqua exiret*,

[m] De doctrina Christian. l. 3. c. 9. epist. 118. ad Ianuar. c. 1. [n] Ioh. 19. 34.

[n] De doctrina Christiana, l. 3. cap. 9.
[o] Ioh. 4. v. 23.
[p] V. 24.
[q] Luc. 22. 19.
[r] Mat. 28. 19.
[s] Act. 2. 42.
[t] 1. Cor. 14, v. 40.
[u] V. 26.
[x] Apolog. Eccles. Anglic.
[y] Confess. August. lib. 3. c. 1. sit. 5.
[z] Sess. 7. de sacram. in genere, can. 1.
[a] Tertul. advers. Iudæ. & contra Marcion. l. 5. Hilar. in Matt. can. 12. & 13. Leo epist. 10. 11. 12. 13. & passim.
[b] Epist. 5. ad Marcellin. De civit. Dei l. 10. cap. 5. Contr. advers. Leg. & Prophetarum lib. 2. cap. 9.
[c] August. de bono conjug. c. 18.
[d] Contr. epist. Parmenian. lib. 2. cap. 13.
[e] De baptism. contr. Donat. lib. 5. cap. 20.
[f] De adulter. conjug. cap. 26 & 28.
[g] Epist. 23. ad Bonifacium.
[h] De peccat. merit. & remission. lib. 2. cap. 26.
[i] De Symb. ad Catechum. l. 4. cap. 1.
[k] Conc. Trid. Sess. 7. in proæm. & de sacrament. in gen. can. 1.
[l] Articuli religion. Ecclesiæ Anglican. cap. de sacramentis.

Sect.4.

[o] *Hæc ſunt*, inquit, *gemina ſacramenta Eccleſiæ*; *ſanguinem* ſcilicet Cœnam Domini interpretans, *aquam* Baptiſmum. Quin etiam ipſi Scholæ Theologi, quibus primis autoribus accreverunt ad ſelectum numerum *ſeptenarium*, neq; plura, neque pauciora; (non enim apud quenquam Patrum reperies, aut quem demum cunque alium ante mille à Chriſto annos ſcriptorem:) ſed ipſi Scholæ Theologi, *ſeptem* illorum non omnia eſſe *ſacramenta* docuerunt, ſi *ſacramenti* nomen propriè & ſtrictè uſurpetur. Nam neq; *matrimonium* hoc modo in illo poterit cenſeri numero, ut rectè probat [p] Durandus: nec *confirmatio* (*Chriſma olei & balſami*,) ut [q] Bonaventura docet. Et deniq; coryphæus eorum [r] Alexander de Ales verbis diſertis aſſeverat, *ſola duo principalia ſacramenta eſſe, à Domino inſtituta per ſeipſum*: adeò ut (eo confitente) quemadmodum nos de *ſacramentis* loquamur, duo ſola remaneāt. Verùm, non volebam vos de *ſeptem* iſtis reprehendere. De omnibus veſtris ceremoniis loquutus ſum, quæ ſunt (fidenter dicam) ſeptuagies ſeptem. Quæ an ita paucæ ſint apertæq;, ſi conferantur Judaicis, atq; eſſe debere Chriſtianas ceremonias ego declaravi, & tu fateris: doctiſſimorum eſto judicium ex collatis ſacris veſtris libris, imprimíſq; [ſ] Ceremoniali, [t] Pontificali, atq; [u] Miſſali, cum [x] libris Moſis. Conjecturam etiam faciant indocti ex multitudine & inſolentia veſtimentorum quæ ſacrificiis dicantur: quorum tria [y] inferiores Judæorum Sacerdotes habebāt, ſex veſtri; ipſorum Pontifex octo, veſtri Epiſcopi, ut minimùm, quindecim, & quidam quoq; ſexdecim, præter illa quæ ſoli Pontifici, [z] Pontificiæ prærogativæ inſignia, aſſignantur. Atq; ita, ut linquamus hoc ipſis conſiderandum: tui ipſius confeſſio ſatis mihi ad inſtitutum meum de Malachiæ loco largitur. Si enim *ſpiritualis cultus* quo ſerviebant Deo Judæi, ſortitus ſit ceremonias numero plures, ſignificatione obſcuriores, quàm is qui apud Gētes exhibetur: proprium certè Gentium eſt iſtud paucioribus apertioribúſq; ceremoniis colēdi genus, poterátq; ſuccedere cultui Judæorum. Quare tertium & quartum Alani argumentum, quibus efficere cupit *oblationem* illam apud Malachiā ſignificare oportere externum Miſſæ ſacrificium non ſacrificia ſpiritualia, haud quicquam contra nos valent. Nihilo magis quàm ex altera parte adverſùm vos noſtra, ſi argueremus eandem ſpiritualem cultum denotare debere, non externas altaris oblationes, quòd iſtæ cum Judæis nobis ſint communes, illa verò Gentium ſit propria: & quòd iſtam Judaico Dei cultui ſuccedere oporteat, ejúſq; locum ſubire, non autem hoc poſſint ullæ externæ oblationes & ſacrificia, quippe quæ perpetuo cum ſpirituali Dei cultu conjungantur. An hæc tibi placerent argumenta?

HARTUS. Longè hæc illis Alani ſunt diſſimilia. Quintum autem argumentum rem extra omnem controverſiæ aleam ponit. Nam, (hæreticorum maximè judicio,) *noſtra opera ſunt inquinata, utcunq; ſpecioſa videantur*: ſed hæc *Prophetica oblatio per ſe munda eſt*, & ita per ſe munda præ veteribus hoſtiis, ut à nobis vel à peſſimis Sacerdotibus pollui omnino non poſſit. Hîc enim in Teſtamento noſtro non poſſunt ſibi ſeligere optima quæque, & Domino in ſacrificium donare lāguidum, claudum, debile, ſicut priùs in veteri: quum unica nunc ſit hoſtia ita conſtituta, ut commutari non queat; ita munda, ut nullo noſtro opere contaminari poſſit.

RAINOLDUS. Ergóne arbitraris, Harte, *Chriſtianorum opera* non poſſe eſſe Propheticam illam *oblationem*, quoniam *inquinata ſunt, utcunq; ſpecioſa videantur*? Verène iſtud arbitraris? Ergo cum *hæreticis*, ut appellatis nos, in præcipuo Chriſtianæ religionis capite (quod faxit Deus,) conſpiras. Si enim *noſtra ſunt inquinata opera, utcunq; ſpecioſa videantur, hæreticorum maximè judicio*: ex fide igitur

homi-

[o] Auguſtin. de Symb. ad Catechū. l.2. c.6.
[p] Durand. de S. Portian. in 4. ſentent. diſtinct. 26. quæſ. 3.
[q] In 4. ſentēt. diſt. 7. art. 1. quæſt. 2.
[r] Summ. Theolog. part. 4. quæſt. 5. memb. 1. art. 2 & memb. 3. art. 2.
[ſ] Sacrar. ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ libri tres.
[t] Pontificale Romanum in tres diſtinctū partes.
[u] Miſſale Romanum, in rubricis Miſſalis, ritibus celebrandi Miſſā, & defectibus circa Miſſam occurrentibus
[x] Exodus, Leviticus, & Numeri.
[y] Exod. 28. 40.
[z] Innocent. Myſterior. Miſſæ. lib. 1. c. 53. & l. 2. c. 7.

hominès, non ex operibus justificantur. Si *sunt opera nostra inquinata, utcunq; speciosa videantur*: ergo non adimplemus perfectè legem divinam, nedum supererogationis quicquam arrogare possumus. Si *sunt opera nostra inquinata, utcunq; speciosa videantur*: ergo promerentur mortem æternam, vitam autem æternam ut mereantur fieri nunquam potest.

HARTVS. Minimè verò: haud ego id volebam. Etsi enim *inquinata sunt*, quà à nobis sunt: quà tamen à Christo sunt, cujus in nobis operatur gratia, pura sunt atq; perfecta.

RAINOLDVS. Ergo quatenus per Christi gratiam fiant, ita possunt esse *oblatio*, qua de Propheta loquitur. Etenim *pura* atq; *perfecta* sūt, ideóq; opinione tuâ *munda*.

HARTVS. Atqui Prophetica *oblatio per se munda* est. Nostra non sunt munda per se opera, sed per Christum: ideóque esse illa *oblatio* non possunt.

RAINOLD. Jam igitur licet tibi Alani in istis fraudem dispicere. Ab ipso enim adjiciuntur verba illa [*per se*,] quibus suum accommodet argumentum: nihil Propheta ampliùs, quàm esse [a] *mundam oblationem*. Quamobrem quum sint mūda opera nostra & immaculata; Papistarum maximè judicio: poterant opera nostra per *oblationem* Propheticam denotari, utcunque impura per se sint & imperfecta. [a] Mal.1.11.

HARTVS. Quid? Ergóne arbitraris, Rainolde, *opera nostra*, licèt *per se immunda*, tamen *quatenus per Christi gratiam fiant, munda esse & immaculata*? Nónne vides igitur, ex altera parte te cum *Papistis*, ut appellatis nos, in præcipuo Catholicæ fidei capite conspirare? Si enim revera arbitreris *opera nostra munda esse, quatenus per gratiam fiant*: necessariò igitur arbitreris oportet ita nos adimplere legem posse, promereri vitam, & ex operibus justificari, non ex fide sola.

RAINOLDVS. Haud ego id volebam, Harte. Sed ut in proverbio est, *malo nodo malum cuneum esse quærendum*; commodum duxi somnium Pontificium cōmento Pontificio diffindere. Nam ceteroqui certè, non sum nescius, etiamsi per *Christi gratiam nostra fiant opera*: tamen humanam naturam & carnem in nobis esse qui ipsa facimus, ideóq; labem quandam eadem ferre impuritatis. *Gratiæ* acceptum referendum erat, quòd Israelitæ *sacra sua & donaria Deo consecrarent*. Nequaquam tamen istud eorum opus labis expers erat: adeò ut [b] *Aaroni fuerit in* [b] Exod.28.
fronte bractea ex auro puro gestanda, cui insculptum est, Sanctitas Jehovæ, (monumē- v.36.
tū Christi)[c] *ut auferret iniquitatem (1) rerum sacrarum quas consecraverint illi, om-* [c] V.38.
nium donorum rerum consecratarum ab illis; *& ipsam* jugiter *gestaret ut esset benevo-* (1)הקדשים
lentia erga illos coram Jehova. *Gratiæ* refertur, quod *sancti Dei Deo preces fundant*. [d] *Alius* tamen *ille Angelus, qui stetit ante aram, habens thuribulum aureum, multos habuit sibi datos suffitus, (2) ut illos inderet precibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum: & ascendit fumus suffituum; qui indebantur precibus è manu, Angeli ad conspectum Dei.* Quod quidem indicio est suam esse *precibus Sanctorum* infirmitatem: neq; ullum fragrantem odorem Deo, absq; favore in Christo emittere. [d] Apoc.8.3. (2) ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων.

Ne sim longior, in cunctis demum gratiosis bonisq; mortalium operibus, *in nobis* [e] *Deus efficit & ut velimus, & ut efficiamus*. Verùm [f] ita *nobis malum* [e] Phil.2.13.
adjacet, ut [g] *quod velimus facere bonum, non possimus*: *velimus* quidem, per Dei gra- [f] Rom.7.v.21.
tiam; per nostram autem infirmitatem, *non possimus*. Etiam, quando *boni* aliquid [g] V.18.
facimus, velle potiùs videmur, quàm *facere*; tam longè absumus ut perfectè *bonum* faciamus. Officii enim nostri est, [h] *Deum ex toto corde nostro diligere, & ex tota anima nostra, & ex totis viribus nostris, & ex tota cogitatione nostra*; *& proximum no-* [h] Luc.10.27.

strum

[i] Gal.5.17. [k] Rom.7.v.23. [l] Vers.23. *strum, ut nosmet ipsos.* Ceterùm quamdiu [i] *caro concupiscit adversus spiritum*, & [k] *lex in membris nostris est rebellans legi mentis nostræ*; quod ipsum sanè nobis, donec in [l] *hoc corpore mortis* erimus, futurum est: Deum non *ex toto corde nostro*, *anima*, *viribus*, *cogitatione diligimus*, sed ex parte; ideóq; minùs, quàm debemus. Quicquid autem minùs fuerit, quàm esse debeat, in vitio est: siquidem [m] mandatum ejus violat. [m] Deut.4.2.& 12.32. Quare quum nostra exsequenda sint opera ex perfecto Dei & hominum amore, iste autem perfectus amor nobis in hac vita denegetur: ex eo consequens est, opera nostra in hac vita esse vitiosa; etiam, licèt per *Christi gratiam fiant*. Quòd non eò dico, quasi gratiæ ejus ulla labecula aspergeretur, (absit,) sed quòd nos ipsi, in quibus operatur illa, corrupti simus; quemadmodum aqua, à liquidissimo quãtumvis fonte scaturiens, tamen, si per cœnosam cloacam decurrit, cœno inficitur. Proinde neq; *legem* in ullo *opere* nostro *adimplemus*, multò minùs in omnibus, quod ipsi faciant oportet, qui illam *adimplere* constituerint; [n] *quisquis* enim *in uno offẽderit, omnibus tenetur*: neq; quicquam à Deo *promereri* possumus, multo minùs vitam æternam; [o] nullas enim ille nobis grates debet, [p] licèt *omnia faceremus quæ præcepta sunt nobis*, quoniam *facere deberemus*; & quod tandem nostrum meritum, qui omnia non facimus? neq; ullo modo possumus ex operibus justificari coram tribunali Dei; [q] *exsecrabilis* enim *quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*, & [r] *in multis labimur omnes*.

[n] Iacob. 2.10. [o] Luc.17.v.9. [p] Ver.10. [q] Gal.3.10. [r] Iac.3.2.

Hartus. Verùm enimverò, si *omnia opera nostra cœno infecta* sint, ut ais, & *impuritatis labe contaminata*: multo igitur certius est *mundam oblationem*, cujus Propheta meminit, non posse ista denotare. Illic enim Judaicos Sacerdotes reprehendit Dominus, quòd [s] *immundum panem offerrent*, & *cæcum, claudum, & ægrotum sacrificarent*. Quare quum contrà asserat *oblationem* à Gentibus faciendam, *mundam* fore *oblationem*: ex eo consequitur, non intellexisse ipsum spiritualia sacrificia, hoc est, Christianorum opera; quid igitur aliud, nisi externum Missæ sacrificium?

[s] Malac.1.7.

Rainoldus. Equidem, si *munda infecta impuritate* eadem prorsus sint quæ *immunda*: jure existimares spiritualia nostra sacrificia accipi non potuisse, non magis quàm illorum Judaicorum Sacerdotum carnalia. Ceterùm, unicum illud sacrificium quod perfectè *mundum* est, & cui nulla omnino sit aspersa macula, [t] *Christus* est, *immaculatus* ille *& incontaminatus agnus*, [u] *oblatus* in cruce *ut nos sanguine suo sanctificaret*. Sunt sanè munda fidelium sacrificia, sed imperfectè: ideóq; favore ejus pariter, atq; venia indigent, (quod ostendi,) ut [x] *accepta Deo* sint *per Jesum Christum*. Impiorum autem, & hypocritarum sacrificia, *immunda* sunt: quippe quæ aut illicita sint, qualia [y] *cæca, clauda*, & *ægrota* apud Judæos; aut illicito modo oblata, ab iis quibus [z] *mentes & conscientiæ sunt contaminatæ*. Quare Judaicorum illorum Sacerdotum *sacrificia*, quæ Deus reprehendit, ab omni parte erant *immũda*. Nostra spiritualia sacrificia ex parte quadam *munda*: *munda* ex comparatione, & *mũda* ex acceptatione. *Munda*, ex comparatione, & ratione hominum habita: sicut Habakuk querens [a] *impium absorbere justum*, ait, * *justiorem seipso absorbere*; ubi *justum* non ut simpliciter *justum* laudat, sed quatenus cum improbo comparetur. *Munda*, ex acceptatione in conspectu Dei: qui se ut pium & amantem patrem suis filiis præbens, in optimam partem accipit quod libenter faciunt, etsi faciant id imbecilliùs. Quemadmodum enim Judæorum [b] *accepit* sacrificia, quum ex optimis suis & integerrimis offerebant: ita quum ei [c] *Gentes adducebantur muneri, quo modo offerunt Israelitæ munus instrumento mundo*, [d] *oblatio earum ipsi accepta fuit*. Atq; hoc pacto spiritualia illa Christianorum sacrificia per *mundam* illam *oblationem* de-

[t] 1.Pet.1.19.& 2.22. [u] Heb.9.25.& 13.12. [x] 1.Pet.2.5. [y] Lev.22.22. [z] Tit.1.15. [a] Hab.1.13. * צדיק ממנו [b] Lev.22.20. [c] Esai.66.20. [d] Rom.15.16.

ſignari poterant, de qua loquutus eſt apud Malachiam Dominus, *fore ut in omni loco ipſi offeratur*. Cui illa conſonat Scriptura, quæ nobis præcipit [e] *ut in omni loco precemur, puras manus attollentes abſq; ira & diſceptatione*. Quamvis enim neq; preces noſtræ adeò ferventes ſint & integræ, neq; ita *puræ manus*, & ab impuritate mundi illibatæ, neq; ita amore proximi confirmatæ mentes, neq; fides ita conſtans, ſtabiliſq; erga Deum, quin reliquiis impuritatis maculentur, & ad minorem quàm oporteret, adſpirârint perfectionem: omnia nihilominus *munda* ſunt, ſi ad illorum hypocritarum Judaicorum [f] *ſacrificia* comparentur, quæ apud Prophetam Deus ut [g] *immunda* rejicit; proindéq;, quamvis [h] recuſet illorum *accipere* ſacrificia, *accepturum* tamen ſe noſtra [i] pollicetur, eáq; ipſi [k] *accepta* eſſe demonſtrat. Non eſt igitur aliquis apud Malachiam locus in quo Miſſa quinto Alani freta argumento pedem ponat. Jam verò ſextum atq; ultimum, quo concludit, ut quaſi in poſſeſſione tandem illius *mundæ oblationis* Malachianæ Miſſam ſecuram collocet: eandem prorſus poſſeſſione pellit, ejicitq; argumenta illa quæ ad eam adduxerat confirmandam. Patres enim de [l] *ſpiritualibus* noſtris *ſacrificiis* exponunt, de [m] *precibus*, de [n] *gratiarum actionibus*, de [o] *ſanctitate*, de [p] *bonis operibus*, de [q] *contritis cordibus*, de [r] *purgatis mentibus, corporibúſq; ſanctificatis*, de [ſ] *oblatis donariis* in Eccleſiaſticis Chriſtianorum conventibus, & de [t] *univerſo cultu quo illum ſpiritu adoramus & veritate*. Ibi verò dicere, *Miſſæ ſacrificium eos per precum ſacrificium, ſacrificiúmq; ſpirituale ſignificare*, quod dicit ille; *ideóq; ita ab ipſis vocari quia* * *victima hic exſiſtens, non habet craſſam, carnalem, cruentámq; conſecrationem aut immolationem, ſicut habebant victimæ Judaicæ*: omnino craſſum & carnale eſt. *Victima* enim, quam illi intelligunt, & de qua loquuntur, vel [u] *nos ipſi ſumus, fide purificati*; vel [x] *fructus noſtri, accepti ut puri à purificatis hominibus profluentes*: ac non Chriſtus, mactatus, & Deo Patri ſuo immolatus, quæ Miſſalis veſtra victima eſt, per ſe *pura, alióſq; purificans*, ut vos opinione veſtra effingitis. Quinimmo, quum ipſius [y] Alani verba largiantur, Auguſtinum, *de ſacrificio laudis* eam exponêtem, Miſſæ ſacrificium non denotare: [z] expendatur ille Auguſtinianus locus unà cũ reliquis [a] ejus [b] aliorúmq; Patrum ſententiis, & reperietur profectò Malachiam Miſſam non attingere eorum judicio, idem Alano ipſo confitente. Illa igitur ſex argumenta quæ adornat, ut *validá, & planè bona*, ad hoc probandum, nihilo quidem meliùs probant ex Prophetis in Teſtamento veteri, quàm nuda ipſius verba ex Apoſtolis in novo. Non eſt quidem certè una literula in univerſis Dei codicibus, quæ huic inſerviat. Quod fortaſſis etiam ipſe ſenſit aliquando, poſtquam illam de Miſſæ ſacrificio commentationem edidiſſet. In ſua enim, quam pro Anglicanis Seminariis ſcripſit Apologia, (ubi veriſimile eſt ipſum firmiſſimum, quod potuit, in hâc rem adhibiturum fuiſſe argumentum, quo Miſſales Sacerdotes, & Miſſalium Seminaria Sacerdotum defenderet,) non Scripturas ille, ſed Patres tantùm [c] affert. Et verò niſi ſe à Scripturis derelictum eſſe perſentiſceret, quamobrem hoc faceret, cauſæ nihil video: quum præſertim habeat compertum, ipſos, quorum inprimis gratiam benevolentiámq; Miſſalibus Sacerdotibus & Miſſæ enititur Apologiæ ſuæ operâ conciliare, majorem quinque Dei verbis fidem quàm humanorum verborum myriadi adhibere.

HARTUS. Multùm verò tua te fallit de Alano opinio, ſi quicquam à priori ſuo de hac re judicio ipſum diſceſſiſſe putas. Ceterum in Apologia ſua *Patres* tàtùm

[e] 1. Tim. 2. 8.
[f] Mal. 1. v. 8. & 13.
[g] V. 7. & 12.
[h] V. 10. & 13.
[i] Mal. 3. 4.
[k] Rom. 12. 1. Philipp. 4. 18. Heb. 13. 16.
[l] Tertul. adverſ. Judæos.
[m] Contr. Marcion. l. 3. & 4.
[n] Auguſt. cōt. adverſ. Leg. l. 1. c. 18. & contr. lit. Petil. l. 2. c. 86.
[o] Hieron. in Zachar. cap. 8
[p] Euſeb. demonſt. Evang. l. 1.
[q] Tertull. adverſ. Judæos.
[r] Euſeb. demonſt. Evang. lib. 1.
[ſ] Iren. l. 4. c. 32 33 & 34. Juſt. Mart. in Tryphon.
[t] Theodoret. in Malach. c. 1. Cyril. de adorat. in ſpirit. & verit.
* *Victima* vivum animal eſt mactatum ad ſacrificium faciendum. Quod verbũ ille accommodat ad Miſſæ ſacrificium, quia Chriſtũ ibidem mactatum & immolatum eſſe Deo Patri ejus profitetur. Alan. de Euch. ſacrif. c. 11. *verè mactatur ac immolatur.*
[u] Euſeb. demonſt. Evang. lib. 1.
[x] Iren. lib. 4. cap. 34. Tertul. contr. Marcion. lib. 4.
[y] Nam de Auguſtino is ita loquitur, *Licèt libro ſecundo contra literas* Petiliani *de ſacrificio laudis exponat.*
[z] Contr. lit. Petiliani l. 2. c. 86.
[a] Contr. adverſ. leg. lib. 1. c. 18. & 20.
[b] Chryſoſt. contr. Judæos, orat. 2. Hieron. in Malach. cap. 1 Cyprian. l. 1. c. 16. contr. Judæos, aliíq; citati.
[c] Apolog. pro Anglic. Sem. cap. 6.

tùm affert, non *Scripturas*, quoniam sunt quidam vobis *spiritualium sacrificiorum* fuci quibus eludatis Scripturas. Patres autem ita eludere non potestis. Omnes enim illi Missales erant Sacerdotes, & Missam celebrabant.

RAINOLDVS. Quis unus tandem ex illis? Si revera quidem de *Missa* loquare, ac non nugeris, ut Alanus: qui ipsos Apostolos *Missales Sacerdotes* fingit, quòd *corpus & sanguinem Christi consecrarent, & offerrent.* Nam si ad [d] modũ Apostolicum *consecrare & offerre*, idem sit quod *Missam celebrare:* nos igitur in Communione nostra *Missam celebramus*, & Ministri nostri *Missales* sunt *Sacerdotes:* quod (opinor) non dicis.

[d] 1. Cor. 10. 16 & 11. 24.

HARTVS. Dico *omnes Patres*, quemadmodum nos, *Missam celebrasse*; & quemadmodum nos, *Missales* fuisse *Sacerdotes.* Quod ille quoq; dicit, & de plerisque eorum evincit. Siquidem ejusmodi fuit S. Ambrosius, [e] qui de seipso testatur se *obtulisse sacrificium, & * said Masse*, his ipsis verbis.

[e] Lib. 5. ep. 33.
* Latinè, *Missam dixisse.*

RAINOLDVS. His ipsis verbis? Non est Anglicè, credo, loquutus S. Ambrosius.

HARTVS. Non. Verùm Latinè ait, *Missam facere.*

RAINOLDVS. Non est illud, *to say Masse*, sed *to doe Masse*, sive potiùs *dimittere.* [f] Suetonianum illud, * *missam fecit*, perinde *Missam* evicerit. Quod non ausim dicere ipsum fortassis postea sensisse, ne ex te rursus audiam, *meam me multùm fallere de illo opinionem.* Sed in [g] Apologia ejus ex Anglicano in Latinum versa, Ambrosianum, [*missam facere,*] immutatũ est, ejusdémq; loco supponitur, [*Missam dixisse.*] Atq; ita sanè verba magis apta sunt, quibus efficiatur ipsum *Missam celebrasse.*

[f] In Caligula c. 25.
* Paulinam cõjunxit sibi, breviq; missam fecit.
[g] Concertat. Eccles. Cathol in Angl. adver. Calvinop. & Purit.

HARTVS. *Dixisse*, sive *facere:* non in eo cardo rei vertitur, sed in voce, *Missa.* Unde quum Anglicanum nomen, *Masse*, derivetur: consequitur Ambrosium *Missam celebrasse*, hoc est, * *did say Masse*, ut nos loquimur.

* *Missam dixisse.*

RAINOLDVS. Iterúmne moneam te oportet, * *idiot*, ab *idiota* manare? Túne verò dixeris omnes simplices, *idiotas*, qui Missam audiunt, esse * *idiots*?

* Fatuum, anglicè vocamus *Idiot.*
* Fatuos.

HARTVS. Ridiculum hoc sanè: non licebit tibi hoc pacto rationem meam rejicere. Nomen enim rei naturam aperit, ut ostendit [h] Aristoteles. Quum igitur nomen *Missæ* apud Ambrosium exstet: quî inficiari possis rem ipsam, hoc est, *Missam* ipsam illum celebrasse, quemadmodum nos solemus, quos *Missales Sacerdotes* appellatis?

[h] De interp.

RAINOLDVS. Ergóne seriò arbitraris Paulum *corporis & sanguinis Christi Communionem* celebrasse, quemadmodum nos solemus, qui Ministri appellamur?

HARTVS. Quemadmodum vos soletis? Quis hoc dicit?

RAINOLDVS. Tu: si ratio tua quicquam valeat. *Nomen* enim *naturam rei aperit*, ut ostendit Aristoteles. Quum igitur nomen *Communionis* apud [i] Paulum exstet: quî inficiari possis rem ipsam, hoc est, *Communionem ipsam* illum celebrasse quemadmodum nos solemus, qui *Ministri* appellamur?

[i] 1. Cor. 10. 16.

HARTVS. Quidni possim? Etiamsi enim nomen cum Paulo retineatis: rem tamen non retinetis. Ita [k] præstigiatores dicuntur *Magi*, quemadmodum [l] *Sapientes illi Orientis:* est tamen eorum impia sapientia, non qualis illa *Sapientum Orientis.*

[k] Act. 8. 9. & 13. 6.
[l] Mat. 2. 1.

RAINOLDVS. Falsum hoc est, Harte, quatenus id ad nostram accomodes *Communionem.* Nam ut *nomen*, ita significatum quoq; *nominis retinemus*; adeóq; *rem* ipsam cum B. Paulo. Referatur modò ad *Missam* vestram; & verissimum simul

reperietur. Ambrosii enim ætate, populus Christianus, quum preces publicas in multis Ecclesiis assiduè celebrabat, [m] recipiebat pariter sanctum Christi corporis, & sanguinis sacramentum. Quum autē plures interessent aliis divini officii partibus, quibus minimè erat licitum sacramentum recipere, ut (1) novitii in fide qui adhuc sacro lavacro non intingebantur, (2) aliique quibus disciplina Ecclesiæ Communione interdixerat: ideo sanè consueverunt (post preces factas, & lectas tractatásque Scripturas,) ceteros [n] missos facere, quibus negatum est Cœnæ participes esse; fidelibus solis manentibus, qui communicarent. Atque hæc quidem illos dimittendi ratio denotata est per vocem, [o] *missa*, [*] usurpatam pro *missione*, hoc est, *amandatione*, aut *discedendi factâ potestate*. Unde factum est, ut ipsum nomen *Missæ* huic parti divini officii sit delatum; & illi *Missam facere* dicerentur, qui Communionem ut Ambrosius, celebrabant. Quare etiam si sacrificium vestrum *nomē Missæ* retineat, quo usus est Ambrosius: *rem* tamen eo designatam *nomine* non retinet. Neq; enim eos *missos facitis, qui sacrosancta Cœnæ non sunt participes*: & sæpiùs quidem *Missa* celebratur, ubi nulli adsint *Communicantes*.

HARTUS. At optamus quidem (quod significavit [p] Tridentina Synodus,) ut in *Missis fideles adstantes communicarent*. Quare si minùs id faciant: ipsorum vitio factum est, non nostro.

RAINOLDUS. Atqui vestro vitio fit, quòd eos non *amandetis à Communione*, qui *non communicant*. Et verò in eo discedit Synodus vestra ab Ambrosio, aliisque priscis Patribus, quòd iis, *qui non communicant*, *adstandi* veniam permittat. Primæ enim Ecclesiæ, etiam, Gregorii temporibus, (qui, quòd *Missam* [q] nominet, *Missificantis* quoque *Sacerdotis* nomine à Doctore vestro salutatur,) moris erat ut [r] Diaconus eos [*] cedere loco juberet, qui *non communicabant*. Quando igitur illi *Communionem, Missæ* nomine significarent, eámque ideo sic appellarent, quòd inde *missos facerent non communicantes*: vos, qui idem non facitis, videatis licèt quàm ineptum argumentum pro *Missa*, & *Missantibus Sacrificis Alanus* texat, quum edisserit Ambrosium, Gregorium, [s] Leonémque *nomen* illud usurpasse. Quo quidem nihil re ipsâ magis ipsi adversari potest. Nam si nomen naturam rei aperiat, ut ostendit Aristoteles: non igitur vestra *Missa*, Patrum *Missa est*, quum non sit *missa*, hoc est, *missio, ablegatio* nempe atque *amandatio eorum qui non communicant*.

HARTUS. Non est verò *nomen* solùm *Missæ*, quo nititur, sed res ipsa. *Quem enim* (inquit) *latet*, [t] *Gregorium magnum missificantem Sacerdotem fuisse, qui putissimum verbum, modum, ipsasque partes ejus ita disertè in Epistolis suis habeat: qui omnem sacram supellectilem & ornamenta, in ejus usum, Beato nostro* [u] *miserit Apostolo?*

RAINOLDUS. Quid? *Divóne Paulo*, [x] *Gentium Apostolo?*

HARTUS. Divo Augustino, inquam, Anglorum *Apostolo*.

RAIN. Neminem ego ejusmodi agnosco *Apostolum*; si talem intelligis, quales *dederit* [y] *Christus Apostolos*: quemadmodum certè illorum majestas verborum [*Beato nostro Apostolo*] subinnuerit. Sed *ornamenta* illa, & *supellex* quæ ad

die, quàm tunc in una Ecclesia, Missæ celebrarentur: an non erant Missificantes Sacerdotes, qui Missam celebrabant? inquit Alanus in Apologia sua Anglicana. Quorum verborum postrema ita in eâdem Latinè versâ leguntur; *Num fortè erant Sacerdotes Missificantes?* Erratum in Latina, sed cum majori veritate tamen quàm Anglicana, cui feliciter contradicit. *Missæ* enim, de quibus Leo, *Communiones* erant, celebratæ per *Ministros: à quibus populus sacramentum corporis pariter & sanguinis Christi accipiebat*; quod non accipit à *Missificantibus Sacerdotibus*. Leo Sermon. 4. de Quadragesima. [t] Greg. lib. 2. epist. 9. & 93. lib. 7. epist. 63. ind. 2. lib. 11. epist. 56. Ad 3. interrog. August. [u] Bed. hist. lib. 1. cap. 29. [x] Rom. 11. 13. [y] Eph. 4. 11. 1. Cor. 9. 1. Gal. 1. 1.

[m] Ambr. de sacram. lib. 4. ca. 6. & lib. 5. cap. 4. Hieron. epist ad Lucin. & Apolog. ad Pammach. pro libris contra Iovinianum.
(1) *Catechumeni*. In Liturg. Basil. & Chrysost.
(2) *Abstenti*. Cyprian. de oratio. Dominic.
[n] Concil. Carthag. 4 can. 84 *usq; ad missam catechumenorum*. August. sermo. de tempore 237. *Ecce post sermonē fit Missa catechumenis: manebūt fideles.*
[o] Isidor. orig. lib. 6 cap. 18.
[*] Quemadmodum vox, *remissa*, usurpatur pro *remissione*. Tertull. contra Marcion. lib. 4. Cyprian. de bono patient. Aug. de bapt. cont. Donatist. lib. 3. cap. 18.
[p] Sess. 22. c. 6.
[q] Regist. l. 2. ep 9. & 93. Ad 3. interrogat. August.
[r] Gregor. Dialog. lib. 2. c. 23
[*] *Si quis non cōmunicat, det locum, &c. Non communicantes ab ecclesia exibant.*
[s] *Quum Leo magnus (ep. 81. cap. 2.) providerēt ut plures in*

Auguſtinum Monachum miſit Gregorius, minimè erant Miſſalia veſtimenta: non magis, quàm *vaſa* illa, & *velamina* (quorum prius ex Optato, & aliis antiquis Patribus memineras,) quæ Communioni inſerviebant: Quod autem ad *modum* illum & *partes Miſſæ* attinet, quæ in *Epiſtolis tam diſertè* eum *habere* affirmas: omne utique quod habet, hoc eſt; [z] *dictum videlicet fuiſſe, Halleluja*; &, *Clero dicente, Kyrie eleeſon; populum iiſdem verbis reſpondiſſe*; &, *Chriſte eleeſon ſimiliter dictum eſſe; & orationem* Dominicam, *cum oratione* (*quæ Canon appellata eſt,*) *pronunciatam eſſe ſuper oblationem*; &, [a] *poſt conſecrationem miniſtratam fuiſſe Communionem*. Confer nunc *modum* & *partes Miſſæ* veſtrę cum his Gregorii: & perinde ſcilicet ſimiles apparebunt, atq; homini * ſimia. Nam externo quidē geſtu, & oris corporiſque habitu, hoc eſt, actionum ſpecie, & verborum precúmque formâ, veſtra Miſſa Gregorianam refert. Verùm anima, & ratio quaſi ejuſdem, quod eſt, populum unà cum Paſtore conjunctim *oraſſe*, nec *oraſſe* modò conjunctim, ſed etiam *communicaſſe*: deſunt iſta *Miſſæ* veſtræ.

HARTUS. *Orant* verò, *communicántq;* affectu pariter, etſi non perpetuò *Communionem* corporaliter participent, neq; *preces* intelligant.

RAINOLDUS. Atqui, *communicare*, [b] *edere* eſt *&* [c] *bibere*; quod fecit populus Gregorii temporibus: atque etiam intellexit *preces* recitatas, ut poſſet *Amen* ad eas [d] *dicere*. Nunc verò jus populi in altero, Sacerdos; in altero, Clericus deglutivit.

HARTUS. Verùm *Canonem Miſſæ*, quæ præcipua pars eſt, nos quoq; habem' eundē cū Gregorio. Atq; in eo, [e] adorationē Sanctorū, & orationes pro defunctis: quarū ne umbra quidē omnino ulla eſt in Communione veſtra, neq; à vobis ferri poſſunt. Quo magis es tùm illi, tùm nobis injurius, quum perinde loquare quaſi illud *imitaremini*, quod ille *obſervavit*; quúmq; aſſeras *Miſſam noſtrā non magis Gregorianā, quàm homini ſimiam eſſe ſimilem*.

RAINOLDUS. Illum in eo nos *imitamur*, in quo ipſe *Chriſtum*, & [f] *imitatores Chriſti* eſt *imitatus*.[g] Ipſe teſtis eſt, (1) *Apoſtolos neq; iſtum uſurpaſſe Canonem, neq;* (2) *compoſuiſſe*, ſed *Scholaſticum* neſcio quem. Quare, etiamſi *Scholaſticus* offerat (3) *merita & preces Sanctorum* in conſpectu Dei, *opem* horum gratiâ implorans; orétque *pro fidelibus, qui in Chriſto requieſcunt, ut locum habeant refrigerii, lucis, & pacis*: tamen quoniam à [h] *Magiſtro* noſtro docemur, [i] ipſum ſolum *omnem juſtitiā operatum eſſe*, [k] ut gratiam per ejus *merita* & *interceſſionem* obtineamus; atq; etiā ab eo diſcimus [l] *mortuos qui in ipſo moriuntur, beatos eſſe, & requieſcere à laboribus ſuis in* [m] *luce*, [n] *pace*, & [o] *conſolatione*; nequaquā in illis rebus Gregorianum Canonē imitamur, ſed cum Chriſto illi reſpondemus, [p] *A principio non fuit ſic*. Tu autē, qui idcirco exiſtimas *Miſſam* veſtram *ſimiæ* præſtare, ſi ad Gregorianam refertur, quoniam eandē in *Canone, præcipuâ ejus parte, referat*: ſcias licet, non magis in hoc Gregorianam referre, quàm *hominem ſimia* ſolet ſuis mimicis geſticulationibus ſimulare. Siquidem *Canon* etiam, præterquam quòd à populo auditus erat & intellectus, * commemorat eos *corpus & ſanguinem ſumpſiſſe*: [q] quod item faciunt aliæ poſt *Communionem orationes*. Quod quum ipſa quaſi anima & ratio ejus exſiſtat: veſtra certè Miſſa, quæ iſtud non habet, Gregorianę *ſimia* eſt, utcunq; de *Canone* glorietur. quin eo magis quidem certè *ſimia* eſt, quippe quæ ſolúmodo verba ejus, ac non ſenſum retineat.

HARTUS. Semper hæres in *Communione*, quaſi *Canon* & tota *Miſſa* Gregoriana eò collimaret: quod ſecus eſt. Præcipua enim pars ejus *ſacrificium* eſt, *ſupremum* ipſum *ſacrificium*, hoc eſt, Chriſtus Servator Deo Patri oblatus. Quum

[z] Lib.7.indict. 2.epiſt.63.

[a] L.11.ep.56.

* *Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis?*

[b] Mat.26.v.26.
[c] V.27
1.Cor.11.28.
[d] 1.Cor.14.16
[e] Greg. in Libro Sacramēt.
[f] 1.Cor.11.1.
[g] Greg.l.7.ind 2.ep.63.
(1) *Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem Dominicam oblationis hoſtiam conſecrarent.*
(2) *Precem quā Scholaſticus cōpoſuerat.*
(3) *Quorū meritis precibuſq; concedas.*
[h] Mat.23.10.
[i] Mat.3.15. Ioh.8.46.&19.30.
[k] Heb.4.16 & 7.25.& 9.12.
[l] Apoc.14.13.
[m] Col.1.12.
[n] Eſai.57.2.
[o] Luc.16.25.
[p] Mat.19.8.
* *Quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinē ſumpſerimus.*
[q] Amalar.Fort. de eccleſ.offic. præfat.altera. Walafri. Strabo de rebus eccleſ.cap.22. Microlog.de eccleſ.obſerv. cap.19.

verò hoc idem sit quod *Canon* commemorat, & Gregorius obtulit, atq; *Missa* apud nos designat, quos *Missificantes Sacerdotes* nuncupatis: ex eo sequitur Gregorium *Missæ sacrificium*, quemadmodum nos, celebrasse, ideóq; *Missificantem* fuisse *Sacerdotem*, non *Ministrum Communionis*.

RAINOLDVS. Viri igitur Romani mulierésq; *Missificantes* etiam Sacerdotes erant Gregoriano seculo, & *sacrificium Missæ*, quemadmodum vos, celebrabant. Quod enim ille offerebat *sacrificium*, & *Canon* commemorat, (1) *panis* est *et vinum*, quæ à viris fœminisq; offerebantur in Cõmunionis usum; & porrò (2) *laudis* quoq; *sacrificium*, quod illi omnes Deo offerebant.

HARTVS. Immo, ipsum corpus est & sanguis Christi.

RAINOLDVS. Contrariũ prorsus verba *Canonis* loquũtur. Ibi enim oratur Deus (3) *ut benedictã acceptabilémq; oblationẽ eorũ facere dignetur, ut ipsis corpus & sanguis fiat Christi*. Non igitur *Christi corpus & sanguis* erat, sed *verus panis vinúmq;*, quæ fideles in Communionis usum consecranda offerebant.

HARTVS. Erat verò ante consecrationem *panis et vinum*: sicut iis *Canonis* verbis significatur. Verùm post consecrationem appellat *Canon*, *hostiam puram*, *hostiã sanctam*, *hostiam immaculatam*.

RAINOLDVS. Atqui statim sequitur in *Canone*: *panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*. Quare, *panis* & *calix*, id est, *vinum*, etsi nunc *sacra* & consecrata, ut sint *vitæ panis*, & *calix salutis*, hoc est, mysticè corpus & sanguis Christi; *panis* (inquam) & *vinum* sunt *pura* illa, *sancta*, & *immaculata hostia*, non *ante* modò, sed & post *consecrationem*.

HARTVS. Immo, reale corpus & sanguinem Christi, *panis* & *calix* significant tropologicè: atque ita Christus ipse *pura* est, *sancta*, & *immaculata hostia*.

RAINOLDVS. Ubi aliquid in Scriptura *tropologicè* usurpatur:[r] respuis. Hîc autem, ubi à *Canone* nihil ejusmodi usurpatur, amplecteris. Nam continuò subjicitur de illo *pane* & *calice*: *super quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel*. Proinde, si Christum ipsum *realiter panis* & *calix tropologicè* significent: Sacerdos Deum orat ut *super Christum propitio ac sereno vultu respicere dignetur*, eúmque *acceptum habeat* Sacerdotis rogatu, *sicuti accepta habuit*[s] *munera Abel*. Fuit olim apud vos hæc jactata sententia, (quam spero tibi non probari,) *esse Sacerdotem creatoris sui creatorem*. Verùm hoc pacto *Sacerdos* sublimiùs evehitur, ut mediatoris sui sit mediator. Atque ita seriò idem de *Missificantibus Sacerdotibus* asseverabitis, quod lusit in Ethnicis[u] Tertullianus: *Homo jam Deo propitius esse debebit*, nisi scilicet *Sacrificulo* visum fuerit, non est sibi propitium Patrem Christus habiturus.

HARTVS. Ista *Sacerdotis* oratio, ut *respicere dignetur Deus super munera ejus, eáque accepta habere*, sensum certè valde bonum habet, quod ego nullo modo dubito. Ceterùm priora verba, de *hostia*, necessariò Christum oportet denotent. Quo enim modo possit nomen *puræ, sanctæ, & immaculatæ hostiæ, pani*, & *vino* deferri?

RAINOLDVS. Quo demum modo * *pura*, sive *illibata dona, munera*, & *sacrificia* in *Canone* ipso dicuntur ante consecrationem?

HARTVS. Istic *pura* dici poterant per *acceptationem*, ut ipse exposuisti. Quod quoq; *Canon* videtur innuere, quum oret Deum * *utì eadem accepta habeat, & benedicat*.

(1) *Offerebantur à populo oblationes & vinum è quibus in altari tollitur ut sacrêtur*. Greg. in lib. sacram. De quibus dicitur in Canone Missæ; *hæc dona, hæc munera, hęc sacrificia illibata*.

(2) De quo hęc Canon; *Memento Domine omnium circùm adstantium qui tibi offerũt hoc sacrificium laudis pro se suísq; omnibus*.

(3) *Quam oblationem tu Deus benedictam acceptabilémq; facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat Jesu Christi*

[r] Luc. 22. v. 19 & 20.

[s] Heb. 11. 4.

[u] In Apolog.

* *Hęc dona, hęc munera, hęc sacrificia illibata.*

* *Utì accepta habeat, et benedicat.*

RAINOLDUS. Pari etiam modo hic dici poterant *pura, sancta, & immaculata hostia*. Nam *Canon* itidem Deum orat *ut accepta habeat*, disertis verbis; &, re quidem,* *ut benedicat*. Cujus etiam majorem liquidioremq; rationem continet, quũ dicit ipsos *purã illã hostiã, panem vitæ, et calicẽ salutis, Deo* * *de Dei donis et datis offerre*. Quum enim dicit ipsos *de Dei donis offerre*, verum *panẽ & vinũ* intelligi demonstrat. Quæ quũ populus tũ temporis solebat *offerre*, (ut nos hodie nummos:) quod ex iis supererat postea pauperibus dividebatur; parte aliqua prius in usum *communicantium* selectâ, ut participes essent *panis vitæ & calicis salutis*, hoc est, sacrosancti sacramenti corporis sanguinisq; Christi.

HARTUS. Non sum nescius, *sacrificii* nomen *populi oblationibus*, aliisq; rebus sæpius attribui. Nihilominus persuasum habeo, S. Gregoriũ per *puram illam, sanctam, & immaculatam hostiam*, Christũ intellexisse atq; ita obtulisse ipsum Deo Patri in *Missa*, quemadmodum à nobis offertur. Quod eo magis credo, quoniam illi *Missificantes* erant *Sacerdotes* (ut docet Apologia nostra,) qui ante illum in Sacerdotali functione floruerunt. Sancta enim [x] Synodus Nicena alios nullos agnovit, quàm ejusmodi *offerentes* aut *sacrificantes*, hoc est, *Missificantes Sacerdotes*. Agnoscit [y] Cyprianus sui temporis Sacerdotes *obtulisse* sive *sacrificasse*, etiam in *ergastulis*. Erat is *Missificans Sacerdos*, quem legavit S. [z] Augustinus *ad sacrificium faciendum in ædibus malis dæmonibus infestatis*. Erant *Missificantes Sacerdotes*, de quibus [a] Eusebius scribit, *incruentis sacrificiis & mysticis consecrationibus eos divinum numen placasse*. Ipsa dignitas *Sacerdotii* à [b] Chrysostomo exornata, in eo opere, quod eodem titulo insignitur, hoc nomine potissimùm istic dilaudatur, *quòd potestatem habeat faciendi incruentum sacrificium super altare*. Denique, ille, reliquiq; universi Patres, Græci juxtà & Latini, *Missificantes* erant *Sacerdotes*, nullo unquam certè nisi in hunc præcipuè finem inaugurato; huic ferente dicto testimonium [c] Ambrosio, quòd *in ordinem* scilicet *Sacerdotii ascribi*, quod ille cum Apostolo vocat *impositionem manuum, sit accipere autoritatem ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre*.

RAINOLDUS. Ista Græcorum, Harte, Latinorumq; Patrum testimonia, unà cum reliquis quæ à vestro Apologiæ scriptore vel [d] *Duaci*, vel [e] *Rhemis* sunt allata, alia quidem *oblationem* commemorant, non autem *sacrificationem*; *sacrificationem* alia, sed non *sacrificationem Christi*. Quas inter res quantum intersit discriminis, in altera, [f] ipse affatim testatur, quum varia doceat *offerri quæ non sacrificantur*; in altera, illi, qui fideles varia obtulisse *sacrificia* docent, ut nominatim, [g] *eleemosynæ*, [h] *laudis*, [i] *suique ipsorum*, in ipsa Dominicæ cœnæ celebratione. Sed fac illos istis *offerendi* & *sacrificandi* verbis, *Christi sacrificationem* intelligere, quod fecerunt nonnulli: tamen neque eadem fuit *sacrificatio* eorum, quæ *Missificatio* vestra; neque illi qui *sacrificabant*, *Missificantes Sacerdotes*. Vos enim [k] *sacrificium* in *Missa* oblatum esse vultis *verum*, *singulare*, & *proprium sacrificium*: unde intelligitis [l] Christum illic *verè occidi & sacrificari*. Suam autem Patres oblationem, *sacrificium* vocârunt, non propriè, sed per figuram: mortem Christi significantes (qui solus verum, singulare, & proprium sacrificium nostrum est,) istic mysticè repræsentari, non re ipsa præstari. Quemadmodum enim in Scripturis sacramenta earum rerum nominibus denotantur quarum sunt sacramenta, ut hominum erigantur oculi ab externis signis ad ea quæ significantur: ita quoniam jubemur [m] celebrare sacramentum *corporis & sanguinis Christi in memoriam ejus*, & [n] *mortem ejus annunciare*; ista mortis ejus *annunciatio*, ejúsque *recordatio sacrificii*,

* *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus & sanguinem sumpserimus omni benedictione cælesti & gratia repleamur.*
* *De tuis donis ac datis.*

[x] Cap. 14.
[y] Epist. 5.
[z] De civit. Dei lib. 22. cap 8.
[a] In vit. Const. lib. 4. cap. 45.
[b] Chrysost. de Sacerdotio.
[c] In 1. Tim. 4.
[d] In Tract. de sacrificio Missæ, (cap. 14.) ex prælectionibus ejus habitis Duaci.
[e] In Apologia & Annotationibus in Testamentum Rhemense, Hebr. 10. 11.
[f] Alan. de Eucharist. sacrif. cap. 16.
[g] Cyprian. de opere & eleem.
[h] Aug. contr. adv. leg. l. 1. ca. 18. & 20.
[i] De civit. Dei lib. 10. cap. 6. & lib. 22. c. 10.
[k] Conc. Trid. Sess. 22. in præfat. & Can. 1.
[l] Alan. de Euc. sacrif. c. 10. 11. & 12.
[m] 1. Cor. 11. v. 24. & 25.
[n] Ver. 26.

à Patribus *sacrificium* & *mors* ejus vocantur. Ita [o] Cyprianus de Christi agit *oblatione*. Ubi enim edocet *nos passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facere*, hanc ejus rationem reddit, *Passio est enim Domini sacrificium quod offerimus*. Ita se de *sacrificio* explicat Chrysostomus. Etenim [p] *Christi mortis signum* esse affirmat: & postquam dixerat, [q] *Nos verum Christi sacrificium offerimus*, verba sua corrigit hoc pacto, * *seu potiùs memoriam sacrificii ejus operamur*. Ita idem [r] Ambrosius qui de *sacrificio vice Christi Deo offerendo* loquitur, * ipsis Chrysostomi verbis, id interpretatur. Ita [s] Augustinus dicit *Christum, semel immolatum in seipso, omni die populis immolari in sacramento: neque falsò tamen dici immolari. Sacramenta enim quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, habent; & ex hac similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt: sicut secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, & sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est*. Postremò, Eusebius (qui etiam ad Nicænæ Synodi sententiam exponendam jure afferatur, cui ipse interesset) ipso *incruentorum sacrificiorum* nomine se cum reliquis testatur conspirare. Nostras enim recordationes repræsentationésque Christi corporis, in sacramento corporis & sanguinis ejus celebrando, licèt *sacrificia* vocet, ob similitudinem; tamen *incruenta* vocat, propter differentiam: ut ostendat in iis non verè propriéque Christum sacrificari, (siquidem profundendus tum foret sanguis ejus, quemadmodum quum mortem obiret,) sed tantùm per modum sacramenti & mysterii, in quo verum sacrificium nobis proponitur, & à nobis memoriæ commendatur. Quod [t] alibi etiam apertiùs edisserit, inquiens, *Christum quum seipsum singulare sacrificium Patri obtulisset, statuisse ut nos (1) memoriam ejus Deo, sacrificii loco offerremus. Quam memoriam (2) per corporis ejus & sanguinis symbola, in mensa ejus celebramus: &, Deo grati, incruenta sacrificia, & rationalia, & acceptabilia illi offerimus*.

HARTUS. Atqui Eusebius *sacrificia* nostra, *incruenta* vocat, habitâ modi, non rei ratione. Sunt enim vera Christi *sacrificia*, ideóque *cruenta*: sed Christus qui *cruentè* in cruce oblatus est, *incruentè* in Missæ sacrificio immolatur.

RAINOLDUS. Istud verò vestrum est dogma [u] Tridentinum: sed nunquam cum illis Eusebii verbis cohærebit. Ille enim * *incruenta sacrificia* appellat: non *cruenta sacrificia incruentè* oblata, sed *sacrificia incruenta*. Quòd autem adjicit *in iis nos memoriam Christi sacrificii per corporis ejus & sanguinis symbola celebrare*: inde docet ista non quidem verè *cruenta* esse *sacrificia*, sed *cruenti* mysteria.

HARTUS. Quinimmo, Christi *sanguis*, ipse *sacrificalis sanguis* (ut [x] nos vocamus) *quem profudit Christus in cruce, inest in benedicto altaris calice* in Missæ sacrificio. [y] Chrysostomus enim (in illo insigni opere de Sacerdotio) ait, *istic Christum ab omnibus fidelibus videri*, & *sanguinis* item ejus commeminit.

RAINOLDUS. Quin etiam (quod majus est) ait, *istic Christum omnium manibus teneri, omnésque illo pretioso sanguine * purpureos evadere*. Multùm certè Patres ejusmodi efficaces sermones delectant: qui prudentiores desiderant lectores, quàm sint multi ex iis qui in ipsos incidūt. Ceterùm si exploratum habes universum populum qui ad Missam vestram accedit, non evadere *sacrificali* illo *sanguine purpureum*: inde ediscas Chrysostomum, ubi de *sacrificii sanguine* loquatur, de eodem ut mysticè *cruento* loqui, re autem ipsa *incruento*.

HARTUS. Minimè verò. *Incruentum* enim à Patribus dicitur, ut docet [z] A-

[o] Epist. 63. ad Cæcilium.
[p] Homil. 83. in Matthæum.
[q] Hom. 17. in epist. ad Hebr.
* μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα τῆς θυσίας.
[r] In epist. ad Hebr. cap. 10.
* Magis autem recordationem sacrificii operamur.
[s] Epist. 23. ad Bonifacium.
[t] Demonst. Evang. li. 1.
(1) μνήμην ἀντὶ θυσίας τῷ Θεῷ προσφέρειν.
(2) διὰ συμβόλων τοῦ σώματος καὶ αἵματος.
[u] Conc. Trid. Sess. 22. cap. 2.
* ἀναίμοις. de vit. Constantin. l. 4. cap. 45. ἀναίμους. Demonstr. Evang. lib. 1.
[x] In Annotat. Rhem. Testam. Heb. 9. 20.
[y] De Sacerdotio, lib. 3.
* φοινισσομένους.
[z] De Euchar. sacrif. cap. 14.

lanus,*non quòd in eo non verè cruor sit, sed ut distinguatur ab eodem Christi sacrificio quod in cruce conficiebatur,non sine fuso cruore.*

RAINOLDVS. Non igitur in isto sacrificio *cruor* funditur. Quare neq; *propitiatorium* est;nam [a] *absq; sanguinis effusione non fit remissio:* neq; *verum* & *singulare* Christi *sacrificium*;* illud enim *solum verum,& singulare est sacrificiũ, in quo pro nobis sanguis ejus est effusus.*

[a] Heb.9.22.
* *Singulari & solo vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est.* Aug. cont. adv.leg. lib. 1.cap.18.

HARTVS. In Missæ etiam sacrificio *cruor* effunditur,sed effunditur *incruentè.*

RAINOLDVS. *Cruor incruentè effunditur?* Monstra loqueris, Harte, nisi per hoc[*incruentè*]velis non verè & reipsa,sed sacramentaliter. Sic enim rectè dicis *cruorem* ejus *effusum* esse,quum mortem ejus anunciamus,& effusionem sanguinis recordamur. Verùm ut scribit S.[b] Augustinus,*Christi sacrificii carnem & sanguinem, ante adventum Christi,per victimas similitudinum promissum esse; in passione Christi, per ipsam veritatem redditum;post ascensum Christi,per sacramentum memoriæ celebrari:* ita,quum sanguis Christi in hunc modum *effusus* per *commemorationis sacramentum*,non *verè effusus* est,quod tantummodo in morte ejus factũ est. Atq; hoc est, quod vel maximè ex Patribus efficere possis, etsi daretur ipsos vocasse suam *Dominicæ cœnæ* celebrationem *incruentum sacrificium*, ratione *cruenti* Christi *sacrificii* quod in cruce obtulit. Multo verò minùs illi pro vobis faciunt, si non ratione ejus *sacrificii*, sed Judaicorum *sacrificiorum* respectu ita appellarent. Quod quidem fecisse ipsos eo propius vero est, quoniam [c] *preces* suas, & [d] ipsum suum Dei *cultum*, *incruentum* vocabant: ut distinguerent sine dubio à Judaico cultu, qui *cruentas victimas* immolabat. Nam ut D.[e] Paulus,de *cultu* illo tractans quem Deo præstamus, eum * *rationalem* vocat, quòd nosmet ipsos spiritualiter sacrificemus; non bruta animantia & sensu carentia cum carnalibus ceremoniis, ut Judæi: similiter [f] Patres in eundem finem, * *rationalem*, & *incruentum* dicebant. Atque nominatim [g] Eusebius dicit nos * *incruentas & rationales hostias offerre Deo quoad vivimus*; cunctas inde [h] *spirituales hostias* subinnuens, quas omnis Christianus,ut *Sacerdos Deo offert*. Atque adeò,in [i] eo ipso loco quem delegit Alanus tanquam qui plurimùm Apologiæ ejus proficeret, *preces* illæ,quas * *Ministri* (sic enim nuncupantur ab Eusebio) *obtulerunt Deo*, commodè possunt per illa quoque *sacrificia* denotari. Sin verò eorum tantummodo oblationes memoriæ Christi mortis in sacramento spectaret, quod quidem quæ de *mysticis consecrationibus* sequuntur, videantur innuere: ipse nihilominus verbo [*incruentas*] indicat, se *hostias illas*, non propriè, sed per figuram nuncupasse; ut qui intelligat non istic Christum verè morte affici, sed per mysterium. Denique, ille, reliquíque universi Patres, cùm Græci, tùm Latini, ita plenè planéque in hoc consentiunt: ut [k] Magister Sententiarum (in sua epitome Theologiæ, quam ex iis collegit,) istam quæstionem proponens, *Si, quod gerit Sacerdos, propriè dicatur sacrificium vel immolatio*; in contrariam partem discedat. *Sed quod offertur & consecratur à Sacerdote,vocatur sacrificium* (inquit) *& immolatio,quia memoria est & repræsentatio veri sacrificii & sanctæ immolationis factæ in ara crucis*, ut ex Patribus demonstrat. Quare, quum *sacrificium oblatum in Missa verum* sit & *proprium sacrificium*, ut [l] ipsi definitis; illud autem Patrum non sit *verum sacrificium*,sed sic impropriè appellatum: reliquum est ut concludatur, Patres neque *Missam celebrasse*, neque *Missificantes* fuisse *Sacerdotes*. Atque ita, ut finem huic imponam in quo tu exorsus es, causa justa & sancta affertur,quare nos *Presbyteros*, non *Priests*, sed *Elders* vocemus. Quando enim hoc nomen

[b] Cont. Faust. Manich l.20. c.21.
[c] Cyril. lib.de recta fid. ad Reginas. Oecumen. in ep. ad Hebr. c.13.
[d] Conc. Ephe. epist. ad Nest. Liturg. Basil. & Chrysost.
[e] Rom. 12.1.
* τὴν λογικὴν λατρείαν.
[f] Liturg. Basil. & Chrysost.
* τὴν λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν.
[g] Demonst. evangel. lib. 1.
* ἀναίμους καὶ λογικάς.
[h] 1.Pet 2.5.
[i] De vit. constant. l.4.c.45.
* οἱ τοῦ Θεοῦ λειτουργοὶ ἱκετηρίους εὐχὰς τῷ Θεῷ προσαναφέροντες.
[k] Lib.4.dist.12.
[l] Conc. Trid. Sess.22.can.1.

[*Priest*] ad *sacrificium* referatur, & per *sacrificium* homines *Missam* vestram intelligant, vestra autem *Missa* monstrum sit abominationis, quod profanat Christi sãguinem, damnatum à Scripturis, Patribus inauditum, in conspectu Dei piorúmq; detestandum: illud certè mandatum Domini, [m] *ne ponamus ante cæcum offendiculum*, poterat * nomen istud Evangelii Ministris ademisse, quantumvìs etiã ad sacrificandum fuissent instituti, multo verò magis quum non sint instituti nisi quo modo omnes Christiani. Nomen igitur [*Elders,*] quum illud exprimat verbum quo nominantur à Scripturis, quod [n] *authentica* vestra versio fatetur, similiter idem interpretans: non potuimus non comprobare. Quum præsertim ipsa necessaria ratio aliis sententiam nostram aperiendi, (qui finis linguarum est,) discrepantia verba flagitaret ad res illas discrepantes designandas, quas complectuntur *presbyter*, & *sacerdos*. Quo enim pacto velis illam S. [o] Augustini sententiam interpretari, verba scilicet ista Johannis [p] [*erunt Sacerdotes Dei & Christi*] *de omnibus Christianis intelligi; non de solis Episcopis & Presbyteris, qui propriè jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes?* Ubi nos Anglicè vertimus *Presbyteros, Elders*; & *Sacerdotes, Priests*. Sed quo tandem modo eadem tu interpretabere?

HARTUS. Est quidam Anglicanæ nostræ linguæ defectus, adeò ut nequeamus eadem æquè perspicuè interpretari atque Latinè dicuntur, quoniam unum nobis tantùm conceditur vocabulum, quo tùm *presbyterum*, tùm *sacerdotem* exprimamus.

RAINOLDUS. Non igitur ageretis *canem in præsepi*, neq; ipsi *deficienti linguæ* nostræ subvenientes, neq; ferentes quidem ut nos subveniamus. Si quis enim [q] sicut Rhemenses vestri, verterit, [*not of Bishops and Priests only, which are * properly now in the Church called Priests:*] quî poterit lector quispiam Anglus assequi quos tandem *Priests* sentiat vocari *Priests*, & an *Episcopi* etiam *Priests* vocentur? Immo, ut ad illud accedam quo necessariò cogamini [*sacerdotẽ*] aliter, ac [*presbyterum*) vertere; S. [r] Augustinus postquam attulisset (contra Julianum, hæreticum,) testimonia Patrum, Irenæi, Cypriani, Reticii, Olympii, Hilarii, Ambrosii, Innocentii, Nazianzeni, Basilii, & Chrysostomi, nominat illos *Sacerdotes*, hoc est, (ut vos vertitis) *Priests*: nónne?

HARTUS. Certè. Nullum nobis aliud Anglicanum vocabulum est, quod respondeat [*sacerdoti.*]

RAINOLD. Ubi igitur adjicit Augustinus de Hieronymo, *Neq; ipsum contemnendum fuisse, quoniam esset Presbyter*: quid istic *Presbyter* significet? Itáne insipidũ reddes sermonem S. Augustini, atq; si diceret hæretico, *illum revereri debere Irenæum, Cyprianum, Ambrosium, & reliquos, quoniam essent Priests; neq; contemnere Hieronymum quoniam esset a Priest?*

HARTUS. Quin potiùs, hîc verterim *Presbyterum, a Priest*: *Sacerdotes* verò dixerim *Bishops*. Hic enim S. Augustini sensus est istis in locis, ubi illos nuncupat *Sacerdotes*.

RAINOLDUS. Ita vertit [s] interpres vester. Verùm illa vox [*Bishop,*] ea est, qua Anglicè [*Episcopum*] exprimimus. Quid autem si fortè *episcopus* etiam alicubi, cum *sacerdote*, & *presbytero* comperiatur? Quomodo illum interpretabere? Quemadmodum ubi in [t] Canonibus quos collegit Isidorus de ordine celebrandi Concilia, dicit, *primò Sacerdotibus ingrediendum esse, deinde Presbyteris*: in ea [u] Jurisconsultus vester annotat, *Vide ut Sacerdotes vocet Episcopos veteri more, quem ignorantes plerique, Presbyteros Sacerdotes appellari promiscuè stultè opinantur.* Ubi si interpreteris *Sacerdotes, Bishops*; & *Presbyteros, Priests*: dicit ergo Jurisconsultus vester

[m] Levit. 19. 14.
* Vti nomen istud, *mi Baal*. Hos. 2. 16.
[n] Vulgata Latina (1. Pet. 5) *Seniores*: quod Anglicano nostro verbo, *Elders*, respondet.
[o] De civit. Dei lib. 20. c. 10.
[p] Apoc. 20. 6.
[q] In annotat. suis Apoc. 20. 6
* Ita verbum [*propriè*] vertunt de industria: ut consulant errori suo, Ministros nempe Evangelii *propriè vocari Sacerdotes*. Quũ Augustinus sẽtiat generatim, Christianos omnes, ex Scripturis hoc nomen sortiri; etiamsi illis temporibus *speciatim* idem sortiti sint *Episcopi & Presbyteri, ex Ecclesiæ instituto*: utrosq; tamen ita vocari impropriè & figuratè; non, ut Levitici Sacerdotes, & Christus vocãtur, *propriè*.
[r] Contr. Jul. Pelag. l. 1. c. 7. & l. 2. c. 10.
[s] Greg. Martinus, in sua Detect. Angl. c. 6.
[t] De ordine celebrand. Concil. Canones à sanct. Patribus constit. & ab Isidoro in unum corpus collect. Cõcil. Tom. 1.
[u] Antonius Contius, in append. Decretor. Gratian. de ord. celeb. Concil.

(quod ineptum foret) *Isidorum vocare Bishops Bishops, veteri more, quem ignorantes pleriq́, Priests Bishops appellari promiscuè stultè opinantur.*

Hartus. Haud commodè possunt ejusmodi sententiæ Anglicè exprimi: sed in illis Latina vocabula sunt retinenda.

Rainoldus. Atqui Anglis nostris expedit ut Anglicè exprimantur, quò sciant Latinos vestros Romanos abusus. Hoc enim istic significatur, *priscos scriptores solere Episcopos nomine Sacerdotum*, hoc est, *Priests, designare*: *quod multi ignorantes, Priests Presbyteros, hoc est, Elders appellari promiscuè stultè opinantur*. Quod audiant Rhemenses vestri, qui *promiscuè* sic appellant, quanquam non tam *stultè* hoc illi, quàm fraudulenter; ut (1) *Elders*, hoc est, Ministri novi Testamenti, putentur (2) *Priests*, hoc est, Ministri ad *sacrificandum* instituti, quemadmodum instituti sunt *Missificantes* vestri *Sacerdotes*. Cujus sanè erroris prætextui & defensioni, quā autoritatem confirmationis ex Patribus prætenditis, eo minoris est, quod [x] cōsueverint illi nomen *Sacerdotum*, non generatim *Presbyteris*, sed *Episcopis* tantùm attribuere. Quare, ut perturbationem rerum evitem, quam verborum perturbatio posset parere, in iis de quibus nobis agendum est: appellabo (pace tua) *Presbyterū* **Elder*, ut solent interpretationes nostræ; ut à nomine *Priest*, hoc est, *Sacerdotis*, distinguam, tùm quà à vobis pro *Missificante Sacerdote*, tùm quà à Patribus pro *Episcopo* usurpatur.* Ergo, ut revertar tandem ad illud quod aggressus eram, de secundo Romanorum Episcoporum ordine, nempe quòd, ubi ad amplissimum usq; statum suum pervenissent, Archiepiscopi tantummodo fuerint Regiæ diœcesis, non universales orbis terræ Pontifices, & Patriarchæ: *Presbyteri* (ut dixi) ab *Apostolis in singulis Ecclesiis, per singulas urbes constituti*, unum ex numero suo delegerunt quem *Episcopum* vocabant, qui ipsorum præsideret cœtui, quò res opportuniùs tractari atq; disponi possent in ipsorum conciliis & conventibus, in quibus communi consilio atq; consensu prospiciebant administrationi gregis Christi cui præponebantur. Quam eorum sollicitudinem & prudentiam Episcopi quoq; imitati, non nescientes utiq; [y] *ubi desunt prudentia consilia, corruere populum, salutem autem esse in amplitudine consiliarii*; suos quoq; conventus consultandi causâ habuerunt, ubi majoris ponderis res consilii majoris indigerent: & illi vicissim in iis Præsidē sibi delegerunt primariæ ejusdem provinciæ urbis Episcopum, quem *Metropolitanum* nuncupabant. Nam [z] *provincia*, quam vocabant, idem ipsis fuit, quod nobis comitatus: & comitiale, quasi diceres, provinciæ oppidum, [a] *metropolis* vocabatur, hoc est, *urbium mater reliquarum*. In qua quidem urbe, ut apud nos Judices & Justitiarii universi comitatûs lites & controversias statis temporibus audiunt: ita apud illos Præses provinciæ jus reddebat, & istic plerumq; residebat. Unde quum homines rerum suarum agendarum causâ frequentes eò convolarent: illam solebat urbem Ecclesia (pio consilio) dignissimo Episcopo, divinísq; præ fratribus suis dotibus imbuto locupletare. Usq; autem adeò ejus fide nisi sunt, ut nō modò [b] Præsidem ipsum *cœtuum* suorum constituerent: sed decernerent etiam ut [c] *nemo per universam provinciam absq; ejus consensu Episcopus crearetur*, [d] *neq; ulla res gravior ab ipsis nisi eo consulto, ageretur*. Jā verò Romanū Imperiū eo ordine administrabatur, ut, quemadmodū serenissima Regina suos Legatos variis sui regni partibus amplioribus præponit, *Legatum Hyberniæ*, & *Walliæ Septentrionísq; Præfectos*: ita Imperium suum Imperator variis descripserit magistratibus, *Comiti Orientis*, *(1) Præfectis Ægypti*, *(2) Italiæ*, aliarúmq; regionum, quarum circuitus multas complectebantur provincias, & (3) *diœceses* dicebantur. Inde factum est, ut Episcopi illarum

(1) *Presbyteri.*
(2) *Sacerdotes.*
x Cypr.ep.55. Ambr.ep.33. Concil.Afr. in epist. ad Cœlest. & reliqui Patres passim. Quod usurpatum est quoq; ab Imperatoribus in suis legibus: ut Antonius Contius (L.Nec honore C.de Episcop.) annotat his verbis, *Observa Sacerdotem semper in his legibus poni pro Episcopo.*
* Ita scilicet Rainoldo Anglicè hos sermones habenti, necesse fuit appellare: mihi verò eosdē Latinè reddēti eadem necessitas nō incūbit. Quare, bona cum venia Lectoris, deinceps appellabo, *presbyterum*, quē Rainoldus vocabat, *Elder*.
* *SECTIO QUINTA*
y Prov.11. 14.
z Notit.provinciar. Imperii Romani.
a L.observare D.de officio Proconsulis. Dio.in Adriano.
b Concil. Antioch.can.20. Chalced. can. 19.
c Concil.Nicæn.can.4.&6
d Conc. Antioch.can.9.
(1) *Præfectus Augustalis, sive Aegypti.*
(2) *Præfectus Prætorio Italiæ*
(3) Ita *Diœcesis Aegyptiaca*. L.omnia c.de offic.præfect. Aug. ita *Diœcesis Orientis*, & reliquæ, in cod. Theod. & Iustinian. passim.

urbium

urbium in quibus isti Imperatoris Legati residebant,(ª statum civilem imitante Ecclesiastico,)creverint quoque potestate. Neque verò solùm dicti sunt *Archiepiscopi & Patriarchæ diœcesis*,hoc est,primi Episcopi & Patres circuitûs ejus quem Legatus administrabat: verùm etiam obtinuerunt, ut Metropolitani provinciarum suæ *diœcesis* ipsis itidem subjicerentur & parêrent, quemadmodum Episcopi Metropolitanis. Ita *Archiepiscopo & Patriarchæ Antiocheno* delatæ sunt [e] *prærogativæ* per totam *diœcesin Orientis*, [f] quæ septem provincias continebat. Ita [g] nihil confici poterat in *Ægypti diœcesi*,([h] quæ decem habebat sub *Archiepiscopo Metropolitanos*,)*absq; Archiepiscopi & Patriarchæ Alexandrini consensu*. Ita [i] *Archiepiscopo & Patriarchæ Constantinopolitano* concessum est,ut *Metropolitani diœcesium Ponti, Asiæ,Thraciæq;* ([k] quarum ambitu viginti & octo provinciæ continebantur,)*ab illo ordinarentur*. Denique,ita [l] decretum est, ut *si quis adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus haberet querelam,peteret* (1) *Patriarcham diœceseos judicem*: similiter etiam,*si quis à proprio Episcopo aut Metropolitano, injuriâ afficeretur*. His itineribus Romani *Papæ*(ut hodie nuncupantur,)primò *Episcopi* erant Presbyterorum suæ civitatis: deinde,*Metropolitani* Episcoporum suæ provinciæ; tum deniq; Metropolitanorum suæ diœcesis(2)*Archiepiscopi*, atq; *Patriarchæ*. Atque hæc est illa *Regalis diœcesis*,quam cogitabam,quum dicerem *Pontificem Pelagii temporibus Regalis diœcesis Archiepiscopum evasisse; sed Archiepiscopum tantùm: non universalem Pontificem & Patriarcham totius orbis terrarum*. Quamvis enim elatus inflatúsque Patriarcha Constantinopolitanus,quòd in ejus urbe,nõ, ut in reliquis,Imperatoris Legati,sed Imperator ipse resideret,idcirco sibi dominatum in ceteros arrogaret; atq; ut se Imperator [m] *Dominum terrarum orbis*, ita se quoque ipse dici vellet [n] *terrarum orbis Patriarcham*: Romani tamen Patriarchæ,[o] Pelagius, & [p] Gregorius,superbiæ ejus restiterunt;& neq; ipsi id sibi assumere volebant, neq; idem cuiquam alii Patriarchæ concedere. Quare quum Pelagius sciscebat,ut *si quis Metropolitanus ad fidem suam exponendam,palliúmq; suscipiendum,ad Apostolicam Sedem nõ miserit,commissâ sibi careret dignitate*: hoc scitum fecisse Pelagium omnibus suæ diœcesis,ac non orbis terrarum *Metropolitanis* censendum est. Huic documento est,quod ipse attulisti,testimonium [q] Gregorii de Salonitanæ civitatis Episcopo. Nam, *ut Episcopi mei*,inquit,*me despiciant, peccatis meis deputo*: &,*si Episcoporum causæ mihi commissorum ita disponuntur,infelix ego quid facio?*

HARTUS. Ceterùm,etiamsi dicat,*Episcoporum mihi commissorum*, & *mei Episcopi*: non est tamen hoc documento aliquot solummodo Episcopos ejus fuisse *diœcesis*; siquidem poterat iis verbis omnes Episcopos significare, quippe qui omnes ipsi subjicerentur.

RAINOLDUS. Illud Antiochenus Alexandrinúsq; Patriarchæ inficias ituri sunt; seu potiùs ipse Gregorius. [r] Ipse enim hortatus illos ut Constantinopolitani Patriarchæ superbiæ resisterent,*qui universalis* dici cuperet *Patriarcha*: *State fortes*,inquit,*& omnes Episcopos curæ vestræ subjectos ab hujus elationis inquinatione prohibete*. Unde constat aliquot solummodo Episcopos ei fuisse subjectos: quos *suos Episcopos* nominabat,&,*Episcopos sibi commissos*. Quod etiam ampliùs ex iis liquet, quæ in vita ejus refert [s] Diaconus: *quum vacui essent in sua Diœcesi Episcopatus,ipsum alius diœceseos Episcopos* (*qui vacabant*) *ad illos invitasse; quemadmodum* (3)*Smyrnensem Episcopum ad quendam Siciliæ Episcopatum*. Quanquam si Grego-

ª Wolfgang. Laz. comment. reip. Rom. lib. 2. c. 2.
[e] Concil. Cõstantinop. 1. can. 2.
[f] Concil. Antioc. in exord.
[g] Conc. Chalced. action. 4.
[h] Theodos. & Valentin. ep. ad Dioscor. in Cõc. Chalced. action. 1.
[i] Conc. Chalced. act. 16.
[k] Vt appâret ex Theodor. hist. Eccl. l. 5. c. 28. quãquã liber inscriptus, *Notitia provinciarum imperii Romani*, numeret tantùm sex supra viginti, in Ponto decem, in Asia decem, & sex in Thracia.
[l] Conc. Chalced. cã. 9. & 17.
(1) ἔξαρχος διοικήσεως,ut vocatur à Concilio. Sed inde *Patriarcha* intelligitur,ut appâret ex Iustiniani constitutione, Novel. 123. cap. 22.
(2) *Archiepiscopi & Patriarchæ senioris Romæ,Constantinopoleos,Theopoleos* (hoc est,Antiochiæ,) *& Ierosolymorum*. Novel. 123. cap. 3.
[m] L. ἀξίωσις D. ad Legem Rhodian. de jactu.
[n] οἰκουμενικὸς πατριάρχης.

Gregor. Regist. lib. 4. epist. 39. [o] In Epist. ad Episcopos qui convenerãt Constantinopoli. Dist. 99. c. Nullus. [p] Regist. lib. 4. epist. 32. & 34. & 36. & 38. lib. 7. indict. 2. epist. 30. Distinct. 99. c. Ecce. [q] Regist. l. 4. ep. 34. [r] Regist. l. 4. epist. 36. [s] Iohan. Diacon. vit. Gregor. l. 3. c. 13. (3) Smyrna urbs Asiæ,in Diœcesi Patriarchæ Constantinopolitani.

tius pariter & Pelagius loquuti fuissent de omnibus totius orbis *Metropolitanis*, illos Pontificis consensu esse approbandos: ne hoc quidem effecerit secundi ordinis Pontifices asseruisse summam illam in Episcopos potestatem, quæ à postremis Pontificibus asseritur, eorúmq; maximè attingit suprematum. [t] Secundi enim illi docuerunt, *omnes Episcopos à populo & clero esse eligendos*: ipsis interea nihil aliud petentibus, quàm ut *eorum consensu confirmaretur Metropolitani* si id concedatur. Quum tamen [u] postremi isti jus sibi vendicent non *confirmandi* modò, sed *eligendi* etiam, tùm *Metropolitanos*, tùm *Episcopos*: eósq; [x] *juramento* astringant (quò suum sibi magis munirent statum,) *ut observent & ab aliis observari faciant*, [*] *reservationes, provisiones, & mandata Apostolica*, quibus hanc exercent tyrannidem.

HARTUS. Satius verò est Pontifices hodie sibi Episcopatus *reservare* distribuendos, quàm olim, ut Ecclesiæ de bonis Pastoribus *prospiciant*. Quo minùs igitur mirandum est, si ipsi quos nôrunt idoneos *eligant*, & qui ab aliis *eliguntur*, à se *confirmari* velint: etiamsi majores eorum (melioribus seculis) neq; quenquam *elegerint*, neq; omnes *confirmârint*. Verùm non consistit adeò in creandis Ecclesiæ magistratibus, atq; in causis Ecclesiæ judicandis, Pontificis suprematus. Atq; in eo quidem tantundem medii Pontifices, quantum ultimi asseverant. [y] Innocentius enim primus, ad literas Milevitani Concilii respondens, à quo ad ipsum de Pelagianorum erroribus scriptum erat, commendat Concilium quòd ad ipsum rem retulissent: *Quoties*, inquit, *fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Episcopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris autorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio.*

RAINOLDUS. Ex his Innocentii verbis argui quidem poterit, vendicasse ipsum prærogativam cognitionis Petro vestro, non autem principatum potestatis: cognitionis prærogativam, [*] ut de quæstionibus Ecclesiæ statueret; non potestatis principatum, ut Ecclesiæ causas decideret. Siquidem res fidei juxta regulam fidei sunt definiendæ, hoc est, juxta Scripturas: & Scripturarum germana expositio non in potestate consistit, sed in cognitione. Quod ex [z] Gratiano in Decretalibus discas licet, qui dicit, *Patres in Scripturarum expositionibus præponi Pontificibus, quòd cognitione ipsos superent; Pontifices Patribus in causis definiendis, quòd illis potestate sint superiores.*

HARTUS. Illa *causarum* & *quæstionum* Ecclesiæ distinctiuncula, Sophistarum effugium est, quo veritati caliginem offundas. Quamvis enim Ecclesiæ causæ sicut de illis Gratianus loquitur, ad *personas* spectant, ut *innocentes absolvantur, dānentur nocentes*: tamen quæstiones fidei (quas tu *Ecclesiæ quæstiones* nuncupas) *causæ* quoq; *Ecclesiæ* sunt sensu quodam generali. Quemadmodum à [a] quodam tertii ordinis Pontificum dictum est, *majores causas Ecclesiæ, præcipuè quæ ad articulos fidei spectant, ad Sedem Petri esse referendas*. Nec alia sanè erat Innocentii primi sententia. Nam, in [b] literis quas super eadem re ad Patres Carthaginensis Concilii in eundem finem scripsit, ait, *Patres decrevisse non humanâ, sed Divinâ sententiâ, ut quicquid de disjunctis remotisq; provinciis ageretur, non priùs ducerent finiendum nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret.*

RAINOLDUS. *Quæstiones super rebus fidei esse causas Ecclesiæ* minimè certè à veritate est alienum: non ejusmodi autem *causæ* sunt, quæ Papatum animant. Illæ verò *personales causæ*, pro quibus Zosimus, Bonifacius, & Cælestinus dimicabant, ipsæ sunt quibus Pontificum vita sustentetur. Atq; iidem illi Carthaginenses Milevitaniq; Patres, ad quos scripsit Innocentius, hoc discriminis agnoverunt, & ostenderunt, quum Pontificis consensum in illa fidei quæstione peterent, & [c] inter-

[t] Leo ep. 82. & 87. c. Metropolitano. c. Vota civium. dist. 63. Greg. Regist. lib. 1. ep. 56. & 58. & 78. lib. 2. ind. 11 ep. 22. & 29. & 30. & cet. passim.

[u] Concil. Lateran. sub Leone decimo. sess. 11. abrogat. pragmaticæ sanctionis & Concil. Basiliensis.

[x] *Forma juramenti præstandi ab Episcopo electo.* In Pontificali Rom. part 2.

[*] *Reservationes, provisiones, mādata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari.*

[y] Epist. 93. inter epist. Augustin.

[*] *Super aliis rebus quæ sit tenenda sententia.*

[z] c. Decretales. distinct. 20.

[a] c. Majores. de baptismo.

[b] Epist. 91. inter epist. Augustin.

[c] Concil. Carthagin. Græc. can. 28. Concil. Milevit. can. 22.

dicto tamen caverent ne *Episcoporum* & *Presbyterorum causæ* per *appellationes* ad eum devolverentur. Quare illa *causarum* & *quæstionum Ecclesiæ* distinctio, non *effugium Sophistarum est, quo veritati offundam caliginem*; sed veritatis dogma, quo vestrorum Sophistarum caliginem dispellam. Istos enim Innocentianos textus citat [d] Jesuita vester, ut Pontificis inde convincat suprematum: quum is tamen judicium sibi vendicet in *anxiis* rebus constituendis; aut (quod minus est,) *doctrinam* approbandi autoritatem; ac non aliquam audiendi definiendiq; *Ecclesiæ causas* supremam potestatem.

HARTVS. Immo, verba ejus ad Carthaginense Concilium universe loquuntur, *ut quicquid de remotis provinciis ageretur, ad Romanæ Sedis notitiam perveniret priusquam finiretur.*

RAINOLDVS. Atqui, si voculam illam [*quicquid*,] ita longè extra propositũ ejus torqueas: magis illum hiantem & avidum facis quàm ultimi ordinis Pontifices, qui sibi solummodo [e] *majores Ecclesiæ causas* assumunt. Quamobrem, ut [f] Paulus, quum dicit, *Omnia mihi licent*, intelligit nõ absolutè *omnia*, & simpliciter; sed omnia *adiaphora*, ratione habitâ ejus de quo agit: perinde tu accommodes oportet verba Innocentii non ad *quicquid* demum *causarum Ecclesiæ*, sed ad *fidei* res quæ in *quæstionem* veniunt: quas, quum essent tum temporis eruditi & Catholici Pontifices, ad ipsos [g] Christianæ Ecclesiæ referre solebant, ut veritas eorum consensu & judicio approbata, posset eorum freta autoritate, majorem existimationẽ & expeditiores progressus adversùs hæreticos obtinere.

HARTVS. Quid igitur ad Leonem dicis, seu potiùs ad Gregorium: quorum ad Sedem, *Ecclesiæ causæ* exq; etiam *personales* referebantur, & ipsi quoq; referri jubebant, quod ipsorum epistolæ testificantur?

RAINOLDVS. Sunt quidem certè Leo & Gregorius in illam partem prolixiores. Quanquam Leo, ut * diœcesis Romani Patriarchæ angustior erat ejus temporibus, quàm postea sub Gregorio; ita pauciores audiverit. Plures Gregorius; non omnes tamen.

HARTVS. Non omnes; sed *majores omnes*. Atq; nihil præterea ultimi Pontifices sibi vendicant.

RAINOLDVS. Atqui isti, *majores omnes per universum orbem* vendicant, quas neq; audivit Gregorius neq; arrogavit.

HARTVS. Non Gregorius? Nónne ex omnibus ejus epistolis manifestè liquet ipsum audivisse *causas Episcoporum* Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Africæ, Corsicæ, Sardiniæ, Siciliæ, Dalmatiæ, multarúmq; præterea regionum?

RAINOLDVS. Neq; tamen *omnes causas* audivit, neq; *per orbem universum*. Iste verò regionum nominum apparatus, quo [h] pugil vester Hybernicus Pontificium suprematum liquidò putat evinci, reipsa quidem argumentũ suppeditat quo refutetur. Ibi enim illa solùm nomina quæ tu citasti, recenset, unà cum Anglia, Hybernia, Corcyra, & Græcia, atq; Gregorium *exercuisse primatum in Episcopos & Ecclesias*, etsi neq; hoc tamen omne probet, sed fac probasse: tamen, ubi harum tantùm regionum nomina & documenta profert, ostendit Gregorium illum non exercuisse primatum in Episcopos & Ecclesias Thraciæ, Mysiæ, Scythiæ, Galatię, Bithyniæ, Cappadociæ, Armeniæ, Pamphyliæ, Lydiæ, Pisidię, Lycaonię, Phrygię, Lycię, Carię, Hellesponti, Ægypti, Judeę, Phœnicię, Syrię, Cilicię, Cypri, Arabiæ, Mesopotamiæ, Isauriæ, cũ reliquis regionibus quæ Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Jerosolymitano Patriarchis subjiciebantur.

HARTVS. Quanquam non de istis particulatim loquatur Gregorius: demon-

[d] Torrensis Confess. August. l. 1. c. 9. tit. 5.

[e] c. Majores. de baptismo.

[f] 1. Cor. 6. 12.

[g] Τὰ μακρὰ ἔθνη τῆς ἐκκλησιῶν: ut Cyrill. loquitur in epist. ad Cœlestinum. epist. 18.

* Wolfgang. Laz. comment. reip. Rom. l. 2. c. 2.

[h] Sanderus de visib. Monarc. Eccles. l. 7.

monstrat tamen generatim suum in illos primatum. Nam *quòd*, [l] inquit, *Patriarcha se dicit Sedi Apostolicæ subjici: siqua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit*. Ecce tibi, non Episcopos modò, sed *Patriarchas* etiam Pontifici subjectos Gregorii judicio: etiam ipsorum confessione.

RAINOLDUS. Atqui non is *Patriartha* fuit sed (1) *Primas*, qui id confessus est. *Primas* autem, (2) *primæ tantummodo Sedis provinciæ Episcopus est*; hoc est, Metropolitanus.

HARTUS. *Primas* fuit *Byzancenus*, hoc est, *Constantinopolitanus Patriarcha*, quemadmodum à [k] glossa in Gratianum exponitur: siquidem dicta priùs fuit *Constantinopolis, Byzantium*.

RAINOLDUS. Gratianus unà cum glossa sua fallitur. *Primas* enim *Byzacenus* (sive *Byzancenus*, si ita legis) Primas est *Byzacii* ([l] sive *Byzantii*, utì etiam appellatur,) [m] quæ erat una ex Africæ provinciis, ideóq; [n] Primatem habuit, ut ejusdem regionis Synodi ostendunt. Quem, ac non *Constantinopolitanum Patriarcham*, Gregorium designasse: [o] jam etiam apud Gratianum vestrum ostensum est. Altiores animos spiritúsq; gestabat *Patriarcha*, quàm ut se Pontifici subjectum confiteretur: sibi potius Pontificem subjicere conabatur.

HARTUS. Antea forsan conatus est, sed non eo tempore. Nam certè [p] Gregorius, inquiens, *Constantinopolitanam Ecclesiam Sedi Apostolicæ esse subjectam*; subjicit, *Eusebium ejusdem civitatis Episcopum id assiduè confiteri*.

RAINOLDUS. Nullus erat Gregorii tempore [q] Eusebius ejus civitatis Episcopus. Et verò qui erant Episcopi, primùm [r] Johannes, tum [s] Cyriacus, injustè occupârunt *universalis Patriarchæ* titulum, ut ipse Gregorius narrat. Quare, aut Gregorius amplius scripsit quàm veritas ferat, quò subditis suis animos adderet: aut in ipsum aliquis quod non scripsit injecit, quò Romanæ Sedis existimationem amplificaret. Verùm utcunq; censuerit *omnes Episcopos illi subjectos esse si qua culpa in iis invenitur*, forsan ut Paulo erat subjectus Petrus [t], & ut sibi invicem [u] Christiani reprehensiones à fratribus audituri si quando delinquant; si, inquam, amplius censuerit, quod fortasse suæ Sedis studio inductus censuerit: tamen non illud censuit quod eam Pontificii suprematûs partem attingit, quæ tibi evincenda imponitur, nempe Episcoporum causas per universum orbem ad ipsum esse referendas. Cui accedit ipse locuples testis, quum [x] ex (1) lege Justiniani Imperatoris rem decidat. *Si*, inquit, *à quoquam aditio fiat contra Episcopum propter quālibet causam: apud ejus Metropolitam causa judicetur. Si quis Metropolitæ contradixerit, ad Archiepiscopum & Patriarcham diœceseos illius referatur: & ille secundùm canones & leges huic præbeat finem.*

HARTUS. *Causæ Episcoporum* (fateor) primò à *Metropolitanis* suis audiēdæ sunt; deinde à *Patriarchis*. Verùm si *Patriarcha* quoq; judicium displiceat: tum verò licuerit afflicto ad Pontificem provocare, itáq; postremo loco ad illum convolant.

RAINOLDUS. Non ita Gregorius; sed ut postremus Judex constitueretur *Patriarcha*: quod item Justinianus. Hoc apertè docent, dum dicunt, *Secundùm canones & leges ei finem præbeat*. Nam & [y] *canones* illius Concilii quod *causas Episcoporum* ad *Patriarchas* retulit, ipsos tanquam postremos Judices commemorant: & [z] *leges* Cæsarum qui *appellationes* ad eos à *Metropolitanis* concesserunt, ab ipsis ad alium aliquem (2) *nullam appellandi potestatem* permiserunt; immo, expressè prohibuerunt ullas omnino ab ipsis *appellationes* fieri.

HARTUS. Atqui istic tamen Gregorius singulare privilegium *Pontifici*

[i] Regist. lib. 7. ind. 2. epist. 64
(1) *Primas Byzacenus.*
(2) *Primæ Sedis Episcopus.* Concil. Carthag. can. 17. 18. & 19. Distinct. 99. c. Primæ Sedis.
[k] c. De Constātinop. dist. 22. in glossa. *Byzancenus, id est, Cōstātinopolitanus. Primò enim Constantinopolis dicta fuit Byzantiū.*
[l] Notitia Provinciarum imper. Rom.
[m] Conc. Afric. can. 57. & 94. & in subscriptionibus, *provincia Byzacena.*
[n] Concil. Carthag. can. 7. & Africæ passim.
[o] Ab Antonio Contio, in cujus annotat. in Gratianū, *Primas Byzacenus* exponitur *Byzacii, quæ erat una ex provinciis Africæ.*
[p] Regist. lib. 7. ind. 2. epist. 63.
[q] Nicephor. Chronol. tripartit. Geneb. Chronol. l. 3. & cet. Chron. Const.
[r] Regist. lib. 4. epist. 36 & 38.
[s] L. 6. ep. 31. & l. 7. ind. 2. epist. 69.
[t] Gal. 2. 11.
[u] 1. Thess. 5. 13 Lev. 19. 17.
[x] Gregor. Regist. l. 11. ep. 54
(1) *Novella traditio*, ut appellat Gregorius. Intellige verò Nov. 123. c. 22.
[y] Concil. Chalced. can. 9. & 17. [z] L. Διοικήσεως ... 15. de Episcopali audientia. (2) ... χώραν ...

præ *Patriarchis* largitur. Nam subjicit, *Si nec Metropolitam habuerit Episcopus, nec Patriarcham; tum à Sede Apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, causam ejus audiendam ac dirimendam esse.*

RAINOLDUS. Certè: istud extra *canones* Conciliorum, *legésq;* Cæsarum subjicit. Interea tamen, concedit *Episcoporum causas*, qui ulli alii *Patriarchæ* subjecti erant, non esse ad *Pontificiam Sedem* referendas. Unde apparet non omnes eorum per universum orbem *causas* sibi audiendas Gregorium vendicasse. Atq; hîc pariter ex hoc loco observari etiam poterit, illum, quum *Sedem* & *Ecclesiam Romanam caput omnium Ecclesiarum nominet*, id de excellentia ejus propter varias dotes quibus reliquas superabat, intelligere, ac non de potestatis suprematu qua ipsas regeret. Quod ei porrò satis facit quæstioni, quam priùs objeceras [a] eodem nixus jure: *Si Ecclesia Romana caput sit omnium Ecclesiarum, cur non etiam Romanus Pontifex caput omnium Episcoporum?* Nomen enim *capitis* illi Ecclesiæ respectu aliarum habito attribuitur: ut si Londinensis civitas in Anglia diceretur *caput omnium civitatū.* Forsan *Præfecto Londinensi* afforet aliquis studiosior, qui inde percontaturus sit; *Si Londinensis civitas caput omnium civitatum sit, cur non Præfectus Londinensis caput omnium Præfectorum?* Neminem autem puto adeò simplicem apud Anglos Præfectum esse, qui isto pressus sophismate voluerit se *Londinensi* Præfecto subjicere.

HARTUS. Vos ipsi tamen confitemini [b] Zosimum, Bonifacium, & Cælestinum, ad ipsos in causis Episcoporum per universum orbē appellandi jus sibi vendicasse. Qui quum ducentis ferè annis ante Gregorium Pontifices exstiterint: consequens est, illos secundi ordinis Pontifices non minùs pro Pontificio suprematu in Ecclesiæ causis dijudicādis, quàm suos ultimi ordinis successores asseruisse, quod tu negâras.

RAINOLDUS. Et perpetuò quidem certè nego: neq; inde convincitur. Ultimi enim ordinis Pontifices [c] *omnes majores Ecclesiæ causas* vendicant. Quibus [d] non modò Episcoporum & Ecclesiasticorum causas, sed omnium statuum conditionúmq; complectuntur, quotquot in * *casus reservatos*, quos appellant, inciderint. Quoniam verò casus isti, secundùm [e] priscas Synodos, in suis omnes provinciis forent definiendi, ac non ad *Romanam* referendi Sedem: idcirco [f] *nullum Concilium potest præscribere legem* (inquiunt) *qua ipsi obligentur*. Alteri autem illi, quos ex secundo ordine nominasti, neq; eam sibi assumpserunt in *Concilia* potestatem, neq; in *causis* ullorum, præterquam Episcoporum, vel, ut maximè, Ecclesiasticorum, *appellationes* vendicârunt. Ad istos verò *casus* quod attinet, quos jam Pontifices ordinariis Judicibus ereptos suæ reservant Cameræ: tam ab hoc abhorruerunt medii Pontifices, ut multos antè annos in sepulchris suis tumulati quiescerent, quàm hujus fœtor suboleret. Quare præter veritatis modum efferebare, Harte, quum diceres [g] *Romanum Episcopum semper praxin suprematûs usurpasse*. Etenim ex iis quæ ostendi apertum est, ne unum quidem eorum per integros sexcentos à Christo annos unquam vel usurpasse, vel tanquam jure ad se pertinentem vendicasse.

HARTUS. Immo verò: causas enim Ecclesiasticorum ad ipsos appellantium audiverunt, quod quoq; se jure facere defenderunt. Quare & vendicârunt suprematum, & exercuerunt.

RAINOLDUS. Quæ quidem ratio perinde valet, atq; si ex *Cantiis* generosus quispiam diceret, integrum *Cantii* comitatum suum esse, quoniam in nemorosa regione *Cantii* quam * *Weald* appellant, prædium aliquod possideat.

[a] Cap. 7. Sect. 9.

[b] In Concilio Africano.

[c] Cap. Majores. de baptis.

[d] c. Etsi dominici, de pœnit. & remission. in extravagant. commun. *Bulla, quæ publicatur per Papam in die cœnæ Domini*: inscript. *Literæ processus* In eclog. Bullar. & motuproprior. Gregor. decimi tertii

* *Casus reservati Apostolicæ Sedi*. De quibus Concil. Trident. Sess. 14 cap. 7.

[e] Concil. Nicæn. can. 5. Antioch. can. 2. Constantinop. prim. can. 2.

[f] c. Significasti De election.

[g] Cap. 7. Sect. 7.

* Vide Cantium apud Camdenum in Britannia sua.

HARTUS. Quid? Adeóne tibi exiguum videtur Ecclesiasticos, etiam Episcopos appellasse ipsos ex omnibus totius orbis provinciis?

RAINOLDUS. Magnificum verò prædium & amplum. Sed nihil ad *Cantianum Weald*, multo minùs ad universum *Cantium*. Multa sunt in ipsius Comitatu prædia, quæ veteres Pontifices neque habuerunt, neque vendicârunt. Unum, *non cuiquam subjici, ne Cæsari quidem*. Aliud, *in Principes habere potestatem tùm communione fidelium, tùm etiam regno suo ipsos exigendi*. Aliud, *Episcopos, Metropolitas, Patriarchásque sacramento astringere, ut ipsis fideles se vasallos præstent*. Aliud, *Ecclesiastica tùm beneficia, tùm officia pro libidine sua describere*. Aliud, *omnia Conciliorum vincula dispensationibus suis & decretis disrumpere*. Aliud, *sua Sedi casus reservare*. Quorum (ut omittam reliqua, quæ reperias in (*1*) *Decretalibus* eorū, & (*2*) *Regulis Cancellariæ* conscripta,) quum nulla illi vel arrogarent, vel occuparent: non se tanquam universi Comitatûs Dominos venditârunt; hoc est, neq; vendicârunt, neq; exercuerunt suprematum.

(1) *Decretales epistolæ.*
(2) *Regulæ Cancellariæ Apostolicæ.*

HARTUS. Dabis igitur quantum illi vendicârint aut exercuerint ex suprematu, tantum ad Sedem eorum pertinere, & ad ipsos jure spectare?

RAINOLDUS. Nequaquam. [h] Quam enim adversùs illos exceptionem dedi, bipartita fuit: una, ipsos Pontificis suprematum non asserere; altera, ex affectu quodam plus ipsos asserere, quàm verum & æquum sit. Quod planè manifestum est non modò ex actionibus eorum quos egomet nominavi: sed etiam ex scriptis eorum quos tute citasti.

[h] Capitis hujus Sectione tertia.

HARTUS. Si de tertii ordinis Pontificibus loquare: majori forsan rationis specie repudiari poterunt. Sed quos ego secundi ordinis citavi, sancti homines fuerunt, Diviq;.

RAINOLDUS. Christi quoque Apostoli, credo, *Divi* fuerunt. Hoc tamen nobis Dei spiritus documenti causâ scriptis mandavit, [i] ipsos non solùm *superiorem locum* concupisse, sed etiam de eo *contendisse*. Innocentius, Leo, Gelasius, Vigilius, Pelagius, & Gregorius, quos tu homines citavisti, neutiquam Apostolis majores erant. Et quam illi Sedi suæ Romanæ laudem attribuunt, ita omnem veritatem superat: ut apertas affectûs ipsorum notas referat. Quod tibi constitisse potuerit ex iis quæ ex [k] Innocentio objecisti de *Patribus, Divináque sententia*: qua dicit *decrevisse ipsos, ut, quicquid in remotis provinciis ageretur, non prius finiretur nisi ad Romanæ Sedis notitiam perveniret*. Qui tandem *Patres* isti, qui id decreverunt? Ubinam *Divina* illa *sententia*, qua inducti? Quanquam ista minima quidem sint ex multis amicis & benevolis sermonibus, quos non Innocentius modò, sed & reliqui etiam ([l] ut ex Leone docui,) *Ecclesiæ* suæ & *Petro* largiuntur: immo, quorum nonnulli cum divinis scitis prorsus pugnent; idque confessum à vestris. Illi enim narrant [m] *omnes Ecclesias à Romana oriundas*: fontem omnium [n] Scriptura [*] *Jerosolymam* constituit. Illi, [o] *omnes Episcopos à Petro nomen et honorem suum accepisse* dicunt: ab aliis *Apostolis*, non ab ipso, multos accepisse docet [p] Scriptura. Dicunt illi [q] *Romanam Ecclesiam neque maculam, neque rugam, neque quicquam ejusmodi habere*. Ostendit [r] Scriptura *sanctificatam esse Ecclesiam*, atque ita compositam ut deinceps *foret non habens maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi*, quando sistetur à *Christo gloriosa* & triumphans in cœlis:

[i] Matt. 20.20. Luc. 9.46. & 22.24.

[k] Epist. 91. inter ep. August.

[l] Ca. 1. sect. 2.
[m] Vigilius in decretis suis, cap. ult.
[n] Esaia. 2.3. Act. 1.4. & 2.5. & 8. 4.
[*] Quæ idcirco appellata est *mater omnium ecclesiarum* à patribus Concilii (secundi generalis Cōcilii) Cōstantinopolitani. Theodoret. l. 5. c. 9. quamvis nunc Pontifices cum sua Synodo Trindentina hunc ecclesiæ Romanæ titulum assignant. Concil. Trident. sess. 7. de baptism. can. 3. sess. 14. de sacrament. extrem. unction. cap. 3. sess. 21. cap. 8. sess. 25. Decret. de delectu ciborum. [o] Innoc. epist. 93. inter epist. August. [p] Act. 14.23. & 20.28. Tit. 1. v. 5. & 7. [q] Gelas. in decr. cū 70 Episc. [r] Eph. 5.27.

lis; non, quin ejusmodi quædam nunc habeat, dum in terris militat: quod adeò manifestum est, ut non [s] Patres solùm, sed & [t] Thomas Aquinas, [u] Doctorq; Stapletonus idem fateantur. Quare quãtumlibet sancti fuerint illi secundi ordinis Pontifices quos adduxisti: nihilominus negari non potest, quin affectibus præditi fuerint, iisque humanitus paruerint. Quanquam ultimos istos fateor potissimum commeritos esse, qui ob hanc culpam exceptione excludantur. Istis enim non tanti est verba Scripturis repugnantia usurpare: nisi etiam depravent, etiam confingat quoque Scripturas, ut Papalem fastum suum tueantur. Istis fas scillicet Ecclesiam docere, [x] *licere Pontifici Archiepiscopos confirmare* [*] *hac conditione, si in ejus nomen velint jurare: quoniam quum oves suas Christus Petro committeret, conditionem posuit, dicens;* [y] *Si diligis me, pasce oves meas.* Ecclesiam fas istis docere, [z] *Pontificem potestatem habere in omnes potestates, & Principes terræ; in nullius autem potestate esse Pontificẽ, quoniam* [a] *spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur.* Istis Ecclesiam fas docere, [b] *Christum Petrum, ejusq; successores vicarios suos instituere, quibus (ex libri Regum testimonio) ita obedire necesse est, ut qui non obedierit, morte moriatur: &c, ut* [d] *alibi legitur, In ecclesia esse non potest, qui Romani Pontificis Cathedram deserit.*

HARTUS. Quod ex *Regum libro* citatur, in Deuteronomii libro legitur. Cõtextus ipse pura puta Scriptura est, etsi locus perperam designetur. Et, quamvis ad Põtificem immediatè non pertineat---

RAINOLDUS. Quinimmo, nequaquam illi mederi, Harte, coneris. Illud Deuteronomii [e] jam pridẽ tractavimus. Leo decimus Pontifex, & Lateranense ejus Concilium magno ferebantur affectu, ut Pontifices Reges crearent; *quum Regum librum* pro *Deuteronomio*, & *Deuteronomium* pro Papatu afferebant. Ceterùm quicquid tu de tertio, aut secundo, aut ullo ordine Pontificum censeas: cum omni prorsus lege tùm divina, tùm humana pugnat, ut in suis litibus pro se testimonium dicant. Quare, si nulla tibi melior sit eorum suprematûs defensio; extra omnem controversiam, duodecimvirûm sententiis litem perdes. Nam, [f] *Si ego testor de meipso*, inquit Christus, *testimonium meum non est idoneum.* [g] *Nulli in propriis causis testes idonei sunt:* non si ipsum [h] Scipionem Romanum nobilitate adæquarent. Malè verò isto modo in [*] Westmonasteriensi aula causa ageretur: [*] *Johannes Nokus fundum istum poßideat oportet; quia id Johannes Nokus dicit.* quin & [i] Canonistæ ipsi, quum à Pontificibus afferuntur Pontifices ad quædam quæ ad suprematum suum spectant confirmanda, annotant (1) *familiarem hanc esse probationem*; tales forsan innuentes probationes, qualis est illa communi apud nos trita proverbio; *Socium interroga, an fur sim.* quod commodiùs observare poterant, quoniam apertum est (2) *Pontifices suas fimbrias nimis extendisse, amplam potestatem vendicantes*; ut [k] magni apud vos Theologi his ipsis verbis scripserunt.

HARTUS. quam illi vendicârunt potestatem, visa est impendiò amplior invidis & malitiosis. Verùm haudquaquam major erat, quàm ut jure ad ipsos pertinuerit. quod quoniam non arbitraris ipsorum Pontificum testimoniis satis confirmatum: illud ego ampliùs confirmabo verbis testimoniisq; aliorum antiquorum Patrum.

RAINOLDUS. quorum?

[s] Hiero. in Ierem. c. 31. Aug. Retract. l. 2. c. 18.
[t] Summ. Theolog. part. 3. quæst. 8. art. 3.
[u] Princ. doctr. l. 1. cap. 2. & 8.
[x] C. Significasti. de electione.
[*] *Tali conditione, si sacramentum exhiberet.*
[y] Iohan. 21. 16.
[z] c. Vnam sanctam. extra. de Majorit. & obedient.
[a] 1. Cor. 2. 15.
[b] In Conc. Lateran. sub Leon. decim. sess. 11.
[d] Vbi tandem hoc legitur?
[e] C. 6. Sect. 2.
[f] Ioh 5. 31.
[g] L. nullus. D. de testibus, L. omnibus. c. eo 4. 9. 2. & 3. c. Si testes.
[h] Cicer. pro S. Roscio.
[*] Prætorium regni est, ubi fora judiciaria apud Anglos constituuntur. vide Camdenum.
[*] Nomẽ istud perinde teritur sermone Leguleiorum apud Anglos; atq; nomen *Socratis* apud Dialecticos.
[i] 9. q. 3. c. patet. in glossa. Clem. unica de jurejurando.

in glossa Iohannis Andreæ. (1) *Familiaris est hæc probatio quum Papa alium Papam adducit in testem.* (2) *Summi Pontifices suas fimbrias nimis extendentes.* Quæ dicuntur ad imitationem scribarum & Pharisæorum qui *vestimentorum suorum phylacteria & fimbrias dilatabant*, Mat. 23. 5. [k] Aen. Sylv. de gestis Basil. concil. l. 1. Iacob. Almain, de autor. Ecclesiæ, cap. 8.

SECTIO SEXTA.

HARTVS. Illorum qui ex ipsis præcipui sunt, Græci juxtà & Latini. Nā prærogativa ipsa fuit Pontificis officii quæ Bernardum impulit se conferre ad Innocentium tertium, epist. 190. Augustinum & Africanos Episcopos, ad Innocentiū primum, & Cælestinum, epist. 90. 92. 95. Chrysostomum, ad eundem Innocentiū, epist. 1. & 2. Basilium, ad sui temporis Pontificem, epist. 52. Hieronymum, ad Damasum, epist. 57. 58. Tom. 2. item ad alios, alios: ut ab ipsis in fide & Ecclesiastico regimine confirmarentur.

RAINOLDVS. Si ejusmodi testes producis ad Pontificis suprematum confirmandum: rogandi sunt à me duodecimviri, velint cardinem causę respicere. Ex istis enim Patribus alii sententiam & consilium, alii autoritatem & existimationem; alii utrúsque, ab ipsis sibi auxilio petebant. Sententiam & consilium, ut Hieronymus à Damaso. Autoritatem & existimationem; ut ab Innocentio Chrysostomus. Utrumque; ut Basilius, Augustinus, & Africani Episcopi, à sui temporis Pontificib'. Bernardus majus aliquid. Verùm iste hesterno quidem die vixit, si cum illis comparetur: ideóq; nō in antiquis Patribus numerādus. Quanquam ne is quidem ex hoc Papatum confirmat: & verò in qua fuerit super hac re sententia cōstitutus [l] demōstravi. Jam autem de illis, primùm, qui sententiam & cōsilium Pontificis petebāt; historiam tibi quandam referam, quam (quæso) perpendas. [m] Theodosius Imperator Ecclesiæ pacem procurare cupiens; Nectario Constantinopolitano Patriarcha accersito, cum illo sermonem contulit, qua tandem commodissima ratione religionis controversiæ possent expediri. Patriarcha rem Agelio, Novatiano Episcopo aperuit. Episcopus Sisinnio, suæ Ecclesiæ Lectori. Lector cōsilium dedit Patriarchæ: quod approbavit Patriarcha, & exposuit Imperatori: amplexus est Imperator, atq; rem juxtà tractavit.

[l] C. 6. Sect. 4.

[m] Socrat. hist. eccl. l. 5. c. 19.

HARTVS. Hinc scilicet tu inferres antiquos Patres cōsilium à Pōtifice petere potuisse, nec tamen illum Caput suum supremum agnoscere.

RAINOLDVS. Optimè: ut Imperator, à Patriarcha; Patriarcha, ab Episcopo; Episcopus, à Lectore.

HARTVS. Dissimilis & impar ratio. Nam personalis cujusque horum prudētia, virtus, cruditio, aut fides in causa fuit, quòd consulerentur. Verùm illud, quo inducebantur Patres ad Pontifices confugere, ipsorum officii erat prærogativa.

RAINOLDVS. In quo errare non poterant, ut accepisti [n] Rhemis. Sed tu, qui distinguis hunc in modum *officium* Pontificum, ab illorum *personali fide* & dotibus, monendus es, eadem ratione [o] Sergium Constantinopolitanum Patriarcham Honorium Pontificem consuluisse, non *personalis* ejus *prudentiæ, virtutis, eruditionis aut fidei* causâ, *sed officii* etiam. Atque hinc ipse fateri cogeris, vel posse in consultationibus errare Pontificem, quas ratione *officii* agitat, quod contigit Honorio: vel Patres, quum à Pontificibus consilium peterent, petiisse propter *personales* eorum dotes, quippe qui eruditi essent atque pii Pastores; quemadmodum [p] multi ab Augustino olim, nuper à [q] Calvino petebant, etsi neuter eorum Pontifex exstiterit.

[n] Rhem. Annot. in Luc. 22. 31.

[o] Sext. Synod. Constantinop. act. 12.

[p] Aug. epist. To. 2.

[q] Calvin. epist. & responsa.

HARTVS. Quin certum est Hieronymum Damasum consuluisse *officii* causa. Nam [r] is nominatim de *cathedra Petri* loquitur: hoc est, de Sede Apostolica Damaso commissa.

[r] Epist. 57.

RAINOLDVS. Atqui pariter de *hereditate Patrum*, hoc est, de fide Christiana loquitur, quam Damasus *servavit incorruptam*. Eáq; de re illum consuluit ut pium & eruditum, non ut Pastorem solùm; non *officii* solius causâ, sed *personæ* etiam;

quip-

quippe qui ut in locum, sic in doctrinam Petri succederet. Quanquam quocunq; respectu, quave cunq; ratione Hieronymus Damasum consuluerit: quòd peteret sibi in quadam fidei quæstione satisfieri, non id arguit potestatis suprematum, ut [s] ostendi. Multo minus autem hoc arguit consilium, quod Basilius [t] de turbis sedandis petebat. Minimè omnium, quod Augustinus, & Africani Episcopi: qui dū volunt videri Innocentium consuluisse, [u] re quidem verâ Innocentio consuluerunt, ne forte Pelagiani ipsum in errorē suū seducerent. Quare antiqui Patres, qui consiliū Pontificum petebant, Pontificis suprematum non confirmant. Nihilo quidem magis reipsa illi qui aut aliis subvenire, aut sibi ipsis succurrere, Pontificis autoritate freti studebant. Aliud enim *autoritas* est à *potestate*: usque eò, ut qui fratribus suis superiores sint in altero; ipsis in altero inferiores aut pares quidem esse possint. Quod [x] inter nos conveniebat, si memineris.

[s] C. 7. Sect. 8.
[t] Epist. 52.
[u] Possid. de vita August. c. 18
[x] C. 5. Sect. 3.

HARTUS. Potest fieri, fateor. Sed illi, quos ego nominabam; Innocentium primum aliósque Pontifices, tanquam *potestate* totius Ecclesiæ suprema Capita, non tanquam *autoritate* solùm ipsis superiores, consulebant.

RAINOLDUS. Dicta atque facta illorum arguunt contrarium. Nam ab adversariis suis in judicium vocatus [y] Chrysostomus, ab Episcopo scilicet Alexandrino aliisque qui in quodam Concilio convenerunt; ab illis ad generale *Concilium* provocabat, & (ut [z] ipse loquitur) *ad justum judicium*. Unde significat legitimam potestatem causam ejus dijudicandi ad Concilium, non ad Pontificem pertinere.

[y] Socrat. hist. eccl. l. 6. ca. 14. Sozomen. l. 8. cap. 17.
[z] Epist. 1. ad Innocentium.

HARTUS. Ceterùm suo exutus atq; ejectus Episcopatu, licèt provocasset ad generale Concilium: tamen Pontificem rogabat ut *scriberet illa tam iniquè facta robur non habere, sicut neq; reipsa habuerunt; & , ut illi qui tam iniquè egissent, pœnas luerent.*

RAINOLDUS. In ista verò petitione sua egit cum Pontifice, ut cum quodam generalis membro Concilii, ad quod provocârat: *potestate* quidem, membro; *autoritate* verò, membro principali. Nam quòd ab illo præ ceteris literas peteret; indicabat is se putasse majorem illius fuisse, quàm aliorum fratrum suorum existimationem. Quòd verò ad omnes conjunctim provocaret, non ad istum solum; manifestum faciebat jus litem decidendi, non ad ipsum, sed ad illos universim pertinuisse. Quod etiam adhuc apertius fit, quum de singulis Episcopis dicit, eos (1) *Legibus Patrum prohiberi, ne causam susciperent* (2) *judicandam eorum qui sunt extra sua diœcesis limites.* Quare prærogativa illa quam detulit Chrysostomus Pontifici, *autoritatis* erat, non *potestatis*. Idem ego de Basilio assero, vel [a] ipse potiùs asserit; rogans, ut *suâ Pontifex velit uti autoritate, mittendo ipsis homines auxilio.*

(1) Intelligit Canones Conciliorum, præcipuè Concil. Constātinop. can. 2.
(2) Latina versio habet, *Transmontanos ad nostra judicia non trahendos.* Sed Græcus canon habet ὑπερορίους. Quod verbum usu patum hic à Chrysostomo (sicut conjicio ex circūstantiis, nam in Græcum exemplar non incidi) secus transtulit interpres, quasi ab ὄρος *mons*, non ὅρος *terminus*, sit deducendum.
[a] Epist. 52.

HARTUS. Magnam nobis facis injuriam, istam novam *autoritatis* & *potestatis* dum efformas distinctiunculam. Basilius enim *potestatem* intellexit, quum *autoritatem* nominabat.

RAINOLDUS. Hoc nunquam affirmâris, modò fundamentum ipsum & circumstantias verborum ejus expendas. Nam quum [b] Orientis Ecclesiæ infestatæ essent tum temporis hæresi Ariana, Valentis Imperatoris Ariani operâ, qui persequebatur Catholicos: Occidentis Ecclesiæ (quæ Valentiniano, Catholico Imperatori, subjiciebantur) fidei sinceritate fidelibúsque Episcopis floruerunt. Unde [c] Basilius agens cum Athanasio (utrique Orientis Episcopi) de Ecclesiarum suarum statu, ait, *unam se intelligere acquirendi auxilii viam, quòd Ecclesiis suis cum Occidentalibus Episcopis convenit. Si*

[b] Socrat. lib. 4. c. 2, 14, 21. & 30.
[c] Epist. 48.

namque voluerint illi eundem zelum, quo contra unum & alterum qui apud ipsos diffamabantur usi sunt, & pro nostris Ecclesiis demonstrare: fortè fiet, inquit, *aliquid quod proderit communiter omnibus; propterea quòd & qui rerum patiuntur (3) multitudinis autoritate permoverentur, & populi paßim illos sine contradictione sequerentur.* Jam verò istud, cujus causâ primò *multitudinem Episcoporum* exoptabat, idem est de quo postea *Pontificem* implorabat. Quem [d] rogabat *ut (4) ipse suam interponeret autoritatem, eâq; uteretur in eligendis mittendisq; viris ad illud negotium accommodis; quoniam difficile esset Occidentalibus Episcopis illud (5) communi ac Synodico decreto expedire.* Quare *Concilii* quidem opem potissimùm flagitabat; quòd illorum *consensus* & *multitudo* majoris esset *existimationis*: quemadmodum in [e] illa quam ad Occidentales ipsos Episcopos scripsit epistolâ, iterum affirmat. Non *potestatem* igitur, sed *existimationem fidémque* Basilius respiciebat, quum sibi Pontificis *autoritatem* accerseret adjumento. Quod necesse habes confiteri; nisi velis asserere ipsum censuisse Synodum Pontifice superiorem esse potestate, quod repugnat prorsus [f] Tridentino vestro dogmati *de suprema Pontificis in universam Ecclesiam potestate.* De Augustino autem & Africanis Episcopis, nimis apertum est quòd istam *novam distinctiunculam*, ut apellas, observârint. Nam, illorum duorum Pontificum ad quos ais ipsos confugisse: [g] alterum quidem orabant ut (6) *autoritate* suâ ipsis subveniret; [h] ab altero contendebant, ne sibi in Ecclesiasticis ipsorũ causis (7) *potestatem* arrogaret. Magna vos quidẽ in culpa estis; qui asseritis Augustinum & Africanos Episcopos ad Cælestinum propter *prærogativã officii* ejus confugisse, quum adversùs * occupatam ab ipso prærogativã contenderent: majori verò, si scienter libentérq; id facitis. Cujus sanè [i] Annotationes vestræ vehementem injiciunt suspicionem, quòd quum cetera omnia loca designârint, istum non designent, ne à lectore fraus dispiceretur.

HARTUS. Ego quidem absolvendis Annotationibus nostris non intereram. Qui eas scripserunt, suam ipsi non nesciunt sententiam: illámque sine dubio sunt defensuri. Verùm quem Patres suprematum Pontifici concesserint hinc liquerit, (ut ostendit [k] Stapletonus,) quòd omnes Synodos irritas habuerint quæ nõ à Põtifice fuerint cõfirmatæ. [l] Patres enim qui in Nicæna Synodo (prima generali Synodo) convenerunt, ad Sylvestrum Pontificem scripserunt, orantes *ut suo consensu quicquid constituerant, confirmaret.*

RAINOLDUS. Nicæna Synodus nullam ejusmodi de Pontifice conceperat opinionem. Epistola conficta est: & qui ipsam confinxerat, artem suam non satis calluit. Nam unus ex (1) Patribus qui hanc feruntur scripsisse, Macarius est *Episcopus Constantinopolitanus.* Quum tamen [m] *Constantinopolis* adhuc nomine illo non gauderet, non per annos quidem aliquot post istam (2) datam epistolam, sed *Byzantium* diceretur: [n] neque verò Macarius esset eo tempore *Byzantinus Episcopus*, sed Alexander. Præterea, finguntur rogare Pontificem ut (3) *Episcopos totius urbis suæ convocet.* Quæ temulenta sanè erat petitio, *quum Episcopi totius ejus urbis* unus tantùm fuerint; idémque unus ille ipse extiterit. Nisi fortè verbum [*urbis*] usurpent, quomodo Pontifex (illis similiter respondens,) *se, cum Episcopis totius urbis Italiæ rem contulisse.* Atq; ita sobria magis est, sed quę nihilo magis deceat Nicænam Synodum. Denique, neq; Eusebius, (qui Synodo intererat,) neq; Rufinus, neq; Socrates, neq; Theodoretus, neq; Sozomenus, neq; alii prisci scriptores ali-

(3) τὸ ἀξιόπιστον τοῦ πλήθους.
[d] Epist. 52.
(4) αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα.
(5) ἀπὸ κοινοῦ καὶ συνοδικοῦ δόγματος.
[e] Epist. 74.
[f] Conc. Trid. sess. 14. cap. 7.
[g] Epist. 90. 92. & 95. apud Aug.
(6) *Statutis nostrę mediocritatis Apostolicæ Sedis adhibeatur autoritas:* &, *Autoritati sanctitatis tuæ faciliùs eos cessuros speramus:* &, *Damnet ea Pelagius paterna exhortatione & autoritate sanctitatis tuę.*
[h] Epist. Conc. Afric. ad Cælestin. in Concil. Afr. c. 105.
(7) Sive cognoscendo causas Romæ, sive Legatos à latere ad ipsos mittendo.
* *Quasi Ecclesię Romanę privilegia*; quæ affirmabat Faustinus Legatus Pontificis, Augustinus vero & Episcopi Africani improbabant, in epist. Conc. Afric. ad Cælestin.
[i] Rhemenses Annotationes in Luc 22. 31.
[k] Princ. doctr. lib. 7. cap. 10.

[l] Epist. Synod. Nicæn. ad Sylvestr. Tom 1. concilior. (1) *Hosius Episcopus Cordubæ, & Macarius Episcopus ecclesię Constantinopolitanæ.* [m] Cassiodor. in Chron. Sigon. de Occid. imper. l. 4. (2) *Paulino & Juliano Consulibus.* [n] Socrat. hist. eccl. lib. 1. c. 25. & lib. 2. cap. 4. Niceph. Chro. tripart. Geneb. Chron. lib. 3. (3) *Episcopos totius vestræ Apostolicæ urbis.*

quid

quid tale commemorant. Unus [l] *Petrus Crabbus* (qui ipsam edidit) ex bibliotheca quadam *Coloniensium* Fratrum eam nactus est. Sed unde illam Fratres nacti?

HARTUS. Patres Constantinopolitanæ Synodi (secundæ generalis Synodi) Damasi Pontificis *consensum decretis suis* per literas petebāt. Hoc verò apud [o] Theodoretum testatum habemus.

RAINOLDUS. Habetis sanè: & ita quidem testatum, ut Pontificis dominatum subvertat, quem inde Stapletonus cupit evincere. Illi enim conjunctim scribebant ad Damasum, Ambrosium, Brittonem, Valerianum, Ascholium, Anemiū, Basilium, reliquósq; Occidentales Episcopos, qui in Synodo Romæ indicta convenerunt. Neq; ad illos solùm, sed etiam ad Theodosium Imperatorem. Etiam, ad Theodosium separatim, & majorem in modum scripserunt. Illum enim [p] rogabant *ut ipsorum decreta & instituta confirmaret & rata faceret*. Quare si is Pontifici suprematus sit, cujus (5) *consensum* & *suffragium* petebant: qualísnam tandē Imperatori fuerit suprematus, quem obtestabantur, ut ea (6) *rata faceret & confirmaret?*

HARTUS. Quinimmo tua *potestatis* & *autoritatis* distinctiuncula, rectè cōmodéq; huic de Imperatore inservit. Illorum enim decreta & instituta tùm doctrinæ, vera fuerunt; tùm disciplinæ, bona; quamvis nunquam ea ille confirmasset. Ceterùm plures eadem pro bonis verisq; amplexuri essent, ejus si accederet assensus & autoritas; quemadmodum multos videmus ad Principum judicia se componere. Quare Imperatoris *autoritatem* & existimationem illi respiciebant, quum ab ipso volebant *decreta sua confirmari*: non aliquem suprematum *potestatis* quem in religionis causis obtinebat.

RAINOLDUS. *Non suprematum aliquem potestatis quem obtinebat* faciendi vel ex falsis, vera; vel ex malis, bona: sed hoc potiùs efficiendi, ut subditi ejus ista ut vera, & bona, quemadmodum reipsa erant, observarent. Nec aliud fortassis Patres Concilii volebant. Verùm quod dedisti responsum, idem te doceat corrigendam tibi esse opinionem tuam, quam, de iis quæ illi ad Damasum scripserunt, induisti. Christi enim doctrina, quam illi decreverunt, vera fuit; & disciplina, bona; etsi ipse iis assensus non fuisset. Ceterùm plures ea pro bonis, verisque essent amplexuri, si ejus assensu & approbatione honestarentur; quemadmodum multos videmus Episcoporum sententias amplexari. Quare Pontificis *autoritatem* illi existimationémq; spectabant, quū consensum ejus decretis suis peterent: non aliquem *potestatis* suprematum quem in religionis causis obtinebat. Quod constat planè ex obtestatione quâ non ipsum solùm, sed & alios quoq; Episcopos rogant, ut suum *assensum* præbeant, *quò in Christiana fide conspirantes, & in mutua caritate confirmati, Ecclesiam possent à schismatis & dissidiis tutam conservare.*

HARTUS. Omnibus verò Episcopis licebat assensu suo decreta Synodorum approbare: Pontifex autem illa singulari quodam modo confirmabat. Nam de Ephesina Synodo tertia generali scribit [q] Cyrillus, *Cælestinum scripsisse consona sanctæ Synodo, & omnia illius gesta confirmasse.*

RAINOLDUS. Hoc non de Cælestino Cyrillus, sed de Sixto scribit. Quanquā si scripserat; tamen hoc *autoritatem* similiter argueret, non *potestatem*: ut rectè observat [r] Prosper *Nestoriana hæresi præcipuam Cyrilli industriam, & Cælestini autoritatem repugnare.* Verùm hæc ipsa verba Cyrilli de Sixto, evertunt opinionem illam, quam de Pontificia Conciliorum confirmatione imbibisti. Nam, *Ephesina* quidem Synodus rata fuit valuítq; Cælestini temporibus, idem te confitente. Nihilominus Sixtus, qui illi successit, eadem postea confirmavit. Veritas quidem

[l] Præmonit. ad Lectorem pro epist. Synodi Nicænæ & Sylvestri.
[o] Hist. Eccles. l. 5. cap. 9.
[p] Epist. Conc. Cōstantinop. ad Theodos. Imperat. In Græc. decret. & Libel. Synodicarum constitut. Lat.
(5) συγχαίρειν (6) ἐπικυρωθῆναι, &, ἐπισφραγί-σῃς.
[q] Epist. 29. tom. 4. oper. Cyrill.
[r] In Chronico

certè ipsa neq; ex Synodo, neq; ex Pontifice pendet: etsi, quum boni essent piisq; imbuti animis Pontifices & Synodi, electa fuerint vasa & instrumenta Dei ad veritatem ejus enunciandam. Quemadmodum enim Joshua [f] *omnes tribus Israelis*, ipsos quoq; Sacerdotes qui convenerunt in Concilio, affatus est, [t] *Si malum videatur in oculis vestris colere Jehovam, eligite vobis hodie quos colatis, sive Deos quos coluerunt majores vestri, sive Deos Amoræorum; ego verò & familia mea colemus Deum*: ita germana Christianæ religionis fides per se firma est, & cuiq; Christiano unà cũ familia ejus amplectenda est, sive *tribubus*, hoc est, Ecclesiæ placuerit, sive secus. *Ecclesia* verò [u] *columna* dicitur *& fundamentum veritatis* habitâ ratione hominum, quoniam fulcit veritatem, eámq; confirmat, prædicatione verbi, per ministerium [x] *Sacerdotum* in Testamento veteri, & [y] *Episcoporum* in novo, quos ideo [z] Basilius *columnas* & *fundamenta veritatis* appellat. Quo autem major horum existit numerus qui tuentur illam, & quo majori in existimatione sunt apud homines: eo fortior certiórq; esse videtur veritas, eíq; citiùs multi assentiuntur. Eáq; re Barnabæ Pauliq; [a] Doctrina, licèt certissimè [b] *vera*, tamen à J*acobo*, *Petro*, & J*ohanne* fuit [c] confirmata, *qui putabantur esse columnæ* Ecclesiæ; etiam, à [d] Concilio *Apostolorũ & Seniorum* Jerosolymæ coacto: post quam demum confirmationem [e] faciliùs libentiúsq; tùm Antiochiæ, tùm [f] aliis in urbibus recipiebatur; adeò ut [g] *Ecclesiæ confirmarentur fide, & augerentur numero quotidie.* Illi ergo divini viri, qui priscis temporibus ad *veritatem* sustentandam convenerunt, consensum petebant, aliquãdo omnium Episcoporum, ut in [h] Synodo Sardicensi; aliquando Pontificis, ut in [i] Synodo Carthaginensi: non quòd aliàs existimarent decreta sua irrita nullarũq; virium fore, sed quòd consensu horum majori in existimatione eadem futura scirent. Atq; verò, Synodos generales, si Pontificis confirmationem postulassent, quod tamen omnes non fecerunt, sed si postulassent, hoc tamen consilio necessariò postulasse; constet tibi ex columna & fundamento quodam vestræ Tridentinæ Synodi, [k] Andradio. Qui non modò asseverat id *doctissimos viros sapientissimè existimare*, ut [l] nominatim Alfonsum: sed Cardinalem etiam de Turrecremata, præcipuum Pontificis patronum affert, quò istud, vel majus potiùs aliquid, doceat. *Si enim talis* (*inquit* [m] Cardinalis) *casus contingeret, quòd Patres universi in Synodo universali convenientes unanimiter aliquam definitionem fidei facerent, cui sola persona Papæ contradiceret: dicerem judicio meo, quòd Synodo standum esset, & non personæ Papæ.* Cur tandem? *Judicium enim tantorum Patrum universalis unius Synodi, in materia fidei, meritò præferendum videtur judicio unius hominis*, quibus adjicit, *Synodum tunc majorem esse Papâ, non quidẽ potestate jurisdictionis, sed* [*] *autoritate discretivi judicii, & amplitudine cognitionis.* Hinc igitur vestrorum Doctorum testimoniis liquet, *Conciliorum confirmationem, autoritatem* Pontificis non *potestatem* arguere: neq; fuisse illum *autoritate* supremum, ne parẽ quidem, sed ipsis inferiorem. Adeò abest longè ut ejus suprematum probet.

HARTUS. Quamvis Synodi Pontifice superiores sint *autoritate*, juxta Johannis de Turrecremata Cardinalis opinionem: vides tamen ipsum *jurisdictionis potestate* Pontificem illis præferre, in qua præcipuè quidem ejus consistit suprematus. Atq; id etiam Patres ipsi factis suis agnoverunt. Athanasius enim Episcopus Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, Lucianus Adrianopolis, plurimiq; alii Orientis Episcopi, ab Arianis pulsi Ecclesiis suis, appellârunt ad Pontificem, ut [n] historiæ Ecclesiasticæ demonstrant.

RAINOLDUS. Non demonstrant *historiæ*: [o] ille potiùs, qui *eas* asserit *demonstrare*, demonstrat se hac in re ipsas similiter tractare, ut Cyrillum in [p] priori.

[f] Iof. 24. v. 1.
[t] V. 15.
[u] 1. Tim. 3. 15.
[x] Mal. 2. 7.
[y] Act. 20. 28.
[z] Epist. 70.
[a] Gal. 2. v. 1. & 2.
[b] V. 5.
[c] V. 6. & 9.
[d] Act. 15. v. 2. & 25.
[e] V. 31.
[f] Act. 16. v. 4.
[g] V. 5.
[h] Athanas. in Apolog. 2. Theodoret. hist. Eccles. l. 2. c. 8.
[i] Epist. 90. inter epist. August.
[k] Defens. fid. Trident. l. 1.
[l] Alfonsus à Castro de justa hæreticorum punitione. l. 1. c. 6.
[m] Johan. de Turrecrem. de Pontific. max. generali, úmq; concil. autorit. ad Basiliẽsium oratorem, Respõ. num. 67. & 68.
[*] Aut majoritate. ut Turrecremata loquitur, in sũmâ de Eccl. l. 3. c. 64.
[n] Hist. tripart. l. 4. c. 15. Socr. l. 2. c. 15. Sozom. l. 3. c. 8.
[o] D. Staplet. princ. doct. l. 4. cap. 19.
[p] L. 7. c. 10.

Totié ne tibi imposuit ille, nec verò ei adhuc fidem adhibere desines?

HARTUS. *Demonstrant* verò *historiæ* illos Romam ad Julium Pontificem venisse, qui per prærogativam & dignitatem Sedis suę ipsos Ecclesiis suis restituit, postquam comperisset injuriosè ipsos ab Arianis fuisse pulsos.

RAINOLDUS. Illa *Romanæ Sedis dignitas & prærogativa in iis restituendis, autoritatis* tantùm & *honoris* fuit, non *potestatis*. *Potestas* enim ipsa audiendi judicandiq; causam eorum penes Concilium fuit Romæ indictum. Quod Julius ipse, Athanasiúsq; testantur. Athanasius, qui ubi ejus meminit, [q] planè id *Concilio* ascribit. Julius, qui reprehensus ab Arianis quòd iis obstitisset quæ ipsi in suo gesserat Concilio, [r] respondet *acta prioris Synodi in alia Synodo jure posse examinari*; *ipsos voluisse ut ita justo judicio causa disceptaretur*, *eáq; re ut Concilium indiceretur postulasse*: *Athanasium & reliquos adfuisse*, *ipsos verò quos etiam adfuisse oportuit*, *tergiversatos esse*, *ideóq; Synodum illorum comperta iniquitate*, *sublevasse eos qui injuriosè opprimebantur*; denique [s] *quicquid in eo aut egerit aut scripserit*, *non suam*, *sed Concilii sententiam atq; consensum sequutum esse*. Non ergo Pontifex, sed *Synodus* audivit & dijudicavit causas Episcoporum, sive ab initio, sive post appellationes. Eā *jurisdictionis potestatem* neq; vendicavit sibi Julius, neq; illi attribuit Athanasius.

HARTUS. Immo verò: [t] Julii exstat epistola, qua eam *potestatem* vendicavit, idq; Nicænæ Synodi *Canonibus* nixus.

RAINOLDUS. Superiùs te [s] *epistolarum* admonueram, quæ à quibusdam Pōtificis agasonibus, aut coquis videbantur scriptæ. Illarum hæc una. Eandem planè oportuit esse, quam ego citavi ex Athanasio. Verùm adeò similis illi est, atque albo nigrum. *Canones*, quos cudit referentes imaginem titulúmq; *Nicænorum* Patrum, nequitiam ejus produnt. Eóq; magis produnt, quòd in eadem epistola (quēadmodū apud Athanasium legitur,) Julius autoritatem eorum afferat pro *Synodo Pontifice* utiq; superiore; qui in ista pro *Pontifice*, tanquam superiore *Synodo* proferuntur. Quare quum apud Athanasium genuina ejus epistola reperiatur, quod concessum est: feras necesse est alteram haberi supposititiam.

HARTUS. Atqui referunt [u] Socrates atq; [x] Sozomenus Julium in epistola sua ad Arianos scripsisse, *eos contra leges Ecclesiæ egisse*, *quòd illum ad Concilium nō vocassent*: *nam legem esse quæ pronunciat*, *acta illa irrita esse quæ præter sententiam Episcopi Romani constituuntur*.

RAINOLDUS. Si ita scripserat Julius ad Arianos: quod manifestò falsum est, scripserat. [y] Niceni enim Canones (qui præcipuæ erant illo tempore *Ecclesiæ leges*) sanxerunt, *ut Synodi bis quotannis in quaq; provincia cogerentur*. Ad quas omnes ridiculum foret dicere, ipsis *Pontificem* esse accersendum: aut nihil istic agi ab ipsis posse nisi quod ipse comprobârit. Ceterùm Socrates & Sozomenus Julium haud rectè interpretati sunt, ut neq; modò [z] Stapletonus. Atq; ubi is [a] dixerat, *An ignari estis hanc consuetudinem esse ut primùm nobis scribatur*, *ut hinc quod justum est*, *definiri posset*? illi perinde, ut videtur, acceperunt, ac si de seipso dixisset, & quasi vocabulo isto [*nobis*] *Pontificem* designasset, quo is tamen *Synodum* intellexit. Illam enim *epistolam Synodi nomine scripsit*, ut observat Athanasius: quod idem ipse docet, ubi proximè superiùs dicit, *Oportuit scribere omnibus nobis*, *ut ita quod justum est*, *ab omnibus decerneretur*.

HARTUS. Quicquid demum de factis scriptísq; Julii & Athanasii censeas: nequis tamen inficiari Flavianum, Constantinopolitanum Episcopum, ad Leonē Pontificem provocasse ab Ephesina Synodo quæ illum injustè expulit. Quod etiam Theodoretus, Cyri Episcopus. Alterum enim [b] Valentinianus Imperator testatur;

[q] Apolog. 2.
[r] In epist. ad Episc. post Antiochiæ congregatos, apud Athan. apol. 2.
[s] Rescript. Julii Papæ contra Orientales, Concil. Tom. 1.
[s] Hujus capitis Sect. 3.
[u] Hist. Eccles. lib. 2. cap. 17.
[x] Lib. 3. c. 10.
[y] Concil. Nicæn. can. 5.
[z] Princ. doct. lib. 7. c. 19.
[a] Julius in ep. ad Episcopos Antioch. congregat. apud Athanas. apolog. 2.
[b] Ep. ad Theodosium.

testatur; & ipse [c] Theodoretus, alterum.

RAINOLDUS. Flavianus quidem à Synodo Ephesina provocavit; sed ad majorem magisq; legitimam Synodum, non ad Leonem Pontificem. Quod ex [d] Leonis ipsius epistola quadam apparet, ubi apud Theodosium Imperatorem conqueritur de *paucitate & oppressione Episcoporum in Synodo Ephesina*; postulatque ut *generalis Synodus indiceretur, quòd Flavianus appellasset*. Ergo adjicias oportet Imperatricem Placidiam Valentiniano Imperatori; & simul cum alterius verbis de (1) *appellatione ad Leonem*, etiam [e] alterius illa accipias, *ad Leonem & ad omnes Episcopos harum partium*. Ita cum *Leone* conjuncti *Episcopi* Chalcedonensem Synodũ conficient: qua Synodo [f] Flaviani causa & *appellatio* judicata est. Ab eadem quoq; Synodo causa judicata [g] Theodoreti; quem ubi innocentem comperissent, Sedi suæ restituerunt. Quare quum *appellationis* judex statuebatur Synodus: si ad *Leonem* non autem ad Synodum appellabat, erratum fuit. Nisi forsan non *appellaret* tanquam ad superiorem judicem, qui ipsum restitueret; sed ut ad quendam eruditionis autoritatisq; virum, cujus existimatio & judicium proficeret ipsi ad innocẽtiam ejus confirmandam. Atq; hoc ipsa præ se fert [h] petitionis ejus summa. Quãquam quum pariter consulat Leonem, *si illam ferret injuriosam ejectionem, aut restitui contenderet*; videatur aliquid ampliùs cogitasse. quod nihilominus sic attingit, dum loquitur de *sollicitandis hominibus*, & Leonis *preces* flagitat: ut liquidum sit non penes unum Leonem fuisse ipsum restituere. quare quod maximum potes ritè conjicere de *appellatione* à *Theodoreto* facta ad *Leonem*, hoc est; *Leonem* ejus libellum appellationis accepisse offerendum Synodo cui præsidebat. quemadmodum apud nos in Anglia libelli porriguntur *Oratori Parlamenti*, ut de iis *Parlamentum* certius faciat, non autem quasi aliqua ipsi singularis potestas esset illos expediendi.

HARTUS. Ergo das *Synodi Præsidentem* fuisse *Leonem*, ut quidem certè fuit; & *Caput* Episcoporum qui convenerunt, sicut [i] ipsi affirmant. quod arguit ipsos Põtificem supremum suum Caput agnovisse.

RAINOLDUS. Plura tu quidem *capita* reperies, quàm quæ Pontificis velint libenter sustinere humeri, si ejusmodi colligas argumenta. Primùm, Cordubensẽ Episcopum: siquidem [k] Hosius *Præsidens* fuit Nicænæ Synodi; nec Nicænæ modò, sed Sardicensis etiam, multarúmq; aliarum. Deinde, Antiochenum Episcopũ, aut quisquis is fuerit cui locus ille in Constantinopolitano Concilio est delatus. Non enim [l] Pontifici deferebatur. Tertio, Alexandrinum Episcopum.

HARTUS. quinimmo, Cyrillus, qui in tertio generali Concilio præsidebat, in eo Legatus fuit Cælestini Pontificis, ut scribit [m] Evagrius.

RAINOLDUS. Suam Cyrilli autoritati adjunxit Cælestinus. Verùm Cyrillus *Præsidentis* locum parem tenebat cum Cælestino, [n] plurium judicio quàm Evagrii. quanquam si non tenuerit: at sibi Alexandria nihilominus *Caput* arrogabit. Nam, [o] Dioscorus in proxima Ephesina Synodo *præsidebat*: neq; solus ille, sed & Jerosolymitanus, & Cæsareensis Episcopi. quare si generalis Synodi *Præsidentia* constituat *Caput supremum*: ergo *Corduba* in *Hispania*, *Alexandria* in *Ægypto*, in *Judæa Jerosolyma*, aliæq; Orientis civitates perinde sibi poterunt *supremi Capitis titulum* vendicare, atq; *Roma* in *Italia*. Ægrè sanè tot sibi ascribi socios Pontifex patietur. Sed ut isto ipsum metu liberemus, aut ejus potiùs Tyrannide Ecclesiam, & veritatem tuo sophismate: est quædam apud [p] Cardinalem de Turrecremata distinctio, quæ observatu digna est, in hanc ipsam quæstionem. *Præsidentia Conciliorum*, inquit, *duplex est: altera, honoraria; altera, * autoritativa. Præsidentia honoraria*

[c] Epist. ad Leonem.

[d] Epist. 23.

(1) *Flavianus eum appellavit*

[e] Epist. Gallæ Placidiæ ad Theodosium.

[f] Conc. Chalced. act. 1.

[g] act. 8.

[h] Theodoret. ep. ad Leonẽ.

[i] Relat. Synod. Chalcedon. ad Leon. act. 3.

[k] Athan. in ep. ad solitariam vitam agent. Apolog. de fuga sua: & Apolog. 2.

[l] Vt appâret ex epistola ipsorum ad Damasum; apud Theodoret. hist. Eccl. lib. 5. cap. 9.

[m] Hist. Eccles. lib. 1. cap. 4.

[n] Valentin. & Martian. ep. ad Pallad. Cõcil. Chalced. act. 3. & Episcopi variarum provinciarum act. 4.

[o] Acta Ephes. Synod. 2. in Concil. Chalc. act. 1.

[p] Summa de Eccl. l. 3. c. 23.

* Hanc vocem adhibet Turrecremata ad denotandam *potestatem*, non *autoritatem reputationis*, ut ipse distinguit lib. 3. cap. 18.

rariæ est, eminentiorem locum in Concilio tenere, & primò in eo loqui, & quæ agenda sunt dirigere, & demum ex jussu Synodi sententiam dicere. Præsidentiæ autoritativæ est, jus habere, non modò dirigendi, sed regendi etiam actiones eorum, & de rebus sententiam pronunciandi ex judicio suo, etsi majori parti Concilii non probetur, etiam, licèt probetur nulli. Jam verò Pontificius suprematus istam *potestatis Præsidentiam* in Conciliis vendicat, quasi ipse solus istic supremus judex statueretur: quod tùm praxis ejus in [q] Viennēsi Concilio, tùm [r] *Cardinalis* [s] aliorúmq; pariter ex summis Pontificiis dogmata commonstrant. Quod autem generalis Chalcedonensis Synodus Leoni detulit, *Caput* illum suum appellans, *honoraria* fuit *Præsidentia*: quēadmodum ipse demonstravit in Legatis suis, [t] qui omnibus Episcopis tanquam paris potestatis judicibus se præbuerunt, neq; quicquam absq; illorum assensu decreverunt. Non erat igitur *Præsidentia* illa, quam Leoni impertiverunt, Papalis aliquis dominatus: neq; ipsum in ea particulari causa, multo minùs Pontificem generatim, *Caput* suum *supremum* agnoverunt.

HARTVS. Patres generatim Pontificem agnoverunt, nósq; docuerūt ut agnosceremus ipsum, [u] *universalem nostrum Patriarcham*, & [x] *Catholicæ Episcopum Ecclesiæ*: immo (ut ampliùs adhuc antiquissimorū Patrum verbis utar,) [y] *Principem nostrum*, [z] *Caput omnium Ecclesiarum*, [a] *cœtûs Apostolici verticem & coryphæum*, vel (ut [b] Epiphanius loquitur) κορυφαιότατον, [c] *totius orbis Magistrū*, [d] *Rectorem domûs Dei*, [e] ac *alterum patremfamiliâs*, & [f] *primogenitum*; *cujus Sedes* (ut cum summo Theologo S. [g] Augustino loquar,) *in communi Episcoporum specula pastorali, celsiore præeminet fastigio*. Ecquis verò est qui majora desideraverit Pontificii suprematûs argumenta?

RAINOLDVS. Si quis desideret: aliàs ei quærenda sunt. Apud Stapletonum certè tuum non est inventurus. Præcipua enim ista sunt ex universis quæ in ejus reponuntur ærario. Quæ ideo selegit, & [h] muneri misit Gregorio decimo tertio: ut argumento essent quanta de Sanctitate ejus prędicent, pro liberalitate ejus quā in Anglicana præbet Seminaria. Verùm is unum alium illi titulum muneri mittit quem tu omiseras: qui tamen præ cunctis ceteris ipsum evehit.

HARTVS. Non ex illis quos Patres ei ascribunt. Forsan illum [i] Imperatoris intelligis.

RAINOLDVS. Minimè verò: illum ego Stapletonianum intelligo, * *Supremum in terris Numen*. Nullius quidem certè Patris testimonio confirmatur. Verùm, ut in isto titulo egregium se Pontifici adulatorem præbet: ita, in reliquis egregium sophistam tibi. Isti enim tituli *nostri Principis, verticis, Coryphæi, & κορυφαιοτάτου cœtûs Apostolici, totius orbis Magistri, alterius patrisfamiliâs*, & *primogeniti*, ab Optato, Chrysostomo, Epiphanio, & [k] spurio Augustino, *Petro* non *Pontifici* attribuuntur. Stapletonus istos dum commemorat, *Patrum* ait *se verbis uti*: quod astutiùs dictum est. Verissimum enim est *ipsum eorum verbis uti*, etsi sensu eorum planè non utatur. Illum verò *universalis Patriarchæ* titulum, Concilium *Chalcedonense* (quod in hanc rem citat) Pontifici non ascripsit.

HARTVS. Nónne? Annon [l] Theodorus aliiq; ibidem nonnulli Leoni Pontifici ascripsērunt?

RAINOLDVS. Pauculi miseri supplices, in suis ad illum & Synodum supplicationibus, ejus gratiam hoc titulo aucupati sunt. Sed neq; Synodus, neq; unus aliquis Synodi Episcopus illi detulerunt.

HARTVS. Consensu saltem, & judicio suo detulerunt. Nam reprehensuri

[q] Vt ostendūt Clementinæ: & Iohan. Andr. in princip. Clementin.
[r] Summa de Ecclesia lib. 3. c. 22, 23. & 25.
[s] Canus locor. Theolog. l. 5. c. 5. Sander. de visib. Monar. Eccles. lib. 2. c. 5. & cet. passim.
[t] Conc. Chalced. act. 3. & 8.
[u] act. 3.
[x] Cyprian. l. 3. epist. 11.
[y] Optatus l. 2.
[z] Victor de persequut. Vādal. lib. 2.
[a] Chrysost. homil. 87. in Iohan.
[b] In Anchorat.
[c] Hom. 87. in Iohan.
[d] Ambr. comment. in 1. Tim. 3.
[e] Aug. quæst. ex novo Test. quæst. 75.
[f] Chrysost. hom 59. in Matt.
[g] Lib. 1. cap. 1 ad Bonifaciū.
[h] *Epistola dedicatoria Pontifici optimo maximo Gregorio decimo tertio, ad humillima pedum oscula.*
[i] Martianus in ep. ad Leonē.
* Simillima vox illius, quæ audiuntur act. 19 28. *Magna est Diana Ephesiorum.*
[k] Quem ita perstringit & evincit Alfonsus, adversus hæres. lib. 10. in Melchisedec & Theologi Lovanienses, Cēsura in lib. quæst. vet. & novi Test. in append. Tom. 4. oper. August.
[l] Concil. Chalced. act. 3.

fuissent, quum in supplicum libellis audirent lectitatum, nisi approbassent.

RAINOLDVS. Ain' verò? Quid igitur de [m] Synodo Lateranensi censes? Ubi Pontifici dicitur, (idq; in [n] concione,) (1) *illi datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra*; etiam, quod majus est, (2) *in illo esse omnem potestatem supra omnes potestates, tam cœli, quàm terræ?* Istósne blasphemos sermones approbavit Synodus? Non reprehendit.

HARTVS. Atqui Chalcedonensis Concilii Patres ipsi obtulerunt titulum *universalis Patriarchæ* Leoni Pontifici, ut [o] Gregorius scribit: non modò ab aliis datum audiverunt.

RAINOLDVS. Gregorius verò affirmat [p] *novum esse, superbum, pomposum, profanum*, [q] *temerarium, perversum, ineptum, abominabilem*, [r] *impium, &* [s] *superstitiosum titulum*; [t] *nomen singularitatis, arrogantiæ, blasphemiæ*. Chalcedonensis autē Concilii cœtus ex sexcentis Episcopis & triginta constitit, sanis religione, & zelo Divinæ gloriæ inflammatis. Dabis mihi veniam, si unius Gregorii fidem elevem potiùs; quàm sexcentos & triginta tales Episcopos id iniquitatis stultitiæq; commissuros fuisse existimem. Nam neq; obtulisse ipsos, quicquam exstat documenti in ulla parte Concilii, quod tamen integrum exstat: & quod impulit [u] Gregoriū præter veritatem referre de Episcopo Constantinopolitano, eodem quoq; induci poterat, ut de istis similiter Episcopis præter veritatem referret. In quo sanè affectus ejus suspectior videatur, quòd [x] asserat insuper *prædecessoribus suis oblatum esse, non modò à Concilio, sed & à Patribus sequentibus*. Nomina verisimile est horū *sequentium Patrum* preditura fuisse, si præstò fuissent, re quidem momenti tanti id flagitante. Quanquam si illi, Conciliúmq; pariter, non solùm obtulissent, sed etiam dedissent: tamen dedisse poterant habita minoris præeminentiæ ratione, quàm Papatûs. Quod necessariò fuisset faciendum Synodo: aliàs [y] suis ipsi decretis & actionibus contradixissent. Et verò [z] Pontifex ipse Constantinopolitano Patriarchæ eundem dedit, tanquam honoris titulum (spero,) ac non potestatis. Primus igitur titulus, impositus Chalcedonensis Concilii Patribus, Pontificium non arguit suprematum. Multo quidem minùs proximus ille, adductus ex Cypriano. Etiamsi enim Cornelius, pius Episcopus Romanus, istic *Episcopus Catholicæ Ecclesiæ* appelletur: ita tamen appellatur, non quà verbum illud [*Catholicæ*] *universalem* designat, sed quà *rectè credentem* significat, *fidémq; Catholicam tenentem*. Quare non magis pro suprematu ejus, quàm [a] Athanasii Alexandrini Episcopi, [b] aliorúmq; Catholicorum Episcoporum facit, qui omnes *Ecclesiæ Catholicæ Episcopi* nuncupantur.

HARTVS. Particularis Ecclesia dici *Catholica* potest, ratione Catholicæ fidei quam profitetur. Atq; ita fuit Athanasius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ.

RAINOLDVS. Et Cornelius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ Romanæ.

HARTVS. Immo, ille Episcopus exstitit Catholicæ Ecclesiæ totius orbis terrarum, non tantùm urbis Romanæ. In [c] eodem enim loco sequitur, *unum esse debere Episcopum in Eccesia Catholica*.

RAINOLDVS. Hoc est, in *Catholica* urbis Romanæ *Ecclesia*. Nam Cornelius ipse, in cujus epistola hoc scriptum est, alibi dicit, ([d] super re eâdem agens,) *unum esse debere Episcopum in Ecclesia Catholica, in qua sunt quadraginta & sex Presbyteri & septem Diaconi*. In [e] Synodo autem quadam, quæ tum temporis habebatur Romæ, plures quàm *sexaginta Presbyteri & Diaconi* convenerunt: quot centuriæ præterea in terrarum orbe? Quare, quum *sex & quadraginta Presbyteri, septémq; Diaconi,*

[m] Concil. Lateran. sub Leone decimo. sess. 10.
[n] Stephan. Archiep. Patracen. & Episc. Torcellan.
(1) Dicitur Leoni Pontifici decimo.
(2) Dicitur de Eugenio tertio.
[o] Regist. l. 4. ep. 32. & 36.
[p] Ep. 32.
[q] Ep. 38.
[r] Ep. 39.
[s] Lib. 6. ep. 24.
[t] Lib. 4. ep. 32. & 38.
[u] Regist. lib. 7 ind. 2. ep. 63. ut ostendi in superiori sectione.
[x] Lib. 7. ind. 1. epist. 30.
[y] Conc. Chalced. can. 9. & 17. & 28. & in sessionibus passim.
[z] Adrianus primus. Synod Nicen. 2. act. 2.
[a] Epist. Arsenii apud Athanas. apol. 2.
[b] Epist. Concilii Nicæni: Socrat. l. 1. c. 6. & Concilii Sardicensis: Theodoret. l. 2 c. 8. Quint. Concil. Constantinop. c6. sess. 8. in subscription.
[c] Lib. 3. ep. 11. epist. 46. edit. Pam. *Cornelius Cypriano.*
[d] Epist. ad Fabium Antioch. Episcopum.
[e] Euseb. hist. Eccl. l. 6. c. 42.

mi, non fuerint omnes qui usquam erant orbis terrarum, sed urbis Romanæ Presbyteri & Diaconi: ex eo consequitur Catholicam Ecclesiam in qua dicit *unum esse debere Episcopũ*, Catholicã fuisse Ecclesiam Romanę urbis, non terrarũ orbis. Atq; hunc verissimũ sensum esse eorum quæ dicta sunt à Cornelio, valde apertum facit occasio ipsa unde sermo ejus enatus est: uti etiam canon Nicenæ Synodi ab eadem manans occasione. Quum enim iis temporibus schismate & hæresi Novati [e] perturbabatur Ecclesia: Novatiani repudiantes Catholicorum communionẽ, novos consecrârunt Episcopos, qui hæreticis suis Synagogis & schismaticis conventibus præessent. Unde factum est, ut in eadem civitate duo sederint Episcopi, alter Catholicus, alter hæreticus: ut Romæ, [f] Cornelius, & Novatianus; apud [g] Carthaginem, Cyprianus, & Fortunatus. Catholici igitur, fidei & caritatis communione cõjuncti Cornelio, [h] illum *Ecclesiæ Catholicæ Episcopum* appellabant: Novatianos ut hæreticos schismaticósque, unà cum eorũ Episcopo Novatiano, condemnantes. Atq; ut dixerunt porrò, in *Ecclesia Catholica unum esse debere Episcopum*, juxta veterem cõsuetudinem, ut [i] ostendi: ita decretum est à [k] Nycæna Synodo de Novatianis qui evaserunt Catholici, ut, *si quis Episcopus eorum converteretur*, [l] *& esset alius in Ecclesia Catholica Episcopus, ne Episcopi locum possideret, sed Presbyteri, ne in una civitate duo Episcopi probentur exsistere*. Quare *Catholicæ Ecclesiæ Episcopatus*, Cornelii temporibus, ea fuit cura quæ cuiq; Catholico Episcopo deferebatur. Neq; quicquam ampliùs volebant qui asserebant, *unum tantùm Episcopum esse debere in Ecclesia Catholica*; quàm Chrysostomus, qui Sisinnio Novatiano Constantinopoli Episcopo dixit, *unam civitatem non posse duos Episcopos habere*.

HARTUS. Sed scribit [m] Cyprianus, *neq; aliunde hæreses obortas esse aut nata esse schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur. Cui, si secundùm magisteria divina obtemperaret fraternitas universa: nemo adversùm Sacerdotum collegium quicquam moveret*. Ubi, per *unum Sacerdotem*, unum Episcopum designat; & per *Episcopum unum*, Cornelium Pontificem, ad quem hæc ipsa scripsit. Quare confitetur Pontificem Episcopum esse totius Ecclesiæ; docétq; ut de eo, tanquam *uno Judice ad tempus vice Christi*, cogitemus.

RAINOLDUS. Semper in eodem peccas. *Ecclesia* illa in qua Cyprianus præcipit *obedientiam* præstandam *uni Episcopo & Judici Christi vice*, particularis est cujusq; urbis Ecclesia, non universalis. Hæc enim loquitur injuriâ commotus, quam ipsi Novatiani qui Carthagine morabantur, intulerunt: qui istic novum ei opposuerant Episcopum; quemadmodum socii eorum Romæ, Cornelio. Et quidem, ut verba tùm (1) præcedentia, tùm quæ (2) sequuntur, ostendunt ipsum hæc de omnibus Catholicis Episcopis, singulis in suis sibi commissis provinciis intelligere: ita universæ filũ orationis ipsæq; circumstantiæ arguunt, eum hæc ad seipsum, non Cornelium accõmodare. Præsertim verò, illud, *de Episcopo qui plebi suæ in Episcopatu quadriennio jam probatus est*. Quod nullo modo convenire Cornelio potest, qui [n] non triennio sedebat Episcopus. Ceterùm, si, quoniam hoc Cyprianus ad Pontificem scribat, tantopere præjudicatum habeas idem Pontifici esse peculiare: cognoscas licet idem eum de seipso [o] ad alium expressè scribere; *Inde schismata & hæreses obortæ sunt, et oriuntur, dum Episcopus, qui unus est, et Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur*. Quamobrem, etiamsi [p] Rhemenses vestri [q] aliiq;

[e] Sicut ostenditur suprà, Cap. 5. Sect. 2.
[f] Cyprian. ep. 52. ad Anton.
[g] Epist. 55. ad Cornelium.
[h] Ep. 40. Cornelii ad Cypr.
[i] Sectione tertia hujus Capitis.
[k] Can. 8.
[l] Socrat. hist. eccl. l. 6. c. 20.
[m] Epist. 55. ad Cornelium.
(1) *Sacerdotum hostes, et contra ecclesiam Catholicam rebelles.*
(2) *Sacerdotes, id est, dispensatores Dei.*
[n] Eusebius in chronico. Damasus in Pontificali. Platin. de vit. Pontif. Genebrard. chron. lib. 3. Onuph. in chron. Pont. Rom.
[o] Epist. 69. ad Florentium.
[p] Annot. in Luc. 22. 31.
[q] Polus Card. pro Eccl. unit. defens. lib. 2. Remsidus Rasfus, duplicat. in patronum Molinæi pro Pont. Maxim. Canisius Catechis. de præceptis Eccles. tit. 9. Lindanus Panopliæ Evangelicæ, lib. 4. cap. 86. Pamelius Annotat. in Cyprian. epist. 55. Copus dial. 1. ca. 18. & 21. Hardingus & Dormannus contra Iuellũ. Quanquam Dormannus (edoctus veritatem à Nowello) agnosceret Cyprianum hæc de omnibus Episcopis intelligere: quod Stapletonus (pro Hardingo) etiam fatetur. Cujus exemplo commotos oportuit Rhemenses, ut istic Cypriano parcerent.

ex amicis Pontificis omnia moliantur aliis verbis, de *uno Sacerdote & uno Judice ad tempus vice Christi*: tamen re quidem ipsa non minùs Roffensis Episcopi intersunt, quàm Romani Pontificis. Quo magis culpandus Stapletonus, qui quantumvis hæc sciat & fateatur non [r] aliàs modò, sed in [s] hoc ipso *Principiorum* suorum opere; in ejusdem nihilominus [t] conclusione eadem revocet ad Pontificem. Mirum, quod in suâ ad Gregorium præfatione præterierit. Satius ei adduxisse, quàm quod adduxit, *Caput omnium Ecclesiarum*: Qui titulus apud [u] Victorem Ecclesiæ Romanæ, non Episcopo attribuitur: & minùs istic Papatum attingit, quàm apud Gregorium, apud quem tamen hoc non evincit, ut [x] ostendi. Quod verò deinceps sequitur ex *Ambrosii in Paulum ad Timotheum commentariis*, majorem præ se speciem fert: ubi Damasus (Romanus id temporis Episcopus) dicitur *rector Ecclesiæ*. At, primùm quidem, quisquis ille fuerit qui illum conscripsit commentarium, non erat Ambrosius, celeberrimus ille Mediolanensis Episcopus: cui *falsò ascribuntur commentarii in Paulum*, ut [y] vestri Lovanienses Theologi observârunt & contestantur. Deinde, verba ipsa quæ apud autorem illum sequuntur, post mentionem factam *domûs Dei*, [*cujus hodie rector est Damasus*,] non sunt, meo judicio, ipsius autoris verba, sed glossa quædam quæ in illa irrepserit. Ubi enim Paulus, scribens ad Timotheum, causam significaret, scilicet, *ut nôris quo modo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi*: [z] commentarius in hunc locum ita exponit, *Scribo tibi ut scias quomodo Ecclesiam ordines, quæ est Domus dei: ut quum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus ejus dicatur*, [*cujus hodie rector est Damasus*.] *Mundus enim in prævaricatione est, diverso turbatus errore. Ideo illic necesse est dicatur esse Domus Dei & veritas, ubi secundùm voluntatem ejus timetur.* Quibus in verbis si illud de [*Damaso*] omitteretur, posterior sanè clausula, quæ prioris rationem quandam complectitur, magis convenienter & aptè cum eadem cohæresceret. Quod facit ut existimem non fuisse in contextu ab *autore* defixum, sed rimam quandam invenisse per quam ingressum sit; [a] ut alia quædam glossa de [*Damasi successore*] injecta est in [b] Optatum. Et eò sanè faciliùs inducor ut existimem, quoniam *nonnulli ex multiplici collatione persuasum habent*, (ut [c] Lovanienses Theologi observant,) *libellum quæstionum veteris & novi Testamenti inscriptum Augustino, & hoc inscriptum Ambrosio, opus ejusdem esse autoris*: [d] qui enim illum scripsit librum, non in vivis fuit (ut verisimile est) Damaso Pontifice. Quanquam, ut fuerit, & propensâ quadam in Romam, [e] ubi versatus est, affectione inductus, commodum putârit mentionem ejus facere: verba quæ ille usurpat, [*cujus hodie rector est Damasus*,] significare poterunt *Damasum* fuisse [*rectorem quendam Ecclesiæ*;] non, [f] ut vos Anglicè interpretamini, [*the ruler*,] hoc est, *illum rectorem*: quod quidem ita se habuisse ampliùs liquet ex vocabulo [*hodie*,] quod habitâ Timothei seculi ratione, dicitur: ut, quemadmodum ille administrabat Ecclesiam Pauli temporibus, ita hoc tempore rector ejus exstiterit Damasus. Quando igitur Timotheus [g] Ephesi esset constitutus ut illam Ecclesiam gubernaret, non ut universam regeret: Damasus similiter *rector Ecclesiæ* dici poterat, quòd *Romanæ Ecclesiæ Sacerdos* esset, ut vocatur ab [h] Ambrosio, etsi non fuerit *universalis Ecclesiæ rector*. S. Augustinus postremus eorum est quorum testimonia adduxisti. Et verò, *præeminentia illa in celsiore fastigio*, cujus [i] is meminit ad Bonifacium primum, prærogativâ *honoris* præ aliis arguit, nõ *potestatis* supremam. Honoris prærogativâ, juxta [k] primæ Synodi Constantinopolitanæ canonem; qui

[r] In Anglicano opere inscripto, *A returne of untruthes on M. Jewels replie*. Art. 4.
[s] Princ. doctr. lib. 7. cap. 1.
[t] In conclusione totius operis & admonit. ad Lectorem.
[u] De persequut. Vandal. lib. 2.
[x] Sectione quinta hujus capitis.
[y] Præfa. in Biblia excusa Antuerp. à Plantino. & Censur. in lib. quæst. vet. & novi Testam. Tom. 4. in appendi. operum August.
[z] *Commentaria quæ Ambrosii titulum ferunt*, in 1. Tim. 3.
[a] *Damaso Siricius hodie*.
[b] L. 2. ut Balduinus ostendit, Annot. in Optat. lib. 1. & 2.
[c] Censur. in l. quæst. vet. & novi Test. in append. oper. Aug. Tom. 4.
[d] Scripsit 300 an. post Christũ. quæst. 44. Damasus autẽ Pontifex erat circiter 370. Hier. in Chro.
[e] L. quæst. vet. & nov. Test. quæst. 115.
[f] Rhem. in Annot. suis in 1. Tim. 3. 15.
[g] 1. Tim. 1. 3.
[h] Epist. ad Valentin. imper. cõt. Symmac.
[i] Contra duas epist. Pelagianor. ad Bonifacium, l. 1. c. 1.
[k] Can. 3.

(1)*hanc prærogativam Sedi Romanæ* detulit,(2) *quòd illa regnaret civitas*: nõ *potestatis* suprematũ,ut constat ex Africana Synodo; ubi illam [l] denegavit huic eidẽ Bonifacio,cui *præeminentiam* istam concessit. Quare dignitatẽ loci solùmodo Augustin[9],*celsiore fastigio* denotavit.Queãdmodũ quoq; [m] alibi,postquã nominasset Cyprianũ,Olympiũ,aliósq; veteres scriptores, ait *Innocentiũ ipsis tempore posteriorem fuisse,priorem loco*:quoniam illi inferiorum urbium Episcopi erant; iste,Romanæ.

Hartus. Atqui [n] S. Augustinus disertis verbis affirmat,*principatum Apostolicæ* [*] *Cathedræ in illa Ecclesia perpetuò viguisse.*

Rainoldus. Verùm non minùs disertis verbis addit Augustinus, *posse Episcopos aliorum collegarum judicio,præsertim Apostolicarum Ecclesiarum,causam suam integram reservare*: & *generalem Synodum* superiorem esse *Pontifice* in illis etiam *causis* dijudicandis.Quod liquido argumento est,eum per *Apostolicæ Cathedræ principatum*,nihil aliud voluisse quàm Romanam Ecclesiam principem esse aliarum Ecclesiarum (ut dixi)*honore*,non *potestate*.Nam *potestate* quidem, omnes aliæ, saltem *Apostolicæ*,(hoc est,in quibus fides Christi ab ipsis Apostolis erat prædicata,) pares huic constituuntur.In omnibus autem illis, in quibus Apostoli ipsi fidem prædicârant,Romana *honore* & *existimatione* facilè princeps exstitit. Atq; ita ego fidẽ meam liberavi; qua tenebar ut Pontificio suprematui assentirer,si eundem tu testimoniis & judiciis *Patrum*,ritè productis atq; accõmodatis evinceres.Nemo enim ex omnibus illis quos protulisti, neq; alius Ecclesiæ, neq; ipsius Romanæ id affirmat.Unde prorsus impudentem [o] Bristoi vanitatem est videre: qui,id parum putans de *omnibus Patribus* asserere,*eos Papistas exstitisse*; adjicit, *nos ipsos in privatis inter nos colloquiis minimè vereri idem apertè confiteri.* Dominus verò,qui cogitationum nostrarum,dictorúmq; testis est,novit istic improbam nobis calumniam fieri. Et quidem ad me quod attinet, ita longè absum ut *omnes apertè confitear Papistas fuisse*:ut ne unum quidem ex iis Papistam fuisse apertè docuerim & confirmârim.Ipsa enim essentia *Papistæ* in ista *de Pontificis supre matu* consistit opinione. At *Pontificis suprematum* nemo *Patrum* approbavit. Non unus igitur ex universis *Patribus Papista* exstitit.Quare,si *Patres* tantâ reverentia veneratioņéq; prosequaris,quantâ vis videri: moveant te,Harte,si non *Scripturæ*,at *Patres* tamen,ut *Papismum* deseras;deferásq; cuique Pastori & Ecclesiæ jus suum,quo ipsos locupletavit Christus, & Pontifex spoliavit.

(1) τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, (2) διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην. Quam facti hujus rationẽ reddit Concilium Chalcedonense, can. 28.

[l] Ep. Conc. Afric. ad Bonifacium, & Cœlestinum.

[m] Contr. Iulian. Pelagian. l. 1. cap. 4.

[n] Epist. 162.

[*] Hoc explicatum est superiùs, c. 7. Sect. 8.

[o] Motiv. 14.

Cap. 9.

1 Ecclesia columna est & fundamentum veritatis. Communis consensus & praxis Ecclesiæ ante Nicenam Synodum; 2 Synodus Nicæna, 3 Antiochena, Sardicensis, Constantinopolitana, Milevitana, Carthaginensis, Africana, 4 Ephesina, Chalcedonensis, Constantinopolitana iterum, & Nicæna, Constantiensis, & Basileensis; unà cum judiciis Academiarum, & singularum Ecclesiarum per universum orbem Christianum: omnes Pontificis suprematum condemnantes.

*SECTIO PRIMA.



HARTVS. Ecclesia *Pontificii suprematûs* doctrinam agnoscit esse Catholicam. Quare non rectè facis, qui illam nomine *Papismi* notas. Nam [a] *Ecclesia columna est et fundamentum veritatis.*

RAINOLDVS. *Ecclesia columna est & fundamentum veritatis* munere & officio: & [b] *Sacerdos angelus est Domini exercituum.* Verùm, ut [c] *Sacerdotes* erant, qui commissum sibi negotium in enuncianda Dei voluntate nō sunt exsequuti: ita esse possunt *Ecclesiæ*, quæ minimè sustinendæ tuendæque veritati incumbent.

HARTVS. Quinimmo illud perpetuò *verum est*, quod *Ecclesia* edocet. Non enim dicit B. Apostolus, debere eam esse *columnam & fundamentum veritatis*, sed omnino esse.

RAINOLDVS. Neque dicit Malachias, debere *Sacerdotem esse angelum Domini exercituum*, sed omnino esse. Et cur tandem illud ab Apostolo dictum est? Et cui?

HARTVS. Timotheo: *ut sciret quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi.*

RAINOLDVS. *Ecclesia* igitur, in qua *Timotheus* versatus est, & in qua se gerere oportuit pro munere eandem administrandi sibi delegato, à Paulo dicitur *columna & fundamentum veritatis.*

HARTVS. Rectè: quid tum postea?

RAINOLDVS. At [d] *Ecclesia* in qua *Timotheus versatus est*, Ecclesia fuit *Ephesina. Ephesina* igitur *Ecclesia* dicitur *columna & fundamentum veritatis.* [e] *Ecclesia* verò *Ephesina* damnavit illam *Pontificii suprematûs* doctrinam: neq; hęc solùm *Ecclesia*, sed & aliæ quoq; Orientis. Quare, si illud perpetuò *verum* sit *quod Ecclesia edocet*, quoniam à Paulo *columna & fundamentum veritatis* dicitur: *Pontificii suprematûs* doctrina impia est, & *Papismus* hæresis.

HARTVS. In eo errārūt Orientis Ecclesiæ. At ab Occidēte Catholica doctrina censetur. Et omnes priscæ Ecclesiæ cū Orientis, tū Occidentis, ascripserunt suas ei sententias, donec schisma & hæresis ipsas à se invicem sevellissent.

RAINOLDVS. Quod perinde ad veritatem propensum est, atq; illud superius de Patribus. Nam, præter Italicæ factionis catervam, quæ evexit *Pontificem*, ut simul cum eo ipsa rerum potiretur, omnes Christianæ Ecclesiæ damnârunt ejus per tyrannidem occupatum dominatum, & ad hodiernum usque diem damnant.

HARTVS. *Omnéśne Ecclesiæ Christianæ?* quis unquam hoc ante te dixit? aut quem unum ejus testem habes?

RAINOLDVS. Pastores ipsos Doctorésq; in Synodis & Conciliis: ubi Ecclesiasticæ suæ politiæ, singuli iis quibus floruerunt seculis, cōsuluerūt. Nā, ut ab antiquissimis ordiar, hisq; gradibus ad nostros descendā: (1) *statutū est* ([f] Cypriani tēporibus) *ab omnibus, ut uniuscujusque causa audiretur, ubi est crimen admissum.*

HARTVS. Hoc de prima causarū cognitione, non de postrema accipiendū est. Romæ enim post appellationes factas audiri poterant, si, quum priùs domi cognitæ fuissent, non factum esset satis iis quorum causa agebatur.

RAIN. *Causa* eorū qui à Cypriano cōmemorātur, *priùs* domi (2) *cognita* est ab Episcopis Africanis, qui iis cōmunionē fideliū interdixerūt. Eos nihilomin⁹ reprehēdit, quòd *Romā cōfugerent*. Quare edictū illud, quo ipse nititur, cavebat audiēdis definiendísq; *causis* tùm primò, tùm postremò, & quo demum cunq; tempore, adversùs eos qui appellabant (si ita tibi loqui lubeat,) *Romā*. Quod adhuc etiā planiùs ex-

[a] 1. Tim. 3. 15.
[b] Mal. 2. v. 7.
[c] Vers. 8.
[d] 1. Tim. 1. 3.
[e] Conc. Florē. Sess. ult. Laon. Chalcocondylas, de rebus Turc. l. 6.
(1) *Statutum est omnibus nobis.*
[f] Ep. 55. ad Cornelium.
(2) *Jam causa eorum cognita est.*

pedit, quum illos (3) Romanos appellatores domum revocet, modò resipiscentes cupiant restitui; atque, *illic causam suam agere illos oportere, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint, neq; aliis Episcopis revocanda esse illa, quæ gesta sunt ab Africanis: nisi paucis desperatis & perditis minor videtur autoritas Episcoporum in Africa constitutorum, à quibus jam prius judicati & damnati fuerunt.*

HARTUS. Quando Cyprianus inficiatur *Africanos Episcopos minoris esse autoritatis*: non autumnandum tibi est, eum ipsos cum Romano Episcopo comparare, sed cum Episcopis Galliæ, Hispaniæ, Græciæ, aut Asię, & pręcipuè verò Numidię.

RAIN. Satius tibi esset dicere, quod [g] Jesuita quidam dicit, *apud Cyprianum nihil esse ejusmodi*: quàm ita absurdè * respondere. Nimis enim manifestum est cum iis ipsũ illos comparare, ad quos, qui ab ipsis damnati sunt, auxilii causâ cõfugerunt. Cornelius Romanus Episcopus is fuit. Statutum igitur est ab omnibus Episcopis Africæ, Italię, aliarúmq; terrarum in primæva Ecclesia, ne Pontifex Romanus Ecclesiasticarum causarum supremus Judex esset.

HARTUS. Quare ergo [h] Cyprianus à Stephano Pontifice contendit, ut submoveat Martianum, Novatianum hæreticum, Arelatensem Episcopum Galliæ; & in Episcopatum ejus alium substituat, Catholicum?

RAINOLDUS. Quinimo, [i] quare id à Cypriano factum asserunt vestrates, quod ab eo factum non est? Nam Stephanum rogat, *ut (4) ad Episcopos in Galliis scribat qui ipsũ excluderent; & literas dirigat in provinciã & ad plebẽ Arelate consistentẽ, ut novum eligant.* Quorũ utrũq; Pontificis refutat suprematũ. Cui neq; licebat eo tempore Episcopos loco suo movere; quemadmodum etiam [k] Aliacensis Cardinalis observat, cui displicet *Pontificem solum hodie illos deponere, quod tum à Synodo factũ est*: neq; post ritè depositũ Episcopũ, licebat creare novũ; sed à plebe civitatis & à provinciæ Episcopis eligebatur. Immo, Episcopus ab illis electus, legitimus censebatur Episcopus, etiamsi nequaquam fuerit à Pontifice confirmatus; etiam, licèt improbatus: ut ab [l] Africana Synodo contra eundem Stephanum declaratum est. Quare non hoc volebat [m] Cyprianus, posse illum submovere, & substituere Episcopum: sed debere quidem vicinis suis id faciendum consulere (6) *pro communi officio, quod quisque Pastor universis Christi ovibus debet, ut periclitantibus ipsis subveniat.* quando igitur primævæ Ecclesiæ instituta denegârint Pontifici summam potestatem judicandi, deponendi, creandique Episcopos, neque hæc modò, sed & alias Ecclesiasticas causas denegârint, ut ostendi: ex eo consequens est, primævam Ecclesiam suprematum Pontificium denegasse; aut, ut [n] Sylvii Cardinalis verbis loquar, *ante Concilium Nicænum sibi quisq; vivebat, & ad Romanam Ecclesiam parvus habebatur respectus.*

HARTUS. Atqui verò Synodus quædam [o] indicta est *Sinuessæ* (aut [p] *Suessæ*, ut quidã vocãt) ante Nicænũ Cõciliũ. Atq; istic, [q] postquã Marcellinˀ Papa accusatus erat quòd offerret incẽsa idolis: pronũciârunt Episcopi *ipsum à nemine posse judicari.* quod manifesto indicio est, eos suprematum ejus comprobasse.

RAINOLDUS. Concilium istud suppositititium est. quod ex eo licet perspicere, quòd referat *Diocletianum Imperatorem Romæ sermonem habuisse cum Marcellino, illumq; ad Idololatriam perduxisse.* quum [r] Diocletianus quidem per id temporis Nicomediæ esset, mille istinc disjunctus milliariorum intervallo. Præterea, Diocletiani bellum quod cum Persis gesserat, aliquot annis confectum est ante tempora hujus Concilii. Concilium tamen ait *Diocletianum, quum in illo jam bello versabatur, hoc accepisse.* Alterum exstat ejusdem farinæ Concilium, habitũ Romæ à Sylvestro Pontifice, [s] *circiter tempus illud quo Constantinus sua purgatus lepra est*; hoc est,

(3) *Sciunt quò revertantur.*
[g] Liber Anglicè scriptus, & inscriptus, *The discoverie of Nicols.* par. 3
* Ita respõdet Sanderus de visib. Monarc. eccle. lib. 7.
[h] Lib. 3. epist. 3. ad Stepha. epist. 67. Pam.
[i] Stapl. princ. doctr. l. 6. c. 17. *The Discov. of Nicols.* part. 3.
(4) *Ad coepiscopos nostros in Galliis.*
[k] De reform. eccl. consid. 3.
[l] Epist. Synod. Afric. ad cler. & pleb. in Hispan. Cyprian. epist. 68.
[m] Epist. 67. ad Stephanum.
(6) *Idcirco enim copiosum corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutino atq; unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresin facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant ceteri, quasi Pastores utiles & misericordes, qui oves Dominicas in gregem colligant.*
[n] Aen. Sylvius Card. ep. 288.
[o] Bellar. prælect. Rom. cõtro. 4 quæst. 5.
[p] Sig. de Occident. Imp. li. 1.
[q] Marcellini Papæ cõdemnatio. Tom. 1. Concil.
[r] Ut ostendit Sigonius: de Occident. Imperio. lib. 1.
[s] Synod. Roman. sub Sylv. Pap. act. 1. c. 1.

[t] nun-

nunquam. In cujus canonibus (u illis quorum prima verba,* *Nemo enim*,) quidam est,x *Nemo enim*, in eundem finem, in quem tuus Sinuessanus. Verùm quid germani primævæ Ecclesiæ Episcopi de illo judicando censuerint; aperuerunt judicio suo quod de socio ejus Antiochiæ, Paulo Samosateno statuebant: y quem Episcopi & Presbyteri provinciæ suæ, & cõmunione sua excludebant, & Episcopatu privabãt; contra commentũ Concilii tui,z *Neminẽ unquam Episcopum suum judicasse.** Quare, ut revertamur ad primæ Ecclesiæ decreta & canones, ab istis Papalibus cõmentis Conciliorum quæ nunquam sunt indicta: prima generalis Synodus Nicena Pontificem in pristina conditione sua detinuit. Nam edixit, *ut* a *Episcopi ab Episcopis provinciæ suæ ordinarentur*, nullo ejus petito consẽsu: neq; potestatẽ audiendi definiendique causas Pontifici dedit, sed b *provinciæ* item *Episcopis*; jubens *ut vetus canon observaretur, ne ab aliis illi qui ejecti erant & condemnati*, *ad communionem reciperentur.*

Hartus. Rectè: si jure *ejecti* essent & *condemnati*. Quòd si verò ab Episcopo suo exorta aliqua offensione tractati injustè fuissent, & injuriosè exclusi communione; quod ab illo committi potuisse non potes negare: profectò rationi consentaneum est, ut aliqua medicina adhiberetur. Ut autem medicina adhibeatur, Romanus Pontifex appellandus est.

Rainoldus. Ista verò *medicina* à novis Medicis excogitata est, qui nollent nihil agere: morbos adauget. Nicæni Medici prævidentes periculum, aliam melioremq; medicinam comparabant.

Hartus. Meliorem? quam tandem?

Rainoldus. Ut causa in Episcoporum Synodo audiatur, atq; ita communi ipsorum judicio definiatur. *Inquiratur*, inquiunt, *an pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, ab Episcopo seclusi sint. Quod ut decentiùs inquiratur, bene placuit, annis singulis per unamquamq; provinciam bis in anno Cõcilia celebrari: ut communiter, simul omnibus Episcopis congregatis provinciæ, discutiantur hujusmodi quæstiones. Et sic, qui suo peccaverunt Episcopo evidenter, excommunicati rationabiliter ab omnibus existimentur; usquequo Episcoporum Synodo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.*

Hartus. Fateor Nicænam Synodum res ab *Episcopo* primùm ad *Synodum* deducere. Verùm, si à *Synodo* etiam injusta feratur sententia; tum Pontifex certè ultimum restat perfugium.

Rainoldus. Non hoc Synodus volebat: sed ultimum perpetuò perfugium esse oportere Synodum. Non enim ait, *usquequo* Romano Episcopo, sed *Episcoporũ Synodo placeat humaniorem ferre sententiam.* Etiam, singularis honos ille & eminentia ejus, quam commemorat, est aperto argumẽto ipsam de ejusmodi generali potestate non somniasse.c Proximo enim in canone statim sequitur, *Antiqua consuetudo servetur, per Ægyptum, Libyam, & Pentapolin, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterásq; provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis.* Quę quidem Synodi verba nixa *more Romani Episcopi*, ut quemadmodum ille potestatem omnium Episcoporum habuit qui ipsi vicini erant, ita *Alexandrinus* & *Antiochenus* vicinorum suorum haberent, itémq; aliarum *Ecclesiarum* Episcopi, (ut Metropolitanus,) quiq; in *provinciis* suis: evincunt Pontificem neq; habuisse *præeminẽtem potestatem* omnium totius orbis Ecclesiarum ante Nicænam Synodũ, neq; debere majorem habere *potestatem* (Synodo judice) quàm qua priùs frueretur.

Hartus. Minimè verò; non istis verbis Synodus limites præscripsit

præ-

---

t Platin. de vit. Pont. in Marco. Naucler. Chronb. volum. 2. generat. 11. Vives de caus. corrupt. art. lib. 2. Alciat. parerg. jur. lib. 7. cap. 19.
u Synod. Rom. sub. Sylv. Pap. act. 2.
* Quibus verbis omnes ferè canones secundæ actionis, absurdissimè ordiuntur.
x Nemo enim dijudicet primã Sedem. cap. 20.
y Euseb. hist. eccles. l. 7. cap. 28. & 29.
z Nemo unquã judicavit Pontificem, nec Præsul Sacerdotem suum.
* SECTIO SECUNDA.
a Concil. Nicen. can. 4.
b Can. 5.
c Can. 6.

præeminentiæ & potestati Romanæ Ecclesiæ, sed potiùs ad illam tanquam ad exemplar se cōposuit, in aliis evehendis. *Nicæna enim Synodus* (inquit [d] Nicolaus primus) *non aliquid ausa est super eam Ecclesiā constituere, quū videret nihil supra meritū suū posse cōferri; omnia huic noverat Domini sermone cōcessa. Et, si instituta Synodi diligenter inspiciantur, invenietur profectò, quia Romana Ecclesia nullum eadem Synodus contulit incrementum; sed potiùs ex ejus forma, quod Alexandriæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.*

Rainoldus. Nicolaus Pontifex, quum cuperet suprematum suum Synodorum testimoniis confirmare, aliis impudenter confictis, ut in Synodo Sinuessana; aliis nequiter expositis, ut in * Synodo Chalcedonensi: nec haberet quod cōmodè diceret de Nicæno Concilio, hoc tandem architectatur responsum, quando melius non occurrit. Verùm, ut temulentus qui vertiginoso agitatur capite, aliam affectans viam, quandoq; ad aliam titubanter devolvitur: simillimè prorsus isti accidit. Quando enim ait *Synodum ex Romanæ Ecclesiæ forma, quod Alexandriæ Ecclesiæ tribueret, particulariter exemplum sumpsisse:* concedit, quemadmodum Alexandrinus Episcopus illorum tantùm potestatem omnium habuerit, qui in vicinis regionibus habitabant, similiter Romanum Episcopum habuisse. Quandoquidem etiam istud exemplum in eo probatum sit, & tāquam exemplar reliquis propositum; inde consequitur, Concilium decrevisse ut Romanus Episcopus istis se limitibus contineret. Quod planè ejusdem Nicæni canonis esse propositum, non modò singulares autores, [e] Rufinus, & [f] Cusanus, sed [g] generalis quoq; Synodus demonstrarunt. Et quidem certè, quòd ita in eo hæreant vestri, tanquam in visco aves, documento sit, sensu ipso & communi ratione judicibus, illud directè facere contra Pontificium suprematum. [h] Gratiano enim referente, quod acceperat, *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolin, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem & Romano Episcopo parilis mos est:* glossa exponit, *parilis, id est, similis in quibusdam, quoniam uterq; deponit Episcopos; vel dic, Romano, id est, Constantinopolitano.* Quarum expositionum quum prior periculosa sit, esse quenquam præter Papam qui deponere possit Episcopos: glossa quædam, in illam glossam superinjecta, posteriorem de Constātinopolitano probat, * *atq; meliorem esse secundùm Hugonem.* At falsus est Hugo. Quamvis enim non multos pòst annos Constantinopolis *Roma nova* sit appellata: [i] tamen neq; Roma dicta est, neq; Constantinopolis eo tempore, quo canon iste, de quo verba facimus, fixus est. [k] Carranza igitur rem juvat *antiquissima* quadam *editione, ipsi exhibita à quodam Cardinale:* quæ pro istis verbis, [*Episcopo Romano*,] habet, [* *Metropolitano.*] Et verò hoc opportunè faceret ad *scrupulum eximendum* (quemadmodum [l] ait eximere,) *illorum quibus visum est, quòd hic canon parem faceret Episcopum Romanum cum aliis Metropolitanis.* Sed quoniam [m] antiquissimorum tùm Pontificis ipsius, tùm aliorum exemplarium consensui repugnat, redarguitur ab [n] Andradio: qui, retento nomine *Episcopi Romani*, ait, per *morem* ejus *judicium* ejus designari. Dura sanè interpretatio, & prorsus contextui repugnans: qui confirmans approbánsq; *Alexandrini Episcopi consuetudinem, quòd (1) idem quoq; Romano Episcopo sit in more positum*, utrumq; (2) *antiquis moribus*, non alterū alterius *judicio* stabilit. Quare [o] Jesuitæ (perfectores Papismi) jam tandem concluserunt, *principium canonis deesse.* Quodnam? Istud; *Ecclesia Romana semper habuit primatum.*

Hartus. Et rectè quidem. Nam ita in [p] Chalcedonensi Synodo citatur.

Rainoldus. Ita ferunt: sed falsò. Et hoc quidem non sine elegante quo-

[d] Epist. ad Michael. Imperat. Conc. Tom. 3. Sur.

* can. 9. ubi, Nicolaus ait *Primatem diœceseos* Papā, aliúmq; neminem designare: quum tamen revera Synodus quęque Patriarcham eo nomine significaret, ut ostēdi, c. 8. sect. 5.

[e] Hist. Eccl. l. 1. c. 6.

[f] De concord. Cath. l. 2. c. 13.

[g] Synod. oct. gener. Cōstātinop. can. 17.

[h] Distinct. 65. c. mos antiquus.

* *Meliùs & planiùs secundùm Hug.*

[i] Sigon. de Occid. Imper. lib. 3. & 4.

[k] In summa Conciliorum.

* *Metropolitano Episcopo.*

[l] Carranz. annot. in 6. can. Conc. Nicæn.

[m] In Concil. Chalc. act. 16.

[n] Defens. fid. Trid. lib. 2.

(1) τοῦτο σύνηθές ἐστιν.

(2) τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω.

[o] Bellarm. in prælect. Rom. contr. 4. quæst. 5. Epitome controversiarum, controv. 3. quæst. 4.

[p] Action. 16.

dam fraudis artificio. Ibi enim Paschasinus (qui Pontificis ibidem Legatus fuit,) canonem illum in rem Pontificis afferens, hunc ei præfixerat titulum, [*Quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum:*] Jesuitæ supprimentes prorsus verbum [*Quòd,*] cetera tanquam canonis partem citant.

Hartvs. Forsan voculam illam [*Quòd*] supervacaneam esse existimabant.

Rainoldvs. Quin & de integro titulo idem censuerint, si quod in Synodo sequitur observassent. Idem enim canon recitatus continuò ex alio exemplari à Constantino Secretario, nullum ejus verbum habet. Sed ut missum faciam quomodo Pontificius Legatus *principium canonis* tractârit; Jesuitæ è medio ejus elabi non possunt, non magis quàm gregales sui. Nam *Romanus Lector* nō minus illaqueatus eo est quàm Nicolaus Papa, cujus *formâ* innititur. * *Epitome* quoq; *controversiarum* ad latus ejus jacet; majori specie, sed minori robore.

Hartvs. Utrùm titulus ille adjectus sit canoni à Legato Pontificis, an pars ejus fuerit, minimè refert. *Primatus* qui istic nominatur, delatus est Pontifici à Nicæna Synodo. Quamvis enim in vulgatis Conciliorum voluminibus viginti tantùm illorum canones jam exstent: octoginta tamen statuerunt. Quorum multis, Pontifici datum est *omnes majores causas judicare*, ut [q] Julius docet. Etiam, octoginta illi canones integri nuper Alexandriæ Arabica scripti lingua inventi sunt; & ex Arabico in Latinum ab erudito Jesuita conversi. In illis *Patriarchæ* dicuntur *omnes subditos suos regere, quemadmodum Pontifex omnium Patriarcharum Caput est, sicut Petrus: cui omnis potestas in omnes Christianos Principes datur, & in omnes populos eorum, ut qui Christi vicarius sit super omnes nationes terræ.*

Rainoldvs. Illud [r] Julii Pontificis jam [s] antea docui supposititium esse. Canones qui in eo citantur, ex eodem luto sunt. Contius, Jurisconsultus vester, dicit *illos* [t] *supposititios esse vel id ostendere, quòd nemo, ne Gratianus quidem ipse eos allegare ausus est.* Sed sine dubio, si (1) ita reposuisset illos Pontifex, quemadmodum supposititius Julius se recondidisse, (2) sacramento confirmat; Zosimus Pontifex, reliquiq; [u] qui tantas lites movebant Africanis Episcopis de Nicæna Synodo, eosdem inventuri atq; in medium producturi fuissent. At verò Arabici illi canones quos ab Alexandria attulit Jesuita, satis sint aut ad inferendam, aut ad accipiendam ab iis plagam capitalem. Quos enim Julius citat, non sunt in codice Arabico: quos item Arabicus habet, apud Julium non reperiuntur.

Hartvs. Etsi non citet illud de *Pontificis suprematu* Julius, quod habet Arabicus: at potuit tamen verum esse. Et quidem certè Arabici exemplaris fides permagna sit necesse est: quum præsertim certo ipsi numero Nicænorum canonum respondeat. Illi enim octoginta erant, ut scribit [x] Athanasius; qui à Marco Pontifice petebat perfecta horum exemplaria, quum ab Arianis exempla quæ erant Alexandriæ, fuissent cremata.

Rainoldvs. Et ad eum pariter [y] Marcus misit: unde utriusque literarum fraus proditur. Quos enim libros Ariani cremabant Alexandriæ, Constantio imperante combusti sunt: quemadmodum ex querelis germani [z] Athanasii appâret, qui civitate pulsus est. Marcus verò Pontifex circiter octo aut novem annos priùs excessit è vita, Constantino imperante: ut [a] Hieronymus testatur.

Hartvs. Verùm alii Patres de variis quidem rebus loquuntur, quæ decretæ sunt à Nicæna Synodo, (quod apud [b] Copum legas,) quarum nulla mentio est in illis viginti canonibus qui jam exstant.

Rainoldvs. Neq; in illis Arabici autoris octoginta. Quare, si *res variæ*, de

* Ita inscribūt librum quendam, de hujus temporis cōtroversiis: quē ex Iesuitarum dictatis Robertus Personius, in gratiam Anglicorum Seminariorum contexuit, ab illisque solet describi. Ubi (quoniā ejusmodi libelli apud suos alūnos manuscripti tantūmodo circumferūtur,) fingūt mentiunturq; impudentiùs quàm vulgò ausint in codicibus impressis. Ut cuivis hunc libellum habēti est videre, si ejusdem *tractationem de Papæ primatu* cum nostro colloquio contulerit.

[q] Rescript. Jul. Pap. contra Orient. Conc. Tom. 1.

[r] Conc. Nicen. edit. ab Altōso Pisano. can. 39.

[s] Cap. 8. sect. 6.

[t] Annot. in dist. 16. c. Septuaginta.

(1) *In sacro nostræ Ecclesiæ Sedis scrinio.*

(2) *Testis est divinitas.*

[u] In Concil. Carthag. 6. & African.

[x] Epist. Ægyp. Episc. ad Marcū Pap. Conc. Tom. 1.

[y] Rescript. Marci Pap. Athanasio & omnibus Ægypt. Episcopis.

[z] Epistol. ad Orthodoxos in persequut.

[a] In Chronico.

[b] Alan. Cop. dialog. 1. cap. 7.

quib[9] loquuntur, omnes varios canones arguât; Arabicus canon, quem [c] Harpsfeildianus Copus pro suprematu Pontificis affert, forsan evanuerit in suppositium. Immo, suppositius sit necesse est, quoniam canon est; si quam habes Patribus fidem. Illi enim viginti tantùm habuerunt; eosdem ipsos, quos & nos. [d] Augustinus pluresq; ducentis Africanis Episcopis plures non agnoverunt. [e] Cæcilianus Carthaginensis Episcopus à Synodo ipsa, cui intererat, plures non adduxit. [f] Cyrillus Alexandrinus Episcopus, & [g] Atticus Episcopus Constantinopolitanus, non fuisse plures affirmant. [h] Rufinus, qui illos retulit in historiam suam, plures non tradit. Deniq; [i] S. Isidorus, curiosus horum indagator, ait totidem planè fuisse. Quòd si verò *alii Patres* aliquid ostendant decretum à Nicæna Synodo, quod in istis canonibus non reperitur, uti [k] ostendunt quædam: *canones & decreta Tridentina Synodi* doceât te, quædam præterea *decerni* potuisse, ut tamen non plures quàm viginti sint *canones*.

HARTVS. Quid igitur ad illud respondes quod Zosimus in [m] Carthaginensi Cõcilio commemoravit, de *appellationibus Episcoporum ad Romanum Episcopum?* Illud enim non *decretum*, sed *canon* Nicænæ Synodi dicitur.

RAINOLDVS. Neq; *canonem* fuisse respondeo, neq; *decretum*: sicut [n] Africani Episcopi responderunt, & probarunt. Quin etiam [o] *Lector Romanus*, vestrorum princeps Jesuitarum, in eadem opinione constitutus est: qui adjicit, *sibi videri hunc canonem à Zosimo vocari Nicænum, quia canon Sardicensis est, & Concilium Nicænum & Sardicense pro uno & eodem habebantur, & utriusq; Concilii canones simul conjuncti erant in Bibliotheca Romana, tanquam si ejusdem Concilii essent.* Quare, quum Nicæna Synodus nullos statuerit canones præter vulgatos illos viginti, illiq; contra Pontificis suprematum loquantur, etiam ex [p] ipsius *Arabis* interpretatione: quicquid demum vel *Arabs* vel *Romanus* confinxerint contrarium, idem necessariò sit oportet adulterinum; proindéq; Pontifex furti oppressionisq; reus, Synodi illius celeberrimę sententia habetur.* Ad quam, etiam suam Antiochena Synodus sententiam adscribit. Antiocheni enim Patres idem cum Nicænis loquuntur, non solùm de [q] creandis Episcopis, sed etiam de [r] *causis* Ecclesiæ definiendis. Usq; adeò, ut *si* [s] *Episcopo accusato, Episcopi provinciæ de ipso non consentiant, aliis secundùm illum, aliis contra illum judicantibus*: non tamen rem ad Pontificem referant, sed *Metropolitano præcipiant, ut à vicina provincia Episcopos advocet, qui pariter residentes controversiam tollant.* [t] Quòd si *ab omnibus qui sunt intra provinciam Episcopis acceperit unam consonamq; sententiam; tum ab aliis ulteriùs judicari non poterit*, (ne à Pontifice quidem,) *sed manere circa eam oportet quæ ab omnibus prolata est, tanquam firmam ratamq; sententiam.*

HARTVS. Non potest tamen negari Sardicense Concilium à nobis facere. Illic enim statutum est, ut, [u] *si Episcopus aliquis depositus fuerit suæ provinciæ Episcoporum judicio, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ: Pontifex, si justum putaverit, scribere his* Episcopis *dignetur qui in vicina provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant; aut* * *è latere suo aliquos mittat, qui præsentes cum* Episcopis *judicent.*

RAINOLDVS. Quando istud à Pontificis Legato, pro Pontifice adductum fuit *Carthagine*; [x] *Africani* Episcopi (post multam disquisitionem) *se id à nulla Synodo decretum invenisse* respondent. quod commôvit [y] Doctorem quendam vestrum ut scriberet, *dubitari posse utrùm Sardicensis Synodus id necne constituerit.* Et verò, quum [z] in illa Synodo haud multo pauciores quadraginta Episcopis *Africanis* convenirent, quos verisimile est, domum canones ejusdem retulisse: non est

[c] Cap. 12.
[d] Cõc. Carth. 6. & Africanũ.
[e] Conc. Carthag. 6. c. 9.
[f] Conc. Afric. c. 102.
[g] c. 103.
[h] Hist. Eccles. l. 1. c. 6. quamvis divisis nõnullis ut can. 6. & 8. duos supra viginti numeret.
[i] In princip. Concilior. de Synodis princip.
[k] Conc. Antioch. can. 1. Theodoret. Eccl. hist. l. 1. c 9.
[m] Conc. Carthag. 6. c. 3.
[n] Epist. Conc. African. ad Bonifac. & Cœlest. c. 101. & 105.
[o] Bellarm. in prælect. Rom. contr. 4. quæst. 5.
[p] Concil. Nicæn. edit. ab Alfons. Pisan. can. 8.

*SECTIO TERTIA.

[q] Concil. Antioch. can. 19.
[r] Can. 6. & 12. & 20.
[s] Can. 14.
[t] Can. 15.
[u] Concil. Sardic. can. 5.
* Hoc est, ex Clero Romanæ Ecclesiæ: unde *Legati à latere* dicuntur.
[x] Epist. ad Celestinum, Cõcil. Afr. c. 105.
[y] Cusan. de Concordant. Cathol. l. 2. c. 25.
[z] Athan. in apolog. 2.

Cap. 9. Sect. 3.

addubitatio ejus à ratione aliena. Nisi fortè, quòd in [a] fonte & origine illius canonis *Julius* nominetur, in [b] quo Synodus singularem fiduciam ponebat, propter ea quæ contra Arianos gesserat: idcirco *Africani* Episcopi id unius *Julii* personæ, ac non universim Pontificibus datum esse; adeóq; [c] cum ipsa exstinctum esse, non cum illis durare existimarent. Sin autem verè fuerit edictum à Synodo, attributúmq; *Julio*, ut Pontifici, non ut *Julio*: [d] illi tamen, qui id asseverant quò Pontificis suprematum probent, perinde ratiocinantur, ut si quis totam Londinensem urbem sibi vendicaret, quòd unum aliquod domicilium Hogsduni possederit. [e] Sardicensis enim Synodus in omnibus, (præterquam in hoc solo,) suæ illum *provinciæ* astringit, similiter ut alios *Episcopos*; at verò in hoc ipso, ostendit non hoc eum jure pridem obtinuisse, sed jam tandem hujus vi concessionis; neque tamen ei de *causis* judicandi, sed judicium super iis latum *Synodo* commendandi potestatē permittit, aut (ut maximè) ut cum ipsis considеat in judicio; illi denique, quorum in *causis* tantum ei permittit, *Episcopi* sunt, [f] nulli autem præterea. Quanquam hoc quoque, *ut mitteret è latere suo aliquos qui pariter cum Synodo de causis eorum judicarent*, postea refixum est, & universum negotium *Synodis provinciæ*, aut *diæcesis* cōmissum, si *provincia* non sufficeret. Forsan, ex periculo facto mali alicujus eventuri: [g] quemadmodum rusticanus quidam (in Sicilia) ejectis ex agro suo lapidibus, ita vexatus cœno est, ut omnis frumenti fecerit jacturam, donec rursus lapides reposuisset. [h] Generalis enim Synodus Constantinopolitana edixit *Episcopis diæcesis* (qualis erat Ægyptus, multas suis finibus complexa provincias,) *ne tractent res Ecclesiarum quæ extra terminos (sibi præfixos) sunt*; jussitq; ut *res cujusq; provinciæ, ejusdem Synodus provinciæ dispensaret sicut Nicæno constat decretum esse Concilio.*

HARTUS. Atqui [i] *primatum honoris* Constantinopolitano Episcopo Synodus secundùm Romanum Episcopum ascribit. Unde evincitur Episcopum Romanum illius judicio omnibus *primatu* superiorem fuisse.

RAINOLDUS. *Honoris primatu*, Harte, non *potestatis*, sicut sæpius dixi. Nam *potestate* quidem eum fratribus suis parem statuit, omnes illos propriis *limitibus* circumscribens; decernens insuper [k] causas Episcopi cujusq; suæ Synodo audiendas, primò, *provinciæ*; deinde, *diæcesis*; nulla facta Pontificis mentione. *(1) Ceterùm tamen (2) honore* illum supremum collocant; proximum, Constantinopolitanum: quod ipsa Synodi verba indicant. Verissimum autem est, hanc celsitudinem & præeminentiam *honoris* ei libidinem excitasse, majorem quoq; *potestatem* concupiscendi, indéq; ipsum ad illam aspirasse. Nam, ut [l] homicidæ in Italia solent ad Sanctuaria confugere ut effugiant pœnas, & [m] Romulus vagos quosque nebulones excepit Romæ quibus suam conditionem eveheret: ita [n] dissoluti homines, quum minimè valerent flagitia sua contra jus & leges in sua provincia tueri, ad Pontificem convolabant; & [o] ambitiosa ingenia, sive ipsorum Pontificum, sive Pontificii comitatûs, ad majus imperium sub *Romanæ Ecclesiæ privilegiorum prætextu* aspirârunt. Verùm, ut generales Synodi generalia medicamenta adversùs ejusmodi incommoda comparârant: ita *provinciarum* & *diæcesium* Synodi eadem huic particulari malo pro Ecclesiarum suarum salute applicuerunt. Siquidem à Milevitano Concilio decretum est, ut [p] *si Presbyteri, Diaconi, vel ceteri inferiores clerici appellarent ad* [*] *Pontificem, à nullo intra Africam in communionem suscipiantur.* Carthaginense Concilium docet, [q] *idem se sæpius de Episcopis decrevisse.* Et verò quum non valerent nihilominus impudentia tortuosorum ingeniorum diverticula evitare, quæ refugium sibi constituerunt Romam; & Zosimus Apiarii cujusdam Presbyteri causam *recipiens, Episcopum ejus Urbanum aut excommunicari*

vellet,

[a] Concil. Sardic. can. 3.
[b] Theodoret. hist. Eccles. l. 2. c. 8.
[c] *Privilegium personale extinguitur cum persona* De regulis Iur. in sext.
[d] Sander. de visib. Monarc. Eccl. l. 7. Alan. Cop. dialog. 1. cap. 6.
[e] Conc. Sardic. can. 3. & 5.
[f] can. 13. & 14.
[g] Plini. hist. nat. l. 17. c. 4.
[h] Concil. Cōstantin. can. 2.
[i] can. 3.
[k] can. 6.
(1) μέντοι.
(2) τιμῆς.
[l] Masius in Iosuam. cap. 20.
[m] Liv. lib. 1.
[n] Concil. Afric. cap. 101.
[o] cap. 105.
[p] Concil. Milevit. can. 22.
* *Ad transmarina judicia*: quæ sunt verba Concilii quibus Pontificem intelligunt; etsi cum ineptè excipiat Gratianus. 2. q. 6. c. Placuit ut Presbyteri.
[q] Concil. Carthag. Græc. can. 28.

vellet, aut se Romæ sistere. Episcopi omnium provinciarum Africæ item cum eo ejusq; successoribus, Bonifacio, & Cœlestino, per quatuor aut quinq; continuorũ annorum spacium disceptabant. Postremò, quum vera & authentica exemplaria Nicænæ Synodi, qua nixus Pontifex est, conquisita essent ex Oriente; & ex iis quàm fraudulenter causam suam egisset Pontifex compareret: [r] narrabãt ei Africani Patres, *non licere ipsi eorum causas audire qui in Africæ provinciis degebant; neq; illos in communionem suscipere, quos illi ejecerant. Prudentissimè enim,* inquiunt, *justissiméq; Nicæna Synodus providerunt quæcunq; negotia in suis locis ubi orta sunt, finienda: nec unicuiq; provinciæ gratiam sancti Spiritûs defuturam, qua æquitas à Christi Sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur. Maximè, quia unicuiq; concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ, vel etiam * universale provocare. Nisi fortè quisquam est qui credat, uni cuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare.* Atq; ita porrò pergentes confirmare, *Pontifici non licere illorum causas judicare, vel per se Romæ; vel per Legatos suos, Româ missos:* conatum ejus modestè; sed ad vivum perstrinxerunt, eundem tanquam superbũ & *fumosum typhum seculi* condemnantes.

[r] Epist. Conc. Afric. ad Cælestin. c. 105.

* Hoc est, Concilium diœcesis, non totius orbis. Conc. Cõstantinop. can. 6.

H A R T V S. Miror si hæc scripserit Africana Synodus, quæ tu commemoras. [s] Torrensis enim ejus epistolam quandam citat, ut inde *Pontificis* evincat *supre-matum.*

R A I N O L D V S. Pari fide eam citat Torrensis, qua alius [t] Jesuita *quatuor generales Synodos:* utriq; fœdissimè abutentes quorundam specie verborum contra integrarum scopum & sensum sententiarum. Nam Synodus Africana, etsi aliquandiu Pontificem vendicantem pertulerit, donec Nicæni canones (quorum autoritate fretus is vendicabat,) consulebantur; tandem tamen damnavit, ut ostendi: & porrò ex *quatuor* illis *Synodis generalibus*, ut priores duæ Pontificem suæ *provinciæ*, aut (ut maximè) *diæcesis* regionibus concluserunt; ita duæ posteriores [u] Ephesina & [x] Chalcedonensis fecerunt, priorum canones & decreta confirmantes.

[s] Confess. aug. l. 1. c. 9. tit. 6.
[t] Campian. Ratione 4.

SECTIO QUARTA.

[u] In Sentent. super petitione Episcoporũ Cypr.
[x] Can. 2. & 19. [y] action. 16.

H A R T V S. Immo, dubio procul [y] Chalcedonenses Judices, postquam audierant priores canones, affirmârunt *se perpendisse omnem quidem primatum & honorem præcipuum, secundùm eos, Pontifici conservari.*

R A I N O L D V S. Verùm subjecerunt, *oportere Constantinopolitanum Patriarcham eisdem primatibus honoris & prærogativis dignum esse.* Quemadmodum etiam [z] Synodus ipsa *æquales prærogativas* utrisq; assignabat: decernens, ut *Constantinopolitana Sedes magnificaretur in Ecclesiasticis rebus ut Roma, & ab illa proxima esset.* Ubi manifestum est loqui Synodum de *honoris* eminentia, non *potestatis.* [a] Ipsa enim decreverat, ut inter Ecclesiasticos summus Judex, aut *Patriarcha diæcesis,* aut *Constantinopolitanus* statueretur. Unde majorem potestatẽ Cõstantinopolitano Patriarchę detulerunt, cui autoritatem singulas *diæceses* administrandi largiti sunt; quàm Romano Patriarchæ, quem suæ addixerunt. Usq; adeò, ut [b] Græci asserant *omnes totius orbis diæceses suo Patriarchæ subjici ex Chalcedonensis Synodi sententia.* At saltem si *potestatem,* ac non *honorem* solummodo Synodus respiceret, dũ *magnificari* præcepit: hoc tamen adhuc Pontificis suprematum refellit. Quod ex [c] Gratiano discas. Qui enitens confirmare eodem canone in [d] Constantinopolitano Concilio repetito, rem negativâ voculâ juvat: & ubi Synodus habuit; *Constantinopolitana Sedes * magnificetur ut Romana;* ille recitat, *Non tamen Constantinopolitana magnificetur ut Romana.*

[z] Concil. Chalcedon. can. 28.
[a] can. 9. & 17.
[b] Anna Comnena. Alexiad. lib. 1.
[c] Dist. 22. c. Renovantes.
[d] Sext. Synod. Constantinop. in Trullo, can. 36.
* ἰσ μεγαλυνέσθω.
* Cop. dialog. 1. c. 5.

H A R T V S. Concilium illud, in quo canon iste repetitur, * falsò nuncupatur

sextum generale Concilium. Illud enim nullos edidit canones.

RAINOLDUS. At Concilium tamen quoddam illos edidit Constantinopoli coactum, [e] autoritate *generalis* honestatum. Quos etiam [f] proximum generale Concilium confirmabat. Unde Pontificis quoq; suprematum refutabat. Immo, iterum [g] proximum de *Pontifice*, ut de aliis *Patriarchis* definiebat; idq; celeberrimi Nicæni innixum fundamento. Deniq;, ne longior sim, visibilem Ecclesiæ Monarchiam nulla unquam Synodus, sive generalis, sive provincialis illi concessit: donec Orientis Ecclesiæ rescissæ essent ab illis Occidentis, & Italica factio in Synodis rerum potiretur.

HARTUS. Quorsum id affirmas? quandoquidem [h] Laterana Synodus sub Innocentio planissimè approbârit; ipsis interea præsentibus Constantinopolitano & Jerosolymitano Patriarchis.

RAINOLDUS. Non ipsi veri, [i] opinor, Patriarchæ intererant. Quanquam, si interfuissent: poterant tamen Itali Romæ in Laterano absq; illorum consensu decreta sciscere. Sed ne ista quidem Synodus Pontificis Monarchiam comprobavit. Pontificia enim Monarchia plenissimus quidam est & absolutus potestatis in universam Ecclesiam dominatus. Unde [k] præcipui advocati ejus docent, *non generalem Synodum superiorem esse Pontifice, sed Pontificem superiorem Synodo.* [l] *Nam qui volunt* (inquit [m] Pater Robertus) *Concilium esse supra Pontificem, volunt eum esse in Ecclesia id quod est Dux Venetorum in repub. Veneta, supra singulos magistratus, & supra singulos Senatores, non tamen supra totum Senatum simul collectum. At verò Pontifex simpliciter & absolutè est supra Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, ita ut nullū in terris supra se judiciū agnoscat.* Jã verò, *ordinariæ potestatis principatus* Pontifici in *omnes Ecclesias* concessus à Lateranensi illo Concilio sub Innocentio, quasi *Ducatus* quidam *Venetorum* fuit; in quamq; seperatim Ecclesiam & Episcopum, non in universam Ecclesiam. Magnæ quidem dignitatis dominatus: nequaquam tamen Monarchia Pontificia. Monarchia ejus neq; ab illa Synodo, neq; ab ulla præterea per multa deinceps secula comprobata est: immo, expressè damnata est à [n] Constantiensi, & [o] Basileensi Synodo. Prima quæ unquam illam amplexata est, [p] Lateranensis erat Synodus sub Leone decimo: post millenos quingentos & sexdecim à Christo annos.

HARTUS. Atqui amplexa est [q] Florentina Synodus octoginta annos ante hoc indictum Concilium: *quum Græci Latiniq; Episcopi assentirentur.*

RAINOLDUS. Sed ita tamen, ut [r] Romanus Lector, etiamsi inde quantum potest eliciat pro existimatione Pontificis, necesse nihilominus habuerit dicere, *Florentinum Concilium non adeò expressè id definivisse.* [s] Græci sanè Episcopi responderunt *ex seipsis* (*nullam enim ad illud respondendi facultatem se habere* aiebant, *absq; totius Ecclesiæ suæ consensu*,) sed *ex seipsis* responderunt, *Pontificem eadem privilegia habere debere, quæ ante eorum dissidium habuisset.* Quod magno quidem indicio est, quum majora iisdem subscriptione sua approbassent, non *ex seipsis* hoc fecisse. Quum præsertim ad illud quod fecerant (1) non nisi valde coacti accederent; & postquam fecerant, Pontifici tamen parêre (2) recusarent. Verùm hoc Leo Decimus cum Italica sua factione in Laterano definivit. A quo confestim [t] Parisiensis Academia provocavit ad Synodum; & Lateranense dogma ejus decretumq; damnavit: quemadmodum priùs factum fuerat à [u] Lovaniensi, Coloniensi, [x] Vi-

[e] Præfat. Synodi in Trullo ad Iustinian.
[f] Synod. Nicæn. secund. can. 1.
[g] Synod. oct. gen. Constantinop. can. 17.
[h] Concil. Lateran. sub Innocent. tert. cap. 5.
[i] Papa ex Latinis Præsulibus Patriarchas Constãtinop. contra veros Græcos creavit. Concil. Florent. sess. ult.
[k] Paschalis secundus, c. Significasti. de electione. Pius secund ep. 400 Turrecremata summ. de Eccl. lib. 3. c. 46. Sander. de visib. Monarc. Eccl. l. 7. Torrensis de autoritat. summ. Pontif. supra Concil. Stapletonus princip. doctr. lib. 13. c. 15. Scholæ Theologi passim, in 4. Sentent. dist. 19. & omnes fere Canonistæ, in c. Significasti. de electione. c. Si Papa. dist. 40.
[l] Gerson & Almain. Tract. de potestate Ecclesiæ. Cusanus de concordant. Cathol. lib. 2. cap. ult. Panormitan. in c. Significasti, de electione.
[m] Bellarmin. prælect. Rom. controvers. 3. part. 3. quæst. 4.

[n] Sess. 4. & 5. [o] Sess. 2. & 16. & 18. [p] Sess. 11. [q] Sess. ult. [r] Bellarm. prælect. Rom. contr. 3. p. 3 q. 4. [s] Concil. Flor. sess. ult. (1) Ex importunitate Imperatoris sui, & sui status periculo. (2) Tùm iidem continuò, in novo Patriarcha deligendo: tùm etiam deinceps post reditum in patriam. [t] appellat. Vniversitat. Parisien. à Leone decimo ad futurum Conciliū, in fascicul. rerum expetend. & fugiend. [u] Æneas Sylv. de gestis Basil. Conc. l. 1. [x] Histor. de Europa. c. 22.

ennen-

ennensi, & [y] Cracoviensi Academiis. Unanimi ergo Pastorum Doctorúmq; per universum orbem Christianum consensu, Pontificia Monarchia repudiata est. quod autem à Pastoribus & Doctoribus traditum est, ipsa fuit Ecclesiarum suarũ religio. Unde agnoscas ejus quod dixi, veritatem, omnes Christianas Ecclesias, præter illam *Italicæ factionis* catervam, occupatum ejus per tyrannidem dominatum condemnasse.

[y] Cromer. de reb. Polonor, lib. 21.

Hartus. Equidem (fatear necesse est,) majorem à vestris partibus probabilitatem video, quàm prius. Ceterùm, quòd asserueras *omnes Christianas Ecclesias damnavisse, & ad hodiernum usq; diem damnare*, malè tui memor es, qui [z] superiùs dedisti, ex *Tridentina doctrina Pontificem esse Synodo superiorem.* Illam enim doctrinam de qua Tridentini Patres inter se consenserunt, (quam tu *Tridentinam doctrinam* nuncupas,) omnes Catholici totius Ecclesiæ Christiani amplectuntur.

[z] Cap. 8. sect. 6

Rainoldus. Dixeram *omnes Christianas Ecclesias hoc damnasse, damnaréque, preter Italicæ factionis catervam.* quæ verba rectè consonant illis, quæ priùs de Tridentino Concilio asserebam. [a] *Tridentina* enim *doctrina de suprematu Pontificis*, illud est in quo *Italica factio Tridenti* ceteros oppressit. quod [b] Claudius Espencæus, Parisiensis Theologus, quidam è Doctoribus vestris attestatur: inquiens, *meritò in Concilio Basileensi Ludovicum Arelatensem Cardinalem questum esse, in Conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ; & hæc illa est Helena quæ nuper Tridẽti obtinuit.* Hoc autem erat de quo Ludovicus Cardinalis loquutus est, [c] in *Conciliis nempe non Episcopos modò, sed & Presbyteros ferre suffragia debere, ut* [d] *olim tulerunt: nam si soli Episcopi* (inquit Cardinalis) *vocem habeant, id demum fiet quod nationi placebit Italicæ, quæ sola nationes alias in numero Episcoporum aut superat, aut æquat:* quodq; enim vile oppidulum istic Episcopum habet. Et illi viles Episcopi, [*] quorum numerus omnium aliarum nationum Episcopos in Concilio Tridentino superabat, illam doctrinam approbârunt. Quanquam ne ipsi quidem forsan ex animo approbârint, sed Pontificiis artibus inducti sunt ut cederent. [e] Illa enim *Vargas responsio de Pontificis suprematu* (contexta Romæ, & divulgata, Synodi tum Tridenti coactæ erudiendæ causâ) docet [f] nonnihil hæsisse rem. Et [g] historiæ quidem vestræ observant, Pontificem valde sibi metuere à generalibus Synodis, ne statui ejus officerent; & tanquam ursum ad palum (quod aiunt) reluctantem accedere, ubi illas cogitur indicere. Quanti [h] negotii res erat, priusquam adduci potuerit ut Tridentina Synodus conveniret? Et verò [i] sedente Synodo, rem benè interea gessit Romæ: at post terminatam Synodum erupit. Præterea, viginti jam sunt anni quũ illa Synodus finita est, nec ulla ab illo tempore indicta est, neq; (credo) verisimile est maturiùs indictum iri: quum tamen [*] *per singula decennia*, [k] ipsorum decretis una saltem haberetur. Aperta omnia indicia, Pontificem arbitrari suprematum suum Episcopis sibi subjectis non placere: ipsósque eundem contracturos angustiùs esse, modò faciendi potestas & autoritas ipsis permitteretur. quod si facturi essent, licèt [l] sacramento adacti sint ut tueantur; etiam, ut *reservationes, provisiones*, aliósque immoderatos quæstus ejus tueantur: nónne apertè constat eum displicere ipsis, vel potiùs ipsos eundem detestari?

[a] Sess. 7. de reformat. in proœmio. & sess. 14. c. 7. & sess. 25. de reform. c. ult.
[b] Comment. in epist. ad Titum cap. 1.
[c] Æneas Sylvius de gestis Basil. Concil. lib. 1.
[d] Act. 15. 22. & 16. 4. Euseb. Eccles. hist. l. 6 c. 42. & lib. 7. c. 28. & 29.
[*] Italicæ nationis erant fere ducẽti Præsules: ex aliis omnibus nationibus non centum. Conc. Trid. excus. à Platin. in numer. Prelator. qui ad Trid. Synod. convenerunt.
[e] Responsum Francisci Vargas de Episcoporum jurisdict. & Pont. maxim. autorit.
[f] Pauli Manut. præfat. ad responsum Fran. Vargas.
[g] Guicciard. hist. Ital. lib. 9. & 20. Iovius hist. sui temporis lib. 2.

Hartus. Majores nostri perpetuò approbârunt ab illo tempore quo Gregorii industriâ primùm ad fidem Christi conversi sunt, usq; ad Henrici imperium, quando hæresis eum exstirpabat.

[h] Vt Espencæus ostendit, comment. in epist. ad Titum cap. 1. [i] Vt inquit Onuphrius, vitâ Pii quart. in vit. Pont. adject. ad Platin. [*] *De decennio in decennium perpetuò.* [k] Concil. Constantiens. sess. 39. c. Frequens. [l] *Forma juramenti præstandi ab Episcopo elect.* in Pontificali Rom. part. 1.

RAINOLDUS. Majores nostri religiosam de Pontifice informatam animis opinionē diu post defunctū Gregoriū, Gregorii causâ aluerūt: eūq; præ cunctis Episcopis honore prosequuti sunt. Ceterū, postquā cœperat in ipsos porrigere ungues suprematus sui, largiendo Ecclesiæ possessiones, Ecclesiæ causas dijudicando, exsequēdo Ecclesiæ censuras: tantum aberat ut probaretur ipsis, ut [m] ante ducentos annos sancitis legibus oppugnarēt. Quin etiā Mariæ temporibus, quū truncū illū occupatæ ejus per tyrānidem potestatis restituerent, quē Henrico octavo regnāte exstirpârāt: [n] cavebāt tamē ut nihil præter truncū illū obtineret, & priores leges ratas adversus eū observabāt. Quare, etiamsi majores nostri magnā illi honoris, nōnulli etiam potestatis eminētiam detulerint: tamē quod vel maximū illi dederūt nō nisi Venetus quidā Ducat⁹ erat; Monarchiā verò ejus ne ad hodiernū usq; diem probârūt. quod pariter dici potest de aliis Christianis Ecclesiis, quę illum simillimis de causis honore afficiebant: ut de vicinis nostris tùm in [o] Galliis, tùm in [p] Germania. Utręq; enim Ecclesiæ quàm respuerint & oderint Pontificis suprematum, docent supplicationes illæ & querelæ, quas Principibus suis obtulerunt. [q] Gallia verò, etiam legibus promulgatis ei resistebat: quæ durasse poterant; nisi [r] *Gentes* fremuissent, & perrupissent vincula. Atq; istæ quarum hactenus judicia recensui, eæ sunt quæ à vobis ipsis pro Catholicis & Christianis habētur. Reliquæ autē, & ipsę quoq; Christianæ, etsi à vobis hæreticæ, & schismaticæ nuncupentur, Christianæ tamen; Ecclesiæ [ſ] Græciæ & Asiæ, in Oriente; in Septentrione, [t] Moscoviæ; ad Meridiem, [u] Æthiopiæ; in Occidēte, [x] Bohemiæ, [y] Provinciæ, [z] Pedemontanæ his elapsis seculis: & [a] quæ hodie reformatæ sunt Ecclesiæ in Anglia, Scotia, Gallia, Germania, Flādria, Suevia, reliquęq; per universam Europā, Pontificē minoris æstimāt quàm superiores. Ut jure mihi liceret dicere, præter *catervam Italicæ factionis* (in qua Jesuitas, gregalésq; illorum, homines Italicos volo numerari,) omnes Christianas Ecclesias damnasse Pōtificis suprematū, & ad hodiernū usq; diem dānare. Quare, si foret res hominū arbitrio disceptanda: tot illorū myriades, Pastorū Doctorúmque, Synodorū & Conciliorū, Academiarum & Ecclesiarum, per omnes ætates, in omnibus regionibus, omnium generum, ordinúmque, possent sufficere Pōtificii suprematûs eversioni. Tibi saltem, Harte, pudorem possent injicere, qui [b] scripto asseruisti, *omnes mortales sine ulla detractatione hunc ei detulisse, neq; unquam ei fuisse denegatum.* Quādo verò divini verbi judicio subjiciendus sit suprematus iste, nec in vitæ volumine reperiatur: concludo igitur, nō esse *Jerosolymitanū* civē, sed fœtū *Babylonicum*, quem beati fuerint qui ad saxa alliserint. Atq; ita demonstravi priorem causam illam, qua commotus nullum tibi nobiscum velis commercium esse precū & religionis, te ad nos perducere potiùs, quàm à nobis abducere debere. Reliquum est, ut posteriorem agitemus, de *fide quā Anglicana Ecclesia profitetur*. quæ si esse *Catholica fides* comperiatur, ut quidē certè comperietur; nihil deinde causæ datur quin des manus necesse sit, ut pariter domum Domini ingrediamur.

[m] Polyd. Virgil. hist Angl. lib. 19. & 20. in Edovardo ter. & Richardo secund.
[n] 1. & 2. Phil. & Mariæ. c. 8.
[o] Ad Ludovicum undecim. pro libert. Eccle. Gall. adv. Rom. aulam defensio Parisiensis curię.
[p] Gravamina nationis German. & sacri Roman. Imperii decem; exhibita Maximiliano primo.
[q] In Conventu Bituricensi.
[r] Conc. Later. sub Leon. decimo. sess. 11. Concordata cum Rege Franciæ.
[ſ] Chalcocōd. de reb. Turc. li. 1. & 6.
[t] Iovius in Moscovia.
[u] Alvarez in descript. Aethiop. cap. 77. & 83.
[x] Aen. Sylv. hist. Bohem. cap. 35.
[y] Sleid. comment. lib. 16.
[z] Foxus in Act. & Monum. l. 7.
[a] Harmonia confessionū fidei. sect. 10. & 11.
[b] Ca. 7. Sect. 7

CAP. 10.

1 Principes supremi sunt subditorum suorum in rebus tam ecclesiasticis, quàm civilibus gubernatores: atq; ita juramentum de suprema eorum potestate legitimum est. 2 Colloquium abrumpitur, Harta ulteriùs progredi recusante.

SECTIO PRIMA.



HARTVS. Quin immo, primùm, quid Pontifici suprematum eripitis, & Principi defertis ad quam minùs spectat?

RAINOLDVS. Quem nos Pontifici suprematum eripimus, Harte, nulli mortalium, sive Principi, sive cuiquam alii deferimus. Verùm Pontifice in partem Christi, partem Principum, partem Episcoporum, partem populorum & Ecclesiarum juris invadente; ut monedula Aesopica se aliarum avium pennis ornavit: plumam illam qua nostræ subtracta Principi Romana monedula se venditabat, eripuimus illi, & Majestati suæ, ad quam pertinuit, detulimus; Magistri nostri sequuti præceptum, [a] *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo.* [a] Mat. 22. 21.

HARTVS. Non *Cæsariani* juris est ut supremus sit omnium imperiorum suorum tam in ecclesiasticis, quàm civilibus rebus gubernator. Hic verò suprematus ille est quem serenissimæ Dominæ nostræ Elisabethæ Reginæ defertis. Plura igitur Principi quàm quæ Principis sunt, defertis.

RAINOLDVS. Obtinere præeminentiam super omnes magistratus in administrandis iis quæ tùm ad Deum, tùm ad homines spectant in suis ditionibus, idem est quod supremum esse gubernatorem omnium ditionum suarum tam in ecclesiasticis rebus, quàm civilibus. [b] At (1) *Cæsariani* juris est (2) *obtinere præeminentiam super omnes magistratus* in administrandis iis quæ tùm ad Deum, tùm ad homines spectant in suis ditionibus. Principis ergo est, quod Principi nos deferimus. [b] 1. Pet. 2, 13. (1) Βασιλεῖ. (2) ὡς ὑπερέχοντι.

HARTVS. *Præeminentiam* verò Princeps *super omnes magistratus* in suis ditionibus obtinet in administrandis iis quæ ad homines spectant, non quæ ad Deum. Neq; enim illi, neq; cuiquam *præfecto* ejus licet in utrisq; versari.

RAINOLDVS. Licet. Nam [c] civilis magistratus constitutus est *ut puniat eos qui malum faciunt; qui verò bonum, laudet.* Sed *malos punire, laudare bonos*, omnia complectitur officia, non quæ hominibus modò, sed quæ Deo etiam debentur. Ergo civilis magistratus constituitur, ut præsit in officiis quæ Deo juxtà & hominibus debentur. [c] Rom. 13. 3. 1. Pet. 2. 14.

HARTVS. *Bonum* quidem quod sequendum nobis est, & quod fugiendum *malum*, officia quæ utrisq; debentur complectitur. Verùm, quod civili magistratui tractandum est, *bonum* illud & *malum* est quod in humanis, non divinis ponitur; in civilibus causis, non religione.

RAINOLDVS. Contrà verò dicit Scriptura. Illa enim edocet eos qui in religionis causis peccant, [d] *idololatras*, [e] *blasphemos*, [f] *pseudoprophetas*, [g] *sacrarúmq; rerum violatores*, esse puniendos. Isti autem ei committuntur *puniendi*, [h] qui *non temerè gladium gestat.* Ergo à civili magistratu puniendi sunt qui *malum* faciunt in rebus divinis. In quibus verò *pœnas* ipsi liceat infligere, & donare *præmia*, in iis præesse licet. Præesse igitur licet in divinis humanisq; rebus. [d] Exod. 22. 20. [e] Lev. 24. 16. [f] Deut. 13. 5. & 18. 20. [g] Num. 15. 35. [h] Rom. 13. 4.

HARTVS. Quorsum igitur ait Scriptura [i] *Pontificem*, (*Pontificem*, non Principem) *constitutum esse in iis quæ ad Deum spectant?* [i] Heb. 5. 1.

RAIN. Ut illa exsequatur, Harte: sicut in contextu sequitur, *ut offerat donaria et victimas pro peccatis.* Istud enim peculiare *Sacerdoti* est officium: quod in negotiū si se Princeps interponat, quod fecit [k] Ozias, *qui volebat super altare suffitûs suffitū adolere*, [l] *quod Sacerdotibus solis assignatur:* officii sui prorsus fines transilit, & [m] divinā sibi vindictā accersit. Ceterùm, pœnis scitisq; civilibus providere, ut suo *Sacerdotes* [k] 2. Chron. 26. ver. 16. [l] Ver. 18. [m] Ver. 19.

persungantur in Divinis rebus officio; nec Sacerdotes solùm, sed & populus: Principi hæc delegata provincia est; proindéq; constituitur ut in iis versetur, quæ ad Deum spectant. Nam, quo tempore habebat in domo sua [n] Michah idoli ædiculā, unà cum amiculo, & imaginibus: [o] *In diebus illis* (inquit Scriptura) *non erat Rex in Israele; quisq; quod rectum videbatur in oculis suis, faciebat*. Et rursus, [p] *In diebus illis nō erat Rex in Israele*, quando [q] quidam de tribu Dan illam idololatricam supellectilē, [r] atq; idolis pariter cōsecratū sacrificum comparabant, [f] & scortabantur cū idolo. Quæ quum ad [t] eundem prorsus modum loquatur Scriptura, [u] quando patratum erat adulterium; & [x] cum adulterio, [y] homicidium: argumento est, cives, ut ab homicidio & adulterio, ita quoq; ab idololatrico cultu Principis gladio fuisse coërcendos; quandoquidem omnia ista flagitia invaluerint, non [z] *Sacerdote*, sed *Rege in Israele* deficiente. Atq; hoc ampliùs illustrant exempla Regum: quorum [a] alii perstringuntur, *quòd excelsa non amoverint*; [b] alii, *quòd amoverint*, *dilaudantur*. Quin etiam, Rex Ezekias [c] præcipiens primùm *Levitis* & *Sacerdotibus*, ut suum exsequātur munus; [d] deinde *populo*, ut accedat & adoret Jehovam; [e] postremò, *utrisq;*, ut se corrigant componántq; ad tuendam religionem: [f] dicitur in eo *adhæsisse Jehovæ, et observasse præcepta ejus quæ præceperat Mosi*. Quod sanè liquido documento est, quū [g] jubetur *Rex* à Mose *omnia verba legis observare faciēdo ea*: Dominum iis verbis voluisse, ut ea non tantùm quà privatus, sed quà *Rex* etiam observaret; conando curandóq; ut omnes sibi subjecti officia sua, tùm erga Deū, tùm erga homines præstarent. quare, quū suprematus ille quem [h] Principi deferimus in ecclesiasticis negotiis, non alius sit quàm ut in iis se gerat sicut Ezekias, non sicut Ozias; non ut prædicet verbum, ministret sacramenta, divina officia celebret, aut Ecclesiæ exerceat disciplinam; sed ut curet ista fieri, prout oportet, ab iis quos ad eadem Deus vocavit: nequaquam *Cæsari* plura quàm quæ sunt *Cæsaris*, attribuimus. Quo graviori sunt in culpa [i] Magister tuus, & [k] commilitones ejus, qui *juramentum Regii suprematûs*, tanquam improbum & impium redarguunt. Omnis enim qui legitimè regnat, supremus est subditorum suorum in spiritualibus politicisq; rebus gubernator. quare in hunc Majestatis suæ principatum jurare, nihil aliud est quàm ipsam legitimam Principem agnoscere. Et verò pari jure licebat [l] universo Regni conventui, Anglos juramento astringere Elisabethæ Principi nostræ, contra Pontificem partem juris ejus injustè occupantem; atq; [m] Jehoiadæ ab hominibus Judæ jusjurandum pro Joa Rege suo exigere, contra Athaliam quę per tyrannidem imperium ejus occupabat.

HARTUS. [n] Magister verò meus explicat infirmitatem eorum, quæ tanquam fundamenta prætenditis pro jure Principum ex Scripturis. Siquidem *Cæsar* Ethnicus erat, quum [o] Christus & [p] Apostoli ejus præciperent fidelibus ut illi obtemperarent. Quare, si subditorum suorum supremus in rebus spiritualibus & politicis exstiterit gubernator: consequens est, ut tam spiritualibus in rebus, quàm politicis fuerit illi obtemperandum.

RAINOLDUS. Certè. Quare illum [q] Paulus appellabat, sciens utiq; debuisse Judæos illi obtemperasse, si secundùm veritatem judicasset.

HARTUS. [r] Paulum Judæi seditionis etiam, non hæresis solùm accusabant. Non igitur causa ejus merè fuit spiritualis. Quòd si autem Ethnico Imperatori in spiritualibus fuisset parendum; Christianis quoq; hostiæ immolandæ fuissent idolis. Ita enim is imperârat.

RAINOLDUS. Quid? Si Imperator Ethnicus ipsis imperasset ut contra proximum suum testimonium falsum dicerent, aut inde damnarent innocentem,

[n] Iudic. 17. v. 5.
[o] Ver. 6.
[p] Iudic. 18. v. 1.
[q] Vers. 17.
[r] Vers. 19.
[f] Ver. 30.
[t] Iudic. 19. v. 1.
[u] Vers 2.
[x] Vers. 25.
[y] Vers. 26.
[z] Iud. 20. 28.
[a] 1. Reg. 15. 14. & 22. 44. & 2. Reg. 12. 3. & 14. 4. & 15. 35.
[b] 2. Reg. 18. 4. & 23. ver. 8. 13. & 19.
[c] 2. Chron. 29. v. 5. 21. 27. & 30.
[d] 2. Chro. 30. v. 1. 6. & 12.
[e] 2. Chron. 30 v. 2. & 4.
[f] 2. Reg. 18. 6.
[g] Deut. 17. 19.
[h] Articuli de quibus convēnit in Convocatione habita Londini, art. 37.
[i] Alanus in Apologia pro Anglicis Seminariis cap. 1. & 4.
[k] Sander. de visib. Monarc. Eccl. l. 5 cap. 4 Staplet. princ. doct. l. 5. c. 17.
[l] 1. Elisab. 1.
[m] 2. Reg. 11. 4.
[n] Alanus in Apologia. ca. 4.
[o] Mat. 22. 21.
[p] Rom. 13. 1. 1. Pet. 2. 13.
[q] Act. 25. 11.
[r] Act. 24. 5.

quod præcepit [s] Jesabel: num parendum fuerat Christianis?

HARTVS. Minime verò: quoniam, in iis quæ à Deo prohibentur, generale axioma est, [t] *parendum Deo potius quàm hominibus.*

RAINOLDVS. Quemadmodum igitur Imperatori Ethnico parendum non erat injusta imperanti, quum tamen supremus erat (quod fateris,) in civilibus reb' gubernator: ita in spiritualibus ei eundem licebat principatum obtinere; cui non parendum tamen imperanti impia.

HARTVS. Ceterùm adeò sunt potentes Principes, ut si hæc illi impetent, plerumq; ipsis homines dicto velint esse audientes. Quemadmodum Babylonis [u] Rege imperante ut *auream imaginem adorarent*, [x] tres tantummodo exstiterunt qui recusarent.

RAINOLDVS. Quo magis tres illi explorati sunt; atq; ex eorum examine [y] gloria Dei propagata. Quare, etiamsi Principes non semper quæ *pia* sunt, ut nec *honesta*, jubeant: nequaquam idcircò in iis ipsos imperio suo oportet spoliemus; quin juvemus [z] *precibus* potiùs, ut nos in *pietate & honestate* regant.

HARTVS. Experientiâ tamen docemur, si hoc imperii obtinuerint, religionem sæpius mutatis Regibus mutatum iri. Quæ nationis nostræ est per universum terrarum orbem patens turpitudo, quòd ex quatuor Principibus qui sibi invicem continenter successerunt, primus priscam fidem retinuerit, licèt non Papatum; proximus utrumq; aboleverit; tertia utrumq; restituerit; & utrumq; rursus hodie aboleverit Regina: omnes istas porrò intra triginta annorum spacium passi sumus vicissitudines.

RAINOLDVS. Similiter planè in regno Judæ, etsi non adeò paucorum annorum spacio, pater, [a] Rex Achaz adolevit incensa in excelsis; filius, [b] Ezekias abolevit; nepos, [c] Manasses eadem rursus restituit; eademq; rursus nepos ejus, [d] Josias abolevit. Non tamen mutationibus istis inducti sunt Prophetæ, ut eorum in religionis negotiis principatum non agnoscerent. Et certè nobis satius est, pii Josiæ & Ezekiæ, illius nobilissimi pueri fratris Elisabethæ, & Elisabethæ industriâ has passos fuisse mutationes: quàm cum majoribus nostris immotos, sub Pontifice, ut [e] Jonathane mansisse. Neq; verò tanta fuit turpitudo Judæorum nationi, à duobus Regibus reformatam accepisse religionem, licèt id paucorum annorum intervallo varias rerum pareret vicissitudines: quanta Romanorum nationi [f] per mille continuos annos idololatriam, absq; ulla rerum vicissitudine, [g] sub summis Pontificibus retinuisse.

HART. Age. Quicquid demum tu de Principis suprematu opineris: vestri [h] Cẽturiatores eũ generatim redarguũt: eũdémq; [i] Calvinus nominatim Henrico Regi concessum. Utriq; enim *Capitis* titulum reprehendunt. Et idem prorsus est *Caput esse Ecclesiæ*, atq; *supremum* esse *Ecclesiasticarum causarum gubernatorem.*

RAINOLDVS. Calvinus *Capitis* titulum ut à Protestantibus concessus est, minimè reprehendit; sed quo sensu eum Pontificii Præsules ascripserunt, nominatim verò (1) Stephanus Gardinerus: qui eundem perinde urgebat, ac si ex eo voluisset, (2) *penes Regem potestatem esse ut in rebus religionis statueret pro arbitrio suo quicquid voluerit*, ac non juxta divinum arbitrium omnia agenda provideret. Eodem vicissim modo *Ecclesiæ Caput* Centuriatores perstringunt. Siquidem aiunt, *Principes non habere potestatem cudendi formulas religionum, & novos fidei articulos gignendi, ut novos vitulos* * Jeroboam. Quod ergo illi reprehendunt, id nos Principibus non deferimus. Quod nos deferimus Principibus, id illi non reprehendunt. Quinimmo [k] Centuriatores eandem nostræ Principi supremam potestatem quã

[s] 1. Reg. 21. 10.
[t] Act. 5. 29.
[u] Dan. 3. v. 5.
[x] V. 12.
[y] Ver. 28.
[z] 1. Tim. 2. 2.
[a] 2. Reg. 16. 4.
[b] 18. 4.
[c] 21. 3.
[d] 23. 8.
[e] Iud. 18. 30.
[f] Livi. l. 1. Dionys. Halicarn. lib. 2.
[g] Symmach. ep. l. 10. ep. 54.
[h] Magdeburg. in præfat. Centur. 7.
[i] In Amos 7.
(1) *Episcopus Vintoniensis*, inquit Calvinus (Gardinerũ intelligẽs) *cujus levitatem & inconstantiã* (assentantis Regi) *in quæstione de Regis suprema potestate*, *Rex ipse repudiavit*; quemadmodum est apud Cardinalem Polum, pro Ecclesiast. unit. defens. lib. 4.
(2) *Potestas penes Regem, ut statuat pro suo arbitrio, quicquid voluerit.* Quæ Calvinus amplius explicat his Gardineri verbis: *licere Regi interdicere populo usum calicis in Cæna. Quare? Potestas enim summa est penes Regem.*
* 1. Reg. 12. 28.
[k] Centur. 4. Præfat. ad Reginam Elisabetham.

nos, ascribunt: neq; nostræ modò, [l] sed & omnibus universim. Eandem etiam [m] Calvinus. Neq; ille solus, aut illi; sed [n] reformatæ Ecclesiæ unanimi consensu universæ. Eandem [o] vestri etiam, (fas dicere:) túq; ipse etiam, Harte, eandem. Quū enim, habitis tecum super ista quæstione sermonibus (priusquam scripto congrederemur,) exhibebam tibi [p] Nowelli ad Dormannum responsionem, in qua ille nervosè & apertè cavillationes illas refutavit, quas [q] Magister tuus ex Calvino & [r] priscis Patribus adversùs Reginæ supremam potestatem fucat; téq; rogabam pariter uti eam evolveres: mihi (eâ perlectâ) retulisti, demum, te doctrinam quam hac de re tradimus, perperam accepisse; planéq; te nobiscum, si non aliam Principi ac Nowellus, supremam potestatem deferremus, consentire.

HARTUS. Equidem credideram (atq; ita illud [s] multi interpretantur,) tantū vos Principi *supremæ potestatis* titulo voluisse ascribere, quantum nos Pontifici. Quum tamē nihil amplius mihi videmini ex Nowelli verbis ascribere, quàm quod [t] S. Augustinus, qui dicit, *In hoc Reges Deo servire, in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant; non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad divinam religionem.* Et hactenus ego subscribo.

RAINOLDUS. * Placet igitur ad alteram quæstionem descendere: *ubi probaturum te aiebas, fidem, quam in Anglia profitemur, non esse fidem Catholicam?*

HARTUS. Istud ego, partem aliquam, jam antè probavi. Illa enim fides Catholica est, quam nos in Ecclesia Romana profitemur. Illam vos non profitemini. Quod quæstiones illæ quas obiter attigisti, de *Scripturis, Traditionibus, Meritis, Sacramentis, Sacerdotio, Missa, Reali præsentia, Sanctorum cultu,* plurimæque aliæ demonstrant. Verùm in istis longiùs non progrediar, nisi priùs de vita sim securior.

RAINOLDUS. Satis tibi, favente Deo, de vitæ securitate prospicitur, ut in disputatione ista progrediaris. Non minùs saltem, quàm antehac prospectum sit. Quin diceres potiùs, non te progressurum longiùs, nisi de causa tua esses securior. Nam illa fides Catholica est, quam Apostoli omnibus Gentibus prędicârunt. Illam Apostoli prædicârunt, quæ in Scripturis sacris scripta est. Quare, quæ scripta est, fides Catholica est. At fides, quam nos profitemur, omnis scripta est: ergo, quam nos profitemur fidem, fides Catholica est. Atq; hoc quidem perinde in aliis quæstionibus constiterit, atque in illis quas priùs attigimus, liberet modò tibi eas excutere. Dominus tibi gratiam ut ista consideres, largiatur; ut quicquid demum vitâ terrenâ tuâ fiet, de æterna saltem vita, per sacræ veritatis ejus agnitionem, sis securus.

Gratias tibi Domine Jesu.



[l] Cap. 7. in singulis Centuriis: etiam, eodem in loco quem Pontificii contra nos citant, seu designant potiùs, præfat. Centur. 7.
[m] *Nostris,* in ep. ad Regem Edwardum & Reginam Elisabethā, præfix. comment. in Esaiā Prophetam; *omnibus,* in Institut. relig. Christ. lib. 4. c. 20.
[n] Harmonia confess. fidei sect. 19.
[o] Andreas Masius, cōmēt. in Josuam. præfat. & c. 3. Franciscus Duarenus, de sacr. Eccl. minist. ac benef. l. 1. c. 5.
[p] Liber anglicè scriptus & inscriptus, *The reproofe of M^r. Dorman his proofe &c.*
[q] Alan. in Apologia cap. 4.
[r] *Athanasius, Hosius, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus;* ad quos, in illisq; ad reliquos responsū est à Nowello.
[s] Decepti à simillimis Alani & Stapletoni. princ. doct. l. 5. c. 17. & 18.
[t] Cont. Cresco. grāmat. l. 3. cap. 51.
* SECTIO SECUNDA.

INDEX RERUM

PRÆCIPUARUM QUÆ IN HOC opere continentur.

NUMERORUM NOTÆ PAGINAS INDIcant, Epist *epistolam ad Anglica Seminaria.*

Cathe-

D

E

Gre-

Sigis-

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVÆ OBITER EXPLICANTVR.

Duorum numerorum, qui præfiguntur contextui, prior caput libri Bibliorum indicat, posterior versum; si unicus sit, versum tantùm: trium autem, qui subjunguntur, primus caput notat Colloquii, secundus sectionem, ultimus paginam.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆUS.

MARCUS.

LUCAS.

IOHANNES.

ACTA APOSTOLORUM.

AD ROMANOS.

I. AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

praedico inter gentes.4.3.89.*& seq.*
7. Cõcreditum est mihi Evangelium preputii, sicut Petro circumcisionis.3.1.*64*.
9. Iacobus, Cephas, & Iohannes, qui existimantur esse columnæ, dextras societatis dederunt mihi ac Barnabæ. *Ibid.*
11. Quum venisset Petrus Antiochiam, restiti ei in faciem.3.1.*62*.
14. Quum vidissem eos non recto pede incedere.*Ibid.*

I. AD TIMOTHEVM.

2. 8. Volo ut orent viri in omni loco, puras manus attollentes, absq; ira & disceptatione. 8.4.322.*&* 359.
3. 15. Vt nôris quomodo oporteat in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & fundamentum veritatis. 8.6.380.*& seq.Item* 9.1.388.

AD HEBRÆOS.

5. 1. Omnis Pôtifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ apud Deum agenda sunt.10.1.399.& 400.
13. 10. Habemus altare, ex quo non habent jus edendi qui tabernaculo deserviunt. 8.4. 322.*& seq.*

I. PETRI.

2. 13. Subditi estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: sive Regi, ut qui superemineat;
14. Sive præsidibus, ut qui per eum mittatur tùm ad ultionem maleficorum, tùm ad laudem recte agentium. 10.1.399.
5. 13. Salutat vos quæ est in Babylone vobiscũ electa Ecclesia.6.3.144.

II. PETRI.

3. 8. Vnum diem apud Dominum perinde esse ut mille annos.8.2.*276*.

APOCALYPSIS.

2. 1. Angelo Ecclesiæ Ephesinæ.8.3.314.
4. 4. Viginti quatuor Seniores sedentes amicti albis vestibus, & habentes impositas capitibus suis coronas aureas.8.4.328. *&* 329.
5. 8. Viginti quatuor illi Seniores, habentes singuli phialas aureas plenas suffituum, quæ sunt preces Sanctorum.*Ibid.*
8. 3. Alius Angelus stetit ante altare, habens thuribulum aureum *&c.*8.4.325. *&* 329.*&* 330.
12. 1. Mulier amicta sole, sub cujus pedibus erat luna *&c.* 8.4.329.
7. Michael & Angeli ejus præliati sunt cum Dracone & Angelis ejus. *Ibid.*
17. 1. Meretrix illa magna, sedens super aquas multas *&c.*6.3.145.
9. Septem capita, septem montes sunt. *Ibid.*
18. Magna urbs quæ habet regnum super reges terræ. *Ibid.*
21. 10 Ostendit mihi civitatem illam magnam, sanctam illam Ierusalem e cœlo descendẽtem à Deo.8.2.276.
14. Murus urbis habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina Apostolorum Agni.2.1.20.*&* 21.

FINIS.

Errata Typographica quorum quædam in omnibus, quædam in quibusdam exemplaribus tantùm

Pag.	Vers.	Erratũ.	Lege.
3.	*in marg.4.*	*Parpsfeild*	*Harpsfield*
10.	*no Dei*	*Disputatio*	*disputatio*
11.	*nis pondus*	*annexit*	*annexuit*
17.	*sit lapis*	*vouge*	*vorge*
85.	*sensibus*	*sensibus*	*senibus*
96.	*Raineld. Quid?*	*suum*	*sum*
115.	*latas &*	*latas*	*latatas*
131.	*mum singebatur*	*singebatur*	*figebatur*
138.	*obsequitur*	*Sacerdos*	*Sacerdotes*
199.	*tamen in*	*Vnitatis*	*Veritatis*
200.	*pletono omnes*	*Scripturis in*	*Scripturis & Patribus in.*
265.	*rumpatur*	*egannis*	*obgannis*
269.	*igitur*	*Thessalonienfibus*	*Thessalonicensibus*
284.	*felle*	*Lixinio*	*lixivio*
288.	*in oppidis*	*Vexati*	*Versati*
397.	*do)*	*indictam*	*indictum*

In epist.dedicat.*incestioris*, pro *incesti oris*; in titulo pag.20.*De Petro suprematu*, pro *De Petri suprematu*. pag. 276.in margine ad lit.h.*Apocalyps*.22.12. pro *Apocalyps*.22.1.2.pag.277. in marg.lit.x.*Luc*.1.41.pro Luc.1.48. pag.221.*Sect*.3. pro Sect.4.

Et alia forsan istis similia, præsertim in tam multiplici figurarum arithmeticarum notatione; quæ lector æquus facile condonabit.